ALFONSI

SALMERONIS

TOLETANI,

E SOCIETATE IESV

THEOLOGI,

COMMENTARII IN EVANgelicam Historiam, & in Acta Apostolorum.

TOMVS VNDECIMVS,

QVI DE RESVRRECTIONE, ET Ascensione Domini inscribitur.

Apponitur in fine Index omnium Euangeliorum, quæ Dominicis & Festis diebus, per totum annum in Missis iuxta consuetudinem Eccl. Rom. leguntur, & in hisce 11. tomis explicantur.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum, sub Monocerote.

ANNO M. DC. XIV.

Cum gratia & Priuig. Sacræ Cæsar. Maiest.

Licentia Prouincialis.

STEPHANVS de Ojeda, Visitator Societatis Iesu, in prouincia Toletana; potestate ad id mihi facta à reuerendo admodum patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt vndecimus tomus, *De Resurrectione, & Ascensione Domini,* quem composuit pater Alfonsus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis IESV, typis mandetur; quia iam discussus est, & approbatus à viris doctis & grauibus nostræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi meo nomine subscriptas, & mei officij sigillo munitas.

Stephanus de Oieda.

Approbatio.

Ex Decreto & commissione Regij Consilij vndecimum tomum Patris Alfonsi Salmeronis, Societatis Iesu Doctoris Theologi, De Resurrectione & Ascensione Domini nostri Iesu Christi, *accuratè perlegi, non minorem ex eo, quàm ex aliorum eiusdem operum lectione, de quibus sententiam meam non semel exposui, voluptatem capiens: idem enim omnia sapiunt autoris ingenium & eruditionem, sermonis venustatem & elegantiam, ac omnium linguarum & disciplinarum peritiam. Hic autem vndecimus tomus tantum abest, vt aliquid à Catholica, receptaq; Ecclesiæ doctrina & moribus alienum contineat, quòd grauissimis verbis, autoritatibus & rationibus veterum ac recentium Patrum vestigijs inhærens, & illorum dogmata illustrans, hæreticorum vafritiem retundit, techna, argutiasq; refellit, ac piorum animos mirificè oblectans, in orthodoxæ fidei religione confirmat. Cùm igitur Alfonsi nostri pietas, singularisq; doctrina omnibus sacræ Scripturæ studiosis sit notissima, non indiget commendatione, sed meritissimo iure debet typis mandari. Datum Madriti in conuentu nostro S. Mariæ Mercedis Redemptionis captiuorum, quinto Idus Aprilis, Anno 1614.*

Fr. Ioannes Temporal, Magister & Commend.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



DOMINICÆ Resurrectionis historiam, optime Lector, ingentibus sanè Sacramentorum molibus refertam, nonnullis quoque implicitatum quæstionum nodis inuolutam, atque adeò sua nouitate, atque virtute omnium mentes, & cogitationes in admirationem rapientem, fidemque nostram mirificè constabilientem; præsenti libro edisserere, atque enarrare cogitamus. Mirabile mysterium profectò, & fidei nostræ asserendæ atque comprobandæ accommodatum. Cùm enim Dominus Iesus nouam quandam, ac singularem doctrinam mundo inuehere videretur, quam tamen prisci Spiritu Dei afflati vates non ignorarunt, atque pro illa confirmanda non tantùm magnitudine miraculorum, ac multitudine decertasset, sed etiam vitæ sanctitate, atque heroicis quibusdam tùm in vita, tùm in morte virtutibus, maximè verò sapientia, patientia, obedientia, & charitate eam illustrasset; dignus profectò extitit, vt iuxta verbo suo factam promissionem, tertia die rediuiuus, ac nouus homo quibus vellet appareret, suamq; proinde à se disseminatam doctrinam simul testatam redderet, & comprobatam. Neque equidem vnquam Iudæi vlla in re, quæ Christi gloriam attingeret, aut pernegandæ, aut in dubium reuocandæ tantoperè insudarunt, ac laborarunt, atque in Domini resurrectione extinguenda, aut saltem obscuranda. Videbat enim veterator ille, & antiquus serpens Satanas, qui per Iudæos tanquam per organa sua, ac filios loquebatur, totam funditus euerti fidem Christianam, si post triduum Christus aut non resurgeret, aut resurrexisse non crederetur: nam tunc planè sequebatur, saltem quod ad nos attinet, illum seductorem esse, inanemque reddi Apostolorum prædicationem, & vanam nostram fidem, vt Apostolus dixit; inueniri quoque Apostolos falsos Dei testes, & adhuc nos in peccatis nostris versari, & eos qui dormierunt in Christo, prorsus perijsse, eaque tandem ratione Christianos omnibus hominibus miserabiliores existere. Nam si ille, qui est, ac dicitur primitiæ dormientium, seu primogenitus mortuorum, minimè ad vitam immortalem surrexit, quis ergo nostrum sperare id valeat, aut quis fidem homini mortuo, ac seductori habendam vnquam esse censuerit, aut quem fructum nobis mors, & extinctio, Christi attulisset? Verum iniquitas, quæ sibi mentita erat, firma, ac solida Christi virtute, ac veritate profligata est, ac dissipata. Surrexit enim Iesus de sepulcro, mortis, & inferni victor, & triumphator: non obstante morte, quæ illum iniustè inuaserat, atque vt cetus Ionam olim deglutiuerat, non impedientibus linteaminum inuolucris, quibus erat adstrictus, non obsistente lapide ingenti, qui monumentum claudebat, sigillis, & repagulis, quibus erat lapis munitus, minimè aduersari valentibus, repugnantibus, atque inuitis custodibus, quos Synagoga pretio conduxerat, reclamantibus, atque contradicentibus Pharisæis atque Gentibus: Quæ sanè omnia Christi virtutem; & gloriam illustriorem, & confirmatiorem reddiderunt. Id quod de nobis quoque futurum aliquando certò speramus: nam in vniuersum omnes mundi homines à morte, & sepultura, audita voce Filij Dei, resurgent, non obsistentibus flammis, quæ quosdam absumpserant: non impediente mari, quod multos consumpserat, belluarumque aquatilium escam fecerat, non obstantibus gladijs, qui quosdam minutatim discerpserant; terra quoque, quæ quosdam in puluerem redegerat, & quosdam in animalium alimentum dederat, repugnare nequaquam valente, Denique neque Satana, & inferno toto aduersantibus, ac contradicentibus, qui quam plurimos in suis carceribus detentos custodiebant. Sed vt illis inuitis tempore Christi resurgentis, multa corpora Sanctorum quæ dormierant, è manibus illorum erepta surrexerunt, ad eum sanè modum in postremo die pios omnes, atque electos, Domino quæ sua sunt repetenti, cogentur vel inuiti, ac nolentes restituere.

Institutum autoris.

Matth. 16. Infra 17. Infra 20. Infra 26.

Quò præcipuè Christi mysterium prorsus extinguere, atque obscurare Iudæi conati sint.

Si Christus ex mortuis minimè resurrexisset, quale dæmonis consiliũ fuit, quot quantaq; absurda sequerentur.

1. Cor. 15.

Ibidem. Apocal. 1.

Psal. 26.

Ioan. 2. Ioan. 19. Matth. 27. Infra 28.

Ioan. 5.

Matth. 27.

De ratione Dominicæ resurrectionis cum fructu meditandæ quædam documenta traduntur.

Documẽtum primum.

Cur Euangelistæ, ac Paulus, quæ ad Dominicam resurrectionẽ pertinent, singula quæque perscripserint.

Porrò quò Domini resurrectio à nobis maiori cum fructu considerari possit, primo loco illa cogitanda nobis est, vt vera, & indubitata historia, & res, quæ certa est, & constantis veritatis. Ob id enim Euangelistæ omnes, atque adeò Apostolus Paulus eius præclaram mentionem fecerunt, ac diligenter locum, diem, horam, cæterasque

circumstantias perscripserunt, quibusque, & quoties suscitatus Christus suis apparuerit, quid dixerit, quidve egerit, enarrarunt; ne quisquam de huius historiæ, mundo prorsus nouæ, & inauditæ, certa veritate valeat dubitare. Deinde illud quoque in ea serió cogitandum, resurrectionem nonnisi proprium Dei opus esse: hinc eam Deus peculiariter fecisse in Scripturis traditur: *Quem Deus*, inquit, *suscitauit solutis doloribus inferni*: & Paulus: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromißio facta est: Quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Et Iacob. *Catulus Iuda, &c. quis suscitabit eum?* quasi dicat, nullus, nisi Deus. Hinc apud Philosophos atque mundi sapientes de resurrectione verbum nullum; vt Athenienses illam Paulo prædicante, pro mera prorsus habuerint fabula ac deliramento. Agnoscitur ergo Deus in mirabilibus operibus suis: sunt enim Dei peculiaria opera nihil aliud, quam exaltare humiles, ac deprimere impios, & superbos, secundùm illud, quod diua Virgo cecinit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Quis ergo de Iesu per mortem extincto non putasset esse actum? aut quis non existimaret Iudæos felices ac fortunatos, qui ad exitum perduxerunt vota sua, Iesumque tanquam capitalem hostem ignominiosissimè, acerbissimeque vexatum de medio sustulerunt? Tamen ecce Dei manus euexit ad summam gloriam Iesum filium suum, & ad immortalem vitam reuocauit, consiliaque omnia Iudæorum, atque cogitationes prorsus profligauit, ac dissipauit, iuxta illud: Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati; deficientes quemadmodum fumus deficient. Vt inde addiscat homo vel in Cruce positus, in Deo viuo spem omnem suam collocare, in prosperis verò, & vbi omnia videntur nobis arridere, atque ad voluntatem nostram fluere, edoceamur in metu, & formidine versari. Hactenus quidem Christus in passione nihil aliud esse videbatur, quam purus homo extremè abiectus, atque contemptus, & à Deo quàm longissimè derelictus: nunc autem in resurrectione prædestinatus siue declaratus est Filius Dei in virtute, vt docet Apostolus, & data est illi omnis potestas in cœlo, & in terra. Tertio loco lætis animis à nobis est cogitanda, atque excipienda Christi resurrectio tanquam Euangelium, perfaustumque, ac lætissimum nuntium, quod ille nedum acerba sua passione, ac morte vniuersa debita nostra persoluerit, verumetiam sua potentia, atque gloriosa resurrectione omnia bona nobis supra omnia vota nostra, atque cogitationes restituerit. Traditus est exemplum, teste Paulo, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. In ea siquidem apertè cernere licet, Christum Regem, ac Dominum, peccati, mortisque, atque inferni esse victorem, Satanæ debellatorem, mundi huius, atque vniuersæ eius potentiæ domitorem, & omnium malorum, quæ olim nos premebant, profligatorem, ac verè ἀλεξίκακον, hoc est, malorum depulsorem: quod cognomentum olim Herculi fuit attributum, verùm in Christo solo maximo peccatorum, ac dæmonum depulsore, summa cum veritate coniunctum. Nam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Postremo habenda nobis est ante oculos Domini Iesu suscitatio in vitæ nostræ exemplum, ac motum: videlicet vt quemadmodum nos per illam aliquando ad immortalitatem reuicturos expectamus, quod opus est tantùm diuinæ illius, ac omnipotentis virtutis, ita & nunc certò statuamus, nisi per nos obstitum fuerit, nos in anima, & spiritu ad vitam nouam, ac spiritualem cum ipso surrexisse: quod opus diuinæ pariter virtutis, ac sapientiæ est, nostræ quoque industriæ, ac diligentiæ, vt quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, mortuorum putridam vitam, teterrimique peccati opera omninò deserentes; & vt, si consurreximus cum Christo, quæ sursum sunt & quæramus, & sapiamus, vbi Christus est in dextera Dei sedens: & vt Petrus pulchrè, & appositè dixit, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* His itaque rationibus hunc si fidei articulum meditemur, atque tractemus, & consolationem non mediocrem, & ingentem fructum comparare nobis poterimus.

Act. 2. Infra 13. Genes. 49. Act. 17. Luc. 1. Psal. 36. Matth. 27. Rom. 1. Matth vlt. Rom 4. Philip 3. Rom. 6. Coloss 3. 1. Petr. 2.

II documentum. Opus propriū Dei resurrectionem mortuorum esse. Dei peculiaria opera quæ sint. In quo vno spes omnis collocanda. III documentum. Ἀλεξίκακος Græce quid significet. IIII documentum.

Porrò in hoc II. libro, prudens, Lector, omnia, quæ ad huius mysterij historiam faciunt, & vniuersas apparitiones Domini, gestaque omnia, atque dicta Ante Ascensionem, quæ in quinque tantum Euangeliorum continentur capitulis, explicare contendimus. Et quoniam existimamus operam hanc de resurrectione commentandi, prolixiorem minimè futuram; propterea cum illa Ascensionis quoque mysterium connectendum esse censuimus: quod Marcus, & Lucas in postremis suorum Euangeliorum verbis eius mentionem fecerunt: rursus ne truncata ea historia explanaretur; aliquid ex 1. cap. Actuum, quod ad illum Ascensionis articulum attinet, adducemus,

Operis partitio.

quò illa plenius,& luculentius à nobis enarrari valeat. At verò quoniam Domini Ascensioni coniuncta esse videbatur beatissimæ Virginis ac Deiparæ assumptio (tametsi de ea nihil in canonicis libris tradatur) ex opulento tamen veterum Patrum promptuario, atque Ecclesiæ certissima traditione ea tantum edisseremus,atque asseuerabimus,quæ cum fidei nostræ pietate,atque ratione cohærere videbuntur: par quippè erat, vt hæc Domini ascensio,atque diuæ Virginis assumptio huic volumini (cui maximè videtur conuenire) insereretur: in quo resurrectio Domini tractanda est, quam non tantum in Christo, sed & in Matre sanctissima quasi in capite, & collo Ecclesiæ iam esse consummatam, atque perfectam,ambigere nequaquam possumus. Cæterum, ne à more in reliquis libris à nobis obseruato recedere videamur,operæpretium fore duximus, quædam in genere de resurrectione præmittere,quę lucem lectoribus,atque adminiculum adferre queant ad Euangelistarum verba plenius percipienda.Primo igitur loco in genere proponemus Christi resurgentis triumphum. Deinde differendum quid sit & nomine, & re ipsa resurrectio,ac quotuplex,deinde qualis,& quantus hic Fidei articulus existat. Tertiò dissoluentur argumenta,quæ contra resurrectionis veritatem à Gentilibus,vel Iudæis, vel Hæreticis fiunt.Quartò ad perfectiorem resurrectionis Christi, ac nostræ notitiam,differemus de caussis ipsius resurrectionis, hoc est, de efficiente, materia, forma, & fine. Quintò de modo,loco,maximè verò de tempore,quo Dominus Iesus à mortuis resurrexit. Postremò his absolutis,incipiemus apparitiones omnes quas Dominus fecit,expedire,atque interpretari,exordium capiendo ab illa primò,quam sanctissimæ suæ Genitrici exhibuit, & quam Euangelistæ cõsultò ob nonnullas rationes, quas suo loco dicemus, suppressisse videntur. Hæc sunt quæ præsenti libro præstare in animo habemus. Dominus pro sua incomparabili bonitate Spiritum suum nobis impartiri dignetur, quò mysteria tam abdita,& à communi sensu,&ratione remota,ad gloriam ipsius resurgentis,& intellectu percipere,& calamo exprimere quoquo pacto valeamus. Vale bone lector,teque deprecor,vt laborem hunc nostrum,quantuluscunque est, æqui,boniq́ue consulere velis.

De resurrectione quæ tractanda sint.



INDEX TRACTATVVM QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Tract.




R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV, COMMENTARIORVM IN EVANGELIA, ET *Acta Apostolorum,*

LIBER VNDECIMVS.

TRACTATVS I.

De glorioso triumpho Iesu Christi ex mortuis resurgẽtis, in illa Dauidis verba: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.*

Mundi huius cum tragœdia, siue comœdia pulchra comparatio.



SApienter profectò illi sensisse videntur, qui mundũ hunc cum vniuersis eius casib⁹, & euentibus, aut tragœdiæ cuiusdã, aut comœdiæ, aut vtriusque potiùs similitudinem gerere asseruerunt. Nam quod ad impios, & improbos homines attinet, quid aliud obsecro illi in hoc seculo moliuntur, quàm quod tragœdiæ spectaculum nobis exhibent? Eorum siquidem conatus, studia, atque actiones, à gaudio honore, & lętitia initium sumunt, verùm terminantur in dolore, fletu, atque miseria. Quod satis docet exemplum diuitis Epulonis, qui cũ gloria, & rerum omnium affluẽtia quoad vixit, floreret, epulareturq; quotidie splendidè, purpura indueretur, ac bysso, mortuus ad perpetuam inediam, mendicitatẽ, ac nuditatem damnatus est. Vides exitum horrendum, ac funestum eorum, qui, vt dici solet, celebrãt festum ante vigiliam? De his, & eiusmodi loquitur Iob, dicens: *Tenẽt tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* At iusti, & pij Dei cultores, ab humilitate, dolore, & planctu exordiuntur, & in gaudio & gloria eorum vita cõcluditur; vt Lazari mendici abundè docet historia, cuius vlcera, fames, atq; mendicitas in perfecta salute, saturitate, atque rerũ omnium abundantia terminata fuit. De his dicitur: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent,* &, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, & Apostolus, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:* qui profectò comœdiam nobis ludunt, cuius initia solent esse laboriosa, inquieta, ac turbulenta, extrema verò in pace, ac lætitia nuptiarum, splendidoque conuiuio finem accipiunt. Ecce Christus quoad vixit, persecutiones est passus innumeras, calumnias, atque iniurias plurimas sustinuit, turpissima denique crucis morte, atq; acerbissima extinctus, ac de medio sublatus est; & quo inanem eius de resurrectione promissionem redderent, monumentum ingenti lapide, ac Pilati sigillo, necnon fortissima militum Romanorum custodia munierũt. Hęc tamen omnia impedire minimè potuerunt, quominus ille inuictus, & potentissimus Rex gloriæ de morte, diabolo, ac Iudæis resurgens, quàm gloriosè triumpharet, suaque tam insigni victoria gloriam immortalem, & gaudiũ perpetuum sibi ac nobis cõpararet. Quare æquum est, vt nos, qui eius obitum luctu, ac flebilibus vocibus prosecuti sumus, ac de teterrimo necis genere in Dominum contra ius omne, atq; fas illato contristati fuimus, postquam ad nos magna pars hui⁹ victoriæ, trophæaque, atque opima spectant spolia, luctum nostrum cõuertamus in gaudium, cordaque nostra tam insperata, & salutifera resurrectione exhilarentur, & linguæ in voces gaudij prorumpãt, Pæana, cantica, hymnosque triumphatori nostro resonantes, atq; decantãtes. Quod vt vberiùs, & commodius præstare valeamus, cythara Dauidica nobis pulsãda est, atque ad eius suauem, & cõcinnam melodiam corda nostra, linguæ, & corpora accommodanda, quò iocunditas nostra, atq; hilaritas de tanto mysterio concepta geminari valeat: nam ad hoc nos Regius ille Propheta sua illa voce incitauit, dicens: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Nemo est qui ignoret, Dauidem prælectum à Deo fuisse, vt Messiæ filij secundùm carnem sui futura vaticinaretur mysteria: verùm inter ea plurimus est in passione, ac resurrectione Domini describenda, quòd ista magnitudine sua maiorem exigerent fidem, minusq; humanæ essent persuasibilia rationi; vt ipse propterea

Luc. 16. & seq. — *Prouerbium.* — *Luc. 16 & seq.* — *Psal. 125.* — *Psal. 29.* — *Actor. 14.* — *Matth. 27.* — *Psal. 23.* — *Regij Prophetæ de Messia præcipui cantus, atque vaticinia.*

pterea frequentiùs de illis mentionem facere coactus fuerit. Nam cùm Psalmo primo, vt Tuitiensis explicat Rupertus, de incarnatione Verbi Dei tractasset, & in secundo de passione Domini disseruisset, in tertio resurrectionis mysterium explicuit, cùm dixit: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi*; item Psalmo 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Et quòd hæc resurrectio non sit ad vindictam sumendam, sed potiùs ad seruandum, subiunxit: *Ponam in salutari: fideliter agam in eo*. Adhuc in Psalmo 15. ait: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Non dixit, videre mortē, alioqui mortuus non esset; sed corruptionem, id est, in morte non permanebo. Et subdit: *Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Adhæc Psalmus 29. totus resurrectionem spirat, & concionatur: *Exaltabo te Domine*, inquit, *quoniam suscepisti me; nec delectasti inimicos meos super me*. Summè enim confudit atque confutauit Christi resurrectio hostes Iudæos. Et more Prophetico futura per præteritum decantat, vnde subdit: *Domine, eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum*. Et designās tempus mortis, atque resurrectionis subiungit: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Et addit adhuc clarius: *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Talia & in Psalm. 56. canit, cùm Pater ad Filium in sepulchro iacentem ait: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo*. Et vt multos alios locos prętereamus, hic certè Psal. 117. (cuius verba explicanda proposuimus) gloriam & triumphum Christi suscitati describit. Quod eius titulus satis indicat: inscribitur enim Halleluia, quæ vox gaudij est, atque lætitiæ, lætumque, ac faustum Psalmi argumētum designat. At quid Christi resurrectione potius, aut quid iucundius, atque gloriosius? Deinde ostendit Christus allegando hunc Psalmum, de se ipso tantùm intelligi, & ita intelligebant omnes Iudæi, qui hoc audientes, nihil opposuerunt, neque contradixerunt. Communis etiam sensus vulgi, & clamor populi, & puerorum Christo acclamantium: *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*, ex hoc Psalmo desumpta idem cōprobant. Adde quod Ecclesia in Missæ offertorio Sabbati sancti, post lectam Epistolam, antequam ter decantet Halleluia, præmittit primum huius Psalmi versum: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*. Insinuans in hoc Psalmo Christi resurrectionem ad literam celebrari: & per totam octauam resurrectionis eundem versum eo loco decantat. Ad hæc si primum verbum consulas: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, quid aliud continet, aut significat, quàm aut Prophetæ, aut Ecclesiæ vocem gratulabundam, Dominiq; bonitatem, ac beneficentiam agnoscētem, ac prędicantem? Nam cui quęso magis debetur benedictio, claritas, gratiarum actio & laudis confessio, quàm Domino, & illi quidem clementissimo, & misericordia omni erga nos referto? aut quis est alius nobis Dominus præter eum, qui nos ex nihilo cōdidit, suo verò sanguine instaurauit, atq; redemit, suaq; potenti resurrectione ad vitam nos excitans, dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra? Quare rectè subdit: *Quoniam in seculum misericordia eius*. Quis enim alius nostri magis misertus est, quā bonus ille Samaritanus, qui videns semimortuum iacere in via, misericordia motus appropinquauit ad eum; & alligans vulnera eius, vinum & oleum, & imponēs super iumentum suum, adduxit in stabulū: proferensq; duos denarios, commendauit illum stabulario, quò curam illius gereret. Huius Samaritani miserationes, ex intimis charitatis eius sensibus profectę sunt: ęternæq; ex ipsis fuerunt, qui ab æterna Verbi persona prodeuntes, æternæque salutis, & gaudij fructum pepererūt. Hinc Christus Dominus quod semel assumpsit, ex humanitate nostra, in æternum minimè est relicturus. Sanguinē suum vocat Noui, & ęterni Testamenti: & sempiternū habet sacerdotium secūdùm ordinem Melchisedech: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Aquam pollicetur saliētem in vitam ęternam; & panem, quem si quis māducauerit, viuet in æternum: quia per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Quare dispensata mercede pro cuiusq; meritis, iustis pariter atque impijs dicitur: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*. Et subiūgit: *Dicat nunc Israel quoniam bonus. Dicat nunc domus Aaron. Dicant nunc omnes qui timent Dominum*; vt per illud, *Nunc*, explicat tempus Noui Testamēti, de quo inferius ipse Propheta canit explicando, *Hæc dies quam fecit Dominus*. Et hæc particula plerumque solet Noui Testamēti statum designare, vt cùm ex Esaia Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et Paulus rursus: *Nihil*

Margin notes:

Rupert Tuit. in lib. Reg. Clement. lib. 4. c. 3. initio.

Prophetice est consuetudinis præteritis exprimere futura.

Halleluia quid sonet.

Matth. 21.

Christo quid debeamus.

Matth. vlt.

Luc. 10. Christus quā verè parabolicus ille Samaritanus dici possit.

Matth. 26

Hebr. 7.

Psal. 109.

Ioan. 4.

Infra 6.

Hebr. 9.

Matth. 25.

Aduerbialis dictio, nunc, in Prophetis Noui sæpe Testamenti statū denotat.

2 Cor. 6.

Esa. 49.

Rom. 8.

bil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt de Christo Iesu; & iterum: *Iesus Christus heri, & hodie, ipse in secula*. Vbi heri, denotat præterita secula, & in secula ipsa quæ futura sunt, ita, hodie, tẽpus Messię. Inuitat autem ad confessionem laudis primò domum Israël, id est Iudæos, qui primi agnouerunt Christũ; deinde domum Aaron, id est, genus sacerdotale, quod priùs esse debet ante populũ ad credendum Messiæ: de quo Lucas: *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei*: Postremò timentes Deum, id est, Gentiles, q per prædicatiõe Apostolorum, & timore sancto affecti agnouerunt Messiam, & illũ confessione laudis confessi sunt. Vides igitur quã apertè omnia testentur, misericordiam per Christum effusam esse in æternũ? Ex contextu prætereà ipsius Psalmi agnoscere possumus, argumentum Christi suscitati tractari à Propheta. Nam describitur persona angustata, circundata, impulsata ad casum, castigata, & morti nõ tradita, saluata tandem, & à Domino suscepta, & quę vltionem sumpsit de aduersatijs suis, vt materia & ratio gaudij iustorum, & vt ratio, ob quã Deus laudib⁹ celebretur ab Israël, à domo Aaron, & à timentibus Deum, ostendit salutem & victoriam istius ad vniuersorum iustorũ gaudium, & salutem spectare. Et cui hominum alteri possunt illa verba quadrare: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Et qui dicit: *Non moriar, sed viuã*, &c. *Aperite mihi portas iustitiæ*, nisi soli Christo Dei filio, qui & homo, & verus extitit Deus, & quæ ipsemet Christus suo ore de se interpretatus est? Idem possumus corroborare ex paraphrasi Chaldæa, quã grauissimæ esse autoritatis apud Iudæos, nemo negauerit, quæ non vno, aut altero loco, sed frequenter huius Psalmi versiculos de Messia non occultè intelligẽdos explicauit. Sexto enim & septimo versu, vbi nos bis habem⁹: *Dominus mihi adiutor*, Chaldæus habet: *Verbũ Domini in adiutorium meũ*. Et infra: *Verbum Domini ad adiuuandum me*. Deinde in proximis versiculis 8. & 9. vbi nos habemus: *Bonum est confidere, vel sperare in Domino*; ille legit: *Melius est confidere in verbo Domini*. Tertiò in quatuor proximè subsequentibus versibus, vbi ter habetur: *Et in nomine Domini vltus sum in eos*; ipse legit: *In nomine Verbi Domini*. Et pro eo quod habem⁹: *Et Dominus suscepit me*, interpretatur, *sed verbum Domini adiuuit me*. Sequitur: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*. Chaldæus Paraphrastes vertit: *Fortitudo mea, & laus mea; qui timendus est super omnes Gentes Dominus, dixit in verbo suo, & fuit mihi Redemptor*. Postremò, vbi sub finem dicitur de aduentu Messiæ: materia Psalmi: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Chaldæus habet: *Benedictus qui venit in nomine verbi Domini*. Vides quàm densè nomen Domini, siue Ieouah vocatur, & conuertitur verbum Domini. Ex quo etiam elicitur, nomen Domini propriè conuenire ipsi secundę personæ, siue Verbo, siue Iesu. Adde istis planam Textus expositionem. Nam positus in agonia in horto orabat: *De tribulatione inuocaui Dominum* (vt ferat opẽ) *& exaudiuit me in latitudine*: quando ab Angelo corroboratus est, & in signum vitæ obtentæ sudauit sanguinis guttas decurrẽtis in terram: & tunc dixit: *Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo*. Et, *Dominus mihi adiutor, & ego suspiciam inimicos meos, siue optata videbo in inimicis meis*. Et addit rationes se ipsum corroborandi: *Bonum est* (pro melius est) *confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus*. Id est, præstat spem, & confidentiam collocare in Domino, quàm in hominibus, vel in Principibus, de quibus: *Nolite confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus. At Domini est salus, & super populum eius* (id est, credentes ei, & fidentes) *benedictio eius*.

Si verò literam Hebræam consulamus, in primo loco vtriusque versus habemus verbum חסה, quod est, simpliciter sperare. In secundo loco est בטח quod est, vehementer confidere. Et non comparatur cõfidentia in Deo cũ illa, quæ ponitur in homine, sed confertur, & præualet vel minima in Domino spes, quàm maximæ in hominibus confidentiæ. Sequitur: *Omnes gentes circuierunt me*. Id est, Iudæi, & Gentiles, de quibus alibi: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*: quia manu armata Gentilium, siue cohorte Romana muniti ministri Iudæorum, Dominũ comprehenderunt in horto. Et repetitione huius versus ostendit pertinaciam Iudęorum in capiendo, & modum capiendi: quia: *Circumdederunt me sicut apes fauum, & exarserunt* (vel, extincti sunt) *sicut ignis in spinis*. Persecutores Christi ad mortem apibus comparantur: quia vt illę aluearium obsident obstrepentes, & aculeis parùm offendunt, se ipsas verò aut enecant, aut eneruant; ita Iudæi præ rabie strepẽtes circa Christum, eũ aculeo mortis ad triduum pupugerunt, se ipsos verò læserunt non solùm æterna morte, & peccatis, sed etiã temporali excidio, captiuitate gentis, & dispersione per vniuersum orbem. Exarserunt etiam, siue extincti sunt sicut ignis spinarum, quia vt spinæ ignem facilè concipiunt, qui magnum

Hebr. vlt.

Quid per domũ Israel, & per domũ Aaron, & quid per timentes Deum, Dauid intellexerit Propheta.

Actor. 6.

Chaldaica paraphrasis apud Iudæos quantæ autoritatis.

Chaldæi proprium interpretis in voce Domini.

Luca. 22.

Exaudiuit quãdo Christum in latitudine Dominus, iuxta Prophetiã.

Ibidem.

Psal. 145.

Psal 3.

Vituli circumdantes Christum in passione qui mysticè.

Psal. 21.

Matth. 26.

Christi persecutores cur apibus cõparentur à Propheta.

Idem quomodò exarserunt sicut ignis in spinis.

fragorem edit, & vicina quęq; consumere videtur, sed statim extinguitur; ita etiã Iudæorum minæ, & clamores & rabies extinctæ sunt. Et additur ter: *Et in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* In nomine Domini repetitur, & idem valet quod, Benedictus Deus, vel, Benedictum sit nomẽ Domini, vel, in virtute nominis Domini vltus sum eos, vel, vt Hebræa habent, Excidam eos, vel perimam eos, præteritum accipiendo pro futuro: quia excisi sunt, & dissipati Iudæi; ita vt ter dicatur pręscindenda, & profliganda Iudæa. Et propriè vindictæ Euangelicæ sunt, quando aduersarius suus Christus ex hostibus reddidit amicos & reconciliatos. Et paraphrasis Chaldæa habet, In nomine verbi Domini confisus sum, ideò abscindam (vel præscindam) eos, quasi arbores plantatas. Sicut Poëta:

Christi vltio de Iudæis.

Non ego cum Danais Troianã scindere gentem
Aulide iuraui.

Virg lib. 4. Aeneid.

Impulsus euersus sum, vt caderem. Vel, *Impellens impulisti me ad casum.* Nec tamen ita cecidi, quin adiuueris, & auxilium præstiteris, sustentando, ne in casu permanerem. Hic apostrophat ad Patrem: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus es mihi in salutem.* Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum, *Dextra Domini fecit virtutem.* Profitetur Deum esse fortitudinem suam, qua sustentatus est, & laudem suam, id est, quẽ debeat in perpetuum laudare; & salutem, id est, cum per quem omnem salutẽ, & sibi primum, & toto suo corpori sit assecurus. Facere virtutem, est fortiter agere: sicut etiam facere bonitatem, est benefacere in Scripturis. Declaraturq; virtus eius ac potentia, qui factus est nobis in salutem, & ab eo insigni opere nomen Iesu accepit, vt pro hac vniuersali, & communi generis humani liberatione resonet vbique, & audiatur vox Cantici, & tripudij in domibus, & Ecclesijs fidelium: vt quibus est vna salus communis, sit exultationis lætitia. Hæc enim dextera Domini, quæ Messias est, qua nos apprehendit Deus, & pro nobis strenuè operata est, & de qua alibi dicitur: Saluabit sibi dextera eius, & brachium sanctũ eius. Primò fecit virtutem, edendo signa, & dæmonum vim, mortemq; ac peccatũ, potentissimos hostes expugnando in cruce. Deinde hæc dextera exaltauit me per resurrectionem, quam à se vt Deo cum Patre, & Spiritu sancto accepit, & in cœlum reposita est à dexteris Dei sedens. Tertiò tandem hæc dextera fecit virtutem in Apostolis prædicãtibus, & signa & prodigia ad illustrandum Christum perficientibus, & Ecclesiam ex Gẽtibus verbo vocãtibus;

Quid sit illud; Fortitudo mea, & laus mea Dominus.

Facere virtutem, quid, & facere bonitatem more Scripturæ.

Psal. 36.

Matth. 1. & Luc. 2.

Dextera Domini faciens virtutẽ, quænam illa sit.

Psal. 97.

Luc. 22. & alibi.

vt ita illam salutiferam potentiam in nostram exaltationẽ, & æternæ salutis fructũ conuertendo, vt esset vox exaltationis de salute sua congaudentis, & congratulantis in conscientijs, & linguis iustorũ. Vnde & subiungit: *Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Id est, nõ ita cadam per mortem, vt in ea permaneam, sed resurgam ad vitam immortalem, in qua dabitur tẽpus prædicandi & celebrandi opera Domini: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me,* hoc est: Puniet in me vniuersa mundi peccata, & tamen non tradat morti sempiternæ, vt in ea permaneã ego, vel vllum meorum membrorum: & sic in mortem cecidi, vt tamen in potestate mea positum esset sumere, quando vellem, animam meam, quod nulli hominum alteri, quàm Christo cõtigit. Et apostrophans Christus ad Apostolos, quos ad prędicandum misit in vniuersum mundũ, ad narrãda hęc opera Domini, datis prius clauibus regni cœlorum: *Aperite mihi,* ait, *portas iustitiæ: ingressus in eas confitebor Domino.* Aperite, ô Apostoli, mihi portas iustitiæ; id est, Euangelicã doctrinam, claue prædicationis, & prædicationẽ signis editis confirmate: quia hę sunt portæ iustitiæ fidei, per quas est aditus ad regnũ Dei. Et ipse Christus in eas ingressus per interiorem cooperationem. Confitebor, inquit, Domino. Vnde enim Christ⁹ cœnat nobiscum, cùm nos cum eo cœnamus: ita ingressus in nos, confitetur cõfessionis laudem Deo nobiscum, vt grati simus de tantis beneficijs. Hæc fides Euangelica porta est, per quam solam aditus est ad Deum: & iusti sunt, qui per eam intrantes iustificantur. Et explicans quæ tam longo sermone proposuerat, subiunxit: *Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quæ parabola paucis complectitur, quę priùs tot versibus cecinerat. Nã reprobat⁹ est prius, postea exaltatus in caput anguli, vt duos parietes sustineat. Declarat mysteriũ mortis, & resurrectionis: quẽ locum de se ipso interpretatus est Dominus multis in locis, vt Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20. & Petrus 1. Petr. 2. & Paulus Ephes. 2. & primitiuis illis Act. 4. ita vt manifestè ridendi veniant, qui hæc ad Dauidem referunt, vt excludant Christum, qui hæc de se ipso exposuit. Est autem in primo illo versu, & in Septuaginta, & in Euãgelio, figura Antiptosis, vt illud:

Quid illud: Non moriar, sed viuã, &c.

Explicatur: Castigans castigauit me Dominus.

Ioan. 10.

Marc vlt.

Matth. 16.

Quid illud: Aperite mihi portas iustitiæ

Quomodo eas ingressus sit Christus.

Apoc. 3.

Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20. 1. Petr. 2. Ephes. 2. Actor. 4.

Huius loci, Lapidem quẽ reprobauerunt ædificãtes, explicatio.

Vrbem quam statuo, vestra est;

& illud:

Populo vt placerent quas fecisset fabulas.

Virg 1. Aen.

Teren. in prolog. Andriæ.

Ita hic, lapidem pro lapis (quem Septuaginta vertunt λίθον) *Quem reprobauerunt.* Est

autem

autem Christus lapis fortissimus capiti nostro supponendus; vt securè dormiamus: vt fecit Iacob, quem mane surgens erexit in titulum: quia per resurrectionem apparebit quanta in Domino acceperimus beneficia. Hic est lapis apud Danielem abscissus de monte sine manibus; id est, de Virgine sine Patre. Qui statuam Nabuchodonosor Regis contriuit: quia simulachrorum cultum, & idololatriam funditus euertit. Atque hic creuit in montem magnum, & impleuit vniuersum orbem per fidem suam, & Euangelium. Hic est lapis reprobatus ab ædificantibus, id est, Scribis, Pharisæis, ac Pontificibus, qui docendi populum Dei arcem tenebant. Reprobauerunt autem tanquam sibi non cõgruentem, non enim Deo, sed sibi, suæq; vtilitati, ac emolumentis fabricando deseruiebant. Turpe enim illis visum est, hominẽ pauperem, inglorium, atque imbecillem Messiæ loco recipere. Sed hic lapis, præter omnium expectationem aut cogitationẽ, factus est in caput anguli. Angulus fit ex cõcursu duarum linearum. Et qui olim ab initio corpus spiritui copulauerat, & in incarnatione humanitatem diuinitati Verbi copulauerat, per resurrectionem iterũ corpus coniunxit spiritui, Nouumque ac Vetus Testamentum impleuit, duosq; populos se inuicem odio prosequẽtes, in vnum coaptauit corpus. Quod sanè mirabile est in oculis nostris, quia hæc omnia naturę facultatem longè superãt, & cogitationes ac vota mortalium longè antecellũt. Et protinus sequitur quod ab initio proposuim⁹: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Quanquã autem totum tẽpus aduẽtus Christi (quoad ille nobiscum versatus est) meritò dici valeat, de quo Esaias prædixerat: *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* Et Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis*: peculiariter tamen diei resurrectionis hanc diem in cultu explicat Ecclesia. Nã in illa olim à Deo formata lux fuit, de qua Dominus dixit: *Ego sum lux mundi.* In ea natus est Christus in carne mortali ex Virgine, eadem ad immortalem vitã renatus, in ea exhibitus Spiritus sanctus ad alios in fide instituendos, ac regenerandos, qui eius essent membra futura. Subdit Propheta: *Quã fecit Domin⁹.* Triplex est dies in Scripturis, alter naturæ, quem factor seculorum Deus ab initio fecit, & quidem primũ inter omnes dies, atq; ille cõmunis est bonis, & malis. Alter dies peccati & corruptionis, quẽ nequaquã Deus, sed stultus & infelix homo fecit, qui sibi soli autor est & culpæ, & pœnæ. Hunc diem maledixerunt sancti, vt Iob, & Ieremias, q ad teterrimas illas duas pestes, peccatum, & supplicium eius intuentes, dixerunt: *pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, Conceptus est homo.* Contra hũc diem funestũ Dominus Iesus morte ac resurrectione sua tertium intulit diẽ gratiæ, & gloriæ, ab omnibus omni benedictionis genere recolendum, atq; magna cũ animi voluptate nobis cõmemorandũ, quẽ Dñm hic fecisse tradit Dauid, cùm ait: *Hæc est dies quã fecit Dominus*, non quidem vno, aut altero verbo, vt olim, sed magno cũ labore, suiq; sanguinis præcedente profusione, acerbissimaq; crucis suæ morte. Et quanquam fructus huius diei ad nos magis spectet, quã ad ipsum, qui mortis, & resurrectionis propter se indigus nõ erat: tamen quia gloria huius tanti operis referenda est in Dominũ ipsum eius autorem, ac omnis peccatorum nostrorũ extinctio, & mortis ac suppliciorum omniũ profligatio, illi vni magna cũ gratiarum actione adscribenda, meritò dicitur dies Dominica. Quam sol⁹ Dominus propterea cẽsetur fecisse, quia in requiem suã introiuit, completo omni opere suo. Solet aũt dies, aut planeta dominãte, aut à magna pluuia, aut à vi ventorũ, aut ab aliquo insigni facto, q in ea accidit, denominari: hinc diẽ nuptiarum, diem lætũ, diẽ victorię; diem verò mortis funestum & luctuosum appellamus. Meritò ergo dies resurrectiõis, in quo Dominus ad immortalitatem euect⁹ est, & sua præsentia Apostolos est solatus, atq; æternæ vitæ assequẽdæ fiduciã præbuit, in eaq; ad remittenda peccata Spiritũ contulit sanctũ, suæq; misericordiæ opes effudit prodigus, meritò, inquã, Dominica dies fuit nuncupanda: ob quã causam meritò subiungit: *Exultemus, & lætemur in ea.* Lętandum est ob spiritum nostrũ, quem à morte peccati ad vitam gratiæ per fidem & amorem excitauit: exultandũ corpore, quia idẽ de membrorum suorum corporibus, atq; de capitis ipsius glorioso corpore certò statuendũ est. Vt enim arbori ramus insitus, moriẽte hyeme arbore, ipse ramus commoritur, vere aũt accedente, sicut reuiuiscit arbor, ita planta insita nouã vitæ induit rationẽ: ita de nobis per fidem Christo insitis, & cum illo primũ commortuis, deinde verò cõresuscitatis sentiẽdum est. Huius aũt diei præcedens nox, ipsa Domini acerba passio p homines tenebrarum illata; aurora verò consequẽs, ipsa est Domini resurrectio; dies verò rei tantæ indubitata, ac certa fides, ita vt qui claritati huius diei oculos claudere spõte voluerint, incidant in aliã perhorrescendam diem Domini po-

Gen. 28.
Daniel. 2. Christus est lapis abscissus de monte sine manibus.
Christum lapidẽ curre ,pbauerunt Iudæi.
Angulus quomodo fiat. Genes. 2. Ioan. 1.
Esa. 49. 2 Cor. 6.
Genes. 1. Ioan. 8. Hanc præcipuè resurrectionis diem Dominus dicitur fecisse. Actor. 2.
In Scripturis triplex dies inuenitur.
Iob 3. Ierem. 20.
Dies resurrectionis quem fecit Dominus quam laboriosa ei facta fuerit, atq; difficilis.
Cur dicitur dies Dominica, dies resurrectionis Domini.
Dies vnde nomen accipiat.
Ioan. 20.
In die resurrectionis Domini cur exultandum nobis, & lætandum sit. Apta comparatio.
Diei resurrectionis præconia.

ni postremã, seueritatis, vltionisq; plenissimã, quam promeriti sunt, qui tantę clementiæ, gratiæq; iocũdissimum diem contempserunt. Hæc dies est vna de septẽ, & extra septẽ est. Hæc est dies quæ appellatur octaua, vnde & in quibusdam Psalmorũ titulis superscribitur, *Pro octaua*. Hæc est in qua synagoga finitur, & Ecclesia nascitur: hæc, in cuius numero octo animæ saluatæ sunt in arca Noë: similiter, inquit Petrus, & vos saluos facit Baptisma. Hæc est, de qua Ecclesiastes præcipit: *Da partes septẽ, necnon & octo*. Hi sunt octo gradus, per quos in Ezechiele templũ Dei scandimus: hæc octaua dies, de cuius sacramento, & omnium nationũ in Christo fide octauus quoq; Psal. incipit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Quòd si à Gentilibus dies Solis vocatur, & hoc nos libẽtissimè cõfitemur, hodie igitur lux mundi orta est, meritò igitur occinendum nobis est: *Hæc est dies quam fecit Dominus, &c.* Cùm aũt Dominus dixerit: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* magna ratione voluit hãc resurrectionis diem duodecim distinctis apparitionibus quasi horis illustrare. Nam quãtum ex Scripturis colligitur, duodecies præsentiã sui mulieribus, ac discipulis suscitatus Dominus exhibuit. Nam primũ apparuit Mariæ Magdalenæ, deinde mulieribus festinantibus ad Apostolos, vt resurrectionem illis indicarent: euntibus quoq; in Emaus discipulis duobus, mox Petro, deinde Iacobo, posthęc discipulis sine Thoma, rursus illis eisdẽ post octo dies simul cũ Thoma manentibus, deinde septem Apostolis ad mare Tiberiadis, inde plus quàm quingentis fratribus in monte Thabor, rursus in die Ascensionis, quando apparuit vndecim discipulis recumbẽtibus, & eduxit eos extra Bethaniam: nouissimè autem omniũ tanquam abortiuo, visus & Paulo, vt ipse testatur. Quibus si adiungas illam, quam Matri sanctissimæ & ante omnes fecit, inuenies duodecim visionibus tanti mysterij diem illustratã, vt meritò dicamus: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Ecce tibi Adamum post Euam ex costa sua fabricatam, à somno excitatum. Ecce Noe à somno & ebrietate solutum, vt malediceret in Cham, Iudæo, & in alijs duobus filijs benediceret Gentibus. En Isaac tertio die ab immolationis mõte viuũ reuertentem. Ecce Iosephũ venditum, ac mortuũ reputatum, inuentum tñ Aegypti Principem, ac dominũ. Ecce Ionã in littus rediuiuũ à ceto proiectũ. Ecce Danielẽ erutum à lacu leonũ, & adoratũ à Chaldæis. En virgã Aaronis, q̃ sicca refloruit. En columbã redeuntẽ sub vesperã ad arcã cum ramo oliuę in ore. Ecce tabernaculũ Dauid refectum, en templum solutum, & post triduum reędificatũ. En lapidẽ reprobatũ ab ędificantibus, factũ in caput anguli: en granũ frumenti ꝙ in terram cadens, mortuum fuerat, viuũ resurgens, & multũ fructũ ferẽs. Quis neget igitur iustũ Christo deberi triumphũ, atq; illum quidẽ magnificentissimũ, & illustrissimum? Mors, vbi est nunc victoria tua? Satan, vbi principatus ille tuus? Peccatum, vbi tua vis, & dominiũ? Inferne, vbi tui vincti, atq; captiui? Munde, vbi sunt tua idola? Cœlũ, vbi sunt claues tuę? Lex Mosaica, vbi stabilitas tua? Sabbatum, vbi tua obseruantia? Pilate, vbi tuum sigillum, & custodia? Milites, vbi vestra ferocitas? Iudæi, vbi vestra sunt consilia & conatus? Crux, vbi tua ignominia? Christus potenti sua virtute mortem calcauit, principem mundi foras eiecit, deleuit peccatum, infernum spoliauit, mundum idolorum seruitute purgauit, cœlorum fores aperuit, & ęternitatis nobis aditum reserauit; legem Moysi terminauit, Sabbati obseruantiam commutauit in gloriam Dominicę diei. Egressus est de monumento, nõ valente obsistere sigillo Pilati: exterriti sunt custodes, qui facti sũt velut mortui; Iudęorum consilia in nihilum redegit; crucem omnibus amplectendam præbuit, & exosculandam. Quis in tanta victoria Christi denegandum censeat triumphum, qui per Prophetam dixit: *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, ô inferne.* Et per se ipsum: *Nunc Princeps huius mundi eijcitur foras*, & Zacharias: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, & rursus: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra*; & in hoc ipso Psal. loquitur Dñs ad Angelos: *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam?* Nã ex quo passus est Christus, illa porta fuit semper clausa, & reserata, clausa est peccatoribus, & incredulis, reserata est iustis, & credentibus. Et per Apostolũ: Lex Spiritus vitę in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis, & per Esaiam: *Erit*, inquit, *mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbatho*. Et, *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Qui habitat in cœlis, irridebit eos; & Dominus subsannabit illos.* Hæc dies igitur, q̃ fecit Dñs, exultemus, & lętemur in ea. Insultabas Iudæe, *Vah qui destruis templũ Dei, & in triduo illud reædificas*, an nõ vides fortiꝰ reędificatũ humanitatis Christi tẽplũ? Iactabas, *si filius Dei es, descende de cruce, & credemus tibi*, an nõ plus est de se-

Marginal notes (left): Gen. 6. — 1. Petr. 3. — Eccli. 11. — Ezech. 40. — Ioan. 11. — Post resurrectionem suam quoties Dominus apparuerit. — Marc. 16. — Luc. 24. — Ibidem. & seq. — Ibidem — 1. Cor. 15. — Ioan. 20. — Infra 21. — Ibidem. — 1. Cor. 15. — Luc. 24. & seq. — 1. Cor. 5. — Genes. 2. — Infra 9. — Infra. 22. — Infra 37. — Infra 41. & seq. — Ion 2. — Dan. 14.

Marginal notes (right): Num. 17. — Genes. 8. — Ioan. 2. — Psal. 117. Ioan. 12. — De quibus Christus triũphauerit, & quã gloriose & honorificè. 1. Cor. 15. — Oseæ 13. — Matth. 27. — Ioan. 12. — Matth. 28. — Oseæ 13. 1. Cor. 15. Ioan. 12. Zachar. 9. — Inf. 13. — Psal. 117. Porta Domini apud Dauidẽ, quibus clausa fuerit, & quibus non. — Rom. 8. — Esa. 66. Psal. 2. — Ibidem. — Matth. 27. Ioan. 2. — Matth. 27.

Ibid.

Apud Romanos olim soli triumphabant, qui ad quinq; hostiũ millia bello fudissent, insignemque aliq prouinciam Romano Imperio subiugassent.

de sepulcro, & inferno ascendere mortuũ, quàm de cruce descẽdere viuũ? Improperabas; *Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere*: an quisquã potest cognitione cõplecti excellentiorem saluãdi semetipsum rationem, quam hanc ipsam? Hæc est igitur dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Cautum erat legibus Romanis, ne quisquam Imperator ad triumphũ admitteretur, nisi ad quinq; millia hostium dimicando in acie vna prostrauisset, maiori sui exercitus parte salua; inque insignem aliquam prouinciam protulisset imperium. Iulius Cæsar, testibus Plutarcho, & Tranquillo, quinq; bella feliciter gessit, ob quæ ad triumphum est admissus. Bellum enim gessit Gallicum cõtra fortissimas nationes, Alexandrinum alterum in puerum Ptolemæum, Ponticum contra Pharnacen Regẽ tertium, quartum Africanum, postremum Hispaniense: de ciuilibus bellis nulla mentio, quia eiusmodi victoriç nullus dabatur triumphus, & vt Poëta cecinit quidam:

Plutarch. Tranquill.

Bellorum ciuilium victor minime triumphabat.

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Hostibus de quinq; Christus gloriosè triumphauit, & de quibus.

Fuit & eximio Imperatori nostro Christo bellum aduersus pugnacissimos hostes, primum in dęmones, contra mundum secundum, in carnem tertium, quartum contra Iudæos, postremum in mortem ipsam: atque horum vnusquisq; mille valebat hostes, quippe qui mille occidere poterat, si Saul vicit mille, & Dauid decem millia. Nec tantùm exercitus sui salua maiori parte, sed etiam, quod maius est, integra. Integra siquidem fuit diuinitas, anima integra, corpus tertia die integrum, integræ denique heroicæ illæ virtutes, quibus eius mens ornata erat. Iesus prętereà non vnam aliquam prouinciã vero Dei imperio subiugauit, insigni vsus victoriæ genere, nimirùm sine cæde, & sanguine. Nam Romani si quando vincebant, magna eius victoriæ pars aut sanis consilijs Senatus tribuenda erat, aut militum fortitudini, aut fortunæ potiùs, quæ in his quæ huiusmodi sunt, dominatur. Nam varius est euentus belli, vt dixit Ioab: at Iesus sua ipsius sapientia & virtute gloriosam victoriam de hostibus consecutus est, etiamsi discipuli audito cõflictu per mortem crucis contristarentur; tametsi vnus in eorum persona diceret; *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*: etiamsi relicto illo per fugam omnes se subduxerint, vt impleretur Prophetæ verbum; *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum*. Adde, quòd victoriæ spolia in varios distribuebantur: nam partim in militum & Imperatorum cedebant vsum, partim verò in ipsius reipublicę vtilitatem; hic

1. Reg. 18.

Sine cæde & sanguine fuit Christi victoria.

2. Reg. 11.

Christi virtus atq; sapientia triumphatoris.

Matth. 16.

Infr. 26.

Esai. 63.

Christi munificentia.

verò omnia victoriæ, spolia per Christum parta ad nos potiùs spectare videntur, quàm ad ipsum minimè indigentem, & qui se ipsum totum nobis donauit. Denique triumphus elatos, atque superbos reddebat triumphantes, atque eos, de quibus triumphus agebatur, infelices, & calamitosos, cùm vincti magno cum dedecore in triumphum ducerentur: at Christi triumphus honestissimus extitit, atque modestissimus: vinctisque, atque triumphatis vtilis admodum fuit, & salutaris, cùm illos sui triumphi, & gloriæ participes reddiderit, siquidem ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Hæc dies igitur, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Nec verò hic, de quo disserimus, triumphus impediri calumnia potuit, vt olim apud Romanos Horatij, Pauli Æmilij, L. Luculli, Marci Regis, & aliorum: quòd in Christi regno omnia sint tranquilla, & quieta, cunctaque iusta pace peragantur. Triumphum igitur egit quàm citissimum, quia tertia à conflictu die, cursu quatuor gloriosarum dotium aduectus; ablato saxo, quo claudebatur, morte perempta, custodibus exanimatis, & Iudæis calumniantibus, & præ dolore stridentibus rediuiuus surrexit: qui de dæmonibus in eorum propria domo antè triumphauerat, & post quadraginta dies in cœlum conscendens, tertiò triumphaturus erat, vt ita tribus regnis domitis, inferni, terræ, & cœli, meritò eius nomini omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et cœlites tanti triumphi gloriam spectantes, & admirantes, dicerent: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua; gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* De corona huius victoris, & triumphatoris prædixerat Dauid; *Quis est homo, quòd memor eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et iterum de curru triumphi eius vaticinatur: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.* Hæc igitur est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Omnibus profectò laudum præconijs celebranda est hæc admirabilis victoria, qua Christus seipsum sua charitate, & amore ad sacrificium pro nobis offerendum deuicit. Expugnauit & Patris animum, quò nobis peccatorum remissionem largiretur. Denique nos ipsos

Eiusdem modestia insignis, atq; admirabilis.

Psalm. 67. & Ephes. 4.

Quale Christi sit regnum.

Matt. 28.

Actor. 1.

Triplex sibi regnum Christus subiugauit.

Philip. 2.

Esai. 63.

Christus triũphator quam coronam adeptus, atque diadema.

Psalm. 8. & Hebr. 2.

Psalm. 67.

tanto suo merito, & exemplo prouocauit ad hanc tantã benignitatem Dei agnoscendam, charitatemque suam amplectendam, atque adeò ad vim nobis ipsis inferendam, ne nostris cupiditatibus viam misericordiæ Dei præcludamus. Hæc ergo dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Vel ergo, ô Iudæe, redde nobis Christum mortuum, quem in sepulchro tot modis munito detinebas, vel saltem in eum suscitatum nobiscum crede. Vanaque est illa techna, & infidelitatis plena: *Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Nam qui fit verisimile, vt qui eum per fugam deseruerunt, eum mortuum, & à militibus custoditum sectarentur? quomodo Apostoli pusillo animo præditi ausi essent hoc facere, atque id intempestiua nocte? aut quomodo tempus illis vacabat, vt linteamina conglutinata inuoluerent, & sudarium explicarent? Quis credat, vniuersos custodiæ deputatos milites indulsisse somno? aut quomodo dormientibus omnibus discernere potuerunt, Apostolos suscepisse corpus? Igitur Iudæe, si Christus suscitatus non est, quomodo totus mundus in mortuum credere potuit? aut quomodo ad eius nomen auditum, aut crucem eius conspectam contremiscunt dæmonia? Rursus si Iesus rediuiuus non surrexit, vnde idololatria extincta est, totusque mundus ad crucis venerabile signum in genua prouoluitur? quomodo ab eius tempore, vel paulò post gloriosissima Ierosolyma funditus euersa est; templum sanctum excisum, Iudæorum natio olim Deo charissima, omnibus suis ornamentis spoliata, vatibus destituta, libertate priuata, tanto cum dedecore per vniuersum orbem dispersa est? quis hæc alius, quam ille ipse, qui diuina sapientia erat præditus & potentia illa efficere potuit? Agnosce igitur Iudæe tandem Iesu diuinitatem, Messiam tuum tibi promissum, deque illius resurrectione noli quicquam ambigere. Resurrexit enim sicut dixit per magnifica Sibyllarum vaticinia, per certissima Prophetarum oracula, per ipsas suas claras sententias, sicut per figuram Ionæ, & templi reædificandi subobscurè, ac tectè testatus erat. Sicut dixit per testimonia Angelorum, qui se conspiciendos mulieribus non semel exhibuerunt. Hoc ipsum Pater testatur, dicens: Filius meus es tu, ego hodiè genui te: quod de resurrectione Christi intelligendum interpretatur Apostolus in Actis. Hoc ipsum Filius prædicat: *Ego*, inquit, *dormiui, & soporatus sum, & exurrexi*, Et, *Exurgam diluculo.* Id ipsum Spiritus sanctus concionatur, cùm ait: *Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra:* nam Paulus illud, Hodiè, declarat esse diem resurrectionis, & quietis Domini. Testantur hoc cœli, qui solito velociori Solis cursu iubar illo die præ gaudio præmiserunt, vt Pet. docet. Chrysolog. Terra quoq; contestatur ipsa, quæ hanc offam tenere non potuit, sed euomuit, vt cetus Ionam. Inferi etiã, quia multa corpora sanctorum, qui dormierãt, surrexerunt: custodes ipsi, qui ad Angeli conspectũ exterriti sunt, atque exanimati: Iudæi quoque, qui accepta resurrectionis veritate à custodibus, pecunia numerata, signum illud mendacio redemerunt. Contestatur & hoc constans ipsa Apostolorum prædicatio, signa ad hoc confirmandum plurima ab eis edita, sanguis innumerabilium Martyrum pro hac veritate cõstabilienda effusus, mũdi denique totius ad Christi mortui, suscitatique fidem conuersio. Plurima sanè huiusmodi testimonia pro resurrectionis veritate producit Cyrill. Ierosolymitan. catechesi 4. ad quam lectorem videndi cupidum mittimus. Sed ne nobis contingat ad horam, sed potiùs perpetuò exultare, & lætari, danda nobis sedulò opera est, & pro viribus nitẽdum, vt ad formam, & exemplar huius resurrectionis vitam nostram componamus, atque eò contendendum, vt omnia illa, quæ in Iesu resurrectione ad literam contigerunt, spiritualiter in nobis perficiantur, quemadmodum Apostolus docuit ad Romanos. Resurrectio siquidem Domini vera fuit, ac solida, non phantastica; nam ita dixerunt Apostoli: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni:* ita nostra à peccatis resurrectio simulata, aut fucata esse non debet, aut hypocrisis vitio contaminata. Tunc autem vera erit, si præcedat in nobis terræmotus contritionis magnus, dæmones exterrens peccantium custodes. Debet habere visionem, vt appareat Simoni, hoc est, tanta vis pœnitentiæ, quæ hominem ad Sacerdotem perducat, à quo absolutionis recipiat beneficium. Ac vt CHRISTVS coram discipulis manducauit, & contrectandum se præbuit, quò solidam suam resurrectionem ostenderet: ita qui verè iustificati sunt à peccato, debent pane Verbi Dei, ac Sacramenti frequenter refici, seque ipsos per opera iustitiæ, & pietatis quasi palpandos præbere. Secundò surrexit CHRISTVS citò, ac maturè, quia in aurora, diluculo, & valdè mane, indicans quàm tempestiuè debeamus iter virtutis ingredi: *Non tardes*, inquit, *conuerti ad Dominum, & ne*

Refellitur Iudæus Dominicæ resurrectionis calumniator, & illusor.
Matt. 27. Infr. 28. Sup 26.
Exod. 19. & 1. Pet. 2. & Rom. 9.
Deut. 18.
Dominicæ resurrectionis varia testimonia contra Iudæos.
Matt. 12. Ion. 2. Ioann. 2.
Psalm. 2.
Actor. 13. Psalm. 3.
Psalm 94. Hebraeor. 3.
Petr. Chrysolog.
Iona 2.
Matth. 27. Infr. 28.
Ibid.
Cyrill. Ierosol.
Rom 6. et seq. Dominicæ resurrectionis septem conditiones. Prima.
Luc. 24.
Qualis resurrectio nostra esse debeat.
Ibid.
II. conditio.
Eccl. 5.

differas

Psalm. 94. *differas de die in diem*, Et, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, & qui hodie vnum diem largitus est, crastinum non promisit. Sæpeq; cõtingit illud, quod dici solet,

Ouid lib. 1. de remedio amo. *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

III conditio. Luc. 24. Tertiò integra fuit eius resurrectio: Spiritus, inquit, carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Debet autem quisque cum carne, & ossibus surgere, vt sit debilis in se ipso, fortis autem in Christo: opus est prætereà toto corde conuerti, vt contra omne peccatum decertet, atque omnem virtutem assequi contendat. IV. conditio. Rom. 6. Quartò ad immortalem vitam surrexit, quia ampliùs non moritur, & mors illi vltrà non dominatur: ita qui Ægyptum semel deserit, corde ad illum non reuertatur. Meliùs enim erat illis, diuinus ait Petrus, non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. 2. Petr. 2. Complures enim hodiè grauissimè peccare videmus, qui mox vt factum Paschæ tempus elapsum est, tanquàm canes ad vomitum redeunt, & tanquàm sues lotæ, in volutabrum luti. Ibid. Prou. 26. De qua re egregiè Bernardus serm. de resurrectione Domini conqueritur: Bernar ser. 1. de resurrect. sub fin. *Obnubilat*, inquit, *fratres solennitatis lætitiam materia tristior: sed ipsius plangimus solennitatis iniuriam, quam dissimulare non possumus, nec in ipsa, imò minus in ipsa. Proh dolor; peccandi tempus, terminus recidendi, facta est resurrectio Saluatoris. Ex hoc nempè comessationes, & ebrietates redeunt, cubilia, & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentijs fræna; quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? Venturo parastis hospitium, confitentes peccata cum gemitu; castigantes corpora, eleëmosynas impendentes; & ecce susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo.* Rom. 4. *Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras, Christi cum superbia, cum auaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione.* 2. Cor. 6. *Quid enim minus præsenti debetur, quam venturo? Quid minus reuerentiæ resurrectionis tempus exigit, quam passionis? Sed vos (vt manifestum est) neutrum honoratis. Nam si compateremini, & conregnaretis; si commoreremini, & consurgeretis.* 2. Tim. 2. *Nunc autem ex sola consuetudine temporis, & simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis. Propter hoc (vt ait Apostolus) multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* 1. Cor. 11. *Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus.* Hæc ille sanè perquàm salubriter admonens, & ad perseuerandum in nouitate vitæ exhortans. Quinta conditio Dominicæ resurrectionis. Quintò Christus non solus surrexit, sed cùm multis, quia multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: Matt. 27. vt quisque intelligat quàm gratum, & eximium præstet Deo sacrificium, qui ita à peccatis surgit, vt alios secum suo exemplo pertrahat ad agendam pœnitentiam, quos olim consortes in delictis habuit. Rectè proinde frater Domini dixit: Iacob. 5. *Si quis*, inquit, *ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Hoc ipsum promittebat Dauid, cùm postularet veniam sui delicti, cùm inquit: Psalm. 50. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* VI. conditio. Actor. 2. Sextò, fuit magna cum lætitia coniuncta Domini resurrectio, quia solutis doloribus inferni excitatus est, & gauisi sunt discipuli viso Domino. Ioan. 20. Talem expedit esse nostram iustificationem, qua percepto Spiritu S. Paracleto in diuinis delectemur. Synteresis proprium quid. Nam vt in peccatoribus synteresis munere suo fungitur, mente vexans, ac de delictis singulis vellicans, atque excrucians; ita de benefactis commendat, & gaudium est iusto facere iudicium, & secura mens quasi iuge conuiuium: Prouer. 21. Supr. 15. taleque debet esse gaudium, vt & ad discipulos, id est, ad iustitiæ, & pietatis cultores pertineat. Ita enim exceptus fuit filius prodigus, cùm rediret à regione longinqua, Luc. 15. & seq. qui conuiuio, & musica omnes domesticos exhilarauit; & paterfamilias seriò diceret: Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. VII. conditio. Postremò habuit illa Domini resurrectio quatuor dotes corporis glorificati; nimirum claritatem, impassibilitatem, subtilitatem, atque agilitatem: Has quoque in nostra spirituali suscitatione abesse non oportet. Gloriosi corporis dotes. Claritate ornatur animus noster in cogitatione sui ipsius, ac diuinæ benignitatis: item dum malum animum, & malam mentẽ dæmonis cognoscit: cùm mundi vanitatem, & fallaciam nõ ignorat: dum peccati teterrimam pestem, nosque suis blanditijs seducentem, ac corrumpentem, quasi à facie colubri sibi fugiendam agnoscit. Eccl. 21. Nam qui hæc habet, illud videtur implere: Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Porrò impassibilitatem iustus habet; quando nec alicui est scandalo, nec alter ipsi, nec offendit quenquam, nec offenditur: neque in prosperis inflatur, nec in aduersis succumbit, sed sicut mons Sion non commo-

uetur

Psalm. 124. uetur in æternũ, qui habitat in Ierusalem. Subtilitatis dote præditus est, cùm diuina mysteria non tantùm intellectu, sed & effectu penetrat, & ab eis similiter penetratur, ac rapitur: nam viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Hebræor. 4.* Tunc verò agilitate præditus est, cùm quisque promptus est in fuga vitij, & *Psalm. 17.* posuit illi Deus pedes quasi ceruorum ad venatorum dæmonum technas, ac diligentiam eludendam. Rursus cùm velox est in *Psalm. 118.* operatione virtutis, vt possit dicere; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*: *1. Cor. 9.* Et cum præmij magnitudine allectus sic currit, vt comprehendat. Quòd si tuam resurrectionem improbi calumniantur, asserentes illam esse phantasticam, aut hypocrisi viratam, quemadmodum custodes in caput suum mentiti sunt, Christum non *Matt. 28.* verè suscitatum, sed ab Apostolis sublatum asserentes; tu tamen propterea neque turberis, neque iustificationem tuam deseras. Nam vt Christus mendacium in se ipso vicit, & illorum calumnias in maiorem suam gloriam conuertit, ita & in te quoque vincet, detegetque sua die summa cum gloria innocentiam tuam, atque iustitiam, hostesque tui, atque calumniatores cum angustia spiritus, ac gemitu dicent: *Sap. 5.* *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Si igitur *Apoc. 20.* his circunstantijs decorata extiterit tua resurrectio, beatus eris. Beatus enim, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. Vereque poteris non tantùm propter Christum, sed etiam propter te ipsum, in quem tanta cum beneficentia virtus resurrectionis Domini deriuata est, dicere: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea*; & quod sequitur: *O Domine saluum me fac, ô Domine benè prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini*, cui cùm Patre, & Spiritu S. gloria, honos, & imperium ab omni creatura ratione prædita semper reddatur in sempiternis seculis, Amen.

TRACTAT. II.

In quo disseritur, quid sit nomine, & re resurrectio, & quotuplex, quantusq́, & qualis sit hic resurrectionis Domini articulus.

Ezech. 1. SVPERIORI Libro figuram illam bouis, quæ erat à sinistris ipsorum quatuor explicatam nostra pro tenuitate tradidimus, quæ ad illam quoquomodò spectabāt complectentes, in qua Christus infirmum se carne ostēdit, & sacrificium pro nobis obtulit salutare, crucisque aratrum tulit, quo cordium nostrorum terram proscinderet, sanguineque suo irrigaret, atque excoleret: nunc de facie leonis tribus Iudæ agendum est: quæ propter eius incomprehensam virtutem, & insuperabilem fortitudinem, ab Ezechiele Propheta prædicitur existere à dextris ipsorum quatuor. *Christus leo de tribu Iuda cur dicitur stare à dextris ipsorum quatuor apud Ezechielem.* *Ibid.*

Prouer. 30. Agnus igitur in cruce immolatus mutatus est in leonem, qui est fortissimus animaliũ, ac proinde illorum Rex. *Christi leonis proprietates aliquot.* Hic est Leo ille de tribu Iuda, qui oculis diuinitatis suæ apertis dormiuit, & somnum cepit, & exurrexit: *Apoc. 5.* *Psalm. 3.* qui omnibus humiliatis, atque in terram prostratis pepercit: qui rugitu fortissimo catulos suos in lucem editos post triduum ad vitam excitat, quiq; cauda humanitatis suæ debebat vestigia diuinitatis delere, ne à superbis Iudæis venatoribus agnosci posset, aut capi. Atque vt leo rugitu suo ingētem qua premitur, indicat famem, vnde Petrus de Satana dixit: *1. Pet. 5.* *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: ita Dominus rugitu suæ prædicationis eò tendebat, vt famem, & sitim animarum ardentem ad sibi illas incorporandum ostenderet. *Scopus Christi prædicationis quis esset.* Ex quo rogatus à discipulis, *Rabbi manduca*, ille respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* *Ioann. 4.* & ad mulierem dixit, *Da mihi bibere*, cùm siti animæ Samaritanæ teneretur. *Ibid.* De hoc leone longè antè prædixit Iacob: *Genes. 49.* *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum?* *Dominus Iesus cur catulus leonis dicitur à Iacob.* Dicitur Dominus Iesus Catulus Leonis: siue quòd Filius esset Dei fortissimi, quatenùs Deus est; siue quòd in quantum homo, filius esset Dauid viri magnanimi, & inuicti bellatoris, qui *1. Reg. 17.* cùm adolescens esset, cùm vrsis & leonibus *Ecclesi. 47.* ludebat. Rursus Iesus in pueritia, & adolescentia catulus erat leonis: ascendit in crucem ad prædam; *Catulus ille leonis quando ascendit ad prædam.* nam exaltatus à terra, omnia traxit ad seipsum, *Ioann. 12.* & sanctos Patres eduxit de sinu Abrahæ. Leo verò fuit, quando factus iam vir, rugitum prædicationis emisit. Requiescens verò accubuit, quando repositus fuit in sepulcro, & anima eius à laboribus, & doloribus cepit quietem: tuncq; tanquàm leæna nos vt catulos suos peperit, & efformauit, & ad vitam suscitauit diuinam, profligato aduersario nostro diabolo. Hæc facies leonis Marco Euangelistæ impressa fuit, cui datum est fortia quæque eius describere, inchoanti *Marco soli datũ est Christi leonis fortia quæque describere.*

Esai. 40.

Euangelium suum à rugitu prædicationis suæ per Ioãnem Baptistam præconem eius: *Vox clamantis*, inquit, *in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Rursum finẽ illi imponit, describens rugitum Christi suscitati per ora Apostolorum, ait enim: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Atque ob hanc caussam factum est, vt Marci Euangelium in die Resurrectionis eius, & Ascensionis legatur. Namque illa opera sunt leonis fortissimi, & victoris de tribu Iuda: quemadmodum leo suo clamore excitat ad vitam filios, & saltu valet ad prædam.

Marc. vlt.

Apoc. 5.

Leonis proprium quid.

Aug. lib. 8. de Trinit. c. 5. in fin. tom. 3.

Resurgere quid sit, secundum Augustinum.

Cæterùm vt ad ea, quæ proposita sunt, oratio accommodetur nostra, explicemus primùm quid sit resurrectio. Beatus Augustinus libr. de Trinitate: *Quid est*, inquit, *aliud resurgere, nisi reuiuiscere, id est, ex morte ad vitam redire?* Damascenus verò libr. de orthodoxa fide ait: *Resurrectionem autem dicentes, corporum intelligimus resurrectionem. Est enim resurrectio, secunda eius quod interijt, statio. Nam animæ, cùm immortales sint, quomodo resurgent? Siquidem mortem definientes, dicimus esse separationem animæ à corpore: Resurrectio omninò erit coniunctio rursus animæ, & corporis, & secunda iterataq́; eius, quòd dissolutum fuerit, iteritq́; pessum animalis restitutio.* Hæc ille, pulchrè describens vocem Græcam ἀνάστασις, siue resurrectionis Latinam. Ex quibus habes in primis, quòd resurrectio propria sit corporis, non animarum immortalium: vnde & in Symbolo Apostolorum profitemur carnis resurrectionem.

Damasc. li. 4. c. 28. initio.

Secundum Damascenum quid sit resurrectio.

Mors quid sit.

Caro in Scripturis sæpè hominẽ significat, & vbi potissimum.

Quia etsi nomine carnis per Synecdochen veniat homo quandoque, vt in his locis: *Verbum caro factum est: Videbit omnis caro salutare Dei*: &, *Ad te omnis caro veniet*; nec enim solum corpus sine anima veniet ad te: tamẽ potissimum dicitur carnis resurrectio, quia illa, quæ propriè est corrupta, & dissoluta, iterum erigenda est, atq; anima restituta iterum viuificanda. Quia ergo resurgere, est iterum surgere, nempè vel à casu in terram, qui in eam cecidit, siue à casu in somnum; propterea etsi possit quis dici quòd surgat vel resurgat, siue cùm in terram decidit, vt Paulus, de quo dicitur: *Surrexit Saulus de terra, apertisq́; oculis nihil videbat*: & Dominus paralytico dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula*; Siue cùm quis post somnum è lecto surgere dicitur; magis tamen propriè ille dicitur surgere, qui in somnum mortis incidit: Vnde illud: *Nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat?* & Paulus, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Christus*: Ideo sola corporis

Ioan. 1. Esai. 40. & Luc. 3. Psalm. 64.

Carnis resurrectio propriè cor d catur.

Actor. 9. Matth. 9.

Psal. 40. Ephes. 5.

Varij modi resurgendi excluduntur.

iterata viuificatio propriè resurrectio dicitur, ad quam vera mors necessariò debet præcedere. Quamobrem qui tantum animorum deliquium passi sunt, aut ecstasim, & posteà aut herbis, aut potionibus, aut alijs medicamentis sunt ad vitam reuocati, aut per seipsos reuixerunt, non sunt propriè suscitati dicendi: quemadmodum Apollonius Tyaneus teste Philostrato, quandam puellam Romæ sub principatu Vespasiani ad vitam excitasse traditur, sed quæ revera mortua non fuerat, sed animi perpessa deliquium. Ad veram autem resurrectionem, de qua hic sermonem instituim⁹, non satis est eandem numero animam aduenire, nisi idem quoq; numero corpus illi coniungatur, quemadmodum in illis, quos Christus viuens suscitauit, & in seipso apertissimè ostendit. Sed de hac re infrà vberiùs dicendum est.

Philostratus.

Ad veram resurrectionem quid requiritur.

Matt. 9. Luc 7. Ioann. 11.

Explicandum deinde quotuplex sit resurrectio. Nam hanc vocem aut strictim & propriè accipimus, vt definitum est, aut largiùs, communiusque. Quòd si hoc posteriori modo accipiamus, duplex est resurrectio: altera, animorum, qui per peccatum perierant, ac mortui fuerãt, & per gratiam Dei ad iustitiam, & nouam vitam redierãt. Hæc dicitur à Ioanne resurrectio prima: *Hæc est*, inquit, *resurrectio prima: Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi.* In quæ verba Augustinus in Apocalypsi exponens illum locum, ait: *Prima enim resurrectio, qua à morte peccati ad vitam iustitiæ animæ resurgunt, toto nunc tempore agitur: secunda verò, quæ de terra puluere ad vitam corpoream redeunt, in futurum expectatur. Ipsa est enim qua resurgimus per baptismum, quia sicut prima mors est, in hac vita per peccatum, ita & prima resurrectio per remissionem peccatorum.* Hæc ille. De hac quoque resurrectione prima loquitur Dominus in parabola prodigi filij, cùm dicebat: *Frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Verùm hæc resurrectio impropria est, & metaphorica, sicut & mors ipsam præcedens per metaphoram appellatur, quanquàm deterior, ac truculentior ipsa morte corporis. Vbi etiam quis ex magno aliquo mœrore, atque tristitia, qua oppressus fuerat, lætum nuntium accipit, quo exhilarescat, metaphoricè dicitur reuiuiscere. Vnde Iacob audita vita, & gloria filij Ioseph, quem mortuum existimabat, reuixit spiritus: quæ etiam metaphorica est locutio, cùm nulla vera mors præcessisset. Ita etiam dicitur à Paulo: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*: &,

Resurrectio quotuplex sit.

Apoc. 20.

Aug. ho 17 in Apoc. sub fin. tom. 9.

Quæ sit resurrectio prima, & q̃ secunda.

Luc. 15.

Genes. 45.

Ephes. 5.

Sicon-

Coloss. 3.
Altera diuisio.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, & reliqua. At si strictè etiam verbū resurrectionis accipiamus, duplex quoque est eius species: altera, eorum, qui ad vitam mortalem suscitantur, qualis fuit illa puerorum, quos à morte Helias, & Helisæus excitarunt, & illius Prophetæ, qui contactis ossibus Helisæi mortui, reuocatus ad vitā est, & illa adolescentis filij viduæ, & altera filiæ Archisynagogi, & tertia Lazari, eorumque, qui simul cum Christo surrexerunt, & Tabithæ, siue Dorcadis, quam Petrus suscitauit, & adolescentis Eutychi (benè profectò fortunati) quē de fenestra cadentem, ac extinctum suscitauit Paulus. Altera species resurrectionis est, ad vitam immortalem, & incorruptibilem, qualis illa Christi fuit, tùm seipsum, tùm beatam suam Genitricem suscitando, & qualis erit omnium Sanctorum, qui postremo die ad vitam beatam, & æternam euocandi sunt. Nam de Christo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*: & rursus de alijs omnibus in genere idem Apostolus ait: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc, induere immortalitatem.* Sicut igitur vitrum si in saxum aliquod collisum, in multas ac minutas particulas frangeretur, dupliciter posset refici, atque refingi: vno modo instaurando illud tale, quale prius erat, id est, fragile, & casibus obnoxium; alio modo, reddendo illud forte, ac solidum, nullique expositum fractioni: in illis habes exemplum prædictæ vtriusq; resurrectionis. Rursus resurrectio ad vitam immortalem bipartita est: altera quidem probis, ac reprobis communis, quæ incorruptionem, ac immortalitatem complectitur; altera verò, quæ Christo, & pijs omnibus, & sanctis propria est, quæ non tantùm corpus incorruptibile, & immortale complectitur, sed etiam adiungit ornamenta illa, & dotes vitæ gloriosæ, nimirum impassibilitatem, claritatem, subtilitatem, atque agilitatem, de quibus Apostolus in priori ad Corinthios. Hæc autem ad gloriam resurrectio æternam, ab Apostolo nuncupatur immutatio, propter dona quibus corpus ornatur, & consolidatur; ita vt quasi sit aliud, & videatur aliud, cùm tamē sit idem numero. Vt si vitrum effractum solidaretur, & aureum, atque clarissimum vt Sol, pulchrumque ac pretiosum, subtile quoque, ac sine pondere redderetur. De hac immutatione ait Apostolus: *Omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur:* & Iob: *Putas ne mortuus homo rursum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*: & de cœlis, qui suo modo glorificandi sunt, ait Propheta: *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Denique Paulus vno verbo hanc immutationem expressit, cùm dixit: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Postremò, hæc resurrectio gloriosa adhuc subdiuiditur: nam vt beatitudo alia est in re ipsa, alia in merito, siue spe; ita resurrectio alia quidem est, quam in postremo die omnes pij, & electi suscitati actu possidebunt, alia verò, qua nunc omnes iusti in spe fruuntur, de qua Apostolus ad Ephes. scripsit: *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos*; &, *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Vbi Apostolus nos cōresuscitatos tradit, & consedentes in cœlis, non quidem actu ipso in nobis, sed actu in Christo capite, cui debent membra conformari; in nobis verò iure, & merito, certaque spe, & fiducia. Hac autem resurrectione destituta erunt corpora damnatorum, quæ tunc erunt incorruptibilia, non ex vlla dote in corpus damnati redundante, quia eiusmodi corpora dotibus carent; sed partim quidem ratione secundùm naturam, partim verò supra naturam. Nam cessantibus sphœris cœlestibus à motu suo naturali per virtutem Dei supernaturalem, cōsequitur vt omnes generationes rerum, & corruptiones suapte ingenio, & natura quiescant, ac desinant. Accedit & alia ratio supra naturam, nempè perfecta corporis per animam informatio, quæ corpus facit corruptionis expers, vt docet B. Thom. in libr. contra Gentes. Atq; hæc informatio diuinæ iustitię distributiuę est effectus, quò vltio malorum valeat esse perpetua. Et hactenùs de primo.

Ad secundùm dicendum est, hunc articulum resurrectionis Christi, qui in se quoque includit resurrectionem nostram, tanquàm caussa suum effectum, vitæ nostræ instituēdæ, ac moribus hominum componendis summè necessarium, iocūdissimum quoque, ac desiderabilē valdè, vtilissimum deniq; atque lumini rationis naturalis occultissimum esse. Cæterùm quò tanti mysterij gustum, & fructum simul percipias, dicta omnia, & singula peculiariter sunt explicanda, atque expedienda. Quod igitur hic articulus maximi momenti sit, nostræque salutis summè intersit, ex his quæ sequuntur, rationibus euincimus. Illo etenim de medio sublato, non aliter viuerent homines, ac iumenta, totusque conatus

noster

Marginalia (left): 1. Reg. 17. 4 Reg. 4. Inf. 13. Luc. 7. Matt. 9. Ioann. 11. Matt. 27. Actor. 9. Infr. 20. — Rom. 6. — 1. Cor. 15. Exemplum resurrectionis. — III. diuisio. — Gloriosi corporis dotes sunt quatuor. 1. Cor. 15. — Ibid. — Piorum Resurrectio ad vitā immortalem cur immutatio ab Apostolo nominetur. — Iob 14. Psalm 101. & Hebr. 11.

Marginalia (right): Philipp. 3. — IV. diuisio. — Ephes. 2. — Cur Paulus nos conresuscitatos, & consedentes in cœlestibus dicat. — Corpora damnatorum vnde futura sint incorruptilia. — B. Thom. l. 4. contra Gent. c. 97. tom. 9. — Qualis ac quantus sit hic resurrectionis Domini articulus. — I. Ratio.

noster ad voluptates carnis, blandimentaque huius vitæ captanda tenderet, & quasi Epicurei diceremus : *Manducemus, & bibamus cras enim moriemur.* Audi Salomonem in libro Sapientiæ dicentem: *Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ* (quod verum quidem est, sed malè inferunt ex his verbis falsa quæ subiungunt) *& non est refrigerium in fine hominis* (Hoc falsum est, nam nunquam magis inuenit iustus refrigerium, quàm tunc, iuxta illud : *Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.*) Et, *Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Et meritò quidem: quia si frequenter damnati ab inferis redirent, non est verum, quòd in inferno nulla esset redemptio : & Christus non misisset nos ad Legem, & Prophetas; tanquàm ad certiora, & solidiora testimonia: *Habent*, inquit, *Moysen, & Prophetas; audiant illos. Si Moysen, & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Nam surrexit ab inferis Lazarus; & cùm restaretur quæ viderat, cogitauerunt Iudæi, vt & Lazarum interficerent. Surrexit deinde Christus, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, cum eo surrexerunt: & venientes in sanctam ciuitatem, apparuerunt multis. Et tamen dæmon tot spicula mendaciorum in resurrectionem iaculatus est. Adiungunt impij : *Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquàm non fuerimus*, quibus verbis animæ immortalitatem impij negare videntur. Neque aiunt: Ex nihilo nati sumus, quasi agnoscant creationem, qua Deus ex nihilo res ad esse produxit : quia si hoc agnoscerent, proculdubiò & animas in æternum permanere posse, sicut & illos beatos Angelorum spiritus intelligerent; sed animam quasi rem vanam, ac breui tempore interituram, ex nihilo productam affirmant. Ex quo adijciunt similitudines quasdam, quibus animam aut fumo, aut scintillæ, aut molli aëri comparant, dicendo; *Quoniam fumus afflatus est in naribus nostris ; & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum: quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquàm mollis aër*, & reliq. Quibus in verbis videtur insinuare quatuor falsas opiniones de anima, quas Aristoteles reprobat in lib. de anima. Prima, fuit Heracliti, asserētis animam esse vaporem; quem impij dicunt fumum, ac flatum. Secunda fuit Diogenis, qui dicebat, animam esse aërem, quem impij vocant sermonem, quia sermo est vox significatiua, & articulata; vox autem nihil est aliud, quàm aër percussus. Tertia fuit Hipparchi, atque Democriti, essentiam animæ esse ignem; quem impij hic vocant scintillam. Quarta fuit Melissi Italici, ponentis animam esse vim quandam mouentem, ac cientem corpus; quæ hîc designatur in illis verbis: *Ad commouendum cor nostrum.* In quibus innumeras alias, & vanas de anima sententias includi voluit Spiritus Sanctus. Quibus propositis paullò pòst inuitant se mutuò impij ad vitam iocundè, & cum voluptate transigendam : *Venite ergo* (inquiunt) *& fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquàm in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequàm marcescant : nullum pratum sit quòd non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Hæc impij, pessimè ratiocinantes, & ex principijs falsis falsissimas propositiones colligentes, per quas se in omne genus vitij, atque flagitij præcipites dedant. Et quidem non omnino ineptè ex mortalitate animæ diuinæ articulum prouidentiæ denegant. Nam etsi subtiliter quidem Scotus disputet, viro politico congruere, vt se in vitæ discrimen pro patria objiciat, sicut pars pro toto se exponere solet, etiamsi animam immortalem ignoret : tamen cùm ad praxim venitur, etiamsi maximè disputes, de virtute actum erit, si resurrectionem carnis, & animæ immortalitatem de medio tollas, & quod vtrumque dictorum necessariò consequitur vitam æternam. Vt iure hi duo articuli coniuncti in Symbolo sint, nempè carnis resurrectio, & vita æterna. Pulchrè igitur Damascen. lib. de orthod. fide scribit : *Ipsum igitur corpus quod corrumpitur, & dissoluitur, idem resurget incorruptibile. Non impotens enim est is, qui in principio ex puluere terræ ipsum constituit, rursus resolutum, & conuersum in terram, ex qua sumptum fuerat, secundùm conditoris dictum, iteratò suscitare illud. Nam si non est resurrectio, manducemus, & bibamus, & voluptuariam, deliciosamq; vitam transigamus. Si non est resurrectio, in quo differimus à rationis expertibus ? Si non est resurrectio; beatas dicimus agrestes feras, iocundam, tristitiaq; carentem deducentes vitam. Si non est resurrectio, neque Deus est, neque prouidentia, sed casu cuncta ducuntur, & feruntur. Ecce enim videmus complures iustos penuria laborantes, & iniurijs affectos, neque vnum in præsenti vita adeptos præsidium; peccatores autem, & iniustos, diuitijs, & omnibus delitijs affluentes. At quis hoc iusti iudicij, aut sapientis prouidentiæ opus, qui probe sapiat, existimabit ? Erit igitur, erit resurrectio. Nam Deus iustus est, & ijs qui sustinent eum, mercedis retributor efficitur. Si* igitur

1 Cor 15.

Sapient 2.

Impiorum voces, animæ immortalitatem negant ū apud Salomonem.

Infra 4.

Luc.16.

Ioan 11.

Infra 12. Matth.27.

Quo sensu impij dicant: Quia ex nihilo nati sumus: vt ait Salomon.

De anima falsæ opiniones quatuor.

Arist. lib.1. de anima.

Impij animam cur dicant esse sermonem.

Vox quid sit.

Impiorum sane digna Epicureorum moribus, & dictis ratiocinatio.

Sco. in 4 dist. 43. q. 2.

Ioan. Damasceni dicta atque elegans mortuorum resurrectionis demonstratio.

Damasc lib. 4 de orthod. fid. c.28. init.

Genes 2.

1. Cor 15.

Psalm.72. & seq.

igitur anima sola virtutis certaminibus conflixit; & sola coronabitur. Et si sola in voluptatibus implicita fuit; & ipsa sola iustè punietur. Sed quia neque subsistebat separata, neque virtutem, neque vitium transegit anima sine corpore; iustè ambo simul ad retributiones sunt fabricata. Hactenùs egregiè Damasc. Deinde propositus articulus resurrectionis summè est optabilis, atque iocundus. Nam cuique rei naturali insitus est appetitus non solùm ad esse, & benè esse, sed etiam ad diuturnum esse, & quantum potest, corrumpenti resistit; vsq; adeò, vt etiam lignum dum côburitur, stridorem quendam edat, & lacrymas fundat, eò quòd sui esse iacturam faciat. Quamobrem quæuis res suæ naturæ rectum statum appetit, & quoad eius fieri potest, perpetuari desiderat. Quare hoc inditum, & naturale desiderium exprimens Apostol. *Nolumus*, inquit, *expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita.* Et quia hanc expositionem à corpore, anima euadere non potest; hinc separata corpori suo reuniri appetit. Quare in Apocalypsi animæ interfectorum propter verbum Dei, clamant sub altari: *Vsquequo Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*; in quibus gloria animarum describitur; donec restituantur corpora. Hinc perpetuitatis appetitus naturâ rebus omnibus inditus talis est; vt quæ non possunt in indiuiduo permanere, ac seruari, saltem in specie perpetuari velint. Et hinc orta est tanta famæ, & memoriæ sui appetitio, tantaque humanæ gloriæ fames, ac sitis, vt cùm homines mortem effugere non valerent, saltem in specie, hoc est filijs, & qui in filijs nequiuêre, saltem in lapidibus, æternisque fabricis, ac magnificis monumentis, aut in præclaris à se conditis voluminibus eorum nomina vel in ipsis libris à se editis de contemnenda fama (quod Cicero acutè animaduertit) suorum maximè nominum adscribetent titulos; atque ita post mortem esse saltem cognitum haberent, quod est valdè tenue, & inane, & ab hominum duntaxat mentibus fabricatum, atque confictum. Cùmque illi pro re tam vana, ac minuta vitam morti exponere dubitarent; quid ergo modo pro vita immortali, & æterna memoria apud Deum comparanda facere nos oportet, aut quam dimicationem subterfugere? Quia in memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit. Tertiò, veritas hæc, vtilitatem parit quàm maximam: nam hinc gloriæ cœlestis consideratio, illinc verò suppliciorum gehennæ meditatio, vehementer & ad bonum amplectendum excitant, & à vitio declinando reuocant. Nullus autem cœlestia hæc prima nouerat, vt de illis testari posset, præter illum vnigenitum qui est in sinu Patris, & qui omnia nobis enarrauit. Nam si illa quæ in terra sunt, inuenit homo cum labore, vt testatur Salomon; quæ autem in cœlis sunt, imò quæ supra cœlos sunt posita, quis inuestigabit? De gehenna verò atque eius supplicijs nullus testabatur: nam vt dicitur in lib. Sapientiæ, non est agnitus qui reuersus sit ab inferis. At Iesus tanquàm testis oculatus de vtroque idoneè testari valet, quia ipse sibi testimonium perhibens, inquit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo.* Potest etiam pœnas inferni enarrare, quia ipse fuit inter mortuos liber: quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni. Atque hic articulus de Christi resurrectione, summa quædam totius fidei existit, atque compendium. Ponit enim, incarnationem Filij Dei, ac mortem præcedere: & addit vitam immortalem, & diuinitatem: quia prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Qui etiam ex mortuis victor resurrexit, cœlos haud dubiè potest conscendere: declaraturque peccati, mortis, inferni, diaboli, ac mundi illustris victor; & per consequens potest nos beare, & animam beata suæ deitatis visione coronare, corporaq; nostra ad immortalitatem reuocare, dotibusq; gloriæ ea illustrare, ac decorare, vt configurentur corpori claritatis suę. Quare Petrus meritò scribit: *Qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis:* & Paulus frequenter pro summa omnium articulorum Christi proponit resurrectionem. Hinc Timotheum hortatur: *Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis:* id est, Huius articuli memineris, in quo summa fidei videtur consistere. Et ad Ephesios: *Non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.* Hæc ille, non cessans frequenter inculcare, & ante oculos fidelium proponere istam tam solidam, & fideles omnes ædificantem, atque recreantem veritatem. Quare Ecclesia Spiritum

Secunda ratio pro eadem veritate.
2. Cor. 5.
Apoc. 6.
Vnde hominibus exiftat tantus immortalitatis appetitus.
Cicer. in orat. pro Archia poeta, et epist. ad Lucceium.
Psal. 111.
III ratio.
Quid conferat resurrectionis veritas.
Ioan. 1.
Sap. 9.
Supra 2.
Ioan 3.
Psal. 87.
Act. 2.
Rom. 1.
Philip. 3.
1. Pet. 1.
Quid Petrus principuè de hoc articulo senserit resurrectionis.
2. Tim. 2.
Ephes. 1.
Colos. 2.
Infra 3.

[illegible] Ecclesia [illegible]

Pauli secuta, per quadraginta dies continuos festiuam resurrectionis solennitatem præter omnes dies Dominicos, quos illi per totam annum commemorandæ adscribit, singulis annis celebrari à fidelibus voluit, quo fortius illam filijs suis imprimeret, ac eius dulcedinem, iocunditatemque magis degustandam præberet. Oculos igitur in altum attollamus, terrenaque hæc omnia despiciamus, pedibusque conculcemus, & in vnum Iesum vitæ, mortisque autorem, potentissimumque seruatorem mentis oculos defigamus, illum vnum agnoscamus, in illum omnes nostras cogitationes iactemus, illũ omni religionis cultu prosequamur, illum imitatione effingere, efferreque adnitamur, ab eo nos, nostraque omnia regi, & gubernari gaudeamus, cui cum Patre, & Spiritu sancto, summus semper honos, gloria, maiestas, & imperiũ ab omni creatura ratione prædita impendatur in seculis sempiternis, Amen.

TRACTATVS III.

IN Quo differitur, quàm abdita reconditaq; extiterit humanæ rationis veritas.

EXCVSSIMVS superiori tractatu, quã sit necessarius ad vitam humanam rectè instituendam resurrectionis articulus, quantæque sit vtilitatis, ac iocunditatis: iam illud adiungendum, quàm sit humanæ sapientiæ, atque rationi occultus, ignotus, atque imperuestigabilis. Vnde nullus Philosophorum, atque eorum omnium, qui sapientia excellebant, statum illum gloriosum animæ cum corpore suscitato coniunctæ, iustis omnibus postremo die retribuẽdum, ne conjectare quidem, aut diuinare, nedum inuestigare potuit. Etsi enim plurimæ fiant rationes, minimeq; contemnendæ pro animæ immortalitate firmãda, quas partim B. Thom. multis in locis, sed præsertim in libris contra Gentes, & Nicol. Cussanus, & Marsilius Ficinus, qui plurimis voluminibus pro ea veritate decertauit: tamen, vt quidam tradunt, non omnes Mathematicæ existant, neque certam fidem omni prorsus exclusa formidine gignere valent. Quanquam etiam B. Paulus, atque alij veteres Patres similitudines, & exempla pro stabilienda resurrectione producunt, eò tamen tendunt, vt declarent resurrectionem in Deo minimè esse impossibilem, nullæ tamen fiant rationes demonstrantes, aut vehementer persuadentes. Vt meritò

Philosophorũ ingen[illegible]

D Thom.
Nicol Cussanus
Marsi Ficinus.

Veritas resurrectionis [illegible] persuaderi [illegible]

proinde immensas atque immortales gratias Christo Dei Filio agere debeamus, qui nos ad certam, indubitamque finis nostri gloriosi; & perpetuæ felicitatis status cognitionem per fidẽ solus perduxit. Quod, ne tantum videamur dixisse, nonnullis erit à nobis rationibus comprobandum. Et primò quidem nemo ignorat eatenus rem se habere ad cognitionem, quatenùs se habet ad naturam, & essentiam: at verò illa quæ naturam prorsus excellunt, ex naturæ principijs fieri nequeunt: ergo nec per eadem principia eatenùs cognosci valent vt demõstrentur, persuadeanturve. Resurrectio autem proculdubiò supra naturam est, ergo per naturę principia cognosci non valet. Quòd verò resurrectio per naturales causas fieri nequeat, imò nec corruptum quicquam possit idem numero redire, probatur ex Aristotele in Prædicamentis, qui à priuatione ad habitum impossibilem dicit esse regressum. Intellige autem impossibilem naturæ ipsi, non naturæ autori Deo. Idem etiam Aristot. in libr. de ortu rerum, & interitu apertè asserit, quòd in his inferioribus corruptum potest idem specie, nõ tamẽ numero redire: quia producitur hoc numero nunc, & non aliud, non ob aliam caussam, nisi quia ista singulari actione producitur quæ ad hunc terminum ex natura sua definita est. Et quia istæ conditiones indiuiduæ, ac singulares, potissimum verò temporis, motusque interrupti redire non possunt, nec idem temporis momentum ante esse potuit, vel posteà; fit, vt agens naturale nec ante, nec posteà possit producere, nec modò possit eiusdem speciei alium quàm istum effectum gignere. Atque hæc est causa cur homo in vniuersum nequeat eundem filium, quem ante genuit, rursus producere, siue corrupt⁹ fuerit, siue superstes; nec eadem arbor eundem numero fructum generare; nec denique vlla causa bis eundem numero effectum. Deinde probatur, quia potuerunt quidem mundi sapientes nonnullis rationibus animæ immortalitatem venari, sed illud ægrè, & cum difficultate; at resurrectionem minimè, vt Hieronymus, & Augustinus testantur. Prior quidem in epistola ad Heliodorum sub initium, in hunc modum scribens: *Immortalem animam, & post dissolutionem corporis subsistentem, quòd Pythagoras somniauit, Democritus non credidit, in cõsolationem damnationis suæ Socrates disputauit in carcere: Indus, Persa, Gotthus, Aegyptius philosophantur.* Augusti. verò lib. de Trinit. *Humanis quippe* (ait) *argumentationibus hæc inuenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio abundantes otio, doctrinisq; sub-*

Sco in 4. dist. 43. q. 2
1 Cor. 15. & seq.

Prima ratio ad probandum resurrectionẽ mortuorum naturaliter ostendi non posse.

Aristot.

Idem lib. 2. de genera. text. 70.

II. Ratio.

Hieron. to. 10. initio.
August. lib. 13 de Trin. c. 9. tom. 3.

tilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt stabilem, id est, veram. Ad miserias eam quippe vitæ huius etiam post beatitudinem redire dixerunt. Hæc illi. Quòd verò corporum resurrectionem nullus lucerna rationis naturalis attigerit, testatur idem August. lib. de Ciuit. Dei, cùm de Porphyrio, & Platone mentionem facit. Cyrill. quoque in Iulianum Apostatam resurrectionem irridentem, producit Platonem, dicentem lib. de republica, quosdam Dei voluntate immortales factos: qui etiam commemorat heroem quendam, qui in Armenia mortē occubuerat in prælio dimicando, post aliquot dies resurrexisse. Videbatur enim Platoni sermonem de resurrectione, vt verum admittendum, quanquam reuerà Plato resurrectionē corporum cum dotibus gloriosis, qualem Fides docet in Christo, & electis futuram, & qualem nos credimus, prorsus ignorauerit. Adhæc vt videas quàm remotæ essent Philosophorum mentes ab huius articuli notione, testatur Lucas in Actis quod prædicāte Paulo Athenis de resurrectione Christi, Athenienses audientes tāquam rem nouam, & inauditam, aiebant: *Quid vult seminiuerbius hic, dicere?* Alijs verò, *Nouorū dæmoniorum videtur annuntiator esse*, quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. Idem rursus refert, dum Paulus de castitate, iudicio, & resurrectione apud Festum, & Agrippam Regem dissereret, Festus magna voce dixit: *Insanis Paule; multæ te literæ ad insaniam conuertunt.* Fuerunt tamen inter Philosophos tres sententiæ, quæ aliquo modo resurrectioni viderentur fauere, nulla tamen illarum ad eam, quā Christiani prædicant, resurrectionem agnoscendam peruenire potuerunt. Quidam enim illorum ponebant palingenesiam, vt Augustinus docet, nempè quòd certis cœlorum periodis orbes ad sua principia reuertentes eosdem prorsus facerent effectus; nam ex ijsdē causis vbiq; ijdem prorsus deriuantur effectus. Duo autem fuerunt horum Philosophorū placita. Empedocles enim, vt testatur Aristot. infinities aiebat mundum per circulū ad eadem redire, qua ratione necesse erat, vt anima ad idem corpus completo circulo remearet, idq; naturali via generationis. At Pythagorici, & Platonici aliam huius palingenesiæ rationem tradūt. Nam, vt refert August. lib. de Ciuit. Dei, M. Varro in libris de Gente Populi Romani scripsit, Genethliacos quosdam fuisse, qui docerēt hominis palingenesiam, id est, corporum resurrectionem, in annis quadringentis confici, vt elapso illo tempore eadem anima in idem corpus, cui prius erat alligata, ingrediatur. Plato verò in Phædone, quem Dialogū de pulchro inscripsit, De animorum transmigratione, quæ Pythagoræ fuit sententia, scripsit: vbi regulā Adrastiæ deæ, id est, ineuitabilis numinis, quòd anima quæcunque Deum comitata aliquid verorum inspexerit, in aliud corpus, scilicet in genituram, aut Regis, aut viri Philosophi sit transmigratura. Cuius rei & Cicero fecit mentionem in somnio Scipionis, quod fragmentum est librorum de Republica: vbi etiam fabulatur, Euphorbon in Pythagoram transmigrasse, vt in pauum Homerum: vt Tertullian. est autor in initio lib. de resurrectione carnis, vbi ait, illos resurrectionis veritatem prælibasse, non tamen prorsus attigisse. Hanc transmigrationis opinionem in corpora varia producit Aristoteles libr. de anima, atque illam impugnat. Periodus verò magni circuli secundū Empedoclem, erat triginta sex milliū annorum: quia secundùm Ptolomæū, octaua Sphæra, quæ & Stellata dicitur, secundùm motum diurnum in centum annis mouetur ab Occidente ad Orientem vno gradu. Et cùm orbis trecentos sexaginta gradus cōtineat, fit vt triginta sex millibus annorum toto circulo peracto, orbis ad idem punctum redeat. Ad quod spectare dicunt illud Ecclesiastis: Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est? Nil sub Sole nouum, & quæ sequūtur. Sed meritò Augustinus refellit hanc sententiam, vt falsam, & sacris literis contrariam. Nam secundùm eam non solùm mortui resurgerent, verùm etiam iterum atque iterum occiderent, atque orirentur posita mundi æternitate. Et tamē testatur Paulus ad Romanos: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, & de nobis alio loco testatur: *Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*; & Dauid: *Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.* Illæ etiam rerum reuolutiones, veræ felicitati, & veræ gehennæ aduersantur, de quibus: Ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam. Istos quoque notauit Dauid, cùm dixit: *In circuitu impij ambulant.* Verbum vero Ecclesiastis non intelligitur de circuitu rerum quantum ad numerum, sed quātum ad speciem: quia dum hi moriuntur, alij nascuntur eiusdem speciei: quemadmodum Sol postquàm oritur, occidit, & iterum oritur; & aqua flu-

minis

Idem lib. 22 de Ciuit. Dei, cap. 26. tom. 5.
Cyril lib. 7. aduersus Iulia. in fin. to. 3.
Plato lib. 10. de repub. sub fin.
Corporum resurrectionem qualem confessus Plato.
Act. 17.
Infra 26.
De corporum resurrectione quadruplex Philosophorū opinio.
Aug lib. 12 de Ciuit. Dei, cap. 13. tom 5.
Aristot. lib. 1. phys. text. 32.
August. lib 22. de Ciuit. Dei, cap. 28.
Palingenesia quid.

Plato.
Adrastia dea ineuitabilis numinis regina legum.
M. Tull. de transmigratione animarū commenta vanissima.
Tertull.
Aristot lib. 1. de anim text. 52. & 53.
De periodo magni circuli figmentum Empedoclis.
Ptolemæus.
Eccles 1.
De reuolutione seculorum, quibus eadem numero se deant, op[illegible] contra[illegible] scripturis atq, [illegible]
Aug. lib 12 de Ciuit. Dei, c. 13. tom. 5.
Rom 6.
1. Thess 4.
Psalm 11.
Matth. 25.
Psal. 11.
Ecclesiastes cum ait: Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est, quem sensum habeat.
Ecclesiastes 1.

[illegible] mare, [illegible] in fonte, [illegible] in mare. His accedit, quòd mundus tot annorum millibus nec [illegible], [illegible] est. [illegible] quoque [illegible]. Nam vt Thebit contra Ptolemæum [illegible], octaua sphæra stellata non est primum mobile, sed supra illam est nona sphæra superior, quæ motu [illegible] gradationis mouetur. Quæ [illegible] annorum curriculo ad eundem punctum redire cum octaua; tamen cum octaua sphæra, quæ ratione Solis ac Stellarum, plurimum ad generationem [illegible] influit, non erit in eodem [illegible] orbes planetarum, [illegible] ad id conferunt. Quare [illegible] ad primum mobile, [illegible] eosdem effectus redire. Postremò, quod maximè vrget est: quoniam vt hos [illegible] numero effectus redeant, non satis est eadem causa efficiens, & materia, [illegible] eædem indiuiduæ conditiones [illegible], & nunc, & tamen idem tempus redire nunquam potest.

Nec probant, vel demonstrant in primis exempla Pauli allata de grano seminato: *Insipiens*, inquit, *tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum.* Nam certum est, atque exploratum, granum mortuum non esse idem numero cum eo quod resurgit, etsi sit idem specie. Similiter dicendum de multis alijs exemplis quæ adduci solent, vt de phœnice, de [illegible] renouata, item de sigillo eodem imprimente literas in eadem numero cera: non enim sunt numero eædem literæ, si deletis primis, alias specie imprimat. Secundò, non demonstrat resurrectionem futuram desiderium naturale, quod habet anima ad corpus suum: ergo ne illud frustra [illegible] esse videatur à natura, videtur [illegible] explendum. Sed ad hoc argumentum respondere posset Philosophus, quòd, etsi habeat naturalem inclinationem ad corpus, illa tamen satiat, postquam in ipsum infunditur: at verò postquam ipsum exuit, quia non potest ad ipsum naturaliter redire, vt ratio naturalis demonstrat, nihil illius inclinationis illi superest amplius, vel si superfuerit, per contemplationem substantiarum separatarum [illegible] & sedari poterit. Nec tertiò obstat Augustin. qui libr. de Trinitate hominem asserit natura appetere beatitudinem; quæ cum in hac vita haberi nequeat, quia nulla re obtenta quisquam quiescit, necesse est, vt impleatur in futura. Quòd verò hic expleri nequeat, satis ipsa indicat experientia, & Alexander Magnus, qui huius mundi [illegible] affectus, nouos, sine infinitos mundos cum Democrito, ad expugnandum sibi proponebat. Sed hoc tantum probat in nobis esse quippiam immortalitatis capax, nempe animum, cui philosophus [illegible] hæc immortalitatis [illegible], & secundum illum æterna beatitudo potest. Quare dicendum est reuera, corporum resurrectionem non esse simpliciter naturalem censendam, imò simpliciter ad miraculum spectare. Quod vt commodius explicare valeam, naturale quippiam dicitur triplici ex capite: aut ratione principij agentis, aut ratione termini, qui producitur, aut ratione vtriusque. Generatio plantarum, atque animalium simpliciter dicitur naturalis ratione vtriusque. Glorificatio corporum in æterna beatitudine per oppositum simpliciter est, ac dicitur supernaturalis. Potest quoque motus ratione termini esse naturalis, quia conuenit rei naturæ: principium vero supernaturale, vt illuminatio cæci, quem Christus sanauit, aut ab arte, vt præmaturatio ficuum per artem. At è conuerso vt principium sit naturale, & terminus non sit naturalis, fieri non potest, quia natura determinato modo agens, nequit effectus nisi naturales producere: imò monstrum in natura humana, etsi respectu humani seminis sit præter naturam, hoc est, præter agentis voluntatem; tamen si alias causas respicias, quæ illam voluntatem impedierunt, est naturale.

Resurrectio ergo humanorum corporum supernaturalis est tùm respectu principij actiui, quòd super naturam est, tùm quia potentia passiua, quæ est in materia, & forma, non dicitur naturalis nisi respectu agentis naturalis, cui est obediens: & tamen materia non est in potentia naturali ad eandem formam numero quam perdidit, vt quidam sentiunt, postquam per naturam non potest eandem formam numero suscipere: ideo magis dicitur obedientia supernaturalis ad diuinam suscipiẽdam actionem. Præterea terminus ipse, nempè vita animæ in corpore glorioso, naturalis non est, sed prorsus supra naturam. Ideò neque animæ damnatæ in corpore, quippe quæ non viuant per alimenta, sed vita illa potiùs mors quædam sit: etsi dici possit secundum quid, ac diminutè naturalis ratione termini; quia naturale est animam vniri corpori, & corpus per animam viuere. Rursusque asserimus resurrectionem futuram non posse rationibus naturalibus demõstrari, cum per naturam

Margin notes: Thebit. | [illegible] | Argumenta o[illegible] | 1. Cor. 15. | [illegible] | [illegible] Aug. lib. 11. de Trinit. [illegible] | Alexander [illegible] cupido. | Naturale aliquid tribus modis dicitur. | Ioan. 9. | Monstrum quá ratione sit naturale.

fieri nequeat. Non negamus tamen, multa esse argumenta & quidem valdè probabilia, sed quæ resurrectionem prorsus declarent, & explicent, & quæ credentes persuasione sua confirment, & consolentur; non tamen quæ euincant omninò, ac demonstrent. Quæ producere operæpretium iudicaui, rationesq; quæ in contrarium fiũt, vt ostẽdant omninò esse impossibilem resurrectionem, omninò dissoluere. Inter quas antesignana sit, quæ desumitur ex ordine naturę. Anima est actus corporis physici, & organici, naturalem ergo ad illud effectum habet: at felicitas, quam Deus est retributurus iustis, perfecta non esset, nisi affectibus cunctis naturalibus, ac legitimis satisfaceret, decet ergo Deum hanc animi naturalem appetitionem in æterna beatitudine satiare. Non enim congruit autorem naturæ, præcipuam, ac potissimam creaturam relinquere imperfectam: quòd esset, si perpetuò maneret à corpore separata, cui natura coniungi appetit: ergo coniungetur aliquando, & explebitur ille appetitus. Hanc rationem Durand. Franciscus Mairones in 22. lib. Augustin. De Ciuitat. Dei scribens, demonstratiuam appellauit, largè sumpta voce demonstrationis. Nam quærendum an rationi naturali sit notum, quòd anima separata naturaliter appetat corpori coniungi, & an sibi meliùs sit in corpore, quàm extra corpus; & an, eo dato quòd meliùs habeat in corpore, id velit efficere Deus, qui solus id præstare potest: nam ille omnia liberè, & secundum consilium voluntatis suæ operatur. Hanc eandem rationem alia via conficit beatus Bonauentu. sic colligens: *Perfectior est forma compositi, quàm aliqua eius pars, perfectior ergo forma humanitatis, quàm anima. Cum igitur perfectio beatitudinis gloriosæ ponat perfectionem naturæ, necessarium est totum hominem, & non solam animam glorificari.* Et iterum confirmatur hæc ratio: Cùm enim Deus, & natura nihil frustrà efficiant, sicut materia est propter formam, & forma, & materia propter compositum: fit, vt finis animæ rationis perditæ sit propter compositum, ad quod constituendum conditum est. Quare cum anima hominis sit forma, si perpetuò subsistit, oportet illam non perpetuò priuari illo fine, propter quem facta est assequendum.

Quibus rationibus ostendi possit resurrectionis veritas. — I. ratio. — *Anima quid sit.* — *Durand. in 4 dist. 43.* — *Franc. Mabrõ.* — *August. 10.5.* — *Ephes. 1.* — *B. Bonauent. in 4. dist. 43. q. 1. initio.* — *Deus, & natura nil frustrà efficiunt.*

Secunda ratio ducitur ex ordine, siue integritate vniuersi. Pulchritudo siquidem vniuersi huius consistit in tribus: nimirùm in substantijs purè corporeis, & in his quæ merè sunt spirituales, & in mixtis ex spiritu, & corpore, qualis est homo: non erat igitur congruum, vt in perpetuum orbis pulchritudo hac media creatura destitueretur: quòd contingeret, nisi animæ per resurrectionem corpora resumerent. Atque eò magis urget hæc ratio, quò mens Dei in paradiso terrestri erat, vt totus homo remuneraretur in corpore, & in animo: ergo non obstante morte per peccatum intrante, debent obtinere finem à Deo præstitutum.

II. ratio. Pulchritudo vniuersi in tribus consistit.

Tertia ratio sumitur ex diuinæ iustitiæ ordine. Decet siquidem diuinam iustitiam, vt qui bene agit, remuneretur, & qui malè actis Deum offendit, puniatur: constat autem, merita, atque demerita, actiones esse compositi rationalis, ergo & præmium felicitatis, vel infelicitatis reddendum erit composito, siue, vt Theologi dicunt, supposito. Quandoque anima non solùm per suos actus intellectus, & voluntatis, sed etiam per officia corporis & Deo seruit, & ipsum offendit, secundùm illud: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem.* & ad Corinthios: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Totus igitur homo aut resurrectione, aut pœna est afficiendus. Quod Symbolum docet, dicens: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis:* non ait, propter animas nostras, sed propter nos homines. Ipse etiam CHRISTVS animam, & corpus nostrum assumpsit, ac totum hominem sanum fecit in Sabbato, vt ipse dixit. Hæc ratio producitur à beato Dionysio libr. Cœlest. hierarch. & à Damasce. lib. de orthod. fide, vt superiùs protulimus, & ab Ambros. in oratione de fide resurrectionis, vbi vocat hanc euidentem rationem, dicens, quòd cùm vsus vitæ sit in animæ, & corporis consortio, resurrectio autem boni actus præmium habet, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cui actus extenditur. Hac ratione quoque Paulus vtitur, cum ait: *Si in hac vita tantum, in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus:* quia ex dictis, & subiunctis, cùm ait, *Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* constituit Apostolus, quòd vltima remuneratio erit tam in corpore, quàm in anima: quòd si non dabitur corpori, nec animæ. Et hoc ait, quia non minus vnam veritatem, quàm alteram Apostolus prædicauerat, & confir-

III. ratio. — *Rom. 6.* — *2. Cor. 5.* — *Ioan. 7.* — *B. Dion. [illegible] de cæl. hierarch. c. [illegible]* — *B. Damasc. lib 4. [illegible]* — *Ambr. [illegible]* — *1. Cor. 15.*

2. Cor. 4.

[illegible] Quare in posteriori ad Corinthios, Paulus iustos in tribulationibus [illegible] per se docet, sed semper mortificationem Domini nostri Iesu portandum in corpore, vt & vita Iesu manifestetur in illis. Quibus in verbis, vt Chrysostomus annotauit, Apostolus fideles ad martyrium exhortari videtur, per hoc quod si terrena hæc domus nostra dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Per quam domum intelligit Ambrosius eodem loco, corpus immortale, cuius forma in cœlis est in Domini corpore declarata. Et Augustin. lib. de Ciuit. Dei docet, resurrectionem, quam nobis promisit, summum esse inter ea vera, pro quibus Martyres mortui sunt. Idem quoque tradit, quòd Caim, id est, possessio, terrenæ est conditor vrbis dictæ nomine filij Henoch, id est, dedicatio: indicat ergo, ciuitatem, & initium, & finem habere terrenum: sed Seth, id est, resurrectio, habet filium Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini: quia in spe viuit homo filius resurrectionis: atque ex Abel, id est, luctu, & Seth, id est, resurrectione, indicatur mors Christi, & vita ex mortuis. Item iusti apud Lucam non immeritò dicuntur filij resurrectionis: non solum quia in resurrectione est natiuitas quædam, qua soli electi immutantur ad veram vitam, reprobis in secunda morte relictis; sed etiam, quia, vt ait Augustin. ciuitas Dei gignitur ex resurrectione Christi, propter quam hic nascuntur Deo per gratiam & conseruantur, & nutriuntur in ea. Quemadmodum enim Christus in passione & morte docuit seruos suos quid sustinere in hac vita debeant, sic sua resurrectione ostendit quid in alia sperare habeant, teste Augustino lib. de Ciuitat. Dei. Et hactenus de hac ratione. Quarta ratio sumitur ab exemplo vniuersitatis, & similitudine reperta in rebus naturalibus, qua vtitur Apostolus in priori ad Corinthios, vbi similitudinem seminis producit. Quanquam ex rebus naturalibus, vt rectè annotauit beatus Thomas, non cognoscatur aliquid ratione demonstrante, quod sit supernaturale, sed ratione quadam persuadente; quia eorum, quæ supra naturam sunt, illa, quæ sunt in natura, aliquam similitudinem gerunt. Hinc Ambrosius in Oratione de fide resurrectionis: *Resurrectio, inquit, omnibus erit, sed ideò difficilè creditur, quia non nostrum meritum, sed Dei munus est. Prima igitur resurrectionis fide vsus est mundi, rerum [illegible] status omnium, generationum series, successionum vices, obitus, ortusq; signorum, diei, & noctis occasus eorumq; quotidie tanquam rediuiua successio.* Et infra: *Quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cùm decidunt; resurgere, cùm reuirescunt? Quod satum est, resurgit, resurgit quod mortuum est, & in eadem genera, in eadem species reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primùm natura nostra speciem resurrectionis imitata est. Quid dubitas in corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit: pomum decidit, pomum resurgit. Sed flore granum induitur, folliculoq; vestitur. Et hoc mortale oportet induere immortalitatem; & hoc corruptibile induere incorruptionem.* Et infra: *Quid igitur miraris, si homines quos acceperit terra, restituat, cùm seminum corpora, quæ cum vi susceperit, viuificet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine ergo dubitare quod cùm depositum generis humani terræ fides reddat, quæ commendata sibi semina vsurario quodam fœnore multiplicata restituat.* Petrus quoque Rauennas in illud Pauli, *Notum vobis facio fratres Euangelium,* &c. sic habet: *Non solum,* inquit, *fratres sine caussa credidit, sed & sine caussa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, vt periret. Homo; quid tibi oritur, quod non occidat? Quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies mane oritur, & iterum resurgit in mane. Sero sepelitur in nocte, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie: tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reuiuiscunt.* De semine habemus testimonium non tantùm Christi apud Ioannem, & apud Paulum, sed etiam apud Gregorium in libris Moralium, vbi ait: *Sunt verò,* inquit, *nonnulli, qui considerantes quod spiritus à carne soluitur: quòd caro in putredinem vertitur, quòd putredo in puluerem redigitur, quòd puluis ita in elementa soluitur, vt nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperent: & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumq; ad vitam viridescere posse diffidant. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certè hanc tenere ex resurrectione debuerant. Quid enim quotidie, nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur?* Et post multa exempla à rebus naturalibus ducta ad resurrectionem comprobandam, illud de grano seminis arborei adducit: *Consideremus ergo,* inquit, *paruum cuiuslibet arboris semen quod in terram iacitur, vt arbor ex illo producatur: & comprehendamus, si possumus, vbi in illa tanta breuitate seminis, tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit: vbi lignum, vbi cortex, vbi viriditas foliorum, vbi vbertas fructuum. Nunquid nam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram iaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante,*

Marginalia (left): Chrysost. in 9 [illegible] 2 ad Corin. [illegible] 4. — [illegible] m 5. — Ambr. item 5. — Aug. lib. 22. [illegible] Dei, [illegible] — [illegible] de Ciui. Dei, c. [illegible] & 18. — Gene, 4. — Genes 5. — Luc 20. [illegible] resurrectionis à Domino cur dicti. — Aug. ibi c. 18. — [illegible] 18. de [illegible] Dei. 49 [illegible] — 1. Cor. 15. — D. Tho. in 4. d. [illegible] 43 q. 1. — Ambr. tom. 4. [illegible] teste [illegible]

Marginalia (right): Resurrectionis fides exemplis astruitur. — 1. Cor. 15. — Petrus Raué. ser. 118. in fin. — Gal. 1. — Ioan. 12. — 1. Cor. 15. — Greg. libr. 14. Moral. ca. 30. tom. 1

[illegible] *in [illegible] latuit asperitas corti-ce, & [illegible] abscondita est fertilitas [illegible] & in [illegible] eius vbertas fructificationis. Quid ergo [illegible], si tenuissimum puluerem, vel à nostris oculis elementis redactum, cum vult, in [illegible] reformat, qui ex tenuissimis seminibus [illegible] arbores redintegrat?* Ruffinus in Symbolo ponit exemplum artificis, qui ingenio suo deprehendit proprias metallorum venas, quas demersas in profundo terræ rimatur, & eius oculus aurum videt: vbi imperitus terram putat. Et Ambrosius in dicta oratione: *Si veteres Sapientes satu hydræ dentibus in regione Thebana inhorruisse armatorum segetem crediderunt, cum vtique alterius naturæ semina [illegible] in naturam verti alterius nequiuisse, nec [illegible] fuisse seminibus, vt ex serpente homines nascerentur, vt caro ex dentibus gigneretur: Quanto magis vtique credendum est, quæcunque sunt seminata, in suam naturam resurgere, nec a [illegible] sua segetes discrepare, nec duris mollia, nec mollibus dura rinasce-re, nec in sanguinem venena conuerti, sed carnem de carne, [illegible] de ossibus, sanguinem de sanguine, humorem de humore reparari? Potestis ergo Gentiles reformationem negare naturæ, qui mutationem potestis asserere?* Sic ille. De lignis verò aridis reuirescentibus habes apud Iob: *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit.* Lege Gregorium super hunc locum, qui hoc de Christo, & quocunque iusto interpretatur. Nam iustus quicunque est sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Ambrosius quoque prædicto loco sic habet: *De reparandis arboribus diuina est prouidentia, de hominibus nulla cura? Et qui ea, quæ ad vsus hominum dedit, perire non passus est, hominem perire patietur, quem ad imaginem sui fecit?* Hæc ille. Ad hanc similitudinem aspiciens Paulus, dixit: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.* In quæ verba sic scribit Origenes: *Vide quam necessariò formam plantationis assumpserit. Omnis etenim planta post hiemis mortem resurrectionem verni expectat. Si ergo & nos in Christi morte complantati sumus in hieme sæculi huius, & præsentis vitæ, etiam ad futurum ver inueniemur fructus iustitiæ proferentes. & si complantati sumus ei, [illegible] vt Pater agricola purget nos tanquam palmites vitis verè, vt fructum plurimum afferamus.* Hæc ille. Est prætereà in animantibus resurrectionis symbolum. Siquidem Cyrillus Hierosolymitanus de apibus & muscis ita loquitur: *Si muscæ quidem & apes, aqua suffocatæ [illegible] post tempus anni resurgunt: & serpentum genera [illegible] sunt, æstate verò [illegible] consurgunt: [illegible] quilibet intelligens [illegible] exempla.* Hæc ille. Est ergo signum eius in aquila, de qua Propheta: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, vt pulchrè explicat Augustinus in leone fremitu suo catulos suscitante; in serpente, qui deposita vetustate reiuuenescit; in pelicano, qui sanguine suo pullos semimortuos, & veneno infectos ad vitam reparat; in verme Indico, siue bombyce, ex quo sericeæ conficiuntur vestes, de quo Basilius in Hexameron diuini opificij disputat, & in eo tradit signum resurrectionis in Phœnice aue, de quo Clemens in libris Constitutionum Apostolicarum, ita scribit: *Aiunt autem quandam esse solige-nam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere; solamque in mundo reperiri, Phœnicem appellans; narrantque [illegible] in Ægyptum ad [illegible] ex thure & myrrha [illegible], xylobalsamo, aliisque in locum, qui dicitur, [illegible], [illegible] conuersam ad aspectum Solis, [illegible] sponte [illegible] in puluerem. Ex cineribus autem vermem [illegible], cumque [illegible], [illegible] Phœnicem formari, [illegible] in Arabiam, [illegible] Ægyptum [illegible]. Cum ergo [illegible] per auem rationis expertem [illegible] resurrectio, cur temere nostra calumniantur, cum fateamur, qui [illegible] [illegible], vt quod non erat, esset, [illegible] iterum posse, vt id post [illegible] interitum [illegible].* Hæc ille, [illegible] in Græcos [illegible] negantes. Cyrillus quoque Hierosolymitanus hanc eandem ex Clemente citat historiam, & ex illa comprobat resurrectionem. Et subiungit: *Non [illegible] & apium genera [illegible] etiam ex [illegible] ex ouis humidis [illegible] & venas [illegible]. Phœnix [illegible] expressens [illegible], [illegible] & mortuus erat, [illegible] resurrectionem hominibus demonstrat. Admirabilis quidem est Phœnix; [illegible] que [illegible] Deo; [illegible] quis [illegible] Dei [illegible] [illegible], & [illegible] illorum [illegible] resurrectio donatur, [illegible] glorificabit Deum, & [illegible] eisdem [illegible]?* Ambrosius quoque, vt more doctorum, vel [illegible] [illegible] verbum, in præfata Oratione de resurrectionis eandem historiam Phœnicis eleganter enarrat, & ex ea hunc articulum comprobat, & in Hexameron, vbi sic habet: *Fac & tu [illegible], exuens*

veterem

Ruffinus.

Ambr. tom. 2

Iob 14.

Greg lib. 12 cap 3.

Psal 1.

Gen 1.

Rom 6.

Orig. lib 5. in cap. 6 epist ad Roman ante med. tom. 2.

Ioan. 15.

In quibus ani[illegible] [illegible] quicant resurrectionis [illegible].

Cyril. Ierosol. cateche. 18 sub initium.

Psal 103.

Aug. in Psal. 102. [illegible] & [illegible]

Basil. [illegible] Hexameron [illegible]

Clem. Rom. [illegible] Apost. [illegible] c. 8.

Cyril. Ierosol. [illegible]

Ambr. tom. [illegible] [illegible]

Idem in Hexamer. [illegible] ca med.

Ephes. 4. Coloss. 3.

Veterem hominem cum actibus suis, nouum indue. Theca tua, vagina tua Christus est, qui te protegat, & abscondat in die malo. Vis scire quia theca protectio est? Pharetra, inquit, mea protexi eum. Theca ergo tua est fides, imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatu, misericordiæ, atque iustitiæ, & quæ sequuntur. Præterea Lactantius in Carmine de Phœnice idem testatur, vbi in fine concludit:

Lact. Firmia.

Hæc fortunatæ sortis, fatiq; volucris,
Cui de se nasci præstitit ipse Deus.
Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum sit mage felix,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est, sola est in morte voluptas,
Vt possit nasci, hæc appetit ante mori.
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus heres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa, nec ipsa est.
Æternam vitam mortis adepta bono.

Greg. Nazia.

Hæc ille. Adde Gregorium Nazianzenum in elegauti Carmine, quo virginibus præcepta tradit: vbi sic sub finem habet:

Vt Phœnix moriens primos reuirescit ad annos,
In melius flammis post plurima lustra renascens,
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus;
Haud secus egregia redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.

Plin. lib. 10. cap. 2. Phœnicis ætas est Pen.

Plinius de naturali historia, Phœnicem scribit viuere 660. senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, & super emori: ex ossibus deinde, & medullis eius renasci vermiculum, inde fieri pullum, principioque iusta funeri priori reddere. Aurelius Victor, Claudij Tiberij Imperatoris tempore apud Ægyptum visum esse Phœnicem narrat; quod ante cũ P. Fabio, & L. Vitellio Coss. euenisse narrat Tacitus.

Aurel. Vict. Tacit. lib. 5 V Ratio.

Quinta ratio ad probandum resurrectionem, ex ipso homine desumitur. Nam vt probat Hieronymus in epistola ad Pammachium in errores Ioannis Hierosolymitani, non est mirum, si Deus restituet in resurrectione quod fuit, qui de nihilo omnia condidit: & quod modus diuersus recipiendi esse humanum, non tollit eandem rem: *Aliter*, inquit, *Adam, aliter Eua, aliter Abel, aliter homo Iesus Christus* (*scilicet genitus est.*) *Et in omnibus diuersis exordijs, vna hominis natura non differt.* Sic ille. Hinc quinta illa regeneratio, & vltima per resurrectionem, non tollit quin eadem sit natura. Atque ex illis quatuor existendi rationibus, colligitur spes resurrectionis.

B. Hierony. tom. 2.

Quatuor existendi rationes, ex quibus colligitur spes resurrectionis, expenduntur.

Nam formatio hominis ex puluere, nunquam animato fiduciam præstat resurgendi ex puluere prius animato, si primam consulas rationem. Deinde quantum ad secundam, si fœmina ex costa viri creata est nullo ordine naturæ seruato, quanto magis ex tota materia illud refici poterit à Deo? Si verò quartam rationem attendamus, ita licet ratiocinari: Si per Spiritum sanctum caro Verbo est vnita, quid mirum, si corpus nostrum resurgat operatione Spiritus sancti? quia dicit Spiritus sanctus per Prophetam: *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.* Quantum ad tertiam, quam consulto vltimo loco proposuimus, Si ex semine humano re tam vili, ac sordida, vt ne nominari quidem sine horrore queat, tam pulchram hominis fabricam Deus pro sapientia sua nouit educere; quid mirum si ex puluere idem præstare valeat? quanta quæso (bone Deus) in capite hominis delitescit sapientia, quantum elucet artificium? Ibi enim est craneum, & pericraneum, pia mater, & dura mater, meringa maior, & meringa minor, connexiones item, & commissuræ, quibus hæc sibi inuicem hærent: item ventriculorum distinctiones variæ, & cellulæ distinctæ distinctione visibili; ibi rete cum mirabilibus inuolutionibus adeò delicatum, vt præ tenuitate vix sub aspectum cadat: ibi neruorum colligatio, molliorum à parte anteriori, & duriorum à posteriori. Vt interim omittam reliquam corporis humani inenarrabilem fabricam. Hac ratione vtitur Ioannes Damascenus in libro de Barlaam, & Iosaphat, & Cyrillus Ierosolymitanus, dicens: *Ante centum, vel ducentos annos, nos omnes qui loquimur, & audimus, vbi eramus? Ac nescimus constitutionis nostræ subsistentiam? Nescis quomodo ex infirmis, rudibus, & confusis rebus generamur? & ex tam rudi, infirmaq; materia formatur homo: & quod erat imbecillum, incarnatum, in robur neruorum mutatur, & oculorum splendorem, & narium odoratum, & aurium auditum, & linguam loquentẽ, & cor saliens, & manus operantes, & pedes currentes, & in omnimodam membrorum speciem. Ac illud imbecillum fit nauium fabricator, & domorum opifex, architectus, & omnium artium operarius: miles, Princeps, legislator, & Rex. Qui ex leuibus rebus ita nos facit Deus, num cadentes excitare non poterit? Et qui non existens fecit vt esset, nunquid cadentem non subleuabit?* Hanc eandem rationem profert Ambrosius in Oratione de Fide resurre-

Gen. 2.

Ezech. 37.

Quanta in humano capite sapientia Dei elucescat.

Ioan. Damasc.

Cyril. Ierosol. Catech. 18. sub initium.

Resurrectio ex ipsa hominis generatione probatur à B. Cyrillo.

B. Amb. to. 2.

resurrectionis, dicens: *Sed fortasse natura discretior fidei quoque discretionem videatur afferre: in originem, principiumque hominis procreandi, mens nostra redeat. Viri estis, fœminæ estis: quæ humana sunt, non ignoratis, & si quis ignoratis, ex nihilo putatis esse: quòd nascimur, quàm ex paruo quanto exurgimus? Etsi non exprimimus, intelligimus tamen quid velimus, vel potius quid nolimus dicere. Vnde hoc caput, & vultus iste mirabilis, cuius artificem non videmus, opus videmus, in varia officia, vsusque formatur? Vnde forma erectior, status excelsior, faciendi vis, sentiendi viuacitas, gradiendi facultas? Ignota certè nobis sunt naturæ organa, sed nota ministeria. Et tu semen fuisti, & tuum corpus semen est resurrecturi. Audi Paulum, & disce quia semen es; seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, & reliqua.

1. Cor. 15.

Eãdem quoque rationem non ignorauit Clemens, qui pulchrè libro quinto Apostolicarum Cõstitutionũ, capite octauo scribit:

Clem. Rom.

Quod verò si voluisset homines immortales manere, hoc facere potuerit, ostendit in Enoch, & in Helia, quos mortem experiri non permisit. Item quòd potuerit quolibet tempore, si voluisset, eos in vitam reducere, id facere, & per se, & per alios manifestum fecit, cùm filium viduæ per Heliam excitauit, & Sunamitidis filium per Helisæum.

Genes. 5. 4. Reg. 2. 4. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Et infra: *Seipsum mandato Patris tertia die excitauit, quod est pignus, & arrha resurrectionis nostræ: ego enim, inquit, sum resurrectio, & vita; quique Ionam post tertium diem viuum incolumemque de ventre cete eduxit, & tres pueros de Babylonico camino eripuit, & Danielem ore leonum liberauit; is quoque nos poterit à morte excitare.*

Ioan 11. Iona 3. Daniel 3. Infr. 6. & 14.

Et infra: *Atque tunc quidem hominem, qui nullus erat, ex diuersis constantem rebus effecit, data ei anima de nihilo; nunc autem existentibus animis, dissoluta corpora restituet. Rerum enim manentium est resurrectio, non in nihilum redeuntium. Ille igitur qui prima corpora de nihilo effecit, eisque varias naturas composuit, idem mortuos vita reddita excitabit. Nam qui in vtero hominem de pusillo semine fingit, animamque illi nondum existentem, creat, & (vt ipse inquit quodam in loco Ieremiæ.) Antequam te formarem in vtero, noui te; & alio in loco: Ego Dominus firmans cœlum, & fundans terram, & formans spiritum hominis in eo: idem ipse omnes homines excitabit, cùm eius sint opera.*

Ierem 1. Zachar. 12.

Et infra: *Nam qui de Virgine sibi corpus parauit, is reliquorum hominum instituit originem, qui ipse se è mortuis excitauit, is omnes sepultos in vitam reuocabit, qui ex vno grano multùm tritici de terra excitat, & abscissæ arbori regerminantes surculos restituit, & arefactæ virgæ Aaron reddidit viriditatem, ille ipse nos quoque suscitabit in gloria; & qui paralyticum incolumem restituit, aridam manum habentem curauit; cæco à natiuitate, luto de sputo ac terra facto, manc am partem reddidit, idem ille nos in vitam reducet.*

Esai 7. Matth. 1. Num 17. Matth 9. Marc 4. Ioan 9.

Hactenus Clemens. Præter corpus & animam est vnio vtriusque, ex qua Augustinus libro de Ciuitate Dei accepit resurrectionis rationem, in eos qui volebant terrenum corpus in cœlo esse non posse, Vt enim Deus animam, quæ magis distat quàm cœlum à terra, corpori copulauit, ita poterit corpus ad cœlum attollere, quemadmodùm animam inclinauit ad corpus. Et mirabilius esse asserit incorporeis corporea attexere, quam corpora corporibus copulare: qua ratione poterit animus iterum suo corpori coniungi.

Aug lib. de Ciui. Dei. c. 4. tom. 5.

Hinc Hieronymus in Ezechielem exponens illud: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super mortuos istos, & viuant*, ait vocari spiritum, vt quomodo in prima conditione hominis, insufflauit Deus in faciem eius, & factus est in animam viuentem; sic & secunda conditio, id est, resurrectio mortuorum, insufflante spiritu viuificetur.

Hieron lib. 11 in Ezech in c. 37. tom. 3. Genes 3.

Quare carnis resurrectio inter articulos Fidei iuxta fidem de Spiritu sancto ponitur; vt credamus Spiritum sanctum per reductionem spiritus creati ad corpus, resurrectionem carnis efficere. Quod etiam innuit Psalmus, cùm ait: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Et meritò Spiritui sancto tribuitur resurrectio; vt qui in diuinis est nexus Patris, & Filij, operetur quoque vinculum corporis, & animæ, per quod larga donorum communicatio in aridum corpus extenditur, quæ est insigne quoddam bonitatis Spiritui sancto attributæ.

Fidei articulũ de Sp. s. ... sancto, corp ... quitur articulus resurrectionis in Symbolo. Psalm 103. Rom. 8.

Sexta, & vltima ratio desumitur ab his, qui surrexerunt tempore Heliæ, & Helisæi, & trium suscitatorum à Christo, & eorum, qui Domino resurgente surrexerunt; sed maximum est ipsius Christi Domini, & capitis nostri, ex quo fortissimè colligit Apostolus: *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Hoc autem ex Scripturis petitum argumentum magnas vires habet apud fideles, & meritò.

V. ratio. 3 Reg 17. 4 Reg 4 et 13. Matth. 9. Luc. 7. Ioan 11. Matth 27. 1. Cor 15.

Quanquam quomodo ex Christi resurrectione nostra sequatur, inferiùs disseremus, nunc tantùm producamus, quod ad Christi, & nostram resurrectionem probandam beatus Augustinus adducit. Proponit enim tria incredibilia: primum est, quòd mortui resurgunt: quod incredibile videtur mundi sapientibus: secundum, quòd mundus hanc veritatem crediderit: tertium, quòd per idiotas, & imperitos, ad hanc tantam fidem mundus

B. Aug li. 22. de Ciuit. Dei. c. 5. tom. 5.

dus sit adductus: *Hæc, inquit, sunt tria incredibilia, quæ Christus Dominus prædixit: ex his autem duo posteriora videmus impleta, ergo primum certissimè sperandum est.* Hæc ille in sensu. Quarè constantem ac indubitatam tanto articulo fidem præbeamus, vitamque talem agamus, vt filij resurrectionis haberi promereamur, tantæque fidei præmium inter iustos, ac Dei filios consequamur, resurrectionis omnis Principe & autore præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto debetur omnis honor, gloria, potestas, & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS, IIII.

In quo argumenta, aut potius sophismata, quæ à fide destitutis hominibus, siue Gentilibus, siue Iudæis, siue hæreticis cōtra veritatem resurrectionis fieri solent, diluuntur.

Qui Iudæi, qui verò Christiani olim impiè negauerint resurrectionis veritatem.

QVOD homines fidei lumine destituti resurrectionem corporum negauerint, mirum profectò esse non debet, cùm lumen rationis naturalis eam aliquando futuram, pro paruitate, tenuitateque sua, agnoscere non potuerit, & naturæ facultati prorsus impossibilem apprehenderit. Illud tamen admiratione dignum, inter eos qui fidem diuinis præstant Scripturis, extitisse aliquos, qui tam in Veteri, quàm in Nouo Testamento hanc veritatem pernegauerint, quam diuinum verbum apertissimis verbis in persona Dei, cui nihil est impossibile, promittat, manifestisq; exemplis illam comprobet, atque confirmet. Nam in Veteri Testamento Sadducæi fuerunt, quos cōstat quæstionem proposuisse Christo de muliere septem habente viros, qui resurrectionem pro mera fabula habebāt, & vt constat ex Actis, resurrectionem, Angelum, & spiritum pernegabant. In nouo verò Testamento fuerunt in primis Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt: dicentes resurrectionem esse iam factam, vt tradit Apostolus in posteriori ad Timotheum. Porrò isti dicebant resurrectionem iam factam: siue quia scriptum est: *Si consurrexistis cum Christo* (nimirùm per fidem) *quæ sursum sunt, quærite*, vel, vt docet Theodoretus, eos hæreticos notat, qui successionem, quæ fit per filiorum propagationem, resurrectionem vocabant, quemadmodùm hoc loco Scholia Græca, & Epiphanius, & Ambrosius interpretantur. Ex his verò, qui Christi fidem amplexi sunt, Simon Magus

Luc. 2. *Matth. 22.* *Actor 23.* Quo sensu quidam hæreticorum dixerint resurrectionem esse iam factam. *2. Timoth. 2.* *Colos. 3.* *Theodoretus tom. 2.* *Epiphan. in hæresi 40.* *Ambr. tom. 5.*

hunc errorem est amplexatus, vt illi impingit Augustinus in Catalogo Hæreseon, etsi Tertullianus in libro de Hæresibus nihil tale illi tribuat; qui tamen Basilidem huius hæresis autorem facit: nec tamen Augustinus hoc Basilidi tribuit, at Carpocrates, Valentinus, & Apelles illam sententiam sunt secuti, iuxta Augustinum, & Tertullianum, & quidam horum discipuli. Cherintus tamen, vt testatur Augustinus, negauit Christi resurrectionem iam factam, fatetur tamen aliquando surrecturum. Sed illud summè ridiculum, quòd Apelles, vt idem Augustinus est autor, dixit Christum sine carne resurrexisse, & sine eadem in cœlum ascendisse: quam tamen manifestam hæresim apertè iugulat verbū Christi dicentis: *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Istis ergo omnibus opus fuit ad tuendas suas opiniones, Scripturas falsis interpretationibus corrumpere; ac proinde minus digni sunt venia, quam Gentiles, qui resurrectionem non admittebant. Horum rationes non erit inutile refellere, atque dissoluere.

Aug. in Catalogo hære. nu. 1 tom. 6. init. *Tertullian.* *August. ibidē num. 7.* *Idem ibidem num. 8.* *Idem ibidem nu. 23.* Apellis de resurrectione, & ascensione Domini figmentum mortalium omniū risu dignissimum. *Luc. 24.* Negantium resurrectionē argumenta soluuntur.

Inprimis igitur obijciunt ex Aristotelis doctrina dicentis in libro Prædicamentorum, à priuatione ad habitum impossibilem esse regressum. Sed hoc intelligendum est de agenti naturali; quemadmodum & illud aliud principium in physicis, Ex nihilo nihil fit, de naturali agenti, vt veritatē habeat, intelligendum est. Nam si vtrumque principium simpliciter intelligas, vt etiam Deum comprehendat, simpliciter falsum est. Nam Iesus Deus & cæcos illuminauit, & surdos fecit audire, & mutos loqui, ac seipsum quatenus homo erat, & multos secum mortuos à morte reuocauit. Idem argumentum confici poterat ex verbis Prophetæ, vbi habet: Spiritus vadens & non rediens. Sed siue ille locus de anima in peccatum tendente, siue de homine per mortem in corruptionem declinante, intelligatur; vtrunque secundùm naturæ vires intelligendum est, cui impossibile sit aut iustificare seipsam, aut à morte excitare. At vtrumque Deo omnipotenti non repugnat, quemadmodùm aquæ omnes à fonte in mare descendunt naturaliter, ascendunt, siue regrediuntur nunquam: Iordanis tamen, qui suaptè natura descendebat, virtute Dei, ac miraculo regressus est retrorsùm. Secundò obijciunt (& obiectionem eorum explicat Paulus) Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? id est, nulla apparet ratio, quomodo id fieri queat. Respondemus hanc esse vocem incre-

I. argum. *Aristoteles.* *Marc. 7.* *Matth. 27.* *Psalm 77.* Id dictū Prophetæ: Spiritus vadens, & non rediens, quomodo intelligatur. *Iosue 3.* *Psalm. 113.* II. argum. *1. Cor. 15.*

Ioan 6. incredulitatis, sicut illud: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Et illud: *Supra 3.* Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? *Infr 9.* Et: Quomodo aperti sunt tibi oculi? *Supra 7.* rursus: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Ignoratio igitur modi quo res aliqua fit, non euincit illam esse fictam: nam quanta sunt in natura, vel in homine ipso, quæ quotidie fieri cernimus, eorum tamen rationes, modosque quibus fiant, prorsus ignoramus? *Eccles. 11.* Quis enim poterit ratione assequi, quomodo in vtero fœtus formetur, quomodo alatur, quomodo distinguantur sensus & organa, aut solidentur ossa; neque tamen propterea generationem hominis negabit? Omnibus igitur huiuscemodi argumentis vnico verbo satisfaciendum est, nimirùm fieri virtute Dei omnipotentis, de quo testatur Symbolum in primo articulo: Credo in Deum Patrem omnipotem; & Angelus dixit: *Luc. 1.* *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* *III. argum.* Tertiò argumentantur: Deus perfector est naturæ, non corruptor: at naturalis animæ perfectio, quæ in sua substantia à corpore minimè pendet, ab ipso est omninò sequestrata: nam separata similior fit Deo, qui totus est spiritus, & purior à terrestribus affectibus: quia caro concupiscit aduersus spiritum: &, *Gal 5.* *Sap 9.* *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hoc argumento victus est Porphyrius Platonicus, vt testatur Augustinus libro de Ciuitate Dei. *Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 26. tom. 5.* Respondendum tamen est, animam, cùm sit naturalis compositi pars, suaptè natura perfectionē suam habere in eo, quod illi inest, illudque viuificat: & ideò quamuis separata secundùm quid similior Deo existat, simpliciter tamen similior est Deo, ac perfectior, dum in corpore subsistit. *Cor vnde similius Deo fit.* Quo enim vnaquæque res naturam suam perfectius possidet, eò est similior, & magis diuinam imitatur naturam: quemadmodùm cor hominis tunc Deo similius existit, cùm mouetur, quàm dum quiescit: quia perfectio cordis est moueri, & quies est eius mors. *IV. argum.* Quartò, in corpore corrupto perit ipsius esse, ergo & essentia, quæ sine eo non est: at illud, cuius essentia perit, & ipsum perire necessum est, vt dicitur in libro de Generatione. *Arist. lib. 2. de Generat.* Respondemus, Enti permanenti non repugnare quouis modo redire, nisi tantùm propter duos motus qui necessarij sunt, & ad generationem, & ad reditum. Quia tamen Deus non resuscitat per motum, sed per actionem, quæ est ipse Deus: idcircò ei resuscitatio non repugnabit. Maximè quia in homine esse existentiæ simpliciter non perit, *Homo per mortem quomodo pereat.* sed quantum ad modum tantùm, quia esse eius desinit esse totius, & retrahitur ad animum, vnde effluxit, & in eo vt radice permanet. Similiter soluitur quod obijci solet: *Obiectio nonnulla diluitur.* Factio vnitatem & speciem à suo termino naturaliter sumit: sed hîc sunt duæ factiones, prima, quæ generatio est, & secunda, quæ resurrectio: ergo in vnaquaque erit suus terminus ab altera distinctus. Respondemus, hoc veritatem suam habere, vbi factiones sunt motus: quod tamen non est resurrectio, quæ diuina est actio ab ipsomet Deo minimè distincta, & sine vllo intermedio modo. *V argum. Tertull lib 5. in Marc.* Quintò argumentabantur Marcionistæ apud Tertullianum, corpus esse quid sordidum, & impurum, atque adeò peccatorum in eo regnare fomitem; ac ob id indignum esse, quod in resurrectione homines iterū assumant. Respondendum est, corpus sua natura nobilissimum esse, & inter cætera omnia præstantissimum: nam etsi in prima eius conditione è terra sit formatum, non commisit tamen Deus terræ hominis generationem, quemadmodùm viuentia cætera, & animalia. Vnde dixit: *Genes 1.* *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum.* Et, *Supra 1.* *Producat terra animā viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas.* Sed ipse naturæ autor limum legit purissimum, & ipse quasi fictor suis manibus quasi stupenda membrorum, & organorum firmitate compegit, elegantique pulchritudine decorauit. Quare decet vt cum anima in cœlesti vita gloriæ dotibus coruscet, tale item corpus gloriæ dotibus ornatum, animæ minimè rebellet, sed per omnia sit illi obediens atque subiectum. *Vnde animæ sordes oriantur.* Neque sordium animæ culpa in corpus est reijcienda, sed in voluntatem consentientem peccato. Et licèt nobis, & in membris nostris insit fomes; illa tamen lex non est nobis à Deo impressa, sed ex originali culpa contracta, *Luc 7.* à qua tamen per mortem, & incinerationem purgantur corpora nostra. *VI. argum.* Sextò ratiocinantur: Anima vtitur corpore nonnisi vt instrumento; at instrumentum præmio, & supplicio nequaquam dignum est: quid enim boni, aut mali meretur fabri gladius, malleusve quo cædem perpetrauit? Respondemus: *Philosophorum de anima hominis forma commentum.* secundùm Platonicos, & aliquos Peripateticos, qui existimant animum corpori assistere vt rem motricem mobili, aut nautam naui, argumentum aliquem colorem habere videretur, quia tunc corpus non esset nisi instrumentum animæ sepa-

separatum atq; diiunctum. At verò quia secundùm solidam philosophiam, ac fidem Catholicam anima est actus, & substantialis forma corporis, hinc fit, vt corpus non sit organum separatum, sed illi sit coniunctum, & pars hominis ipsius operantis: quapropter non tantùm animæ, sed toti homini operum merces retribuitur.

Quæ æquitas diuinæ iustitiæ sit animam purgante igne absq; corpore cruciantis culpatum animi socio atque consorte.

Quòd si obijcias, ex eo sequi, pœnas purgatorias iustitiæ diuinæ non esse consentaneas, eò quòd illas sola anima sine corpore patiatur, cùm corpus earum culpatum reatum contraxerit: Respondemus, illas pœnas purgatorias perfectam rationem pœnæ non habere, cùm non sint retributio postrema, quæ debetur malis operibus, sed tantùm venialis delict. purgatio: quod similiter rationem perfectam peccati non habet, vel pœnæ temporalis debitæ iustitię diuinæ propter peccatum mortiferum remissam. Loco tamen illius purgationis solùm corpus patitur mortem, & incinerationem.

VII. argum.

Septimò arguunt; ea, quæ tempore distinguuntur, re ipsa esse diuersa, quemadmodum sanitas amissa, & recuperata: nam aliud est quod corrumpitur, aliud illud, quod consequitur corruptionem. Respondemus esse existentis simpliciter in homine non corrumpi, sed tantùm à corpore separari: quia tamen simplex est vt essentia animæ, in ea vt radice permanet. Ideò cùm anima iterum coniungitur corpori, illud ei communicat, & animæ separatæ secūdùm organicas potentias tunc corruptas, quæ in composito sitæ erant, dicitur etiam esse corrumpi, quatenus ab eo fluunt virtutes organicæ: at re ipsa minimè corrumpitur, quia simplex est, & in essentia animę remanet.

VIII. argum.

Octauò, Nō satis intellectu apprehēdi potest, quid erit, si homo edatur aut à pisce, vt à ceto Ionas, vel ab igne, vel aqua, vel aëre, vel deniq; ab altero homine, vt faciunt anthropophagi: nam tunc difficile erit, cui sit in resurrectione restituendum, an illi, cuius erat, an edenti.

Iona 2.

Quid futurum sit de eorum carnibus, quos elementa & mixta deuorarunt in resurrectione mortuorum.

Respōdemus, vnumquodque elementum aut animal hominem deuorans restituet tanquam custos, & instar depositarij quod accepit. Et huius rei fidem facere quoquo modo voluit, quando in passione sua monumentis apertis multa corpora Sāctorum qui dormierant, surrexerunt, quasi sepulchrum restituat depositum corpus, sicut monumentum restituit Lazarum: aqua reddet suos, qūos accepit, vt constat in Iona à ceto reddito: ignis quoque quos deuorauit, restituet: quemadmodum ignis ardentis fornax tres pueros reddidit viuos; aër quoque quod cœlum in Scripturis dicitur, Heliam raptum per turbinem, & Enoch translatum quod accepit, rependit: quod à bestijs quibuscunque comestum est, necessariò redibit ad animas eorum quorum erant, quemadmodùm Daniel de lacu leonum viuus eductus est. Deniq; quicquid est quacunq; ratione alicubi repositum, inde, quasi ex deposito quodam restituendum est. Hinc in Apocal. dicitur: *Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secūdùm opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.*

Matth 27.
Ioan. 11.
Ion. 2.
Daniel 3.
4. Reg. 2.
Genes. 5.
Daniel. 14.
Apocal. 20.

Quid item eueniet de ijs hominibus, qui in cibum aliorū hominum concesserunt.

Quid verò sit futurum de his qui è carne humana geniti sunt, præsertim à parente carnibus humanis vescente, non est difficile respondere: Nam in eo qui sola humana carne nutritus est, illud resurget quod fuit in eo à generante, quod non est ex humanæ carnis cibo; residuum verò Deus aliunde supplebit. Imò idem ipsum semen patris etsi à carnis humanæ alimento sit desumptum, in ipso tamen filio erit, atq; ei, cuius carnes comestæ sunt, aliunde supplebitur. Si quid enim materiæ in pluribus abundauit, in eo resurget, ad cuius perfectionem plus pertinebat: vt quod in vno fuit ad perfectionem speciei, in alio ad perfectionem indiuidui existat: atq; in hoc secundo resurget, vt semen parentis in filio, non in parente, & costa Adæ nō in ipso, sed in Eua.

Genes. 2.
IX. argum.

Nonò, Resurrectio non est creatio, nec generatio, quia anima manet, ergo nulla erit actio. Sed præter illas duas actiones creationis, & generationis, est alia tertia actio distincta, quæ dicitur resurrectio, præexistentem animam corpori coniungens.

X. argum.

Decimò, corpus non est ens permanens, sed successiuum, quemadmodùm dicebat Heraclitus de fluuio transeunti, in quo non posse hominem bis mergi asserebat, eò quòd non sit eadem numero aqua hæc præsens cum ea, quæ præcesserat.

Rei vnitas vnde sumatur.

Dicendum est vnitatem rei nō à materia, sed à forma desumi; ita homo idem ab eadem anima. Erit etiam eadem corporis materia, quod attinet ad partes præcipuas & genitales. Non tamen opus est, vt omnia quæ in homine fuerunt, reparentur, quia sic ingentis molis essent homines à mortuis suscitati, sed resurget quod perfectius est, & præcipuum. Quòd si desit, aliunde supplebitur: si abundat, alteri communicabitur egenti.

XI argum.
Mortale, vt sit hominis propria differentia.

Vndecimò, Mortale, differentia est hominis ratione præditi, aut saltem proprium homini, erit igitur ab eo inseparabile. Respondeo, mortale quidem esse proprium secundùm naturam, comparando corpus ad principium intrinsecū actiuum,

quia constat ex contrarijs, ac ob id dissolubile est atq; mortale: at si corpus componamus ad rationem, quam finis ipsius exigit, id est, animæ immortalis, ad quam corpus proportionem habere debet, & ad donum gratiæ naturam ipsam vincentis, non est ei naturale, aut proprium, sed extrinsecum potius, in quod ex culpa Adæ incurrit. Ideò conueniebat vt Deus mortalitatem absorberet, dando immortalitatem, in qua olim hominem condidit. Duodecimò: dubitant quidam, qua ratione corpus in quatuor elementa dissolutū, ex partibus tam confusis idem educatur. Nam si quis hauriat aquam maris, eamq; haustam in mare fundat, si quisquam profiteatur se prorsus eandem numero reportaturum, incredibile profectò videretur, & nemo facilè illud asserenti præstaret assensionem. Dicimus ergo, homines prudentiores Deo futuros, si hoc possent præstare, Deus autem minimè posset. Sæpè enim videmus vinum aqua dilutum, atque permistum, ita vt partes quæ sint aquæ, aut quæ vini, prorsus distingui nequeant: & tamen non desunt homines, qui ingenio & arte aquā à vino segregare nouerint. Item qui aurum ab argento, & ære, cum quibus erat permistum, peritiam extrahendi habeant: imò vt Ruffinus in expositione Symboli testatur, ingenio suo artifex deprehendet proprias metallorum venas, quas demersas in profundo terræ rimatur: & aurum videt eius oculus, vbi imperitus terram putat. Deus igitur, qui immensa virtute & sapientia est præditus, summusque rerum artifex, cuius nutui elementa deseruiunt, nesciet illas partes distinguere, & quæ cuiusque sint speciei, aut indiuidui cognoscere? Adhæc aquæ dulces, quæ in mare influunt, illique permiscentur, rursus per terram percolatę dulces redduntur, & è fontibus promanant, vel à nubibus ascendentibus dulces fiunt, & separantur à salsis, sicut Propheta ait: Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ. Eritne igitur potentior, vel sapientior natura, vel ars, quàm Deus ipse naturæ, & artis conditor, atque inuentor? Minimè sanè. Ita respondet Origenes in Dialogo contra Marcionem ad hoc argumentum. Similia multa possunt effici argumenta, sed quæ facillimo negotio possint dissolui. Certè ne mundus tanti articuli cognitione omninò destitut' esset, diuinæ procurationis opus fuit illum omni tempore quoquo modo aperire, ac reuelare. Nam de Christi resurrectione ita cecinit Sibylla in libro Sibyllinorum oraculorum.

XII. argum.

Quod deperijt humano corpori per mortem & resolutionem, idem illud ei rediturum in resurrectione mortuorum, quibus exemplis quis persuaderi valeat.

Ruffinus.

Amos 9.

Origenes.

Sed postquam triduo lucem repetiuerit, atq;
Monstrarit somnum mortalibus, atq; docendo
Cuncta illustrârit, cœlestia tecta subibit,
Nubibus inuectus, cùm latum liquerit orbi
Pactum Euangelij.

Li. 1. Sibyllin. oracul. in fin.

De generali verò resurrectione hos alios versus Sibyllinos depromit Clemens lib. Apost. Constit. dicens:

Clem. li. 5. constit. Apost. c. 8. sub initium.

Atq; vbi cuncta cinis fuerint, tenuisq; fauillæ,
Atque idem Deus extinguet quem incenderat ignem,
Ossaq; restituet rursum, cineresq; sepultos;
Et genus omne hominum (vt fuerant) Deus ipse reponet,
Tunc graue iudicium veniet, quo iudicet orbem
Ipse iterum Deus, hosq; iterum iam terra recondet.
Sed quoscunq; pios, viuos suscipiet orbis
Inspirante Deo vitam, gratumq; fauorem,
Mutuaq; inter se cumulabunt gaudia læti.

Hæc autem à Sibyllis prædicta, etsi Gentibus somnia, & deliramenta viderentur, quemadmodum etiam Cicero docet in libris de Diuinatione: illa tamen suo modo viam muniebant, ac homines disponebāt, vt Euangelio coruscanti, & veritatem resurrectionis prædicanti minus Pagani resisterent, sed obuijs vlnis, & lætis animis tantam veritatem exciperent, quemadmodùm olim Prophetæ suis verbis, & exemplis viam ad hæc mysteria fide amplectenda sternere visi sunt: sed inter omnes Iob Ethnicus, qui ante legem à Moyse latam floruit, manifestum de fide resurrectionis testimonium protulit, cùm dixit: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Et ante hæc verba præmiserat: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Quibus verbis hanc suam de resurrectione fidem magnoperè optabat publicari nō tantùm Iudæis significatis in plumbi lamina, sed etiam Gentibus significatis in silice. Hebræa hoc loco sic habent: *Vtinam scribantur mei sermones, vtinam in libro exarentur, plumboq; ferreo incidantur in saxum, vt perpetuò maneant.* Lapis ferro excinditur, & in locis excauatis impletur plumbo ad perpetuas æternitates, vt Romę licet videre in templo Marci Agrippæ, quod Pantheon appellabatur. Et quia nouerat Christi resurrectionem nostræ esse causam, ideò de

Cicero.

Iobis de resurrectione mortuorum clarissimum testimonium. Iob 19.

Quid plumbi lamina, quid verò silex apud Iob denotet.

Verba Iobis ponderantur de resurrectione sui futura.

præsenti ait: *Scio quòd Redemptor meus viuit*; & de futuro de se subdit: *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Prius est enim præsens futuro, & causa præcedit effectum. Subiungit: *Et rursum circumdabor pelle mea*; vt excludatur error eorum, qui tenent impossibile esse, vt idem numero corpus resurgat; & excludat etiam Pythagoræ somnium de animabus in diuersa transmigrantibus corpora, quia tunc non esset eadem vel caro, vel pellis. Adhæc quia addit: *In carne mea videbo Deum*; prodit fidem suã de Messia, qui nõ tantùm futurus erat homo, sed etiam Deus. De hoc testimonio ait Hieronymus ad Pammachium, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: *Quid hac prophetia manifestius? nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & vt nulla possint vetustate deleri, exarari ea vult in plũbi lamina, & sculpi in silice.* Quòd igitur fides nonnulla esset apud Ethnicos huius carnis resurrectionis, docet Cyrillus Hierosolymitanus hisce verbis: *Si non est resurrectio mortuorum secundùm te, cur mortuorum spoliatores condemnas? Si enim perijt corpus, & desperata resurrectio, cur prædo mortui mulctatur? Vides, quòd etiamsi neges labijs, infracta tamen apud te manet resurrectionis conscientia.* Epiphanius quoque in Ancoratu: *Porrò*, inquit, *admiratio animum meum subit, de incredulorum Græcorum, atque aliorum Barbarorum decepta per omnia mente, quòd in fabulis suis non verentur resurrectionem omnibus declarare, & de resurrectione sæpè canere, velut fabulæ ipsorum describunt. Alcestim quidem Peliæ filiam mortuam esse, propter virum suum; Ad metum, & propter Herculem, post triduum verò resurrexisse, & ex adytis eductam esse; Pelopem verò Tantali filium, vbi carnes ipsius distributæ essent à proprio eius patre, & Amphirao, falsò appellatis ipsorum deis. Et Euclees ab Esculapio resuscitatus est, & Castor propter Pollucem fratrem suum, qui vltrò ipsi vitam alternis diebus alterare voluit, & Protesilaus propter Laodamiam. Sed & Sisyphum, & Tantalum, & Caucasi filias, quas Erinnyas vocauerunt, & vnà cum his Tyresiam, in Tartarum detrusos esse tradunt, atque illic pœnas dare, illum quidem per saxum, hunc per rotam, & alios aliter supplicio affectos esse, & adhuc in supplicio esse, velut qui non ad interitum sint redacti, verùm sint in corporibus. Si enim corpora non haberent, quomodo sub petram, & rotam, supplicijs traderentur?* Hæc ille, & pleraque similia his producit in Gentiles, ex quorum factis, & moribus ad fidem resurrectionis euincendam consurgit. Quare consultum est, vt resurrectionis veritatem firma fidei assensione amplectamur, constanti ore fiteamur, beneficijsque nostris, ac dignis iustitiæ operibus dignos nos reddamus, qui ad vitam æternam postremo die resurgamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sempiterni debentur honores, immortales laudes, gratiarum actiones perpetuæ omnibus seculis, Amen.

Hieron. to. 2. paullò ante medium.

Fidei Iobis de tanta veritate commendatio sancti Hieronymi.

Aduersus negantes resurrectionem. Cyril. Ierosol. Catechef. 18. sub initium.

Epiphanius.

Poetarum fabulas resurrectionem fidem astruere, ostendit Epiphan.

TRACTATVS V.

In quo agitur ad ampliorem, penitioremq; resurrectionis Iesu Christi Domini nostri cognitionem, de eius causis, hoc est, efficiente, materia, forma; ac fine: in hoc tamen tractatu de duabus prioribus tantùm disseritur.

QVONIAM vnumquodque tunc nos scire arbitramur, quando causas eius perspectas, & comprehensas habemus, atque illæ quatuor ab omnibus Philosophis, & sapientibus constituantur; non erit ab re de efficiente, materia, forma, ac fine resurrectionis non nihil differere, quo veritas tanta illustrior, magisque perspicua reddatur. Vt igitur ab efficienti exordium dicendi sumamus, statuendum est, sanctissimam Trinitatem resurrectionis effectricem causam existere. Hinc Iesus dicitur suscitatus à Patre, iuxta illud Petri: *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni.* Dicitur & à se ipso excitatus, cùm Deus esset, & æqua cum Patre potestate præditus; hinc in Symbolo dicitur absolutè: *Resurrexit à mortuis*, & Propheta: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi.* Est enim in dormiente vis ad se ipsum excitandum. Hinc Dominus dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Rursus dicitur ab Spiritu sancto suscitatus, vnde Paulus ait: *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Et ratio huius est: quia cùm vna & eadem sit Patris, & Filij, & Spiritus sancti virtus, atque essentia; propterea vnam & eandem actionem trium oportet esse. Etsi autem toti sanctissimæ Trinitati primò, & per se competat: communicata tamen est sanctis Prophetis & Apostolis, quorum precibus nobilitandis, meritis eorum illustrandis, aut doctrinæ eorum confirmandæ, Deus interdum mortuos suscitare dignatus est: non quidem vt ipsi resurrectionis effectum attin-

Efficiens causa resurrectionis qua sit.

Actor 2.

Psal. 3.

Ioan. 10.

Rom 8.

Mortuos suscitandi virtutem Prophetis interdum, & Apostolis, cur concesserit Deus, & quâ ratione.

gant: quia hæc infinitæ virtutis est, soliq; Deo congruit; sed quòd eorum preces exaudire voluit, vt Heliam, & Helisæum; aut anteactæ vitæ merita remunerare voluit, vt cùm mortuus contactu ossium Helisæi suscitatus est, aut cùm doctrinam Euangelicam ab Apostolis disseminatam eiusmodi prodigio constabilire voluit. Generalis tamen resurrectio, ac postrema bonorum & malorum non nisi ipsius Dei proprium est opus, iuxta illud: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ad eam tamen & sancti precationibus suis postulandam concurrere possunt, & Angeli quoque tanquam ministri. Nam etsi in resurrectione Christi nihil fecerint, quoniam resurrectio à morte ad vitam mortalem, nedum ad immortalem & gloriosam, cùm infinita virtute indigeat, cuius Angeli non sunt capaces; propterea ad resurrectionem actione sua attingere non possunt, ministrauerunt tamen Angeli in quibusdam quæ poterant, vt in efficiendo terræmotu, reuoluendo lapide monumenti, terrendo custodes, apparendo mulieribus, & annũtiando Christi resurrectionem, & ostendendo locum vacuum, & disponendo ad videndum ipsum Iesum: ita quoque in fine seculi ministrabunt congregando cineres electorum, qui suscitandi sunt, & vt ait Apostolus: *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.* Proinde nec corpus Christi potuit esse causa efficiens resurrectionis eius, cùm pugnet aliquid esse causam efficientem, & patientem respectu eiusdem. Fuit tamen humilitas Christi hominis, ac obedientia causa merens resurrectionem, vt Paulus dicit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen,* & reliq. & Propheta: *Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* & hæc sint satis de causa efficiente.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
Infra 13.
Ioan. 6.
Quid contulerint angeli ad Christi resurrectionem ex mortuis.
Matth. 28. & seq.
Supra 13. & 24.
1 Thess. 4.
Christi corpus qualis fuerit causa resurrectionis eius.
Philip. 2.
Psalm 40.

Quantum ad materiam attinet, corpus idem quod cecidit per mortem, fuit animæ immortali coniungendum. Hoc autem non est simpliciter impossibile, quia nullam repugnantiam, aut contradictionem in se implicat; sed ob id tantùm dicitur impossibile, quia deficit agens naturale, quod id præstare valeat. Quemadmodùm Aristoteles in libris de Cœlo tradit terram esse immobilem, non simpliciter, sed quia deest virtus, quæ eam possit commouere. Verùm in resurrectione non defuit infinita virtus, quæ & corpori & animæ vnita, poterat illas duas partes separatas inuicem coniungere. Et vt equo feroci vinculum ex funibus solueuti, ferreum, & insolubile capist. ũ addimus; at equo pretioso atque caro adhibemus aureas, gemmatasque phaleras: ita Deus in hac Christi resurrectione, præter incorruptibile vinculum, animam corpori coniungens, addidit gemmas, atq; aurũ, id est, dotes gloriosas ab anima corpori cõmunicatas. Deniq; vt Damasc. ait, nihil eorum, quæ plantauit in natura nostra Deus Verbũ, cùm in principio plasmauit nos, defecit, sed omnia assumpsit, corpus, animam rationalem, & intellectiuam, & eorum proprietates: quod etiam de resurrectione intelligendum est.

Materia resurrectionis.
Impossibilis resurrectio qua ratione sit.
Arist. li. 2. de cœlo, sum. 4. cap. 6.
Qualis Dominici corporis resurrectio.
Damasc. lib. 3. de ortho. fide. c. 6. ante med.

Quòd autem idem ipse homo, qui per mortem cecidit, sit resurrecturus ad vitam; atque id referendum sit non solùm ad eandem formam, vt existimat Durandus, quod sanè facilè esset intelligere, & à multis molestijs liberaret, sed etiam ad eandem carnem nostram, etsi iam corruptam, & incineratam; ostendi potest ex multis. Primò à definitione resurrectionis, quæ est eius quod cecidit, iterata surrectio: cecidit autem solùm corpus, ergo idem numero est suscitandum. Quod confirmatur ex symbolo Apostolorum, vbi Ruffinus, vel Cyprianus ponderant, Ecclesiam Aquileiensem cautè in eo articulo apposuisse pronomen Huius carnis resurrectionem, quo sciat vnusquisq; fidelium carnẽ suam, si mundam à peccato seruauerit, vas honoris vtile Domino futuram: si peccatis contaminata fuerit, iræ vas ad interitum. Nec enim fas est, vt animæ quæ in alijs corporibus peccauerint, in alijs torqueantur, nec iusti iudicis alia corpora pro Christo sanguinem fundere, & alia coronari, quod inuitus & veritate cogente confessus est Ioãnes Episcopus Hierosolymitanus Origenizæus, vt testatur ad Pammachium Hieronymus: quod etiam Eutychius Constantinopolitanus Episcopus ad sanam mentem reuocatus, pelle brachij eleuata dicebat: In hac carne resurgemus. Synodus quoq; xj. Toletana in præfat. sua his verbis confirmat: *Exemplo capitis nostri Iesu Christi, qui veram carnis mortem accepit, tertiaque die virtute propria suscitatus à sepulchro surrexit, confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum, nec in aerem, vel qualibet alia carne, vt quidam delirant, resurrecturos nos credimus, sed in ista qua viuimus, consistimus, & mouemur.* Hæc illa Synodus. Deinde est textus verborum Iob, vbi ait: *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Vocare autem carnem eandem, quod ab eâdem anima rationali informetur corpus, non est aut Physicæ, aut fidei consonum. Non quidem Physicæ, quia ad resurrectionem

Quòd idem homo, qui per mortem decidit, non solùm ratione formæ, sed etiam materiæ sit resurrecturus, multis ostenditur.
Durand. lib. dist. 43. q. 1. & 2.
Resurrectio quid.
Ruffinus.
Cyprianus.
1. Tim. 5.
Rom. 9.
Iob 19.

Transmigrationem animarū primus Pythagoras finxit.

Greg lib. 14. Moral ca 32. tom. 1.

Eutychij error de resurrectione

Resurrectio cur sit inducta.

2. Cor. 5.

sufficeret transmigratio eiusdem animæ in diuersa corpora, vt aiebat Pythagor. & Gregorius lib. 14. Moralium, in illa verba Iobis irridet Eutychium, quòd sequeretur commentum quorundam ridiculum, qui aiebant animam iterato coniungi corporibus cęlestibus, & quibusdam subtilibus in modum venti: quia illud non esset in propria carne, qua vixerat, resurgere. Non congruit etiam fidei, quia resurrectio ob id diuinitùs inducta videtur, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: non est autem æquum vt anima Petri corpus Neronis resumat, aut Neronis anima corpus informet Petri. Deinde apud Lucam dixit Dominus: *Capillus de capite vestro non peribit*, & alibi: *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Vnde Augustinus in Enchiridio scripsit: *Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet cinerem, pulueremq; soluatur, in quoslibet halitus, aurasq; diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemq; mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primus vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.* Hæc ille. Adhæc si vera esset illa sententia, nullo esset opus Angelico ministerio ad cineres colligendos, in quos facta fuerat corporū resolutio, sed ex quacunq; materia, quam casus fortuitò offerret, homines resurgerent. Præterea Christus quos suscitauit, primò constare fecit de eorum corporibus, vt de Lazaro, adolescente viduæ filio, & filia Iairi, quò vera eiusdem corporis, quod ceciderat, resurrectio ostenderetur. Imò ob hoc ipsum Christus ostendit idem corpus, & contrectandum præbuit, & cicatrices vulnerum seruauit, vt eiusdem corporis futuram resurrectionem indicaret, sicur & eiusdem animę. Quare simpliciter asserendum est, Deum rem prorsus in nihilum reductam, iterum creare posse: & rem corruptam, de integro producere valere. Quod egregiè docet Thomas. Nam si aliqua esset repugnantia, maximè esset, quia vnitas rei continuitate seruatur: vnde repugnat, si posteà corrumpatur, vt id quod præcedit, & postea redit, sit vnum & idem. Sed hæc ratio in his, quæ successione cōstant, locum habet, quod de intrinseca ratione vnitatis ipsorum continuus fluxus existat: at in permanentibus continuatio non est de essentia vnitatis, quòd essentia ipsorum non sit fluere, sed est illi intrinsecum & adueniens, propterea quòd subduntur tempori, quod est continenter fluens. Si igitur ex parte rei repugnantia non est, vt eadem res sit, cuius conseruatio non fuit interrupta, potentiæ Dei, qui à temporis continuitate non pendet, hæc facultas non debet subijci, quin possit semel productum idem numero reproducere: nam ad demonstrandum, Deum aliquid posse, satis est ostendere, nullam inuoluere repugnantiam. Deinde infinita Dei virtus ex eo quod rem aliquam condiderit, quæ deinceps absumpta est, non imminuitur, neque rei ipsi esse magis repugnat, quàm antequam fuerat: potest ergo illam in esse restituere. Adhæc causa cur agens naturale idem numero non possit rursum producere, illa est: quia requiruntur eædem numero dispositiones, ad quod exigitur locus, & tempus, quæ sunt, & dicuntur, indiuiduationis principia, vt in illis fiat applicatio agentis ad id quod patitur. At tempus nequit idem reuerti. Item opus est, vt motus & actio sit eadem: & tamen interrupta actio nequit eadem numero reuerti. At Deus ob suam infinitam potētiam, neque à loco, neque à tempore, neque à motu pendet, nihil igitur obstat quo minus possit idem numero bis, vel ter, vel millies producere. Postremò si vera esset illa Durandi sententia, Deus deperdito isto mundo non posset illum instaurare. Imò si vera est sententia Thomæ, quòd duo Angeli non possunt esse eiusdem speciei, similiter consequeretur, quod si Michaëlem, vt sic dicam, annihilaret, non posset Deus in eandem restituere speciem, quia nec illum, nec alterum solo numero differentem, posset iteratò creare. Quæ consecutio cùm absurda videatur, ab eodem tamen Durando conceditur.

Luc. 21. Matth 10.

Aug in Enchir. c. 88. to 3 init ferè.

Matth. 13. & 24.

Ioan 11. Luc 7. Matth. 9. Ioan. 20.

Thom. quodl. 4 art 5. & opusc 9. q 28.

Vnitas rei con tinuitate seruatur.

Cur agens naturale eūdem numero effectum denuò non possit producere.

Quenam sint, & dicantur indiuiduationis principia.

Durand. ibi.

D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4.

An Christus totum sanguinem, quem in passione effudit, in resurrectione iterum assumpserit. I. assertio.

In eadem causa materiali aliud dubium se offert explicandum, num videlicet in resurrectione Christus totum sanguinem quem in passione effudit, iterum assumpserit. Et quanquam multa à Doctoribus hic vltrò, citroque agitentur, dicam tamen quæ mihi & cum ratione, & cum traditione magis cohærere videntur. In primis igitur asserimus, sanguinem fuisse à Christo resumptum; nō tamen totum, quia corpus glorificatum tanto non indiget sanguine, quantus corpori mortali est necessarius: atque illi quidem sanguini assumpto deitas in triduo coniuncta fuit, reliquo verò non ita fuit vnita. Quod igitur illi sanguini coniuncta esset diuinitas, ex Scripturis, ac Patribus, & rationibus, atque solutionibus argumentorum, quæ fiunt in contrarium, demonstratur. Nam in primis legimus in sacris literis, sanguinem Christi emun-

Quod sanguis Domini in cruce effusus nequaquam fuerit à diuinitate seiunctus. I argumen. à Scripturis.

1.Ioan.1. emundare ab omni iniquitate; emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis: & intelligimus de effuso, quia sanguini vitulorum, & hircorum illum opponit. Dicitur dilexisse nos, & lauisse nos à peccatis nostris; adhæc sanctificare populum, & eos qui longè erant, factos esse propè in sanguine ipsius. Hos autem effectus res merè corporea, qualis est sanguis, operari non posset in animis nostris, nisi ratione coniunctæ illi diuinitatis, & Spiritus sancti, quem nobis dare promeruit. Et confirmatur hæc sententia, quia, vt Paulus testatur, empti sumus pretio magno. Et explicans B. Petrus qua ratione simus redempti à vana nostra conuersatione, ait: Nō in corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Item sine pretio infinito à peccatis solui non possemus; at infinitus sanguis esse non posset, nisi copulatus cum diuinitate esset. Præterea huius virtute sanguinis sancti Patres emissi sunt de lacu, in quo vincti detinebantur, vt testatur Zacharias: at vis infinita ad liberandos sanctos Patres necessaria erat. Ad extremum dicitur Deus sibi acquisiuisse Ecclesiam per sanguinem suum: vbi Beda nō dubitat vocare illum infinitum, propter vnionem personæ Verbi cum duabus naturis: non autem acquisiuit dum esset in corpore, sed quando sparsus est. Hinc Paulus ait: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*; Et, *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remißionem peccatorum) secundùm diuitias gratiæ eius.* Porrigunt ergo apertè sacræ literæ, diuinitatem cum sanguine effuso fuisse coniunctam. Deinde idem probatur ex Patribus, siue Doctoribus. Inter quos Damascenus dicit: *Lignum vitæ æternæ crucem vocat, ipsum nimirùm pretiosum lignum, & perquàm verè venerādum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, vt sanctificatum tactu Christi sancti corporis, & sanguinis decenter adorandum.* Hæc ille. Leo quoque sermone 11. de passione Domini: *Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo & pretium esset, & poculum.* Idem in sermone 12. de passione. *Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* At in morte anima à corpore separatur, sed à neutro illorum diuinitas, vt rectè dicatur non esse disiunctam vnitatem, nec diminutam. Præterea Ambrosius in sacro Ecclesiæ hymno de cruce:

Sanguis vnda profluit.
Terra, pondus, astra, mundus,
Quo lauantur flumine.

Et infra:

Sola digna tu fuisti
Ferre seculi pretium:
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit,
Fusus agni corpore.

Et in alio hymno canit Ecclesia:

Cruore eius roseo
Gustando viuimus Deo.

At cruor propriè est sanguis extra venas, & iam sparsus. Et Augustinus libr. de Trinitate: *Tantum valuit sanguis ille, vt neminem Christo indutum in æterna morte debita detinere debuerit, qui Christum morte indebita vel ad tempus occidit, scilicet diabolus.* Idem libro 50. Homiliarum, hom. 27. bis nominat Christi sanguinem pretium pretiosum. Et Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 16. loquens de Christi sanguine, ait: *Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius, qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus est.* Hæc ille. Et Bernard. in 9. sermone ait, quòd vel vna gutta sanguinis suffecisset ad nostram redemptionem, quæ tamen minimè sufficeret, nisi à coniuncta sibi diuinitate infinitam virtutem haberet expiandi. Et Clemens VI. in Extrauaganti quæ incipit: *Vnigenitus Dei Filius*, de pœnitentijs & remissionibus, initio ait: *Quem* (scilicet sanguinem) *in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ita vt à planta pedis, vsq; ad verticē capitis nulla sanitas inueniretur in ipso.* Hæc ibi. Idem Clemens VI. habito concilio Theologorum, ac magistrorum determinauit, hunc articulum de separatione Deitatis à sanguine effuso in passione, hæreticum esse prorsus, & contra fidem Catholicam: vt refert Magister Nicolaus Henrici Hæreticæ prauitatis Inquisitor in suo Directorio. Idem quoque docet Albertus Magnus in tractatu de Missa, & sanctus Thomas Quodlibet. 5. Id ipsum quoque ostendunt rationes. Tùm primò, quia nullum beneficium à Deo vnquam reuocatur, nisi ob culpam aliquam recipientis, cùm, teste Apostolo, *Sine pœnitentia sint dona, & vocatio Dei*: at Verbi in sanguinem vnio summum extitit beneficium, nec in Christo vllum fuit delictum, cuius causa eius sanguis tanta dignitate priuaretur. Tùm deinde, quia si fuit sanguis à diuinitate separatus in passione, Christus ex eo quòd Patri obediebat, dignitatem suam amisisset, cùm eius mandato illum fuderit. Tùm tertiò, quia ista separatio

Marginal notes (left): Hebr. 9. — Apocal. 1. — Hebr. 13. Ephes. 2. — 1. Cor. 6. 1. Petr. 2. — Vis sanguinis Christi vnde pendeat. — Zachar. 9. — Act. 20. Beda in Act. tom. 5. — Rom. 3. Ephes. 1. — Secundum argumentum à sensu Doctorum, & autoritate. Damasc. lib. 4. cap. 12. — Leo ser. 11. de passione Domini. — Idem serm. 12. de passione. — Ambr. tom. 3.

Marginal notes (right): Cruor propriè quid sit. — Aug. lib. 13. de Trinit. ca. 10. ante medium tom. 3 — Idem tom. 10. — Cyrill. Alex. tom. 9. — Bernard. — Magister Nicolaus Henrici in Direct. pa. 2. q. 9. & 10. — Alb. Magnus. S. Tho. quodlib. 5 art. 5. — Tertium argumentum à rationibus petitum. — I Ratio. Rom. 11. — II Ratio. — III. Ratio.

paratio diuinitatis à sanguine, ad finem, propter quem fundebatur, qui erat salus hominis, aliquo modo minimè pertinebat: ergo nequaquàm est ponenda. Quartò, vnio animæ beatæ cum Deo visione & fruitione possesso nunquàm ampliùs à Deo reuocatur: ergo nec vnio personalis, quę illa maior est, atq; præstantior, vt docet Bernardus ad Eugenium Papam. Quintò, in sanguine assumendo post resurrectionem manebat ordo ad naturā humanam, quòd esset resumendus: ergo manebat & vnio diuinitatis: nam omnibus partibus, quæ sunt de veritate humanæ naturæ, etiam separatis, manet vnita Deitas. Sed talis pars est sanguis, quod ex Innocentio III. de celebratione Missarum cap. in quadam, apertè confirmatur. Nam ibi probat veritatem corporis Christi ex veritate sanguinis, qui exiuit de latere eius, ex eo quod perficitur ab anima rationali: imò à medicis inter partes ad integritatem humanæ naturæ spectantes sanguis collocatur. Sextò, si sanguis fuisset separatus à diuinitate, suam per se subsistentiam, & hypostasim constitueret; & ita duplex esset hypostasis, altera Verbi, altera corporis, & sanguinis: contra Damascenum tradentem, quòd vna semper est hypostasis in Christo. Septimò, verisimile est, aliquam guttam sanguinis in Christi corpore remansisse, vel in vulneribus, vel in manibus eius, vel in cruce, aut lancea, aut in spinea corona, si fuit, vt est verisimile. Iam illud quærimus, num illi fuerit copulata diuinitas, an non fuerit? Si fuit illi vnita, quæ erat in corpore, ergo etiam effuso sanguini in terram vnita fuit: quia inter hunc, & illum sanguinem non est alia differentia, nisi hunc esse in corpore, illum extra. Octauò, nemo sapiens instituit, vt res aliqua prorsus inutilis perpetuò in memoria habeatur, aut repræsentetur: vt in Missæ sacrificio perpetuò sanguis effusus, dum separatim sub specie vini consecratur, repræsentatur: ille ergo minimè est inutilis; quòd tamen esset, si à Deitate separatus existeret. Adhæc ex opposita sententia sequeretur, sanguinem Christi non esse adorandum latria in illo triduo. Contra quod est, quia sanguis in Sacramento contentus, qui est idem cum sanguine effuso, adoratur latria, ergo & sanguis ipse effusus. Sequeretur quoq;, quòd si in illo triduo facta fuisset consecratio, Sacramentum hoc nō fuisset excellens ratione contenti, quia continuisset præcisè sanguinem sine corpore, sine anima, & sine diuinitate: nec Apostoli in cœna ad Sacerdotium promoti possent vti illa forma: Hic est sanguis meus, id est, qui actu est meus, atque diuinitati meæ vnitus, sed qui olim fuit vnitus: nec in illo triduo sanguis meus vim viuificandi haberet eo modo, quo caro, cōtra illud: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

[Margin: IV. Ratio. — Bernard. lib. 5. de considerat. post medium. — V. Ratio. — Innocent. III — VI Ratio. — Damasce. lib. 3. c. 27. — VII. Ratio. — VIII. Ratio. — IX Ratio. — X Ratio. — Ioan. 6.]

Contrariam tamen sententiam tuentur duo magni ex scholasticis Doctoribus. Alter est Ricardus de Mediavilla Solennis Doctor appellatus, docens, quòd sanguis quia nō est de corporis essentia, post quàm à corpore fuit separatus, non fuisset latria adorandus, quia, vt inquit, tātùm coniunctus diuinitati est latria colendus. Alter est Franciscus Mairones acutissimus disputator, qui quidem quatuor annotauit separationes contrarias cōiunctionibus quatuor. Prima, inquit, vnio fuit animæ cum corpore: secunda, humanitatis cum Deitate: tertia, sanguinis cum corpore: quarta, diuinitatis cum sanguine. Nam in triduo diuinitas non fuit vnita cum sanguine, sicut cum corpore, & anima. Quod ex eo constat, quia secundùm communicationem idiomatum verum fuit dicere: In triduo Deus est sepultus, quia cum corpore sepulturæ tradito copulata erat diuinitas. Similiter verum fuit dicere: Deus descendit ad inferos, quia anima, cui Deitas connexa erat, illuc descendit. Et tamen nequaquàm verum fuit asserere: Deus fuit in cruce effusus, cùm tamen ibi sanguis Iesu fuerit effusus super terram. Ad illud verò pronuntiatum Damasceni: *Verbum quod semel assumpsit, nunquàm dimisit*: respondet intelligendum esse de præcipuis, ac essentialibus partibus ipsius constituti, quæ sunt corpus & anima. Aliter etiam respondet, quod verum est extremis remanentibus: nam humanitas, quæ ex vnita anima cum corpore constat, non permansit in triduo. Idem sermone de resurrectione Domini, qui incipit: *Domine probasti me*, quatuor constituit in morte Christi factas fuisse separationes. Prima fuit animę à corpore, de qua ait Textus: *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Secunda fuit diuinitatis ab humanitate: quia Christus in triduo mortis homo non fuit, vt communi consensu tradunt Doctores cōtra Magistrum in tertio, & pro hac separatione creditur voce magna exclamasse, cùm dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* propheticè accipiendo præteritum pro futuro. Tertia fuit sanguinis à corpore, quando effusus est ex lateris vulnere. Quarta sanguinis à Deitate, quæ remanebat cōiuncta cū corpore: quia quādo sanguis fuit vnitus cū corpore, mansit etiam vnitus cum diuinitate, vt corpus.

[Margin: II. opinio. — Richar. in 3. dist. 2 q. 2. art. 5. — Franc. Mairones in 4. dist. 43 q. 1. — Vniones quatuor in Christo, totidémque separationes. — Damascen. — Idem Franc. de Maironis. Psal. 138. — Matth. 27. — Magist. in 3. dist. 22. — Ibidem, & Psal. 21. — Ioan. 19.]

Sed ex quo fuit à corpore seiunctus, & extra illud effusus, videtur à diuinitate fuisse separatus. Vnde non dicimus, quòd Deus sit effusus super terram. Hæc est illorum sententia. Sed exponenda sunt eorum argumenta, atque dissoluenda. Primùm enim argumentantur: Vbi est vnio diuinitatis, ibi est communicatio idiomatum, cuius causa est vnio, vt testatur Augustinus, & Damascenus: sed ista non potuit esse ibi, quia aliàs diceretur Christus effusus super terram, vel hærens ligno Crucis, qui tamen etiam post resurrectionem ibi mansit: ergo non fuit vnitus. Respondemus, dici posse Christum effusum super terram, iuxta illud, quod in persona Christi dicitur: *Sicut aqua effusus sum; & dispersa sunt omnia ossa mea.* Nec valet dicere, sermonem esse metaphoricum: quia onus probandi metaphoram dicentibus incumbit. Et licèt id, quòd sequitur, nempè, Et dispersa sunt omnia ossa mea, per metaphoram accipi possit; in hunc sensum, quem tradunt Augustinus, & Lyranus: Apostoli viri fortissimi, & velut Ecclesiæ meæ ossa dispersi sunt: tamen etiam ad literam intelligi queunt ossa dispersa ob violentam tractationem, qua carnifices vsi sunt in crucifigendo, iuxta illud: *Foderunt manus meas, & pedes meos; Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Adde, quòd etsi demus per metaphoram, hæc, quæ dicuntur de ossibus intelligi: nullum tamen est absurdum in eodem versu aliquid dici propriè, & aliquid impropriè, vt illud: *Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt:* vbi primum est metaphoricum, secundum verò proprium. Ita beatus Augustinus prædictum Psalmi versum intelligit, dicendo: *Firmos suos dispersit, & sicut aqua effusus est. Aqua enim quando effunditur, aut abluit, aut irrigat. Effusus est Christus sicut aqua: abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes.* Hęc ille. Nec valet quod quidam inferunt, tum videlicet dici posse Christum, vel Filium Dei, per triduum in cruce pependisse, quia sanguis fuit in cruce, quo ipsa perfusa fuit: non valet, inquam hoc, quia sanguis non dicitur pendere propriè in cruce. Et oporteret probare, illum, qui remansit in cruce, eundem fuisse, qui resumptus est in resurrectione: quia ille tantùm erat diuinitati vnitus, & propterea receptus in resurrectione. Eo etiam concesso, totum illum, qui tinxit crucem, fuisse resumptum, nihil efficitur: quia illud remanere in cruce posset intelligi de toto, & eodem modo, quo totus remansit: ideo non dicitur nisi secundùm determinationem adiunctam, vt dicamus quod remansit secundùm partem, siue secundùm sanguinem. Quemadmodum etiamsi Christus sit creatura, quia tamen posset errorem generare eiusmodi dictum, non dicimus absolutè eum esse creaturam, sed solum cum determinatione, scilicet inquantum homo est: vt eruditè docet beatus Thomas in tertia parte. Potest deinde alio modo solui propositum argumentum, iuxta B. Thomæ doctrinam, si dicamus, communicationem idiomatum nō intelligi de omnibus absolutè, nec de partibus vt talibus: non enim dicimus absolutè, Deus, siue Filius Dei est corpus, vel Deus est anima, vel, Deus est forma: sed tantùm de his, quæ dicuntur de subsistente, vt, Deus est homo, vel Deus est mortalis, siue temporalis: homo ille est æternus, siue immortalis (quanquàm dicatur: *Et Verbum caro factum est*, id est, Deus factus est homo: sed hoc est per Synecdochem) sanguini autem competebat effusio, vt pars est: ideo non dicitur, Deus est effusus. Potest & huic solutioni adiungi ex eodem Thoma, quòd communicatio idiomatum interdum fuit in obliquo, vt dicatur: Filius Dei habet sanguinem fusum, sicut homo ille habet: & ita commodè dicitur: Sanguis Dei est effusus. Adhæc pars non est apta nata denominare totum, quemadmodum crispitudo, & limitas, vt sic dicam, cùm insint subiecto, hoc est, vel capillis, vel naribus, vim habent denominandi totum: non enim dicimus homo rubeus, qui habet sanguinem rubrum; sicut dicitur crispus, qui habet capillos crispos. Ideo non opus est dicere, Filius Dei est effusus, eò quod sanguis eius est effusus.

Secundò argumentantur: Amoto medio, quo duo extrema vniuntur, desinit esse coniunctio extremorum: sed corpus fit medium, quo sanguis fuit vnitus diuinitati: ergo remoto corpore à sanguine, non remansit sanguini copulata diuinitas. Sed si hoc argumentum alicuius esset ponderis, ex eo sequeretur, diuinitatem à corpore fuisse seiunctam, nam corpus non nisi media anima assumptum, disiuncta ergo anima à corpore, tollitur medium vnionis ab vno extremo, & sic extrema à se inuicem separantur. Et beatus Thomas, atque Bonauentura respondent, duplex esse medium, alterum congruitatis, alterum necessitatis: maior autem vera est de medio necessitatis, non de alio, quale fuit in incarnatione. Tertiò argumentantur: Ecclesia in Parasceue non consecrat sanguinem, eo quòd non fuit cōiunctus diuinitati. Sed hæc ratio euinceret quoque, nō fuisse

Huius opinionis argumenta proponuntur, ac dissoluuntur.
I argum.
Augustin.
Damasce. lib. 3. c. 15.
Psal. 21.
Ossa Christi patientis quomodo dispersa.
August. in Psal. 21. tom 8.
Lyran ibidē.
Alter sensus.
Psalm. 21.
Psalm. 78.
Aug ibidem exposit. 2.
Duo efficit aqua.
Obiectio diluitur.
B Thom in 3. par. q. 16 ar. 8
Idem in 3. dist. 22. art. 1.
Ioan. 1.
Idem.
II. argum.
Duplex medium.
B Thom.
B. Bonauen. in 3. dist. 22.
III. argum.

fuisse corpori diuinitatem vnitam, quia illo die panem non consecrat, sed præconsecrato vtitur. Quòd si in contrarium quis obijciat, in die illo sumi corpus sine sanguine, quod libenter admittimus: sed certè in Sabbato sancto sumit sub vtraq; specie: & tamē necdum erat Dominus à mortuis suscitatus. Quartum eorum argumentum est: Omne coniunctum diuinitati, desinens esse quod erat, desinit esse coniunctum: vt constat de humanitate in triduo: quia non est quod non est coniunctum: sed huiusmodi fuit ille sanguis effusus in triduo, quia fuit coagulatus, desiccatus, & terræ commixtus, & consequenter transiuit in lutum: atqui coagulatio, seu congelatio mutat speciem, vt in crystallo ex aqua facto per congelationem licet cernere, & in caseo ex lacte confecto per coagulationem. Respondemus, illum sanguinem fuisse corruptum eo modo, quo corpus, nimirum per formæ substantialis abscessum, non per incinerationem, aut putrefactionem: ideo dicimus, sanguinem illum fuisse vnitum ratione suæ materiæ, non autem ratione formæ, vt probat argumentum. Possumus etiam dicere cum illis Philosophis, qui ponunt, formas partiales, manere eundem sanguinem, non solùm ratione materiæ, sed & ratione formæ partialis: quæ ratio solutionis alijs argumentis dissoluendis seruire potest. Deinde respondetur, quòd non omnis congelatio soluit speciem virtute Dei interueniente, nec coagulatio omnis. Quintò obijciunt: Nam si sanguis à corpore separatus mansisset diuinitati vnitus, & alia etiam, quæ fuerunt à Christi corpore separata, similiter Verbi hypostasi essent coniuncta. Et cùm per resolutionem & difflationem multæ sanguinis Christi partes fuerint à corpore seiunctæ, quæ aliquando fuerunt diuinitati vnitæ, remansissent semper vtique vnitæ: quod tamen falsum esse, argumento sunt multa, vt præputium, capilli, vngues præcisi, saliua, & similia. Respondemus in primis, non valere consequentiam: Sanguis remansit vnitus diuinitati, ergo tota materia sanguinis, & carnis, quæ fuit resoluta, ac difflata. Asserimus enim, nequaquam esse simile: nam etsi illæ partes aliquando fuerint vnitæ, tamen separatæ sunt per corruptionem: resolutio quippe illa, ac difflatio, corruptio quædam fuit, & partes illæ transierunt in aliam formam, vnde post separationem ad veritatem naturæ Christi hominis, siue integritatem minimè pertinebant. Non est autem de sanguine in passione effuso, qui retinuit veram formam sanguinis. Quòd si obijcias; Sanguis perficitur per animam, dum est in corpore, ergo non habet aliam substantialem formam, quàm animam intellectiuā: quia vnica est forma substantialis in homine. Cùm autem sanguis separatus est à corpore, & à fortiori ab anima, remansit ergo inanimatus, & per consequens veram formam non habuit, quam priùs. Imò non erat sanguis nisi æquiuocè, quia habebat aliam definitionem: ex quo habebat aliam formam, ex qua sumitur differentia specifica, quæ complet definitionem. Respondemus cum Thoma, quòd sanguis extra venas effusus, est quidem sanguis, sed æquiuocè, si formam substantialem eius spectemus, quia sanguinis intra corpus alia est forma substantialis, nimirùm anima rationalis, qua & viuit & animatur sanguis, alia verò extra corpus, qua nec viuit, nec animatur: est tamen, & verè dicitur idem sanguis, tùm ratione esse hypostatici, tùm ratione materiæ, quæ eadem prorsus sunt in viuente, atque in mortuo: deniq; quod respondere solemus de corpore, idem dicimus de sanguine. Dici etiam commodè potest, quòd etsi partes carnis & sanguinis difflatæ aliquando fuerint diuinitati vnitæ, ac coniunctæ; tamen posteà fuerunt separatæ. At sanguis in passione non ita effusus est, quia in illis partibus non remansit ordo ad reiterandam vnionem, sicut in sanguine in morte effuso. Illæ enim partes iam resolutæ, resumendæ non erant in resurrectione, quia quantitati, ac dispositioni corporis Christi tantam materiam assumere minimè expediebat: at sanguis effusus cùm spectaret ad integritatem corporis Christi, saltem magna ex parte resumendus erat. Et idem de capillis, & vnguibus Christi præcisis respondendum est: Nam in eis non mansit ratio, vel ordo, vt repetantur: nam nec omnes vngues, nec omnes capilli, & pili barbæ resurgent in hominibus, sed tantùm qui ad debitam corporis proportionem spectabunt. De præputio verò quidam absolutè dixerunt, præputium Christi in resurrectione fuisse resumptum, nec apud nos mansisse; quemadmodum Patriarchæ omnes, Prophetę, atque Iudæi olim circumcisi resurgent præputiati. At beatus Bonauentura in quarto, & in expositione literæ: *Dicendum, ait, est, quòd vel non fuit de veritate naturæ humanæ secundùm speciem, sed diuina dispensatione parùm de carne, secundùm materiam ibi fuit, vt daretur nobis in deuotionem sicut reliquia: & sic dicendum de sanguine: vel aliquid fuit de veritate, & illud resurrexit* cum

IV. argum.

V argum.

Obiectio diluitur.

Thomas.

Sanguis Christi in cruce quomodo non fuerit effusus.

Iustorum corpora quas partes non resument in resurrectione.

An præputium Christi in resurrectione resumptum fuerit, necne.

B. Bonauent. in 4. dist. 12.

Hugo de S. Victore.

Luc. 21.

Christi præputium vbi asseruetur.

cum Christo, & est in cœlo, & residuum remansit. Hugo verò de S. Victore lib. de Sacramentis: *Quæritur*, inquit, *vtrùm Christus resurgens reassumpserit sanguinem illum, quem in passione effudit. Si enim capillus de capite nostro non peribit, quantò magis sanguis ille non periyt, qui est de veritate naturæ, & fuit? Quid ergo dicemus de circumcisione præputij, an in resurrectione Christi similiter redierit ad ipsum? Creditur in Lateranensi basilica conseruari, licèt à quibusdam dicatur, quòd præputium Christi fuerit latum in Hierusalem ab Angelo, & datum Carolo Magno, qui transtulit illud Aquisgranum: sed posteà positum est in Ecclesia Saluatoris apud Carosium. Melius tamen est, Deo totum committere, quàm aliquid temerè definire.* Hæc ille.

VI. argum. Arist lib 3. de animalibus, cap. 2. Alber Magn. Damascen. lib. 2. c. 12. post med.

Sextò argumentantur: Quia ex sententia Aristotelis, tertio libro de animalibus, cap. 2. & Alberti Magni, sanguis non est actu pars animalis, sed tantùm pars in potentia. Verumtamen illi opponere possumus Damascenum, qui libro secundo de Orthodoxa fide, cap. 5. scribit: *Corpora animalium ex humoribus, scilicet fiunt, & in illos dissoluuntur. Nam omne compositum in ea soluitur, ex quibus coalitum est.* Et Philosophus statuit, quod sanguis est humiditas vniuersi corporis, qui semper est in corpore animantis, dum viuit: & animalia propter sanguinis vacuitatem moriuntur: & in Leuitico dicitur: *Anima carnis in sanguine est.* Et Augustinus libro quæstionum Veteris, & Noui Testamenti illud explicans, ait, quòd anima quia spiritus est, in sicco certè habitare non potest: ideo in sanguine fertur habitare. Et Iosephus libro tertio Antiquitatum: *Sanguinis certè* (esum scilicet) *ideo vetuit, quòd hunc animam, & spiritum putaret.* Adhæc beatus Thomas in prima parte, quæstione vltima, articulo primo illud tradit esse de veritate naturæ, quod est de constitutione eius. Adhæc illud est de veritate naturæ, quod perficitur per formam illius: vnde idem sanctus Doctor Quodlibeto septimo, quæstione quinta, asserit, sanguinem informari anima rationali. Et Commentator libro 2. Colliget ex Galeno, distinguit inter sanguinem nutrimentalem, & vitalem. Si ergo est vitalis, animam habet, quia nihil viuit nisi per animam, vt tradit Philosophus libro 2. de anima. Item vngues, & capilli animati sunt, vt tradit Augustinus libro Musicæ, dicens: *Cùm ipsum sentire mouere sit corpus aduersus illum motum, qui in eo factus est, non existimans ideo nos, cùm ossa, & vngues, & capilli secantur, non quia ista in nobis omninò non viuunt; non enim aliter aut continerentur, aut nutrirentur, aut crescerent, aut etiam vim suam in seminanda, serendaue prole monstrarent. sed quia minùs libero aere penetrantur, quàm vt motus ibi possit ab anima fieri tam celer, quàm est ille, aduersus quem fit, cùm sentire dicitur.* Thomas quoque in quarto docet, vngues, & capillos nutriri, & augeri, vnde & resurgent in resurrectione. Docet præterea, quòd sicut se habent elementa in vniuerso, ita humores in corpore humano: quia homo est microcosmus, elementa autem componunt mixta, vt sunt inter partes vniuersi. Et sic in homine cholera igni respondet, aëri sanguis, aquę phlegma, melancholia terræ, elementa autem sunt in via generationis, respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia: ita humores se habent ad membra. Elementa autem habent formas determinatas quasdam, ratione quarum sunt de perfectione vniuersi, sicut & corpora mixta: ergo & quatuor humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & aliæ partes. Atque in hunc modum sanguis, licèt respectu partium sit in potentia, simpliciter tamen respectu totius est pars actu existens: quemadmodum elementa sunt partes in potentia, respectu mixtorum, & sunt partes actu respectu vniuersi. Adhæc, vt docet Philosophus libro secundo de partibus animalium, triplex est in animali compositio: prima ex elementis, seu eorum virtutibus: secunda ex partibus homogeneis, quas similares vocant: tertia ex partibus eterogeneis, quales sunt manus, caput, pedes, & reliqua. Sicut ergo componentia in secunda, & tertia compositione sunt partes actu existentis animalis, ita humores in prima, inter quos est sanguis, erunt actu partes. Præterea beatus Thomas in tertia parte, quæstione 54. docet, ad veritatem humanæ naturæ sanguinem pertinere, & humores habere determinatas formas, sicut aliæ partes corporis habent, & quòd resurgent cum alijs corporis partibus, & quòd erunt in resurrectione non quidem ad deperditi instaurationem, sed ad integritatem humanæ naturæ reparandam. Ex his igitur tam latè disputatis concludimus, totum Christi sanguinem, qui in passione fuit effusus, atq; cum diuinitate coniunctus, in resurrectione à Domino fuisse resumptum.

Arist. ibid. ca. 19. Sanguis quid Aristoteli.

Leuit. 17. Aug. tom. 4.

Ioseph. lib. 3. Antiqui. c. 13

B. Thom. in 1. p. q. vlt. ar. 1

Quid sit de veritate naturæ

Idē Quodlib. 7. q. 5.

Cōmentator.

Philosoph lib. 2. de anima. Aug. libr. 6 de Musica. c. 5 in fin to. 1. ante med.

Thom in 4 dist. 44 q.

Humorum corporis humani cum elementis conuenientia & proportionalitas.

Arist lib 2 de par. animal. cap. 1 num. Triplex in animali compositio, secundum Philosophum.

B Tho in 3 p. q. 54 art.

Iam altera est propositio stabilienda: Aliquam sanguinis Christi partem in passione fusi, quia non erat diuinitati coniuncta, à Domino in resurrectione non fuisse repetitam, sed apud nos remansisse: itaque

II assertio. Quod aliqua pars Christi sanguinis in passione effusi, a diuinitate [illegible] diuinitati

[...]oniuncta, apud nos remansisse, ostenditur.
Primum argumentum à Pontificijs decretis.

non solùm sanguis miraculo eductus ex aliqua Christi imagine percussa, sed verus, ac solidus, qui in cruce Domini effluxit, apud nos remansit. Atque hoc in primis confirmatur irrefragabili argumento Pontificum Romanorum, qui hoc definierunt. Pius enim Secundus ad monasterium sanctæ Mariæ Diœcesis Xantonensis scripsit: cuius Bulla, vt refert Xistus Quartus super Octaua veritate sui eximij operis de sanguine Christi, seruatur apud Fratres Minores prouinciæ Turonicæ, vbi affirmat, veritati Fidei neutiquàm repugnare, si asseramus, Redemptorem nostrum de sanguine suo ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse, ad fidelium deuotionem seruandam. Ad idem est Leonis Secundi determinatio de sanguine Mantuæ asseruato in templo sancti Andreæ, vt refert Philippus Bergomensis libro sexto, & repertus fuit tempore Adriani Quarti, vt habetur in Archiuis Ecclesiæ Rauennatensis, atque ibi sunt litteræ Apostolicæ, quibus conceditur indulgentia in die Ascensionis templum illud, in quo continetur hic sanguis, visitantibus. Et fertur etiam, quod Longinus, qui lancea latus Domini aperuit, & Episcopus ad Mantuanos fuit destinatus, illuc eum asportauit. Cui historiæ fauere videtur, quod superiùs ex Nicephoro Calixto attulimus, quòd cùm de latere Christi exiuit sanguis, & aqua, Beata Virgo, & Ioannes Euangelista vasculo illa exceperunt. Idem quoque definiuisse producitur Eugenius Quartus de sanguine, qui habetur in Pannonia in Ecclesia Iaitiensi. Vt igitur Papa in canonizatione sanctorum errare non posse piè creditur, ne sit error aliquis in cultu, ita neque in his quę huiusmodi sunt, propter Dei assistentiam.

Pontifices. Pius Secũdus. Six. Quartus. Leo Secũdus. Bergomen. lib. 6. De Longino milite lateris percussore monumentum Ioan 19. Lib 10. Niceph. lib. 1. c 30 in fine. Eugenius IV.

II. argum.

Secundò probatur à signo manifesto: nam passionis Dominicæ instrumenta adhuc videntur cruentata, vt corona spinea in Capella Regis Franciæ: spina etiam vna Recanati in Conuentu Fratrum Eremitarum: ferrum quoque lanceæ, quod Romæ apud beatum Petrum ostenditur. Sanguis etiam quotannis in die Paschatis in Lateranensi Ecclesia venerandus proponitur. In templo etiam sancti Maximini, vbi Magdalena fecit pœnitentiam, sanguis Christi asseruatur, quem illa sub Cruce collegit, vt tradunt historiæ. Et die Veneris sancti dicitur liquefieri, atque efferuescere. Item Rupellæ in Francia, in templo Fratrum Minorum dicitur aliquid sanguinis asseruari, quem Christus in Parasceue effudit.

III. argum.

Tertiò idem probatur, quia præputium, vt diximus, apud nos ad nostrę redemptionis commemorationem remansit, & asseruatur, vt diximus, in Ecclesia Lateranensi: ergo à fortiori remansit aliquis sanguis non vnitus diuinitati.

IV. argum.

Quartò, quia sancti non indigent tanto sanguine ad perfectum sui status decorem, atque in via opus habebant: quia non ad generationem, non ad augmentum, non ad nutritionem, sed ad bonam tantùm membrorum dispositionem in statu naturali, atque organico requiritur. Vnde cùm Christus se ipsum consecrauit in cœna, vberior erat sanguis, quàm ille, quem nunc habet in gloria. Hic autem tenuior, idoneus est statui gloriæ, atque congruus.

V. argum.

Quintò, quia Christus nõ habet in gloria totum illum sanguinem, quem, dum biberet, habebat, cùm alio, & alio tempore alium, & alium haberet, cùm quotidiè generaretur nouus, & præexistens conuerteretur in carnem, quæ difflabatur à calore naturæ. At si modò Christus omnem illum haberet, esset nimium corpulentus, & ad bonam hominis dispositionem, quæ statui gloriæ debetur, iustam minimè haberet proportionem. Haud ergo inconuenit aliquo modo manere, cùm tot in varijs templis miracula illud attestentur, vt tradit Gabriel. Nec est facilè ad miracula constituenda accurrendum, vbi duo cõcurrunt: aut quòd vera naturalis causa possit de aliquo assignari; aut quòd non sit maior ratio, cur aliquid fiat miraculo, atque natura. Nec est facilè audiendus Ioannes Maioris in tertio, qui asserit, sanguinẽ, qui hactenùs manet apud nos, esse simul in resurrectione resumptum; ita vt simul sit in duobus, & pluribus locis. Sed hoc esset in regulam à beato Augustino in libris de doctrina Christiana traditam, sine necessitate multiplicare miracula. Deinde alia dispositione sanguis est in Christo, & alia apud nos: hoc tamen omninò dicẽdum est de sanguine in passione effuso, si apud nos mansit; aliàs non esset in consecratione ille idem, qui fuit à Christo consecratus, quod est falsum. Fatendum quoque videtur, Christum in resurrectione maiorem sanguinis copiam resumpsisse, quàm immediatè ante passionem haberet: nam tunc propter labores, vigilias, & abstinentias nonnihil erat macilentus, atque extenuatus, neque eam sanguinis mensuram, quæ bonæ corporis dispositioni conueniebat, habebat. Sed ex hoc haud sequitur, quin aliquis in passione fusus sanguis remanserit apud nos: aliũ enim potuit resumere, & maiorem carnẽ, quàm esset prçexistens deperdita.

Gabr. lect. 50. in Can. Missæ. Ioan. Maioris in 3. August. li. de doctr. Christ.

Quantum sanguinis Christus resumpserit in resurrectione.

An in consecratione noua caro, & sanguis Christi generentur.

dita. Atque hac ratione etsi corpus, & sanguis, quæ Christus consecrauit, fiat modò in consecratione nostra: non tamen sola, sed alia caro, & alius sanguis quæ tunc non erant. Imò si ad tres horas fuisset dilata Christi consecratio, non esset tanta caro, nec tātus sanguis: aliquis enim interim fuisset resolutus. Et non totus ille sanguis, qui à Christo fuit consecratus, modò à nobis consecratur: quia aliquis fuit conuersus in carnem ante mortem. Et illa materia non surgit in duobus locis in Christo, atque ita non inconuenit aliquem eius sanguinem manere apud nos. Quod verò sanguis iste, qui remansit extra corpus, non sit diuinitati copulatus, docet sanctus Thomas in tertia parte, vbi ait, quòd non mansit diuinitas vnita nisi reuniendis. Et Bonauentura in tertio in responsione ad argumentum ex verbis Damasceni, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, idem sentit, & Scotus in tertio. Quod verò beatus Thomas in tertio sententiarum dixerit, talem sanguinem superfluum non esse latria adorandum: Cardinalis tamen Ioannis Dominici proprio libro de Christi sanguine producit Ioannem de Polit co asserentem, quòd possit cultu latriæ venerari, quemadmodum reliquiæ, quæ Christum ipsum contigerunt. Multis quippe modis aliquid latria debet adorari. Primò, quia est Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Secundò, quia est in diuina hypostasi, vt Christi humanitas, & sanguis diuinitati vnitus, qui consecratur. Tertiò, quia est imago prædictorum; vt figuræ Trinitatis & Christi, & Crux ipsa. Quartò, quia tetigit Christum vt aliquid eius, quemadmodum vestes, claui, lancea, & ipsa Crux propria, in qua Christus pependit rubens eius sanguine. Et consultò diximus (aliquid eius) propter manus crucifigentium. Atque hac postrema ratione potest adorari sanguis superfluus latria, sicut & capilli defluentes. Nam si Crux ipsa ratione contactus latria adoratur; multò magis sanguis eius, qui fuit aliquando pars corporis, ac diuinitati vnitus.

D Tom in 3. p. q 12. Bonauen in 3. dist. 5. Damasc lib. 2. Scot. in 3. dist. 16 in respon. ad 2. Thom in 3. Card Ioan. Dominici. Quot modis aliquid cultu latriæ debeat adorari.

Sanguis Christi superfluus & huius generis alia quatenùs adorari latriæ cultu possint.

Quæ in hanc secundam assertionem fieri possunt, argumenta diluuntur.

I argum.

Verùm iam argumenta, quæ in hanc secundam cōclusionem fieri possunt, diluamus. Primum est: Si aliquis sanguis fuit in Christo superfluus in die passionis, ille cōtiguus erat cum alio perfecto, ac diuinitati vnito, etiam post effusionem; vtriusq; igitur & superflui, & necessarij erit vna hypostasis, & vnum esse: quia partes continui propriam non habent hypostasim, sed vna & eadem est totius, ac partium subsistentia. Quo posito, efficaciter argumentari videntur: quia aut illa subsistentia erat diuina, & sic sanguis superfluus erat in triduo diuinitati vnitus, aut erat alia subsistentia à diuina, & sic sanguis perfectus, ac necessarius non esset diuinitati coniunctus. Respondemus ex doctrina B. Thomæ in quarto, quod sanguinis superflui partes aliquādo quidem separatæ fuerunt, vel in puncto quidem resurrectionis, atque ita in resurrectione fuerunt ei vnita non sui gratia, sed per accidens (nisi aliquæ particulæ extiterint omninò à necessarijs separatæ) quemadmodum in resurrectione nostra assumptis necessarijs partibus, superflua omnia incipient habere nouam subsistentiam; vel tunc fuit separatus sanguis Christi superfluus à Deitate, quando primò fuit separatus à corpore Christi, sicut accidit in præputio, & capillis ab eo defluentibus, & in carnis partibus per calorem naturalem distillatis. Itaque in triduo fuerunt vnitæ cum necessarijs, sed non in eadem hypostasi, Deo ibi operante: sicut euenit cùm sanguini consecrato miscetur gutta vini non consecrati: tunc enim aliqua quantitas vini consecrati subsistit in se, alia inhæret substantiæ vini non consecrati. Secundum argumentum: Sanguis, qui est in Sacramento, est idem cum effuso, vt constat ex forma, Hic est calix sanguinis mei Noui, & æterni Testamenti, &c. qui pro vobis effundetur: sed in sanguine Sacramenti nihil est superfluum, ergo neque in ipso sanguine effuso. Respondet Ioannes Dominici, illud; *Hic est sanguis meus*, stare pro necessario, siue perfecto: esset quippe absurdum, dedisse nobis sanguinem, qui non esset de veritate humanæ naturæ. Et licèt vnus esset continuus alteri, verbum tamen, *Hic est calix sanguinis mei*, demonstrat totum effusum, ratione partis nobilioris cum Verbi hypostasi copulatæ. Tertium argumentum: Superfluus in Christo sanguis non potuit esse à Deo, vel à natura, quia nō abundat in superfluis; nec est à ratione, quæ nihil parat superfluum, ergo ab aliqua Christi intemperantia, quòd immoderatè cibo, ac potui indulgeret: quod tamen absurdum est dicere. Respondemus, quòd eiusmodi sanguis erat & à natura, & à Deo: à natura, quia etsi ipsa non producat superflua per se in statu naturali, tamen producit quædam superflua in ordine ad necessaria, vt semen ad generationem, & lac ad prolis educationem, & sanguinem nutrientem in ordine ad vitalem, & naturalem. Testatur quoque Syluester Prierias, sanguinem, & aquam, quæ manarunt à Christi latere, tota apud nos manere, vel

B. Thom. in 4. dist.

II. argum.

Matth. 26.

Ioan. Dominici.

III. argum.

Syluest. Prierias. Ioan 19.

saltem

saltem eorum aliquam partem, quia pars eorum deificata erat, cùm scribant Doctores à tali sanguine sumere virtutem omnia Sacramenta. Verùm hoc dictum superiori libro discussimus. Etsi autem Diuus Thomas in tertia parte tradat, sanguinem, qui in quibusdam Ecclesijs pro reliquijs conseruatur, non de Christi latere, sed miraculo, de quadam imagine percussa prodijsse; idem tamen alibi asserit, nihil prohibere aliquem sanguinem ex cibis generatū fuisse in Christo, cùm in cœna ederit, & biberit, qui ad veritatem naturæ eius non pertinebat, & in resurrectione non fuisse assumptum. Quòd autem illum effuderit in passione, constat ex eo, quod totum sanguinē per quinq; vulnera effudit: præsertim cùm ex animi, & corporis passionibus digerendi virtus debilitata fuerit: quia spiritus retrahuntur à stomacho, atque hepate, & transeunt ad cor, & ad caput corroborandum: ideò nihil mirum est, si Christus afflictus non potuerit digerere cibos, & sanguinem nutrientem. Nequaquam tamen inficiari debemus, quasdam extitisse Christi imagines in contumeliam percussas, quæ miraculo sanguinem profuderunt, quemadmodum experientia etiam nostro seculo Venetijs deprehensum est, & ante multa secula beatus Athanasius in epistola quadam de passione imaginis Domini nostri in Syria crucifixa in vrbe Berytho à Iudæis, ex qua profluxerat ingēs copia sanguinis, quæ hydriam impleuit, obseruauit. Quanquam beatus Athanasius in fine epistolæ subiungat: *Hic est etiam sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.* Hæc ille satis constanter, cùm tamen constans sit, præputium Christi apud nos remansisse; Romani verò Pontifices constanter definierint aliquam sanguinis Christi particulam apud nos remansisse, fidei Catholicæ minimè repugnare. Postremò, si Deus ad imprimendam in mētibus Christianorum erga sanctos Martyres suos fidem, ac deuotionem, insignia miracula edere non cessat circa sanguinem sancti Ianuarij, sancti Stephani Protomartyris, atque adeò Ioannis Baptistæ Præcursoris in vna ciuitate Neapolitana, qui certis anni diebus ex arido, nigroque colliquescit, ac bullire cernitur; non secùs atque si recens fusus fuisset; quid mirum est de tanto Redemptore, qui se, & suum sanguinem largitus est tot modis & in cruce, & in altari, si nullum etiam per modum reliquiarum asseruandarum, ac venerandum nobis pro sua incompatabili charitate voluerit impertiri? Sed hæc prolixior de sanguine Christi resumpto disputatio, cogit nos hic pedem sistere, & ad resurrectionis caussas meditandas redire. Sed interim hic finis præsentis tractatus ad gloriam illustrandam sanguinis Christi, cui cum Patre, & Spiritu S. ab omni creatura ratione prædita honos, laus, gratiarum actio, atque imperium reddatur in sempiternis seculis, Amen.

Lib. 10. Thom. 3 p. q. 54. ar. 2. ad 3.

Idem Quod lib. 5. art. 5.

Spirituum vitalium officiū in corpore humano.

B. Athanasij de imagine Cruc fixi memorabile prodigium.

Cap. 7.

Vltima ratio.

TRACTAT. VI.

In quo est sermo de resurrectionis Christi posterioribus causis, hoc est, forma, atq; fine.

EXPLICAVIMVS superiori tractatu quod ad causas resurrectionis efficientem, & materiam facere videbantur, iam locus ipse postulat, vt de reliquis duabus, nempe forma, atque fine disputationem instituamus. Et sanè vt à forma incipiamus, Deus nullam extra se ipsum formam habuit, in quam inspiceret, ad cuius similitudinem suscitaret filium suum, sed ideā tantùm, & exemplar in se ipso habuit intimum, quo non solùm omnia ex nihilo cōdidit, sed etiam vniuersa Filij Dei mysteria in carne assumenda, illaque in cruce immolanda, & per resurrectionem glorificanda, deificandaque, & per ascensionem in cęlos euehenda, atque exaltanda operatus est. Decreuerat siquidem æterno suo consilio obedientissimum filium suum ad vitam immortalem, & gloriosam suscitare, quatuor gloriæ dotibus corpus eius exornando, & in perpetuum manentibus ditando, quas in vita sua per modum actionis transeuntis ostenderat aliquo modo. Quemadmodum in natiuitate sua subtilitatem in dicauerat matrem penetrando, quā tamen integram, intactamq; reliquit: agilitatem, qua pondus, & grauitas supprimitur, ambulando supra mare siccis pedibus prodiderat: claritatem, atq; gloriæ splendorem manifestum in transfiguratione fecit: impassibilitatem postremò demonstrauit, quando Iudæis eum præcipitare, aut lapidare volētibus, Iesus transiens per medium illorū ibat. De quibus ornamentis Apostolus ita scripsit ad Corinthios, vt Patres interpretantur: *Seminatur* (scilicet corpus) *in corruptione; surget in incorruptione. Seminatur in*

De forma resurrectionis agitur.

Gloriosi corporis dotes quemadmodum Christus adhuc mortalis & viator quasi prælibauerit.

Matt. 24.

Infr. 17.

Luc. 4.

1. Cor. 14.

in ignobilitate; surget in gloria. Seminatur in infirmitate; surget in virtute. Seminatur corpus animale; surget corpus spirituale. Etsi autem Christi resurrectionis nulla externa existat forma: vt diximus, dici tamen haud incommodè potest, quòd resurrectionis nostræ ratio, ac forma, ad ideam, & speciē illius Christi est referenda, vt capiti suo membra conformentur, iuxta illud Apostoli: *Saluatorem expectamus Dominum nostrū Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Quemadmodum & ad eius similitudinem iustificamur, & prædestinamur conformes fieri imaginis filij sui. Quare nōnihil de his quatuor corporis gloriosi dotibus, in quibus forma resurrectionis ad vitam immortalem consistit, hoc loco meritò erit philosophandum: cumque illæ non nisi ab æternis animi proficiscantur virtutibus, erit de illis priori loco dicendum. Illud in primis statuendum, dotis nomen hoc loco, non pro quacunque virtute, vt quandoque sumi solet, sed propriè, ac strictè, secundùm iuris vsum accipiendum, instar illius, qua sponsa dotatur, vt possit vir onera matrimonij sustinere. Vnde à Theologis sic definitur: Dos est perpetuus ornatus animæ, & corporis, ratione spiritualis matrimonij vitæ sufficiens, in æterna beatitudine perseuerans. Dotes igitur sunt illæ, quibus anima in ingressu cœli, & corpus in resurrectione dotantur, atq; ornantur. Nam cùm nobis insitum sit, ex sensibilibus ad spiritualia intelligenda conscendere; quæcunque animæ cum Deo coniunctio, desponsationis, & matrimonij nomine in Scripturis designatur. Vnde coniunctio Dei cum homine per incarnationem, connubium dicitur, & sacramentum dicitur in Christo, & Ecclesia, vt Ioānes Domini præcursor inquit: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Coniūctio quoq; hominum cum Deo per gratiā, si Deum spectes, adoptio, & filiatio dicitur: si Christum, incorporatio membri in corpus eius: si amorem ardentem, ac tenerum inspicias, quo Christus redeuntem animam à regione longinqua amplexatur, ac deosculatur, desponsatio nominatur, secūdum illud Apostoli: Despondi vos vni viro, virginem castā exhibere Christo. At verò, quoniam, vt Iurisconsulti docent, dotis appellatio non transfertur ad matrimonium, quoad vsque sit omninò confirmatum: proptereà dotes non sunt, nisi quæ in ingressu gloriæ, vel in resurrectione conferuntur. Vnde gratia, quia in hoc seculo desponsamur, dotis nomen non obtinet: sicut nec fides, nec spes, nec charitas, cùm nondum in hoc seculo ita matrimonium confirmetur, vt in sponsi domum traducamur, cùm ab illa dignitate excidere, & matrimonium possimus dissoluere. Dicimur quidem ab Osea desponsari in fide, sed fides dotis appellationem non habet. Gratia quoque dicitur pignus, aut potiùs arrha gloriæ, quia posteà perseuerat in matrimonio. Etsi verò ad sustentanda onera huius matrimonij spiritualis, Christus dote minimè indigeat: tamen dos per se quidem est matrimonij solatium, ac vitæ emolumentum, per accidens verò à molestia, & onere matrimonij subleuat. Et ita priori tantùm ratione dotes conueniūt beatis: nam in his, quæ huiusmodi sunt, omnimoda esse similitudo non potest, sed in quibusdam tantùm. Nam in coniugio carnali decore est opus, & ornamento externo, quare fortunæ bonis opus est: in spirituali verò decor, ac pulchritudo interioris animi exigitur: iuxta illud: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Et licèt moris sit, vt parentes puellam dotent; hoc tamen non est intrinsecum rationi dotis, sed aduentitium potiùs. Potest enim & ab alio dotari, vt ab eo, qui virginem violauit, vt dicitur in Exodo, vel à patre sponsi, quemadmodum in Genesi dixit Sichem: *Augete dotem, et munera postulate.* Potest etiam ex eleemosinis haberi dos. Denique sponsus ipse dotare sponsam valet, quemadmodum senes puellas virgines dotare. Quia tamē pater sponsæ est illa sancta beata Trinitas, cuius opera extra se sunt indiuisa; ideò ab ista dotem accipiunt, qua desponsari valeant cum Christo. Hæ autem dotes tam animi, quàm corporis, priùs, & eminenter fuerūt in Christo ratione humanitatis, quę aliquo modo dicitur Verbo indissolubili modo desponsata: non quòd sit persona per se distincta à Verbo, sed quia suscipit attributionem sponsæ: quanquā in membris suis considerata, personam diuersam sustineat, secundùm illud Apostoli: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Præterea dotes Christi etsi in Angelis inueniantur, in illis tamen aut rationem, aut nomen dotium non habent. Debet esse inter sponsum & sponsam aliqua similitudo secundùm naturam; at Christus non Angelicam, sed humanam tantùm naturam assumpsit; ideò tantùm hominibus conueniunt. Sunt porrò tres tantùm animæ dotes; visio, comprehensio, & fruitio, tribus virtutibus Theologicis, nimirùm fidei, spei, & charitati respondentes: nam vt his in vita Deum attingimus, ita dotibus in patria Deum consequimur. Clara igitur visio, siue claritatis habitus ad videndum,

fidei

Marginalia (left): Resurrectiōis nostræ ratio ac forma in quo sita sit. — Philipp. 3. — Rom. 8. — De dotibus quatuor gloriosi corporis consideratio. — Theologis dos quid sit. — Ephes. 5. — Ioan. 3. — Luc. 15. — 2. Cor. 11. — Tempus dotis legitimum. — ff de iure dotium. l. dotis.

Marginalia (right): Osea 2. — Qua ratione tantummodo dotes conueniant beatis. — Quid in carnali coniugio, quid verò in spirituali requiratur. — Psalm. 44. — Exod. 22. — Genes. 34. — Animæ nostræ tanquam sponsæ, à quo patre dotem accipiant. — Dotes corporis gloriosi vt fuerint in Christo. — 1. Cor. 12. — Animæ dotes tres, visio, comprehensio, & fruitio.

1. Cor. 13. fidei respondent: *Videmus enim nunc ex parte per speculum in ænigmate; tunc autem perfectè, & facie ad faciem.* Secunda dos est comprehensio, spei conueniens. Est enim spes non quodcunq; desiderium, sed illud, quo tendimus in rem aliquam consequendam. Et sicut videre, terminus est credendi, ita finis sperandi est tenere, siue comprehendere, iuxta illud: *Sic currite, vt comprehendatis:* & iterùm, *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* Etsi autem per visionem Deum teneamus, ac comprehẽdamus; tamen est diuersa ratio: Nam quatenùs est clara cognitio euacuans fidem, fidei respõdet: at quatenùs est Dei cum securitate, & perpetuitate adeptio, respondet spei, eamque omninò vacuam reddit. Tertia dos charitati debita, est fruitio, quæ quidem proxima causa est beatitudinis. Nam dilectio patriæ, quia est boni per visionem præsentis, & cum securitate quadã possessi per comprehẽsionem, proxima, atque immediata fruitionis causa existit: quæ vitæ claritatem terminat. Est enim frui, nihil aliud, quàm de re possessa, quam propter ipsam amamus, capere delectationem. Istæ autem dotes sola ratione à beatitudine distinguuntur, re ipsa idem cum illa sunt. At corporis dotes quatuor existunt, vt ex Paulo adduximus: nam etsi videri Deus non possit nisi ab anima; quia tamen visio est ab anima in corpore constituta, decet profectò vt corpus decore sit exornatum, ac dignitati animæ, & vsibus eius congruens: vnde & in corpus tales dotes ex ipsa animi beatitudine deriuãtur. Responpondentque quatuor virtutibus Cardinalibus. Quia enim iustitia perpetuò seruat Reipublicæ pacẽ, immortalitatis titulum habet; ideò ei impassibilitas respondet: quemadmodũ Temperantiæ, quę corpus extenuat, subtilitas, Fortitudini agilitas, Prudentiæ claritas. Ad hæc anima corpori vnitur, vt forma materiæ, & vt motor mobili, esse, & operari ei cõferens. In quantũ ergo corpus fit idoneũ animę informanti, opus est dote subtilitatis, nam quod subtile est, alienã facilè suscipit formam; at quatenùs ab eadem anima accipit formas accidentarias, conuenit ei dos claritatis; vt autẽ subditur ei tanquàm motori, conuenit agilitas; vt verò ab anima cõseruatur, impassibilitas. Est autem impassibilitas (vt de singulis aliquid dicamus) qualitas quædam tantam vim animæ tribuens, vt eius dominium supra materiam à nullo agenti naturali, vt fame, siti, frigore, æstu, aut quocunque incommodo, siue iniuria tolli possit. Ideò nec patitur à gladio, vel igne. Edet enim tunc de ligno vitæ, & bibet de fonte vitæ; idcirco impassibilis erit. Potiùs autem dicitur impassibilitas, quàm incorruptio, vel incorruptibilitas, qua voce vtitur Paulus ad Corinthios: quia incorruptibile corporibus gloriosis cum corporibus damnatorum commune est; at impassibilitas beatis tãtùm est propria. Non est autem hęc impassibilitatis virtus corpori beato tribuenda tãtum propter aliquam extrinsecam causam, vt v.g. cessationem motus cęlorum, aut quòd post diem iudicij nulla sint futura extrinseca agentia, quæ possint corpus corrumpere, qua ratione nec elementa tunc corrumperentur; aut propter circumstantiam loci cœlestis: nam etsi vlla essent agentia contraria, non possent illi loco applicari, quia hæc omnia cùm extrinseca sint, non habent vnde possit dici corpus impassibile, aut incorruptibile, non magis, quàm si Deus aliquid suapte natura corruptibile seruare perpetuò statueret, non aliter, quàm agentia cohibendo, ne ipsum corrumperẽt. Nam tale certè incorruptibile dici nõ posset, aut impassibile, quia hæc sunt prędicata rei intrinseca, vt dicunt Philosophi. Ad hæc, corpora beatorum nihil magis haberent incorruptibilitatis, quàm damnatorum: quòd tamen falsum est, cùm dotes corporis gloriosi ab animæ beatitudine proficiscantur: vnde & intrinsecas, & in corpore sitas esse oportet. Deinde subtilitas qualitas est, qua corpus beati alia penetrat: nõ quod aut quãtitatem corpori tollat, vel indiuisibile, rarumque illud reddat; sed propter animæ virtutem, cui omninò subest quantum ad eius operationes per corpus: per illam tamen virtutem penetrat beati corpus, subintratque alia corpora non secùs, atq; oleũ vas ipsum, quo continetur, penetrat. Tertiò, agilitas, qualitas est, qua corpus, quod ad motum attinet, animæ subest, vt ibi sit, vbi velit anima: eritque motus in tempore, sed imperceptibili, & quo velocior sit motus, non erit organicus, sed omnes partes simul immediatè ab anima mouebuntur, & nõ vna alterius opera, vt ex primo motu cordis oriuntur alij motus. Estque corpus beati graue, quanquã superflua naturæ grauitas, impedimentaq; membrorum, & iuncturarum omninò tollantur: & adiungetur animæ perfecta virtus ad mouendum. Quartò, claritas gloriosa erit in corpore, quia lux videri potest à non beato: nec corrumpit, sed delectat intuentẽ, vt in transfiguratione constat. Potest tamen Deo assistente nobis occultari, vt euntibus in Emmaus discipulis illam celauit Dominus: nõ tamen

Marginal notes (left): Supr. 9. — Philip. 3. — Visio & comprehensio distinguuntur. — 1. Corin. 13. — Proxima causa beatitudinis, est fruitio. — Frui quid sit. — Quatuor dotes gloriosi corporis virtutibus quatuor cardinalibus vt respondeant. — Impassibilitas quid sit. — Ratio impassibilitatis. Apoc. 22.

Marginal notes (right): Cur potiùs impassibilitas, quam incorruptio nominetur. — 1. Cor. 15. — Vnde est impassibilitas accidet corpori glorioso, vt & cæteræ omnes dotes. — Subtilitas qd. — Agilitas quid. — Claritas. Matt. 17. — Luc. 24.

tamen beatis abſcondi poterit, cùm vnus alterius ſtatum non excedat. Valet autem ſe abſcondere, vel ſubtrahendo radios vel ſpecies, aut appropinquando oculo, aut illum penetrando. Corpus itaque glorioſum non eſt peruium, ſiue perſpicuum, ſed opacum, ac terminatum, lucidum, ac coloratum; ita vt lux, & color Deo volēte ſimul immutare viſum valeant, ſicut per ſucceſſionem contingit in verme noctiluca. Paulus vocat corpus claritatis, ad indicandam hanc dotem: ſicut ad demonſtrandam impaſſibilitatem ſcripſit: *Christus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Fuit quoque ſubtile, quia penetrauit ſaxum monumenti, & intrauit ianis clauſis, ac ſolidiſſimos pertranſiuit cœlos. Agilitatem verò indicauit, quia in momento erat modò cũ matre Ieroſolymis, modò cum Maria plorante ad monumētum, modò cum diſcipulis proficiſcentibus Emmauntem, modò vbicumque vellet. Magna profectò Dei dona hæc ſunt, vt pro vel horum minimo nobis eſſet meritò tota vita cum hoſtibus decertandum, & tormenta maxima ſuſtinenda. Cùm verò tot exiſtant, ac tanta corporis ornamenta, & adhuc hęc, ſi cum dotibus animi componantur, parua ſint, & leuia, acres nobis ſtimulos Deus addidiſſe videtur, quò alacres, & intrepidi nō ſolùm pro Chriſti gloria illuſtranda, ſed etiam pro noſtra fœlicitate comparanda maxima quæque ſubeamus diſcrimina. Et hactenùs de forma ſit diſputatum. Non ignoro, multa apud ſacros Theologos ſubtiliter diſputari de his corporum dotibus: verumtamen quòd illa nobis magis acuta, quàm vtilia viderentur, modum, & ratione ſeruandam nobis, & cum Apoſtolo ad ſobrietatem ſapiendum eſſe cenſuimus. Supereſt vt de fine nonnihil dicamus: necenim probabile eſt, rem tantæ potentiæ, atque ſapientiæ, maximis ac pretioſis fructibus carere. Sed ante omnia, ille locus Pauli nobis explicandus venit, quomodo ſcilicet conſiſtat illa conſequentia: *Si autem Christus prædicatur quod reſurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit.* Videnda eſt bonitas huius conſequentiæ, & poſteà examinabitur antecedens. Argumētatur ſiquidem Apoſtolus efficaciter quaſi à cauſa ad effectum, vtpotè intelligens quod reſurrectio Chriſti, noſtræ ſit cauſa reſurrectionis. Dicitur autem Chriſtus cauſa, non quidem meritoria: quia cùm Chriſtus reſurrexit, non erat ampliùs in ſtatu merendi; quanquàm dum viueret, & mortem pateretur, & ſuam, & noſtram reſurrectionis gloriam promeruerit abundanter: ſed vt quidam Doctor tradit, cauſa eſt efficiens, quatenùs Deus eſt; in quantum verò mediator, inſtrumentum, ſiue organum. Eſt etiam cauſa mouens Patris liberalitatem, vt amore ſui reſuſcitet fratres ſuos, non ſecùs atque Rex cùm filium ſuum ducem belli conſtituit, milites quoque in eius gratiam efficit alios; quare multa corpora Sanctorum qui dormierant, excitauit, vt cum Chriſto reſurgerent, ęternus Pater. Permouet etiam nos, dum intuiti gloriam Chriſti, quam per fidem videmus, ad illam acquirendam incendimur, & non ad timendam quouis modo pro illo mortem. Eſt etiam cauſa exemplaris, vt teſtatur Bonauentura: non quidem quò Deus vllo exemplari egeat ad operandum, quia ipſa eius eſſentia eſt ei exemplar omnium, quæ facit: vnde & poëta Chriſtianus quidam eleganter cecinit:

> *Tu cuncta ſuperno*
> *Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe*
> *Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans,*
> *Perfectasquè iubens perfectum abſoluere partes.*

Sed quia vt tribuitur Verbo per ſe eſſe exemplar propter modum productionis ſuę, vnde ars omnipotentis plena omnium rationum viuentium appellatur; ita ei ſecundùm humanam naturam attribuitur eſſe exemplar omnium hominum, qui ad eum poſſunt redire. Quamobrem meritò primitiæ reſurgentium, & primogenitus mortuorum nuncupatur. Primitiæ ſiquidem, reſpectu fructuum, qui poſterius ſequuntur, dici ſolent; ſicut primogenitus ratione fratrum, qui poſt ipſum naſcuntur. Et quia caput glorioſum non decet habere membra ingloria; rationi eſt conſonum, vt membra capitis ſui gloriam imitentur. Quòd ſi obijcias, exemplar non protinùs inferre ſuum exemplum, nec illud efficere: reſpondemus duplex eſſe exemplar, alterum, in quo res cognoſcuntur, & diſponuntur, & ſic eſt Filius Dei in diuina natura; alterum verò, in quo res inchoatur & quaſi in exemplo inchoanda proponitur, ſecundùm illud ad Epheſios: *Cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Et quia non poteſt relinqui imperfecta; ideo tale exemplar infert neceſſario effectum, quia ſicut non poteſt eſſe caput ſine membris, ita non poteſt capitis eſſe reſurrectio,

Corpus Chriſti, corpus claritatis cur Paulo nominet. *Philipp. 3.* *Rom. 6.* *Ioann. 20.* *Ibid.*

Luc. vlt. & ſeq.

Quanti nobis facienda glorioſi corporis dotes.

Rom. 12.

De fine reſurrectionis.

1. Cor. 15. Quam vim habeat illa Pauli illatio Si reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit.

Quomodo Chriſtus ſit cauſa noſtræ reſurrectionis.

Matt. 27.

Bonauen. in 4. diſt. 43. q. 6. Vt ſit Chriſtus exemplar noſtræ reſurrectionis.

Boet. libr. 3. de conſ. metro 9.

1. Corin. 15. Primitiæ dormientiũ Chriſtus, & primogenitus mortuorum quare ſit appellatus. *Coloſſ. 1. & Apoc. 1.*

Exemplar duplex eſt.

Epheſ. 2.

quin membrorum resurrectio consequatur. Cæterùm cum dupliciter quis Christo coniungatur, & quatenùs Christus homo est eiusdem cum eo speciei, & quatenùs caput est per fidem, & gratiam, de qua vnione dicitur: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*: & rursus, *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus est cum eo*: hinc Deus duplicis rationis immortalitatem comparauit. Namque his qui solo nexu naturæ sibi sunt coniuncti, naturæ immortalitatem largitur tantummodò, qua fiet vt mortem ampliùs non experiantur, sed perpetuò in æternæ damnationis secunda morte viuant, de qua dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur*, & rursus, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: Iis verò, qui præter naturæ vinculum, maiori gratiæ nexu sunt vincti, vitam perpetuam non modo naturalem, sed & felicem, & beatam promeruit; nec debuit hanc vitam membris suis alio quouis modo acquirere quàm illo eodem, quo sibi vt capiti comparauit, hoc est, p mortem exuendo mortalitatem. Quocirca opus est, vt omnes mortis debitum exoluamus priùs, quàm resurgamus: quia nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet; si verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Atque hoc efficiet ipsa vita immortalis, quæ fortior est ipsa morte, illamq; abolebit, iuxta illud: *Ero mors tua ô mors*; secùs vita mortalis, quæ debilior inuenitur ipsa morte, & illi vt potentiori succumbet. Etsi ergo in Christo reproborum demonstrata sit resurrectio quantum ad animæ vnionem cum corpore, vt nunquàm posteà sit morti succumbendum; potissimùm tamen resurrectionis electorum exemplar existit; vt ex Paulo ad Philippenses docet Thomas. Christus igitur etsi vt homo est, & mediator & causa mouens, & exemplar nostræ resurrectionis existat: quia tamen ex voluntate artificis pendet ad exemplaris formam aliquid exprimere, nec illa motio causa sit cogens, non sequitur necessariò mortuorum resurrectio. Respondemus, certò constitisse Paulo de voluntate Dei summi artificis, ita vt posset Corinthios côuincere. Nam cùm apud eos, & alias Ecclesias innumera edidisset miracula, in hac veritate quòd Christus resurrexit, & nos eius instar simus suscitandi, confirmanda, atque impossibile sit Deum miraculum operari in testimonium falsitatis, hac Dei constitutione, & signorum confirmatione pósita, optimè profectò sequitur: Resurrexit, Ergo & nos resurgemus: alioqui Christus falsitatis esset confirmator; quod est impossibile. Atque ita arguit: *Si resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit: inanis est prædicatio nostra* (quia scilicet falsum prædicatione nostra astruximus dogma) *inanis est & fides vestra* (quia scilicet illum fide suscepistis) *adhuc estis in peccatis vestris* (à quibus nemo liberatur, nisi per resurrectionem Christi: quia traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostrã.) *Inuenimur autem & falsi testes Dei* (falsa scilicet euangelizando, & signis confirmando.) *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt*. Perinde ac si diceret: Resurrectio non est; ergo nec animorum immortalitas: nam vnum alterum inferebat iuxta illorum sententiam. Et subiungit: *Si in hac vita tantùm, in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Quoniam in hac vita non habemus nisi vincula, ac tormenta. Gustus verò, & dona Dei cùm sint beatæ alterius vitæ prælibationes, si illa nõ est vera, nec ista, quæ nunc degustamus. Etsi ergo Philosophus lumine naturali agnoscat pro virtute, & patria seruanda iustitiæ esse consonum mortem occumbere, etiamsi alia vita minimè foret expectanda, quod multis Philosophis accidit, nemo tamen dixit, pro sustinendo mendacio iustum esse pati, si resurrectio vera non est. Hæc argumentatio ducit ad incommoda, & impossibilia, & recumbit ab opposito consequentis, ad oppositum antecedentis, in hunc modum: Sed nos sumus falsi testes Dei, dicentes contra Deum falsum de Christo suscitato testimonium: neque diceris vestram fidem inanem, neque perijsse mortuos in Christo, neque miserabiliores esse Christianos omnibus hominibus. Christus ergo resurrexit à mortuis, quare & nos quoque resurgemus. Vides ergo, bonam esse consequentiam Pauli, & antecedens esse maximè verum. Ex quibus elicimus, Christum Deum efficientem esse causam nostræ resurrectionis, ac proinde finem vltimum; Christum verò hominem ac mediatorem causam esse Patrem mouẽtem sua resurrectione ad nos ad vitam reuocandos; exemplar quoque, & ideam, ad cuius imaginem simus excitandi: ac denique secundarium finem ad eius nomen, & honorem propagandum, vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

His pósitis, explicandus est finis proximus, propter quem diuino consilio Dominus est ad vitam suscitatus beatam. Par quip-

Dupliciter Christo quis coniungitur.

Galat. 2.
1.Cor. 6.

Duplex immortalitas, quam Christus comparauit.

Infr. 15.
Ibid.

Ioan. 12.
Vitæ immortalis quanta vis.

Osea 13.

Philip. 3.
Thom. 3.p.q. 56.art.1. ad tertium.
Solutio quæstionis propositæ de vi argumentationis Paulinæ: Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus.

Ea verba Apostoli cum reliquis de resurrectione ponderantur.

Rom. 4.

Qualis ea sit Pauli argumẽtatio: Si Christus non resurrexit, nec nos resurgemus.

Philipp. 2.

Quam fuerit conueniens, ac rationi consonum Chri-

tum resurgere. I. Ratio. quippe in primis erat, si Patrem spectes, vt Filium suum exaltaret, qui eius causa ad omne humilitatis genus se depresserat, iuxta illam regulam: (Luc. 14.) *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur:* & Paulus, (Philip. 2.) *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum.* (II. Ratio. 2. Tim. 2.) Deinde si ad Filium Dei oculos attollas, congruebat, vt qui mediator est Dei, & hominum, quique corpore, & animo inseparabili nodo vnionis coniunctus erat, vt ea à se inuicem diuisa conciliaret, ac arctissimè coniungeret: & qui venit (Coloss. 1.) pacificare per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlo sunt, priùs pacem in seipso resurgendo factam ederet. (III. Ratio.) Adhæc conueniebat hoc Spiritui sancto, vt qui suo amore Christum impulit in crucem, eiusque animam in desertum inferni, corpusque eius in hortum sepulcri, impelleret etiam per resurrectionem ad vitam omninò beatam, & gloriosam: vnde (Cant. 4.) in Canticis dicitur: *Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* (Quid Aquilo, quidve Auster in Canticis significet.) Nam per Aquilonem, accipimus dæmonem vrgentem ad pœnas, & mortis rigorem: per Austrum, Spiritum sanctum, qui perflauit hortum monumenti viuificando corpus, & illud gloria vngendo, vt (Esai. 11.) fieret sepulcrum gloriosum, à quo Christus corpore, & anima glorificatus exiuit. Si (Luc. 11.) meritò beatus dicitur venter, à quo Christus anima tantùm gloriosus exiuit. (IV. Ratio.) Quartò, idem quoque congruebat, si putum, & mundum Christi corpus attendas, quòd non erat ex Adam, quod attinet ad generationem actiuam, & in quod anima gloriosa redundasset, nisi miraculo propter nostram salutem fuisset retenta. Cùm igitur tale extiterit ad agendum, & patiendum diuinitatis instrumentum, dignum erat ne in putredinem abiret, & corruptionem, sed vt in eo illud impleretur: (Psalm. 15.) *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* & (Ioan. 2.), *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* (V. Ratio.) Quintò, animam specta, quæ gloria erat prædita, & cùm sit pars compositi, æquum erat, vt gloriam suam corpori communi- (Actor. 13.) caret, maximè post talem humiliationem, & obedientiam. (Hebraeor. 1.) Hinc teste Paulo, die resurrectionis dicitur genitus: nihil enim promeruerat, quò à corpore separari deberet; (Ioann. 10.) ideò potestatem habebat ponendi animam suam; & potestatem iterum sumēdi eam. (VI. Ratio.) Sextò, actiones, & passiones Christi hominis idem promerebantur: nam obedientia eius, & patientia corporis gloriam promerebantur, iuxta illud: (Luc. vlt.) *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* si alij omnes diuinis parendo mandatis, & aduersa patienter tolerando, meritum habent æternæ vitæ in corpus, & animam diffundendæ. (VII. Ratio.) Septimò, ad Angelos quoque hic triumphus Christi suscitati aliquo modo spectabat. Nam Verbo incarnato obedientiam polliciti fuerant, & in mysterijs Christi ministrauerant, & vnus ex illis Dominum Iesum corroborauerat (Luc 1 & 22.) ad patiendum; proponentes gaudium resurrectionis, quod ipsi primi in horto mulieribus prædicauerunt. (VIII. Ratio.) Octauò, intuere sanctos Patres in sinu Abrahæ detentos, quanto desiderio videndi suum Saluatorem hominem, & ineffabilem fructum passionis, qui abundantiùs in ipso, quàm in alijs apparuit, flagrabant. (IX Ratio.) Nonò, respiciebat sanctissimam Deiparam, quæ maximè sua viscera, id est, Christum, resurgere exoptabat, suaque precatione postulabat, & quasi leæna elutiens suo suscitabat rugitu, ac dicere suo modo poterat: (Psalm. 56.) *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* (X. Ratio.) Decimò, discipuli quoque scandalo passionis offensi vt viuificarentur, recrearenturque cita Christi resurrectione indigebāt, ne sanguis eius in corruptionem descenderet, neve signa Christi, dicta, gesta, atq; tolerata in eo perirent. (XI. Ratio.) Vndecimò, Satan cum suis satellitibus, qui Christi hostes capitales, & causa acerbæ, ac ignominiosæ mortis eius extiterant, digni erant omni confusione ac dedecore: (1. Ioann. 3.) cùm igitur ipse venerit, vt dissoluat opera diaboli, ad eorum dolorem debuit resurgere. (Coloss. 2.) Hinc Apostolus ait: *Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso,* non viribus alienis, quia torcular calcauit (Esai. 63.) solus. (XII. Ratio.) Duodecimò, propter nos maximè ad vitam reuocari debuit, atque hoc multiplici nomine. Primò, vt natura nostra exaltata sit in Christo, conresuscitata, & conglorificata, vt ait Apostolus, qui ob hanc (Ephes. 2.) causam vocat Christum primogenitū mor- (Coloss. 1.) tuorum. Secundò, ob spem nostram firmandam: nam si Christus non resurrexit, (1. Cor. 15.) inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: at illa posita, prædestinatus, siue (Rom. 1.) declaratus Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, vt asserit Paulus. Tertiò, ob erigendam æternæ gloriæ spem nostram: nam vt Princeps Apostolorum Petrus ait, (1. Petr. 1.) *Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Nam in Christo suscitato ostensum est quid futurum sit de nobis eius cultoribus, & sectatoribus. Quarto, vt augeret charitatem, dādo nobis Spiritum suum, propositoq; tanto præmio

ad amorem,& obedientiam excitaret:& ita Paulus testatus est resurrexisse propter iustificationem nostram, quæ nihil est aliud,quàm resurrectio spiritualis, vt in nouitate vitæ ambulemus. Quintò,vt à terrenis corda nostra subleuaret: vnde Angelus dixit: *Surrexit sicut dixit:* & Apostolus, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Sextò, ob mundum totum in Christo homine exaltandum, qui in Christo artham accepit eius gloriæ, quam suo die suscipere expectat: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Vt Princeps cum ducit vxorem, splendidiori veste nobiles suos atque famulos exornat, ac decorat: totus autem mundus debebat in gloria Christi clarescere,quemadmodum turbatus est in passione eius. Septimò, vt certiores nos de altera redderet vita, quam Symbolum post carnis resurrectionem statuit,cùm ait: Carnis resurrectionem,& vitam æternam, amen; & Symbolum Nicenum: Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen. Nam alias si alia vita nõ esset, quorsum anima immortalis, quorsum resurrectio? Dei iustitia non tantùm posset in remunerando, quantum homines aut delinquendo, aut benefaciendo præstare possent. Si ergo virtutes sine mercede non sunt,nec vitia impunita: erit igitur alia vita: quia hic neque virtuti præmium, neque vitio supplicium condignum retribuitur. Adhæc gloria vitæ huius plus versatur in extrarijs, & aduentitijs bonis, vt in diuitijs, delicijs, honoribus, in sensu plus etiam quàm in intellectu;erit igitur alia vita, in qua sit præmium in substantialibus, atque præcipuè in intellectu. Prætereà posita altera vita,sequitur studium virtutum, & fuga vitiorum: ergo necessariò est altera vita æterna; vel si non est, ipsum non esse causa esset boni,aut virtutis,& vlterius sequeretur, nõ esse quidem bonum, & esse malum existere. Adde quod quiuis esset sine fine, nam esset ad priuationem conditus perpetuam, id est,ad nihil. Summè autem aduersatur rationi, vt summum Dei opus, id est, homo, ad nihilum sit factum: & ita nihil mouisset Deum agẽtem, vt hominem crearet: & forma, ac materia plus expeterent ipsum nihil, & non esse, quàm esse. Est igitur per Christi resurrectionem alterius seculi vitę fides constabilita.

Postremò surrexit Dominus, vt certos nos redderet de Scripturis: quia est Agnus qui aperuit librum signatum sigillis septẽ. Idcircò in die resurrectionis aperuit Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas. Hinc Paulus ad Corinthios,& Concilium Nicenũ articulo resurrectionis, addiderũt particulam: *Resurrexit tertia die secũdùm Scripturas*: quoniam de nullo vnquam fidei articulo tantùm dubitatum fuit, atque de isto.Contra quas omnes dubitationes Paulus, & Concilium munire nos voluerunt, addendo firmum, & indubitatum testimonium Scripturarum, quatenus illo cõfirmemur magis, quàm conspecto aliquo ex mortuis suscitato: quia qui Moysen, & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent, & testimonium, quòd semper permaneret ac viueret; quia Scripturæ nobis permanẽt in perpetuum. Apostoli siquidem,quibus Christus apparuit, & comederunt, & biberunt cum illo,extincti sunt;mulieres,quibus annunciauerunt Angeli, & quas Christus est allocutus, mortuæ sunt, plus quàm quingenti fratres, quibus apparuit Christus in monte Galilææ,è viuis discesserũt;Stephanus qui vidit cœlum apertum,&Iesum stãtem à dextris virtutis Dei, & Paulus cui vt abortiuo visus est Christus.Igitur etsi mortui sint testes, remanet tamen eorum testimonium, id ęst, Euangelium manu notariorum,hoc est,Euangelistarum scriptum, signorum,ac prodigiorum, ab Apostolis editorum multitudine obsignatum, eorũque, ac Martyrum sanguine subscriptum, vt tanti articuli veritas inconcussa, atque immobilis maneat in cordibus fidelium, hoc ipsum in eis per Spiritum sanctum cõfirmante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, eodemque Spiritu sancto est compar deitas,æqualis gloria,eadem summa potestas ab vniuersa creatura perpetuis laudibus celebranda, cultu prosequenda, ac benedicenda per omnem æternitatem, Amen.

TRACTATVS VII.

De modo,loco, maximè verò de tempore, quo Dominus Iesus à mortuis resurrexit.

NVLLVS Euangelistarum etsi diligentissimè resurrectionem Domini prodiderit, apparitionesque quibus illam cõprobauit, detexerit; modum tamen eius, ac rationem nõ explicat.Neq; mirum esse debet,cùm captum hominis, & intelligentiam lõgè antecellat. Vt enim testatur Petrus apud Clementem, Scriptura, mundi creatio-

Rom. 4.
Infra 6.
Matth. vlt.
Colos. 3.
Rom 8.
Matth. 27.
Symbolum Apostolorũ, & Nicænum.
Præter hanc, aliam vitam necessariò dari debere ostenditur.
XIII. & vltima ratio.
Apoc. 5.
Luc. vlt.
1 Cor. 15. & seq.
Conc. Nicen.
Quantum articuli huius resurrectionis mortuorum mundus fide laborauerit.
Luc. 16.
Actor. 10.
Matt vlt.
1. Cor. 15.
Actor. 7.
1. Cor. 15.
Cur Euangelistæ de modo resurrectionis Dominicæ nihil perscripserunt.
Clem lib 3. recognitionũ.

Genes. 1. & seq.

creationem docet; modum autem quo ex nihilo res omnes adesse produxerit, haud tradidit, quia nos nouos mundos non eramus condituri. Ad hunc etiam modum, incarnationis, & natiuitatis ex Virgine matre mysteria peracta nobis Scripturæ prodũt; quomodo autem duæ naturæ, diuina, & humana in vnam Verbi hypostasim conuenerint, aut quomodo illibatis virginitatis claustris ex matris sanctissimæ vtero prodierit, non explicarunt, quod inenarrabile nobis esset, atque incomprehensum. Idem prorsus de resurrectionis arcano sentiendum: nam quo modo anima illa gloriosa sanctum illud cadauer intrauerit, & in momento viuificauerit, & ad vitam immortalem, dotibusque gloriosis ornatum in puncto temporis euexerit, immotoque ingenti saxo, ex sepulchro victor prodierit, opus est infinitæ virtutis. Quod nos quidem magis longè odorari, quàm intellectu capere, ac penetrare valemus.

II. Ratio. *Matth. 27.* Resurrectioni suæ discipulorum neminẽ cur Dominus voluerit interesse. *Infra 28.*

Imò etiam ob hoc ipsum indicandum, noluit quemquam discipulorum suorum resurrectioni eius assistere; tùm ob custodes ex Pilati, & Iudæorum mandato appositos, qui omnes accedentes arcerent; tùm ne suspicionem sublati corporis, & alterius loco eius repositi suspicionem ingererent; tùm ne terræmotu per Angelum facto, & sepulchri apertione saxo detracto perterrefierent, si præ timore exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui; tum denique ob humilitatem suam indicandam, qui cum suę mortis spectaculo, & Crucis non tantùm fideles suos ac deuotos adesse voluerit, sed etiam innumerabiles populorum turbas, suæ tamen gloriæ, ac de morte triumpho neminem voluerit interesse.

Ioan. 19.

III. Ratio. Sed præter dictas rationes, hoc maximè factum est ad ostendendum, incomprehensam esse Christi gloriam resurgentis: quam posteà Angeli ruditer explicarunt, Christus verò ipse perfectiùs docuit, sed Spiritus sanctus in die Pentecostes cumulatius multò atque perfectius adhuc explicuit, & cordibus Apostolorum impressit.

Actor. 2.

IV. Ratio. His accedit, quòd Apostoli, vtpote increduli, & imperfecti, Christi resurrectioni adesse non merebantur: idcircò prius quàm viderent; disponendi erant, & veluti per Angelos catechizandi, sicuti & per eosdem, homines dispositi, instructique ad incarnationem fide suscipiendam fuerunt. Satis autem fuit, locum corpore vacuum ostendere, & linteamina, & sudarium, sepulchri exuuias, posteà verò idem numero corpus exhibere spectandum, palpãdum, atque fruendum discipulis; quod perinde fuit, ac si ad cadauer resurgentis præsentes fuissent: quemadmodùm corpus Lazari oculis suis spectarunt, ac resurgere viderunt.

Ioan. 11.

Cæterorũ hominum inter, & Christi resurrectionem, quantum intersit.

Etsi autem nullus discipulorum huic tanto adstiterit mysterio; Angeli tamen, & animæ sanctorum Patrum, atque electorum omnium adfuerunt, qui possunt de eadem numero anima, suum corpus resumente, testimonium ferre. Magnum autem discrimen est inter resurrectionem eorum, qui siue olim tempore Heliæ, & Helisæi suscitati sunt, siue illorum trium, quos Christus à morte excitauit, & inter Domini Iesu resurrectionem: nam illi omnes ad vitã hanc morti, & laboribus, ac periculis obnoxiam redierunt. Primus autem Iesus ad immortalem, & gloriosam excitatus est vitam, vnde & primitiæ dicitur dormientiũ, & primogenitus ex mortuis.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

1. Cor. 15.

Coloss. 1. Christus resurrectionem vti suam comprobarit, & ostendit. *Ioan 20.*

Quod autem Dominus ad vitam immortalem, ac beatam surrexerit, ex Christi facto, ac verbis manifestè indicatur. Facto quidem, quia ab ostio monumenti clauso, & obsignato, subtilitatis dote vtens egressus est: sicut & postea ingressus est in cęnaculum ad discipulos ianuis clausis. Quia ergo reliquit monumentum clausum, indicauit se amplius non moriturum, nec ad monumentum reuersurum: Lazarus verò quoniam ablato lapide de monumento suscitatus est, & illi omnes, qui cum Christo surrexerunt, ad mortalem vitam comprobantur surrexisse, quia apertis monumentis surrexerunt, quasi iterum essent ad ea redituri.

Supr. 11.

Matth. 27.

II. argum. *Ioan. 20.*

Deinde, quia reliquit linteamina, & sudarium in monumento, quasi non egens amplius vestibus, cùm esset indutus gloria, & fortitudine præcinctus. Lazarus verò prodijt ligatus manus, & pedes institis, & facies eius sudario erat ligata. Quod pulchrè Gregorius Nyssenus oratione de resurrectione explicauit, ait enim: *Cæterùm quòd nudus Iesus absque linteaminibus resurrexit; significat, eum nequaquam posthac cibi, potusve, aut indumentorum gestaminis, atque operimento egentem in carne cognitum iri. Etsi id quod decretum, dispositum, ac destinatum erat, exequens & administrans, sponte sua se his rebus subiecit, vt qui eiusdem nobiscum naturæ particeps esset. Deinde significat etiam Adami in pristinum statum restitutionem, in quo nudus erat in paradiso, & non erubescebat.* Hæc ille.

Greg. Nyssen. orat. 2. de resurrect. paullò ante med.

Quid sibi velit Christi Domini absque linteaminib. resurrectio, teste Nysseno.

Genes. 3.

III. argum. Tertiò idem comprobauit ex eo quòd non versabatur vt prius, cũ Apostolis edẽdo, bibẽdo, dormiendo, sed aliquando tãtùm apparendo, interdum verò sinendo se

tangi,

tangi, quandoq; verò etiam cum illis eden do, præsentiamque suam continuò subtrahendo; quæ omnia sunt signa & argumenta vitæ immortalis. Secus Lazarus, qui semper, & ab omnibus videri poterat volentibus, ac non secùs cum eis, quàm prius faciebat, conuersaretur; cùm Iesus non omni populo, sed testib⁹ præordinatis à Deo, & ad breue tempus semper illis apparuerit. Idem etiam confirmatur ex eo quod in Symbolo dicitur: Tertia die resurrexit à mortuis: quod de eo potissimùm intelligitur, qui mortalitate absorpta non amplius erat moriturus, nec versaturus inter mortales. Dominus quoque suis verbis idem expressit, cùm dixit: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suā:* hoc est, in beatæ immortalitatis gloriam: & Apostolus, *Christus*, inquit, *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, ac Dilectus; *Ego sum primus, ac nouissimus; Et viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum; & habeo claues mortis, & inferni.* Magnam sanè suæ virtutis potentiam in resurrectione sui indicauit: maiorem, in hoc, quòd viuit in secula seculorum: maximam, in eo, quòd habet claues mortis, & inferni. Mortis quidem, quia non solùm corpus suum, sed etiam multa corpora Sanctorum, qui dormierant, secum resurgere fecit; Inferni verò, quia suā animam, & alias omnes sanctorū Patrum, & electorum, ab inferis, hoc est, à sinu Abrahæ liberauit. Sed iam ad modum, rationemque resurrectionis reuertamur: quam ex circumstantijs cæterorum quos Dominus suscitauit ad vitam, aliquo modo venari possumus. Vt enim filiam Archisynagogi non nisi ad parentis sui preces, & Lazarum ad luctum, & fletum sororum Mariæ, & Marthæ, & adolescentem ad matris lachrymas suscitauit; ita sanctissima illa Domini Iesu anima, sanctorum Patrum, atque electorum animis comitata per illud triduum fuit. Cæterùm illi omnes electi, ad benedictum semen, & corpus illud quod ictus, & liuores, ac totum penè belli pondus contra se sustinuit, magno videndi desiderio flagrabant: non secùs atque populus, qui equum, cui Rex insidens victoriam in bello comparauit, & triumphauit, cernere cupit. Peruenit igitur Dominus ad sepulchrum milite custoditum, & sigillo obsignatum, & præmissa prece à sanctis Patribus eius resurrectionem piè, & impensè postulantibus, quemadmodùm olim pro incarnatione etiam à Deo prædestinata precati sunt (nec enim prædestinatio orationes medias, aut opera nostra excludit) ad vitam reuocatus est. Et, vt quidam sancti viri meditantur, in hunc modum rogauerunt Patriarchæ his, vel similibus verbis, vt pium est credere: *Surge Domine in requiem tuam* (hoc est, in gloriam resurrectionis tibi debitam & iure filiationis, & quia ex obedientia militando illam comparasti) *tu & arca sanctificationis tuæ.* Per arcam sanctificantem Christi corpus intelligebat, in qua sicut olim fuit virga, & tabulæ Decalogi, & vrna mannæ, ita in Christi corpore, tanquam in arca fœderis, delitescebat diuinitas potentissima, atque fortissima, sapientia Dei imperscrutabilis, in qua legem tulit, & dulcedo diuinæ bonitatis, atque misericordiæ. Rursus canebant Sacerdotes: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius* (id est, dæmones capitales Christi hostes, & milites sepulchri custodes, ac Iudæi, de quibus subiungit:) *& fugiant qui oderunt eum a facie eius.* Prophetæ insuper præcinebant: *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti* (de humiliato scilicet exaltando) *& Synagoga populorum circumdabit te*: nam ad Christum suscitatum non solùm Apostoli dispersi, sed & mundi totius populi conuersi sunt. Inter alios verò Reges, Dauid modulatus est: *Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum:* nam ad limbo liberati sunt, in quo diuino egebant adiutorio.

Præterea Noui Testamenti Patres, vt Innocentes, Ioannes Baptista cum Zacharia eius parente, bono quoq; latrone accinebant: *Exurge Deus, iudica caussam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.* Iudæi siquidem dicebant: Si de cruce viuus non descendit, quo modo de sepulchro mortuus ascēdet? Angeli etiam se ad nostra accommodantes vota, & ipsi quoq; hoc opus vrgebant, & quasi amici dormientem Dominum excitabant, ac dicebant: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem:* id est, Obsecramus, ne resurrectionem in postremum diem differas: & sicut in vniuersali resurrectione Angeli congregabunt electos à quatuor ventis, ita in hac Christi capitis electorū omnium resurrectione ministrantes resumpserunt Christi sanguinē fusum, & capillos ablatos, & barbæ euulsæ pilos, cineres & ea omnia quæ ad Christi suscitandi integritatem spectabant. Christus tandem ipse preces ad Patrem fudit, exemplo Ionæ, qui in ventre ceti in typum Christi precatus fuerat ad Dominum, ac dixerat: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi*

Marginalia: *Actor. 10.* — *Luc. vlt.* — *Rom. 6.* — *Apoc. 1.* — Christus vt habeat claues mortis, & inferni. — *Matth. 27* — Quomodo Christus resurrexerit. — *Matth. 9. Ioan. 11. & seq. Luc. 7.* — Quale gaudiū animarū sanctarum, quas è limbo eduxerat, de Domino resurgēte. — Quibus verbis Patriarchæ Christi resurrectionem expeterent atq; postularent. — Arca sanctificationis, quænam illa. — *Num. 17* — *Hebr. 9.* — Preces Sacerdotum pro eodem beneficio impetrando. — *Psal. 67.* — Oratio prophetarum, inprimisq; regij Prophetæ. — *Psal 7.* — *Luc. 14. & 18.* — *Psal. 43.* — *Psal. 73.* — Preces sanctorum Angelorum. — *Psal. 43.* — *Matth. 24. Ion. 2.*

inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Spiritu enim prophetico nouerat se exauditum, & exaudiendum, eò quòd posset in ventre ceti viuere. Ad hunc modum Dominus dixit: *Conserua me Domine, quoniam speraui in te.* Et infra: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ* (more prophetico præteritum pro futuro ob certam prophetiam sumens, hoc est, fecisti, pro facies: ideo de futuro subiungit) *adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.* Dexteram dicit Patris, in qua Christus cœlos ascendens consedit. At quia Christus Dominus semper exauditus est pro sua reuerentia, & precatio tantorum Patrum, & sanctorum nō poterat repulsam pati apud clementissimum Deum, ac Domini IESV Christi parentem; propterea ipse respondet, dicēs: *Exurge gloria mea* (si quidem gloria patris est filius sapiens) *exurge psalterium, & cithara.* Dicitur Christus psalterium decem chordarum; eò quòd factus sub lege, legi per omnia paruerit, qui dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Nominatur quoque cithara, quæ resonantior est ac vocalior psalterio: quia legem Euangelicam, cuius sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eius, constituit, ac pronuntiauit. Atque hæc obedientia præstitæ legis Veteris, & Nouæ constitutæ, atque latæ promeruit resurrectionis exaltationem. Vnde Christus ad imperium Patris obediens subiunxit: *Exurgam diluculo. Cōfitebor tibi in populis Domine.* Quamobrem anima diuinitati vnita quasi in temporis momento virtute diuina, corpori eidem diuinitati vnita coniuncta est, assumpta tanta sanguinis effusi portione, quanta ad corporis gloriosi debitam proportionem ac decorem necessaria erat: confestimque anima gloriam suam corpori, quantum capax esse potuit, communicauit, donans illi immortalitatem, atque impassibilitatem, omnem debilitatem, infirmitatemq; eius absorbentem; & claritatem omnem obscuritatem, & capacitatem, qua natura sua corpus humanum est præditum, quantum opus erat ad corpus beatum, & gloriosum, tollentem; & agilitatem pondus superfluum aut grauitatem auferentē, & subtilitatem, qua posset omnia corpora penetrare: redditumq; est corpus gloriosum perspicuum, & clarum vt crystallum, & instar nubis serotinæ, & cæruleæ, quæ percussa Solis radio prorsus tota illustratur, & alterius instar Solis esse videtur. Quam nubis similitudinem Poëta eleganter videtur expressisse, cùm ait:

Psal. 15. — *Mos Prophetici sermonis.* — *Marc. vlt.* *Hebr. 5.* *Psal. 56.* — *Christus cur gloria Patris nominetur, item psalteriū & cithara.* — *Psal. 95.* — *Galat. 4.* *Matth. 5.* *Psal. 18.* — *Psal. 56.* — *Christi corpus gloriosum, quantum sanguinis effusi resumpserit in resurrectione.* — *Quale corpus Christi redditum fuerit resurgentis.*

> *Qualis cùm cærula nubes*
> *Solis inardescit radijs, longeq́; refulget.*

Tùm verò Christus mortis victor, & gloria circumdatus stetit supra sepulchrum, & exhibuit sanctis Patribus corpus suum spectandum, & vulnerum suorum cicatrices, quas pro illorum salute sustinuerat, exhibuit venerandas, & exosculandas. Illi verò venerabundi adorarunt eum, & gratias ei egerunt, dicentes: *Gloria tibi Domine, qui surrexisti à mortuis: cum Patre, & sancto Spiritu, in sempiterna secula, Amen.* Deinde comitantibus sanctis Patribus, crucem suam visitauit, & amplexatus est, more pugnatoris indicans quo loco, & quibus armis dæmones hostes suos capitalissimos debellauerit, & causam nostram, vt bonus aduocatus egerit, nobisq; omnibus, vt Crucem venerandam & adorandam ostenderet, vt quidam piè meditantur. Confestim verò Dominus Gabrielem Archangelū ad sanctissimam suam Genitricem filij resurrectionem summis votis sitientem, & veluti parturientem destinauit, qui ei illam annuntiaret. Ille verò reuerenter eam salutans, cui olim lætum, ac faustum incarnationis nuntium attulerat, alterum illo non minus salutiferum, & perfaustum annuntians, dixit:

> *Regina cœli lætare, Alleluia.*
> *Quia quem meruisti portare, Alleluia.*
> *Resurrexit sicut dixit, Alleluia.*

Sic enim fuisse salutatam, quidam reuelatum esse tradunt B. Gregorio. Certè Ioannes Naucletus non indiligens historicus, refert tempore pestis Romæ grassantis gestatam fuisse à B. Gregorio imaginem S. Mariæ Maioris, quam ferunt à Luca fuisse depictam, & aërem corruptum, atque pestiferum conspectum fuisse discedere ante imaginem, & auditas Angelorum voces clamantium:

> *Regina cœli lætare, Alleluia.*
> *Quia quem meruisti portare, Alleluia.*
> *Resurrexit sicut dixit, Alleluia.*

Cui hymno addidit Gregorius pro coronide:

> *Ora pro nobis Deum, Alleluia.*

Et vt olim in incarnationis mysterio post annuntiatam Filij Dei conceptionem, & consensum à Virgine prędtitum, quamprimùm virtute potenti, ac diuina in eius vtero Verbum caro factum est: ita modò consummata Angeli annuntiatione de IESV resuscitato, quamprimùm filius gloriosus è monumento ad eam venit, quam ingenti gaudio, ac ineffabili consolatione repleuit. Interimque Angelos misit, qui mulie-

Virg li. 8. Aeneid. circa fin. — *Pia quorundā meditatio.* — *Luc. 1.* *Archangeli Gabrielis ad Mariam Virginē de Christi resurrectione honorifica salutatio.* *Matth. 28.* — *Ioan. Naucl.* — *Luc. 1. & seq.* — *Ioan. 1.*

mulieribus se suscitatum annunciarent; vt mulieres interim & fide disponerentur ad dignum Christi conspectum, & vt interim ad discipulos amandatæ gloriam Domini testarentur, eosque ad cócipiendam fidem excitarent, ac dignos redderẽt, quibus se posset spectandum præbere. Nemini quippe prorsus incredulo, atque omni fide destituto pro sua sapientia apparere decreuerat, sed testibus præordinatis à Deo; quò nobis indicaret qui essent idonei testes ad Iesu resurrectionem prædicandam, & alijs narrandam, nimirùm qui fidei dono conspicui sunt, atq; in illa confirmati. Deinde, vt hoc facto indicaret, qui sint illi futuri, qui Christi glorificati præsentia in æterna vita sunt fruituri: non enim ad tantam gloriam euehentur, nisi qui fidei munere, atque eius operibus cumulati extiterint. Habes prudens Lector modum resurrectionis, qui nobis & Scripturis, & fidei, atque rationi visus est maximè consonus. Habes etiam locum, in quo peractum est tantùm mysterium, nẽpè in ipso monumento; quod ob magnitudinem Sacramentorum, quæ celebrata in eo sunt; à Propheta dicitur gloriosum: *Erit*, inquit, *sepulchrum eius gloriosum*, siue, *Requies eius cum gloria*. Reliquæ circumstantiæ de terræmotu, lapide reuoluto, custodibus externis, & Angelis apparentibus, suo loco explicandæ seruantur, quoniam hæc omnia Christi iam resurrectionem factam consecuta sunt: tantùm superest circumstantia temporis, quæ cum Domini resurrectione coniuncta fuit, quam hoc loco exponere, & integrè tradere, antequam ad Euangelica verba elucidanda accedamus, summoperè conducere existimauimus.

Actor. 10. Ad enarrandã alijs & prædicãdam Domini resurrectionem, qui sint apti, & idonei.

Psal. 11.

Primùm igitur agendum erit, quare in tertia die, & non in postremo iudicij, vt nos, resurrexerit Dominus; & quare in postremum diem, & non prius nostra resurrectio differatur. Deinde, quomodo sint isti tres dies computandi, cùm vix impleant duos dies. Tertiò cur Dominus die Dominica resurrexerit, ac quota hora Dominicæ diei: nam in his omnibus dulcis quædam est, atque vtilitatis referta philosophandi ratio. Ad primum igitur respondemus, non distulisse Dominum resurrectionem suam in postremũ diem magnis sanè de causis. Nam sicerat per Prophetas & præfiguratum, & prænunciatum: sic etiam ipsemet Christus suis verbis pollicitus fuerat: constat enim, cetum non nisi tertio die euomuisse Ionam in littus: sic etiam Iesum mors voracissima vitæ restituit tertio die. Prædixerat præterea per Oseam: *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Ipse quoq; non semel dixerat: *Filius hominis tradetur Principibus, &c. & flagellabunt eum, & occident eum; & tertia die resurget.* Accedit, quòd ipse erat primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis debebat esse, qui & primus tempore, & dignitate ad vitam immortalem resurgeret. Adhæc, expediebat ad fidem nostram erigendam, & spem nostram de resurrectione stabilendam, statim resurgere: alioquin perijsset fides, & dæmones, ac Iudæi verè triumphassent de Christo, qui dicere posset: *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Nam cùm in ipso esset plenitudo gratiæ, & charismatum, ac de eius plenitudine omnes essemus accepturi, debebat quamprimùm propter nos ad vitam reuocari; vt ita nos resurgeremus primùm in spiritu, deinde certa fide resurrectionem futuram corporum nostrorum apprehenderemus. Præterea corpus Christi cùm purum esset, nulloque crimine, aut originali, aut actuali contaminatum, non decebat in putrefactionem communem descendere, sicut scriptum est; *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* quare sicut pro nobis tantùm, & non pro se mortuus est, ita debebat, si non pro se, saltem pro nobis resurgere, vt nos media resurrectione ad fidem alliceret suam, & ad salutem nostram inuitaret. Amplius, Christus est singularis medicus, per quem omnes ab infirmitatibus sanandi eramus: quia (vt ait Lucas) virtus de illo exibat, & sanabat omnes, ipseque ad se omnes inuitabat, dicens; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos:* præsertim cùm non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Verùm quomodo ad Iesum possemus tendere, aut illi fidẽ haberemus, nisi magnum aliquod ipse sapientiæ, & virtutis suæ specimen edidisset? Nam etsi, quamdiu vixit, prædicabat, languida sanabat corpora, signa patrabat, mortuos suscitabat: sed hæc omnia, perfecta probatio sanitatis nostræ, vel corporis non erant, quia corpus suscitatum ad tempus tantùm durabat, & ad mortem iterum redibat; anima quoque à peccato sanata, in eadẽ peccata recidere poterat. Quare congruum fuit, Dominum Iesum opus insigne, & perfectum perficere, quo vtriusque perfectam demonstraret sanitatem. Quod præstitit, se ipsum ad vitam gloriosam, & immortalem suscitando: nam corpus morti obnoxium amplius esse non potuit, sicut nec

De tempore Dominicæ resurrectionis.

Quare Dominus resurrectionem suam in postremũ diẽ iudicij, vt nostram, non distulerit.
I. Ratio.
Ion. 2.

Osea. 6.
Matth. 16.
Infra 17.
Infra 20.
Infra 26.
1 Cor. 15.
Colos. 1.
II. Ratio.
III. Ratio.
Psal. 29.
Ioan. 1.
IV. Ratio.
Psal. 15. & Actor. 2.
V. Ratio.
Medicus noster Christus.
Luca 6.
Matth 11.
Actor. 4.
Quare Christi opera ad perfectam probationem sanitatis nostræ minimè sufficerent.
Rom. 6.

cut nec ſpiritus peccato ſubiacere poterat. Indicauit quoque diuinitatis ſuæ potentiam; dum, immoto ſaxo ingenti, & ſigillo Pilati obſignato, & ſepulchro cuſtodibus munito ſeipſum excitauit. Vnde petentibus ſigna Iudæis, ſignum Ionæ offerebat Prophetæ, tanquam ſummæ argumentum potentiæ: & apud Ioannē dixit, *Soluite templum hoc; & in tribus diebus excitabo illud.* Chriſtus igitur tertia die ſurrexit à mortuis, vt præfiguratum fuerat in Iona, & prædictū à Prophetis, & à ſe ipſo promiſſum fuerat; vt in triduo mors vera comprobaretur, & vt triduo illo mortis placaretur beata Trinitas, cordis, linguæ, & operū offenſa peccatis, atque irritata; reconciliaretq; trium legum homines, Naturæ, Moyſi, & Euangelij; ac reſtitueret animæ noſtræ ſpiritualem Fidei, Spei, & Charitatis trinitatem, ac promitteret alteram ad remunerationē illius, nempè viſionis, comprehenſionis, & fruitionis triadem.

Matth. 27. Sup. 12. & 16. Ion. 2. Ioan. 2. Matth. 26 Iona 2. Matth. 16. Infra 17. Infra 20. Infra 26.
Cur tertia die ſurrexerit Dominus.

Tradunt Hebræorum magiſtri in Commentarijs, quæ magna Geneſis vocantur, tribulationes, & res aduerſas ſæpè triduo definitas eſſe; vt Oſeas dixerit: *Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos,* & Ioſeph ad fratres (quos per triduum cuſtodiæ tradiderat) eductos de carcere dixit; *Facite quæ dixi, & viuetis:* & Ionas fuit in viſceribus terræ per triduum: & in libro Eſther, *Die tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, &c.* Et hanc diei tertiæ prærogatiuam adſcribunt myſterio diei tertij, quo lex è cœlo data proditur Exod. 19. Aut quia Abraham ſacrificaturus Deo filium, memoratur oculos ſuſtuliſſe, Geneſ. 22. Sed certè hoc factum eſt propter auſpicatiſſimam lucem tertiam, qua vita noſtra Chriſtus ex mortuis reſurrexit.

Tribulationes & res aduerſæ in Scripturis, ſæpe triduo terminantur. *Oſeæ 6. Gene. 42. Eſther. 5.*

At vero quòd nos non tertia die reſurgere habeamus, ſed in nouiſſimo die, teſtantur Scripturæ ſacræ, vt Iob, Dominus apud Ioannem, & Apoſtolus in priori ad Corinth. vbi fit mentio de nouiſſima turba. Et Matth. 24. vbi ſimul reſurrectio, & iudicium vniuerſale ſtatuuntur.

Vnde conſtet, nos non tertia die, vt Chriſtus, ſed in nouiſſimo die ad vitam reuocandos. *Iob. 19. Ioan. 6. & ſeq. Inf. 11. 1. Cor. 15.*

Etſi enim animarum à peccato reſurrectio quotidie fiat, & contingere habeat vſque ad iudicium, & poſt mortem animarum à maculis purgatarum glorificatio (nam profectò maximum detrimentum adferret eiuſmodi dilata gloria) non tamen expectata corporum reſurrectio nimium grauare valet. Cuius dilationis rationes non contemnēdas aſſignat quidam præclarus Doctor. Prima eſt ſeueritas diuini iudicij, quo pœnam incinerationis inflixit corpori peccantis, cùm inquit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* ſicut pœnam priuationis viſionis Dei vſque ad aduentum Meſſiæ animis comminatus eſt. Huius autem iudicij ratio exiſtit, quia omnes ſimul in vno Adā peccante peccauimus.

Quare vſque in diem iudicij corporum noſtrorum ſit dilata reſurrectio. *Bonauen. in 4 diſt. 43 q. 3.* I. Ratio. *Geneſ. 3.* *Rom 3. & 5.* II. Ratio.

Secunda à merito fidei ſumitur: multùm enim nos in credenda corporum reſurrectione promeremur, qui belluis haud abſimiles in moriendo videmur. Nam ſi illud experimentum reſurrectionis ad vitam immortalem videret homo, meritum non haberet ſanè, quia humana ratio ſibi præberet experimentum. Tertia, à bonitate corporis myſtici ſumitur. Cùm enim omnes vnum corpus ſimus in Chriſto, neceſſe erat, vt quantum ad aliquam gloriam omnes ſimul reſurgamus: non quidem ad illam animi, quia maximum eſſet damnum, & magni momenti: ergo quantum ad gloriam corporis. Quòd ſi argumenteris; Heliam, Henoch, & Ioannem Euangeliſtam expectare gloriam animorum & corporum ad diem vſque iudicij: Reſpondet Antoninus ex ſententia Ioannis Dominici Cardinalis, quod non niſi gloriam tantùm corporum expectant, vt alij, non animarum, quæ iam beatæ videre Dei faciem creduntur.

III. Ratio. *1. Cor. 12. 2. Reg. 2. Geneſ. 5.* *B. Anton.* Henoch, Helias, & Ioānes Euangeliſta, quam gloriā expectent. IV. Ratio.

Quarta ratio, in ſubſidium infirmitatis noſtrę tendit: quoniam ſancti dum ſuis coniungi corporibus cupiunt, vehementius quoque noſtram deſiderare ſalutem compelluntur, ſcientes quoniam non ſine nobis ſint conſummandi. Quinta ratio diuinam iuſtitiā reddit manifeſtam. Nam cùm nobis notum eſſe debeat, quāta Deus iuſtitia & malos puniat, & bonos remuneret; idcircò in nouiſſimum vſque diem poſtremum iuſtitiæ ſuæ opus diſtulit, vt omnibus hominibus notum fieret. Vltima ratio eſt, gloriæ conſummatio: nam quia adhuc Angeli viatores ſunt, quod ad miniſterium, quod hominibus præſtant, attinet: eritq; quandiu homines viuent, & gaudium ſemper ſecundùm multitudinem electorum excreſcit, non debebat perfecta gloria in aliquo ſingulariter conſummari, donec in omnibus ſimul conſummaretur. Et hæc de primo.

Hebr. 11. V. Ratio.

Ad illud verò, quomodo computandi ſunt illi tres dies, de quibus Dominus: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Multa equidem à Patribus præclarè & ſapienter excogitata ſunt, vt hunc nodum diſſoluāt. Cæterùm cùm Chriſtus Spiritu tantùm ad infernum deſcenderit, & per quadraginta horas ibi manſerit, vt colligit B. Auguſtinus, & in ſepulchro per 36. horas, vt teſtis eſt poſt Auguſtinum Beda; & cùm quadraginta

Dominicę reſurrectionis tres dies quę ratio computandi. *Matth. 12. & 16. Ion. 2.* *B. Aug lib. 4. de Trin. ca. 6. tom 3. Beda in cap. Matt. 12. 15.*

draginta horæ vix duos naturales dies impleant, quomodo verum erit per triduum in inferno mansisse? Adhæc vt demus locutum de diebus artificialibus, aliàs non dixisset, & noctibus, cùm in die naturali nox includatur, & per Synecdochen concedamus fuisse tribus diebus in corde terræ, quomodo verum esse poterit, quòd fuerit non solum tribus diebus, sed etiam tribus noctibus? Præterea, quomodo verum est quod dicitur apud Marcum: *Oportet filium hominis pati multa, &c. & post tres dies resurgere*: & apud Matthæum: *Recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam*; quomodo post tres dies, cùm vix duo elapsi fuerint? Demùm cùm duæ tantùm fuerint noctes, scilicet Sabbati, ac Dominicæ, & vna tantùm dies Sabbati, quomodo possunt dici tres dies? Quòd verò tantùm duæ noctes fuerint, & vna dies, nō obscurè indicat Augustinus lib. de Trinitate. Profectò hæc tam perplexa, ac tenebris inuoluta quæstio docto, ac diligenti aliquo indiget enarratore. Recitabo ego inprimis quid senserint Patres, & quid veritati, ac Dei verbo magis consentaneum esse mihi videatur.

Marc. 8.
Matth. 27.
Aug. lib. 4. de Trin. c. 3. to. 3

1. Opinio.
B. Ambr. lib. de interpel. c. 3 & 4.
Matth. 27.
Greg. Nyssen. orat. 1. de resurrect. circa med.
Matth. 26.

Prima igitur sententia est B. Ambrosij libro de interpellatione dicentis, illam eclipsim, quæ pendente Domino in Cruce contigit, computandam pro vna nocte, quæ fuit per trium horarum spatium à sexta vsque ad nonam. Idem quoque docet Gregorius Nyssenus Oratione de resurrectione Domini, his verbis: *Cuilibet*, inquit, *hoc perspicuum est, quòd oue vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit. Qui igitur dedit discipulis suis corpus suum ad comedendum, apertè demonstrat, iam perfectam, & absolutam factam esse immolationem, non enim ad edendum idoneum esset corpus victimæ animatum. Cum itaq; de corpore suo ad edendum, & de sanguine suo ad bibendum præberet discipulis, iam latenter pro potestate mysterium administrantis ineffabiliter, & inuisibiliter corpus immolatum erat, & anima illic erat, vbi eam potestas administrantis collocauerat, cum immixta sibi diuina virtute in illo loco terræ cordis obuersans. Igitur si quis ab eo tempore, ex quo hostia à Deo oblata est à magno Pontifice, qui suum agnum pro communi peccato ineffabiliter, & inuisibiliter sacrificauit, numeret tempus in corde terræ immorationis, is à veritate non aberrabit. Vesper enim erat, cùm comestum est illud sacrosanctum corpus: nox autem, quæ Parasceuen præcessit, vesperum illum excepit. Deinde dies Parasceues adscititia, atque superinducta nocte diuisus, pro vna nocte, ac diebus duobus computatur. Nam si tenebras Deus noctem vocauit; tribus autem horis super vniuersum orbem terrarum tenebræ fuerunt: hæc quæ circa medium diei nouo more introducta est, nox duas secturas dierum per sese circumscribit, ac definit: vnam quidem, ab diluculo ad sextam vsque horam; alteram verò, à nona ad vesperum vsque, vt hactenus noctes duæ, ac totidem dies sint: deinde nox, quæ Sabbatum præcessit, subsequitur; quam excipit ipse Sabbati dies. Habes dies tres, & noctes tres: quare mihi deinceps horam resurrectionis, & deprehendes vera esse quæ dicta sunt. Quando igitur hoc accidit? Vesperi Sabbatorum Matthæus clamat: hæc est tibi hora resurrectionis secundùm Euangelij vocem: hic est terminus Dominicæ in corde terræ conuersationis.* Hactenus ille. Cuius in verbis continentur multa non satis in Ecclesia recepta. Hanc eandem sententiam secutus est Procopius Gazeus sophista in cap. 12. Exodi, & ex recentioribus Faber Stapulensis in tractatu De triduo Christi, & confirmat illam testimonio Amos, qui ait: *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Et Christus apud Matth. inquit Apostolis: *Omnes vos scādalum patiemini in me, in ista nocte*, hoc est, in meridie me in Cruce pendente, in qua nox inducetur extraordinaria. Eò quoque Leo Pontifex respexit, cùm sermone de Passione ait: *Emittente Spiritum Christo, omnia elementa tremuerunt. Densis tenebris splendor Solis obductus, extraordinariæ nocti subdidit diem*. Hæc ille. Eusebius quoque ex Phlegonte Olympiadum computatore ait: *Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est, vt stellæ cælo visæ sunt.* Sed hæc sententia etsi à magnis viris tradita, non probatur tamen Hieronymo in cap. 2. Ionæ, & Augustino, qui lib. de Consensu Euangelistarum ob regulam Tyconij de Synecdoche, quam ait plurimùm valere in Scripturis intelligendis, illam reprobat. Eandem quoq; oppugnat B. Thomas. Deinde infirmatur hæc opinio, quia cum tribus illis horis nondum Christus expirasset, nondum erat anima eius in corde terræ, id est, in inferno, nec multò minus corpus in sepulchro conditum. Ad hæc Solis eclipsis noctis nomine venire non solet, nam quamdiu est Sol super nostrum hemisphærium, etiamsi sit corpus densum, ac opacum, nubium, vel lunæ ipsum nobis tegentis obiectu, obscuritatemque in terra efficientis, nunquam tamen nox propriè vocatur, nisi valdè metaphoricè, quo modò Leo Papa; & Eusebius ex Phlegonte noctem vocat, & Apostoli scandalum passi sunt in nocte illa de comprehensione Christi, quando relicto illo fugerunt omnes.

Matth. 28.
Procopius Gazeus.
FaberStapul.
Amos 8.
Quando occidetit Sol in meridie, &c. iuxta Prophetam.
Matt. 26.
Leo ser. 2. de pass. circ. med
Euseb. in chronico.
Hæc opinio refellitur.
Hiero tom. 6.
Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 24. tom. 4.
LeoPapa ibid
Euseb. ibid.
Matth. 26.

Secunda sententia est eiusdem Grego-

II opinio.

Greg. Nyssen. Ibidem. rij Nysseni iam in productis paullò ante verbis recitata, incipiētis primam noctem ab hora, qua Christus corpus suum tradidit Apostolis suis edendum, cùm die sequenti Veneris, & reliquis duabus noctibus, ac diebus illam consequentibus computat dies tres, & totidem noctes. *Rupert. Tuit. in c. Ionæ 2. Faber Stapul.* Rupertus verò, ac Faber initium sumunt ab eadem nocte, sed postquam cœnauit, & quādo pergens in hortum cœpit pauere, & tædere, & factus in agonia prolixius orabat, totumque se obtulit morti: & tunc Dominus apprehensione præuenit inferos, & orabat, Pater, si vis, transfer calicem istum à me; *Matth. 26. Luc. 22.* non illum passionis, quem in Cruce ebibit, sed illum, quem in horto secundùm animam iam potabat, ac eum deprecabatur. Et sic inuenies tribus noctibus Christum fuisse in corde terræ, id est, nocte diem Veneris præcedente, & Sabbati, & Dominicæ; tribus verò diebus, nimirùm Veneris Sabbati, ac Dominicę in noctem vsque, quando ab Apostolis credita *Rupert. ibid.* est resurrectio secundum Rupertum; quia dum nondum credebatur resurrectio, adhuc erat in corde terræ. Et sicut prior sententia terminabat tres dies, & tres noctes in nocte proximè Dominica lucis auroram præcedente, ita hæc terminabat tres dies integras, & tres noctes sine vlla Synecdoche in nocte consequente diem Dominicam, in qua Christus apparuit Apostolis; Faber verò terminat tres dies istos, & tres noctes in aurora, vel diluculo diei Dominicæ. Cęterum hic computandi modus multa obscura inuoluit, ponit enim per noctem, atq; diem Christum nondum mortuum iam esse in corde terræ. *Excluditur hic modus computandi.* Ponit etiam post resurrectionem Domini per vnā noctem artificialem ab aurora ad noctem Iesum fuisse in corde terræ: quæ inconueniētia magna sunt, & absurda, vt alia multa omittam.

III. opinio. Tertia sententia est quorundam non tantùm ex Latinis, sed etiam ex Græcis, quòd dies more Romano veniat computandus. Nam, vt dicitur in l. More Romano, ff. de ferijs, & in c. consuluit, de officio iudicis delegati, more Romano dies à medietate noctis incipit, & in medietate noctis subsequentis desinit. *Dies apud Romanos initiū vnde sumeret.* Quam rationem inchoandi sequuntur omnes Astrologi ad vnum, quòd hæc sit certior, & minus fallax computandi ratio, quàm sit à noctis principio in alterius principium noctis, vel à diei principio ad alterius diei sequētis initium. Hanc autem rationem si in hoc mysterio sequamur, apertè inueniemus tres dies, & tres noctes, per Synecdochen tamen. Prima dies, ac nox computanda est ab hora nona, qua Christus spirauit in cruce, ad mediam noctem Veneris proximè sequentis: at inde ad mediam noctem Sabbati inuenies alteram diem integram artificialem, atque integram noctem artificialem. At à media nocte Sabbati ad auroram diei Dominicæ inuenies sex horas pro nocte per Synecdochen, & aliquam particulam auroræ, quæ per Synecdochen suam quoque diem efficit artificialem. Maximè quia in quacunque regione sunt maiores, vel minores dies, quàm in alia: & inuenitur aliqua regio, vbi dies non constat nisi duarum horarum spatio, & per consequēs in opposita erit nox duabus horis tantum constans, iuxta situm ac distantiam ab Aequinoctiali: ita vt parua pars diei possit per Synecdochen accipi pro tota die. Hāc eandem diem inchoandi rationem sequitur Ioannes Archiepiscopus Thessalonicensis in sermone de resurrectione Domini, & concordia Euangelistarum; *Ioan. Archiepisc. Thessal.* vt intelligas Græcis Patribus non fuisse vsquequaque ignotam. Vult ergo, diem Dominicum initium sumere à septima hora noctis, & desinere in sextam noctis sequentis horam completam. Quod & ex sacra Genesi nititur ostendere, vbi dicitur: *Factum est vespere, & mane dies vnus.* *Genes. 1.* Cùm enim est punctus mediæ noctis completus, Sol sub terram means statim incipit illuminare partes Orientis, etsi nobis non appareat, & facit illud mane, quòd dicitur πρωι apud illos qui illic habitant; sicut apud nos mane fit citius, vel tardius pro appropinquatione Solis. Post medium ergo noctis, ait hic Pater, illucescente Dominica surrexit Dominus, hoc est, die tertia. Quòd si vrgeas, Hebræos à vespera in vesperam solitos celebrare Sabbata sua, cui fauere videtur illud Genesis: *Factumq; est vespere & mane dies vnus*: *Leuit. 23.* posset responderi, vel hunc morem non longè dissitum esse ab illo Iudæorum; nam vterque à nocte incipiebat; *Dies Iudæis, atq; nox quādo inciperet. Altera solutio.* verùm Iudæi à principio noctis, Romani à media nocte. Deinde dici potest, Iudæos illum morem Sabbatis commemorandis obseruasse: at in alijs negotijs peragendis, atque tractandis, maximè cùm iam subessent Romanis, & more, institutisque Romanorum, quantum ad negotia forensia, & ciuilia spectat, viuerent, mirum non esse, si in ratione computandorum dierum Romanis sese accommodarent. Adhęc addunt quidam, noctem Sabbatum consequentem geminam habere rationem: est enim diei præcedentis finis, vsque ad sextam horam, & sequentis diei Dominici prin-

principium per alias sex horas. Atque ita non erit difficile inuenire tres noctes. Et confirmatur sententia B. Augustini libr. 4. de Trinit. cap. 6. dicentis: *Nox vsque ad diluculum, quo Domini resurrectio declarata est, ad tertium pertinet: quia Deus, qui dixit de tenebris lucem clarescere, vt per gratiam Noui Testamenti, & participationem resurrectionis Christi audiremus; Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: insinuat nobis quodammodò, quod à nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum à luce in noctem; ita isti propter hominis reparationem à tenebris ad lucem computantur.* Origenes quoq; scribit: Ab origine mundi vsque ad resurrectionem Christi, dies noctem præcurrebat; in resurrectione Christi ordo iste immutatus fuit.

Aug. tom. 3.
2. Cor. 4.
Ephes. 5.
Origenes.

IV. Opinio.

Præter hanc tertiam, & certè non incongruam, imò subtilem enumerandi illos tres dies rationem, est & alia, quæ simpliciter asserit, per figuram Synecdoches intelligi posse tres dies naturales constantes ex tribus diebus, & tribus noctibus artificialibus, quibus vsus est Ionas, & Matthæus. Vnde ad numerum horarum, vel ad alias similes solutiones accurrendum non est, sed simpliciter per Synecdochen intelligendi sunt tres dies naturales eò quòd fuit in Parasceue, in Sabbato, & in Dominica in corde terræ. Sed dies Parasceue accipiendus est per Synecdochen in fine eius; dies Dominicus à principio eius per Synecdochen; Sabbatum verò sine vlla Synecdoche integrum inuenitur. Sic computauit Augustinus in loco paullò ante citato: & quomodocunque hic nodus dissoluatur, semper est necessaria dicta figura Synecdoches. Et confirmatur hic sensus ex Paulo, qui in prima ad Corinthios scribit, Christum surrexisse tertia die secùdùm Scripturas. Hoc etiam habet Symbolum Nicenum. Quid est autem dicere, Secundùm Scripturas, nisi secundùm sensum Spiritus sancti intelligentis illos tres dies, primum quidem & tertium per Synecdochen, intermedium verò integrum? nam & eadem ratione, & modo Ionas fuerat in ventre ceti, nempè ab hora nona Veneris, vsque ad auroram Dominicæ diei, in qua euomuit cetus Ionam in littus. Deinde comprobatur testimonio Patrum. Ignatius enim in primis epistola ad Trallianos scribit: *Ante verò Solis occasum de cruce depositus est, & sepultus in monumento nouo, Sabbato verò mansit sub terra in sepulchro, quo posuit eum Ioseph ab Arimathia, Dominica autem die resurrexit à mortuis, secundùm quod dictum est ab eo: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: Continet autem dies Parasceue passionem eius; Sabbatum verò sepulturam, & requiem; Dominica autem resurrectionem.* Hæc ille, colligens veritatem sententiæ Domini à die Veneris, Sabbati, ac Dominicæ. Idem ostendit Clemens Romanus lib. 5. Cõstitutionum Apostolicarum, ita dicens: *Sepeliturque ante Solis occasum in monumento nouo. Illucescente verò vna Sabbatorum, surgens à mortuis, præstitit illa, quæ ante passionem nobis prædicebat, quod oportebat Filium hominis in corde terræ per tres dies, & per tres noctes manere.* Hæc ille, eodem prorsus modo colligens tres dies, & tres noctes, atque B. Ignatius, nimirùm per Synecdochen. Accedit & B. Hieronymus in capit. Ionæ 2. qui edisserens illa verba, ait: *Finge aliquem hora nona egressum esse de mansione, & alterius diei hora tertia ad mansionem alteram peruenisse: Si dixero biduì eum fecisse iter, non statim reprehendar mendacij, quia ille qui ambulauit, non omnes horas vtriusque diei, sed quandam partem in itinere consumpserit: certè hæc mihi videtur interpretatio vera.* Sic Hieronymus pulchro exemplo rem illustrãs: nam & omnis quoque lingua vocat febres tertianas, quæ tertio quoque die recurrunt, ad cuius sermonis veritatem satis est, si vnum diem integrum intermittant ab accessione cessante in proximum paroxismum, siue ille terminetur mane, siue meridie, siue sub noctem, siue proximus rediens mane, vel meridie, vel vespere eum inuadat. Subscribit quoque Augustinus huic sententiæ non semel. Nam libro de Consensu Euangelistarum in hunc modum scribit: *Nam & ipsum triduum quo Dominus mortuus est, & resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo à parte totũ dici solet, recte intelligi non potest.* Et refutata sententia, quæ Eclipsim pro vna nocte computat, subiungit: *Restat ergo vt illo Scripturarum vsitatissimo loquendi modo, quo à parte totum intelligitur, inueniamus extremum diem tempus Parasceues, quo Crucifixus & sepultus est Dominus, & ex ipsa extrema parte totum diem, cum sua nocte, qui iam peractus fuerat, accipiamus: medium verò, id est, Sabbati diem, non à parte, sed integre totum: tertium rursus à parte sua prima, id est, à nocte totum cum suo diurno tempore: ac sic erit triduum.* Et ponit exemplum duorum Euangelistarum de transfiguratione scribentium, quorum alter dixit: *Et post dies sex assumpsit Iesus, &c.* alter verò: *Post hæc verba dies fere octo*: nam qui ita scripsit, per Synecdochen locutus est. Idẽ libro de Trinitate: *Ipsum autem (ait) triduum non totum, & plenum fuisse Scriptura testa est, sed primus dies à parte extrema totus annumeratus est; dies vero tertius à parte prima,*

Ion. 2.
Matth. 12.
Aug. ibid.
1. Cor. 15.
Symbolum Nicenum.
Patrum testimonijs confirmatur hæc opinio.
Ignat. epist. 5. nõ longe à fi.
Matth. 27.
Supr. 12.
Ion. 2.
Matt. 12.
Clem. Rom. lib. 5 const. Apost. c. 16. sub fin.
B. Hieron. tom. 6.
Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 24. paullò ante med. tom. 4.
Matth. 17.
Idem lib. 4. de Trin. c. 6. initio, tom. 3.

& ipse totus; medius autem inter eos, id est, secundus dies absolutè totus viginti quatuor horis suis, duodecim nocturnis, & duodecim diurnis. Idem quoque libro Quęstionum Euangelicarũ: *Quod enim dicuntur*, inquit, *decem menses praegnantis*, (Nam in libro Sapientiæ dicitur: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni interueniente*, & Poëta:

Idem lib. 99. Euang. q. 7. tom. 4.

Sapient. 7.

Virg. Eclog. 4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.)

nouem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur. Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit vnus Euangelista; alter verò post octo dies dicit: partem posteriorem primi diei, in quo futurum hoc Dominus promisit, & partem priorem nouissimi diei, in quo completum est quod promisit, pro totis, atque integris diebus annumerans; vt intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui verè toti, atque integri completi sunt. Adiungam & testimonium Euthymij in Matthæum, qui profectò non indiligenter, nec indoctè hanc soluit quæstionem. Ait enim: *Ex quo hora nona Parasceues mortuus est, numeratur primus dies Parasceue; secundus, Sabbatum; tertius, dies Dominicus, in quo incipiente diluculo, surrexit paullò antequam mulieres accederent: & connumerantur ipsius finis Parasceues, & Dominici principium. Quòd autem in exemplo de Iona dixit: Ita erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: de diebus quidem non est quod hæsitemus, iam enim enumerati sunt; de noctibus verò dicimus, quòd Iudæi ad tertium vsque diem sepulchrum munierant, videlicet ab ipsa Parasceue vsque ad diem Dominicum occidente Sole; ita enim decreuerant. Tertiam verò noctem absque munitione relinquebant: nam si etiam hanc expectasset, suspecta habita fuisset resurrectio: respondissent enim, quod ex quo intra tempus munitionis non resurrexerat; hac soluta, fide carebat resurrectio: furto enim sublatus erat, nullo custodiente. Itaque cum adhuc custodirent, resurrexit, omnem tollens contradictionem: & neque totum tertium expectauit diem, sed statim cùm inciperet, surrexit. Quòd enim intra tempus munitionis resurgeret, argui non poterat: quod si id postmodùm faceret, suspectum erat. Nam quod citius quàm sit constitutum, efficitur, potentiæ est; quod autem tardius, imbecillitatis. Etenim Rex quoque, qui ad certum diem beneficium quibusdam conferre promisit, si ante statutum diem beneficium eis conferat; non solum promissum compleuit, sed & aliam gratiam velocitatis addidit.* Hæc ille, meo quidem iudicio acutè, & eleganter. Resurgendo autem quamprimùm in

Euthym in c. 28. Matth.

Matt. 12.

Exemplum Euthymij.

diluculo auroræ tertiæ diei, etiamsi dixisset quod maneret tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ, apparere voluit; vt prospiceret primo incredulitati Apostolorum, ne dubitarent de promissa resurrectione, postquam tertia die nondum completa apparuit. Ostendit etiam amorem singularem erga illos suum, dum charitate premente surrexit ante tempus, quod existimabant à se præscriptum. Atque hæc videtur simplicior, communior, & veritati magis consona sententia. Quæ etiam ex eo confirmatur, quia aliud est dicere, Faciam hoc tribus diebus; aliud, Faciam hoc integris diebus tribus: nam ad primum satis est fuisse tres dies, siue integros, siue in parte: secus ad secundum, vnde illud: *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius*, & Matth. 16. & 20. & Luc. 9. & 18. semper dicitur: *Et tertia die resurget.* Quod igitur in contrarium ex Marci 8. capit. & Matth. 27. protulimus, *Post tres dies resurgam*, vbi Μετὰ τρεῖς ἡμέρας: aduerte præpositionem illam μετὰ, vt Apollonius Græcus autor est, non tantùm significare post, sed in idem, siquidem est μετὰ χεῖρας. & ἐν χερσὶν, & Hesychius μετὰ πλῆθος exponit, ἐν τῷ πλήθει. Significat etiam μετὰ, idem quod διὰ, id est, per, vnde μεταξὺ: ideò vertendum erat, per tres dies, vel in tertia die. Hinc Matthæus Euangelista vtitur ea præpositione, dicens: Διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι. Similiter & Marcus 14. capit. Præpositione verò ἐν, vtitur Matthæus ca. 27. καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν, & Ioannes 2. Et in tribus diebus excitabo illud, vbi habetur, ἐν τρισίν. Cùm ergo Marci 8. dicitur, post tres dies, vertendum, erat, in tertia die resurgam, vt habes eandem sententiam enarratam Matthæi 26. & Luc. 9. vt ita Marcus cum alijs consentiat; vel ita exponenda est sententia Marci per alios duos Euangelistas. Rursus ne Marcus sibi ipsi contradicat, ita est exponendus, vt diximus: quia Marci 9. & 10. apertè ait, Non post tres dies resurget, sed tertia die resurget. Neque potest saluum esse dictum eius, Post tres dies resurgam, interpretando post tertium diem exortum: quia Dominus in aurora, vel diluculo, non post diem exortum, surrexit, quandoquidem aurora non est post exortum diei, sed ante, aut in ipso exortu diei. Nec valet quod surrexit post tertium diem inceptum, vel post initium diei: quia durum, improprium, & inusitatum est, dicere, Veniam ad te post diem Dominicum, id est, die Dominico mane. Profectò in libro Leuitici scribitur: *Si quis post biduum ederit*

Matth. 12.

Osea. 6.

Apollonius.

Hesychius.

Matth. 26.

Leuit. 19.

ederit ex hostia pacifica; & profanus erit, & impietatis reus. Et subiungit: *Eodie quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero*: Ecce quo modo post biduum includit diem secundum, post triduum igitur includet diem tertium. Standum igitur priori solutioni, quæ cum cæteris Euangelistis consona est.

Quoto die Hebdomadæ surrexerit Dominus.

Ad tertium, quod duo continebat, nempè quoto die hebdomadæ, quotaq; illius diei hora surrexerit. Primum quidem facilè expediri potest, & id testantur Ignatius, & Clemens Romanus in locis paullò antè productis, fuisse diem Dominicam: id etiā profitetur Ecclesia in hymno, cū ait: Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus, Vel quo resurgens Conditor, Nos morte vita liberat. Sedulius quoque in opere suo Paschali, ait:

Ignat ibidē. Clem Romæ. ibidem. Sedul lib 4. oper. Pasch.

Cœperat intereà post tristia Sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primusq; videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Lactantius.

Et ante eum Lactantius in carmine de Resurrectionis Dominicæ die.

Salue festa dies, toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Genes 1.

Quo congruum fuerit, Christum Dominica resurgere die.

Congruebat autem hic dies eius resurrectioni, quia in eo prima creata est lux: vt igitur Dominus natus est in die Dominica, ita in eadem suscitatus, & regeneratus. Teste quoque Origene in Exodum, manna cœptum est donari post vnam Sabbati; at Christus suscitatus eo die, atque nobis in cibum sub specie panis porrectus, quid est aliud quàm verum manna? Hæc ille ferè. Eodem quoque die Spiritus sanctus datus est, qui manna est cordium, ac per quem homo renascitur. Eodem quoque die creditur mundus suscitandus, & ad iudicium diuini tribunalis sistendus. Meritò igitur nominari meruit dies Dominicus, à mundo in eo condito, & à Domino in eodem nato, & renato. Eodem quoque corpus mysticum Christi, hoc est, Ecclesia per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, quantum ad spiritum attinet, renatum. Postremò in eodem secundùm corpus regenerandum est in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ. Ideò magna veneratione dies Dominicus, in quo tanta Domini mysteria nobis repræsentantur, est colendus.

Orig hom. 7. in Exod 16 1 Exod 16. Act 2 Ioan 3. Coloss. Rom 5. Matth.19.

Qua hora Dominicæ diei Dominus resurrexit.

Greg hom.21 in Euang. in tom 2.

Verùm illud est multò difficilius, qua hora Dominicæ diei surrexerit. Gregorius Roman⁹ in homilia resurrectionis tradit Dominum surrexisse media nocte: & producit Samsonem, qui post ingressum ad meretricem, vt habetur in libro Iudicum, cum dormisset vsque ad mediam noctem, inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus & será, & alij adducunt illud ex Prouerbijs: *Et de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Verùm certè hæc figura non testimonio Domini roborata, vt illa Ionæ, ad quā nos mittit Dominus: & potius illud est referendum ad inferorum confractionem, sanctorumque Patrum expolitationem, si figura est Christi, quàm ad tempus resurrectionis. Ex figura etiam non adeò solidum ducitur argumentum, quia non in omnibus figura respondet figurato, sed in quibusdam tantum. Illud quoque ex Prouerbiorum libro desumptum, mysticum est: nam ad literam ibi mulieris coniugatæ, sed strenuæ, & diligentis laudes contexit, & inter alia adfert, quòd de nocte surgit, id est, ante lucem, vt cibum diurnum deputet domesticis, & operam distribuat ancillis. Vnde Septuaginta verterunt: *Dedit escas domesticis suis, & operam ancillis.*

Iudic.16. Prouerb.31.

Refellitur hæc opinio.

Figura in quibus debet figurato respondere.

II. opinio minus etiam probabilis.

Ambr.lib.10. in Luc.tom.5. Matth.28. Luc.23.

Adhæc Ambrosius in illa verba: *Vespere autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati,* inquit: *Non enim die Sabbati (nam siluerunt die Sabbato secundum mandatum) sed post Sabbati diem nocte vtique resurrexit.* Sic ille. Et sanè posset dici quod tertia nocte surrexerit, quia dies Hebræis incipit à nocte artificiali. Sed profectò, si veritatem amamus, Euangelistæ testantur tertia die resurrexisse, non, tertia nocte; & exurgam diluculo, non, vespere. Nec verba Matthæi allegata ab Ambrosio aliud significant, quàm noctem consequentem diem Sabbati, quæ terminatur in aurora diei Dominicæ, fuisse in qua Dominus surrexerit, vt infrà latiùs explicabitur.

Psalm 56.

III. opinio. quæ itidem improbatur.

B.Hieron. ad Hedib.q.3. tom.3.

Beatus quoque Hieronymus ad Hedibiam interrogatus quomodo surrexit in vespera Sabbati illuscente in prima Sabbati, cùm Marcus dicit: *Surgens Iesus mane vna Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ:* *Huius quæstionis* inquit, *duplex solutio est. Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Euangelijs, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus; præsertim cùm diuersa atque contraria Euangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, quòd vterque verum dixerit: Matthæus, quando Dominus surrexerit vespere Sabbati; Marcus autem, quando eum viderit Maria Magdalena, id est, mane prima Sabbati: ita enim distinguendum est. Cùm autem resurrexisset: & parumper spiritu coarctato inferendum, prima Sabbati mane apparuit Mariæ Magdalenæ:* vt qui

vt qui vespere Sabbati (iuxta Matthæum) surrexerat, ipse mane prima Sabbati (iuxta Marcum) apparuerit Mariæ Magdalenæ. Hæc ille, vbi videtur asserere, Christum nocte surrexisse. Eam distinguendi, ac pronuntiandi rationem sequuntur multi ex Græcis Patribus, & in primis Gregorius Nyssenus oratione prima de resurrectione Domini, Theophylactus, atque Euthymius in Marci caput vltimum: *Cùm autem surrexisset*, statim pone distinctionem; deinde lege: *Mane primo Sabbatorum apparuit primum Mariæ Magdalenæ*. Incertum est siquidem, quando surrexerit; quando autem apparuerit, certum est. Et Hieronymus ad Hedibiam: *Postquam Dominus resurrexerit hora qua ipse voluit; & quæ nulli mortalium cognita est, &c*. Idem quoque scribit Gregorius Nyssenus.

Greg. Nyssen. Theophylact. quæst. 6. Hieron. ibid. quæst. 6. Greg. Nissen ibid.

Sed contra hos omnes Patres habemus & Scripturas, & Ecclesiæ, & Patrum traditionem, nonnullasque rationes. Et rectè soluere possumus argumenta eorum, qui secùs sentiunt. Constat igitur primùm Christum surrexisse prima Sabbati, quia tertia die surrexit, sicut prædixit. Constat etiam quod resurrexit antequam venissent mulieres ad sepulchrum, & Angelus de cælo descenderit, qui dixit: *Surrexit, non est hic*: sed quanto tempore ante surrexerit, Scripturæ non explicarunt. Deinde ex sacris literis habemus, Christum in aurora, vel in diluculo diei Dominicæ surrexisse. Nam in primis in Osea habetur: *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*. Quibus in verbis primum explicauit diem resurrectionis, deinde partem diei, qua resurrexit, nimirum diluculum. Et quia vt Sol fulgentissimus in gloria, & claritate surrexit; idcirco non diluculi, sed quasi diluculi mentionem fecit. Deinde ad idem pertinet quod superiùs produximus: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara*: Et respondet Christus, *Exurgam diluculo*. Indicansque se in persona Domini locutum; subiungit: *Confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in Gentibus*. Pro eo quod habet: *Exurgam diluculo*, Hebræa vox habet: *Excitabo auroram*, id est, Efficiam, vt auroræ tempus, solitum præueniat, & Sol citius oriatur. Præterea Christus à Zacharia Propheta Oriens dicitur, ait enim: *Ecce ego adducam seruum meum Orientem*. Et infra: *Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Ecce vir Oriens nomen eius*, atque id concinit Zacharias Ioannis Baptistæ pater, dum ait *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*. Quibus in locis Oriens non est participium verbi, sed Solis Orientis nomen, hoc est, ἀνατολή, vt ex eo tempore indicaret Christum Solem esse diluculo orientem: non tantum quia ex vtero Virginis nascitur, quia tunc noctu nascebatur, vt qui ad noctem mortis properabat; sed tunc cum ex Occidente sepulchri mane resurrexit, vt qui tunc amplius tenebras non esset visurus. Prætereà ait Dauid: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo*: quod verbum Basilius exponens, ait: *Quoniam diluculo resurrectio futura erat, &c. Victoriam contra mortem die tertia matutina confecit*. Adhæc hoc fuit in Iona præfiguratum: nam eiá pisce in littus eiecto dicitur: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquar ad te*. Dies ergo erat, nam noctu non poterat ambulare. Niniue verò ciuitas magna, mundus hic est, in quem Christus rediuiuus rediit, vt omnes ad salutarem pœnitentiam sua sanctà prædicatione cohortaretur, quemadmodum Apostolos ad prædicandum in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gẽtes misit. Quemadmodum Ionas antequam deprehendatur, oritur tempestas, turbatur cœlum, & nauem quatiunt procellæ, & Ionas dormit in interioribus nauis: id est, antequam descendat in ventrem ceti, tempestas illa maximam commotionem passionis tempore in Iesum ortam significat. Turbatio cœli, tenebras, & Solis obscurationem: sæuitia procellarum, terræmotum, & lapidum scissionem: dormitio profunda Ionæ in naui lignea, mortem Christi in ligno Crucis: descensio Ionæ in cetum, descensionem Domini ad inferos: & mora illa in ceto per tres dies, & tres noctes, moram Christi in inferno designat. Hæc est etiam fides Ecclesiæ, quæ canit: *Aurora lucis rutilat, Cælum laudibus intonat*, & quæ sequuntur. Clemens Romanus libro Constitutionum Apostolicarum: *Illucescente*, inquit, *vna Sabbatorum, surgens à mortuis præstitit illa, quæ ante passionem nobis prædicebat; quòd oportebat Filium hominis in corde terræ per tres dies, & per tres noctes manere*. Idem cap. 20. *Ipsoque crucifixo & suscitato illucescente die Dominico impleta est Scriptura quæ dicit: Exurge Deus iudicans terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus*. Et Sedulius ait, quòd initio irradiationis Dominicæ diei ortus est mundus, & Christus suscitatus. Adhæc Augustinus libro de Trinitate idem

Opinio auctoris. Matth. vlt. Luc. 24. Osea 6. Psalm. 56. Zachar. 3. Infrà 6. Luc. 1. Psalm. 45. Basil. in Psalm. 45. Ion. 3. Niniue ciuitas magna quid præfiguraverit. Luc. 24. Ion. 1. & seq. Matth. 27. Clem. Rom. lib. 5 const. Ap. c. 16 circa medium. Matth. 12. Sedulius loco citato. Aug. lib. 4 de Trin. c. 6. to 3.

Chryſoſt. hom. 44. in Matth. tom. 2. idē aſſerit, & probat, ſicut Chryſoſtomus, atque alij innumeri Patres. Prætereà hoc apertè videtur teſtari Marcus, qui in fine Euangelij ait: *Surgens autem Ieſus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*: manè ergo, non noctu: nam vt veſpera tribuitur nocti, ita manè diei. Ac vt Chriſtus moriens, & ſepultus in veſpera, eam honorauit, ita manè ſua reſurrectione clarum, & illuſtre reddere voluit. Et Pſalmus 29. totus eſt de Chriſti reſurrectione, cùm dixiſſet: *Domine eduxiſti ab inferno animam meam: ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum*: ſubiungit, *Ad veſperum demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia*. Innuens quòd veſpera mortuus ſit, manè autem reſurrexerit.

Hieronym. Greg. Nyſſ. ibi Deinde violenta videtur illa diſtinctio, quam ſeruandam eſſe docent Hieronymus, Gregoriuſq; Nyſſenus; maximè cùm duo ſint aduerbia: & prius, hoc eſt, manè, poſſit iungi verbo præcedenti; hoc eſt, illi participio ſurgens, ſiue, vt Græcè dicitur, cùm ſurrexiſſet; alterum verò aduerbium primo, manifeſtè adiungitur cum verbo apparuit: alioqui manifeſtæ offunduntur tenebræ apertæ lectioni. Alia præterea diſtinguendi ratio omninò incertam nobis reddit primam apparitionem: quia eſſet ſenſus, mane prima Sabbati apparuiſſe primùm Mariæ Magdalenæ: quibus verbis non exprimeretur quin prius antequam eſſet mane, apparere alteri potuerit, præſertim ſi ſurrexit media nocte.

Præterea congrue dies æternitati glorioſorum corporum tribuitur, incipere cum aurora: reſurrectio enim Chriſti, eſt initium vniuerſalis noſtræ reſurrectionis, vt aurora totius diei. Et mane illuceſcente reſurgit Chriſtus, quia ſua reſurrectione ad lucem gloriæ inducebat: ſicut mortuus eſt aduelperaſcente, & in tenebras tēdente, quia morte ſua tenebras culpæ, & pœnæ deſtruebat. Adhæc illa hora mundi vniuerſi homines ſuſcitandi creduntur: quia eſt apta, & accomoda diei pars ad illuminanda abſcondita tenebrarum, & manifeſtanda conſilia cordium, vt teſtatur Apoſtolus. *1. Cor. 4.* Poſtremò dutum videtur, quod Chriſtus media nocte ſurrexerit, & quòd nulli tanto tempore apparuerit, vſque ad auroram: Imò ne ſuſpectam redderet reſurrectionis ſuæ fidem, non decebat noctu apparere; ne ficta, aut phantaſtica à quoquam exiſtimari poſſet eius reſurrectio. Veriſimilius eſt igitur, atq; Scripturis ſacris magis conſonum, & cultui Eccleſiæ, ac traditioni Patrum, quod in aurora diei Dominicæ illuceſcentis Chriſtus, vt lux prima ſuſcitandorum ſurrexerit, & premente eum charitate, ſtatim varijs, ac diuerſis modis, qui ab Euangeliſtis enarrantur, ad ſuos venerit, illoſque ſua præſentia ſit conſolatus.

Nec obſtant, quæ in contrarium adduci poſſunt: *Argumenta contrariæ opinionis diluuntur.* *Media autem nocte clamor factus eſt*, &c. *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet*, id eſt, quando minus putatur: *Matth. 25. 1. Theſſ. 5.* quia iſta omnia ad literam dicuntur de ſecundo aduētu ad iudicium, non de die ſuo reſurrectionis: nec ex parabolicis locutionibus, aut metaphoricis quæ faciunt ſenſum myſticum, licet aliquid colligere efficaciter.

II. argum. Matth. 28. Deinde non obſtat verbum illud Matthęi. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*. vbi inſinuari videtur noctu facta reſurrectio. Nam Græca lectio ita habet: Ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, Hoc eſt, ad literam, Tarde autem ea die Sabbatorum, quæ luceſcit in vnam, ſiue primam Sabbatorum diem. Nam illi articulo τῇ communiter reſpondet ἡμέρᾳ, ſicut alteri adiectiuo εἰς μίαν, ſupplendum eſt, ἡμέραν: articulus autē τῇ fœminini generis eſt, nec poteſt iungi cū aduerbio ὀψὲ, nec cū dictione Veſpere, quæ hic non habetur. Nec apte dicitur Veſperum luceſcere: nam Veſpera tempus eſt, cùm lux diei incipit deficere. Si ergo mulieres venerunt ea die Sabbatorum, quæ luceſcit in prima Sabbati, interdiù venerunt, non noctu, ſed ſerò & tarde, vt vngerent Ieſum, quia iam ſuſcitatus erat, & gloria immortalitatis, & incorruptionis vnctus. Et de dictione illa ὀψὲ edifferens Iſychius, ait: Ὀψὲ μετὰ πολὺν χρόνον ἢ βραδέως: quòd eſt, Illa vox Opſe ſignat, poſt multum temporis, ſiue tardè. *Heſychius.* Et Ambroſius in Lucam: *Denique Græcus ſerò dixit, hoc eſt,* ὀψὲ. *Serò autem & horam ſignificat in occaſum diei, & cuiuſque rei ſignificat tarditatem, quomodo ſi dicas, ſerò mihi ſuggeſtum eſt, id eſt, tarde. Serò venit, id eſt, qui poſt præſtitutum tempus aduenit. Licet mane ſequenti die venerit; ſerò eſt tamen, vbi agendi tempus emenſum eſt. Eſt & ſerò tempus noctis profundum; vt ſi dicas, ſerò ad lucubrandum ſurrexi, id eſt, non veſpertino tempore, ſed profunda nocte ſurrexi.* *Ambroſ. lib. 10. in Lucam. Exemplum.* Hæc ille, cuius ſententiæ ſubſcribens Hieronymus ad Hedibiam; *Hieron. ad Hedib. q. 4 to. 3.* *Mihique videtur* (ait) *Euangeliſtam Matthæum, qui Euangelium Hebraico ſermone conſcripſit, non tam veſpere dixiſſe, quàm ſerò: & eum, qui interpretatus eſt, verbi ambiguitate deceptum, non ſerò interpretatum eſſe, ſed veſpere. Quanquàm conſuetudo humani ſermonis teneat: ſerò non veſperum ſignificare, ſed tardè. Solemus enim dicere: Serò veniſti, id eſt, tardè: & quæ facere antè debueras, fac ſaltem ſerò, id eſt, tardè*. Hæc ille. Hoc igitur loco, ſerò, non tā ſignificat noctur-

nocturnum tempus, quàm tarditatem exequendi vnctionem:sed veriorẽ huius loci Matthæi interpretationem in tractatu sequenti referemus. Tertiò non suffragatur Ambrosio quod allegat de mulieribus profũda nocte venientibus, ex verbis Lucæ 24. quia ex Marco habemus, quòd manè,&orto Sole profectę sint mulieres. Porrò verisimilius est mulieres metu noctis, & custodum,& locorum defunctorum, quæ erant extra Ierusalem, venisse potiùs illucescente die, quàm profunda nocte. Nec quarto iuuat, quòd custodes dixerunt, discipulos eius nocte venisse, & furatos esse corpus Iesu ipsis dormiẽtibus; tùm quia est testimonium hominum dormiẽtum; tùm quia custodes terrẹmotu nocturno perturbati citò fugerunt, & vt ministri Principis tenebrarum, et in tenebris infidelitatis existẽtes sicut noctu positi sunt ad custodiam. Vt enim signa mortem eius subsecuta sunt, videlicet, terræmotus, & lapidũ scissio, ita resurrectionem consecutus est terrẹmotus vt posteà ostendemus. Neq; illi si maximè tempore resurrectionis locum custodiebant, Christum tamen resurgentem digni extiterunt videre. Quinto contendit Ambrosius ex illo verbo Ioãnis probare, quòd Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumẽtum. Respondemus enim quòd non erant tenebrę absolutè, alias quomodo manè, vel diluculo? repugnat enim quod mane esset, & tenebræ simpliciter, sed quòd tenebrę erãt ad, vel apud monumẽtum, vt solent in aurora domus, & loca muris obsita occupare tenebræ. Quod Græce apertiùs dicitur σκοτίας ἔτι οὔσης εἰς μνημεῖον, id est: Cùm adhuc tenebræ essent apud monumentum, vel iuxta monumẽtum. Et licet dicamus, quod venit cùm essent tenebræ; tamen oportet adiungere, vt ait textus, quòd venit mane, id est, nec perfecto die, nec perfectis tenebris, sed partim diescente, partim tenebrescente tempore: at hoc tempus diluculum, vel crepusculum dici solet, quod in die cõputatur. Est enim diluculũ, diei luculum; id est, parua lux, & crepusculum à crepero, id est, dubio, & incerto: quia incertum est an sit lux, vel an sit nox. Et hæc sint satis de quæstione proposita, atque adeo de hoc tractatu, quem hoc loco claudendum esse existimauimus, ad gloriam Christi in aurora Dominicæ resurgentis, cui cum Patre, & Spiritu sancto, omnis honos, gloria, & imperium sit sempiternum, Amen.

III. Argum. — *Marc. 16.* — IV. argum. *Matth. vlt.* — *Suprà 27. Infra 28.* — V. argum. *Ioan. 20.* — Diluculum quid sit. Crepusculum cur dicatur.

TRACTATVS VII.

De his quæ proximè resurrectionẽ Domini peractam sunt consecuta, in illa verba: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum. Et ecce, terræmotus factus est magnus.* Mat. 28. Marc. 16. Luc. 24.

AD Historiam resurrectionis pleniùs, & luculentiùs explicandam, vt difficultates, quæ in ea occurrunt, expedire valeamus, non tantum vnum Euãgelistam, sed vniuersos, imo etiã quæ Paulus tradit, cõsulere oportet. Diximus hactenus modum, & tempus resurrectionis Dominicæ: quã quia proximè consecutus est terræmotus, lapidis reuolutio, & custodum perterrefactio, merito de his in hoc tractatu erit disserendum: his vero expeditis, cõfestim apparitiones siue Angelorũ ad mulieres, siue Christi ad easdem, & ad Apostolos explicatè trademus. Incipit ergo Matthæus: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati.* Hac autẽ clausula, & Patribus veteribus, & posterioribus semper difficilis visa est, imo supra ex Ambrosio, Hieronymo, atque Gregorio Nysseno interpretati sumus, his periphrastice verbis noctem significare Dominicam lucem pręcedentem, in qua ab eis creditur Dominus surrexisse. Sed cum hoc sit à nobis superius late impugnatũ; propterea alia intelligentiæ ratio est à nobis proferenda, & textui, qui alijs Euangelistis, & veritati sit conformis, congruentior. Notandum igitur est, Græcam literã nonnihil à versione nostra variare, vt annotarunt Ambrosius in Lucam, & Hieronymus ad Hedibiam. Græca enim sic habẽt: ὀψὲ δὲ τῶν Σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν Σαββάτων: Vbi Latinus interpres in tribus à Græco fõte discrepare videtur, Primo in dictione, Vespere, quę Gręcè aduerbialiter ὀψὲ dicitur, & significat vespere vel sero, seu tarde. Deinde in dictione illa Sabbati; nam vtrobiq; pluralis est numeri apud Græcos. Tertio in dictione Primam, nam Græce in vnam dicitur: Itaque lectio Græca de verbo ad verbum reddita sic habet: Vespere autem, siue, sero autem Sabbatorum, quod lucescit in vnam Sabbatorum. Et si legamus Sero vel tarde, quemadmodum exponũt Ambrosius, & Hieronymus, & sic accepit hanc vocem Matthæus; cùm inquit: *Cùm autem serò factum esset, venit*

Per vesperam Sabbati, lucescentem in prima Sabbati quid signi ficare Matthæus signi ficauerit. I. opinio. — II. opinio. *Ambr. lib. 10. in Luc. tom. 5. Hierony. ad Hedib. q. 4. tom. 3.* — *Matth. 27.*

quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, &c. vbi serum vocat tempus noctis instantis, sicut Poëta quidam dicit:

Virg. 1. Georg.

Denique quid vesper serus vehat: vnde serenas
Ventus agat nubes.

Hoc ergo loco si sic sumatur Serò, significaret tarditatem aduentus fœminarum ad vngendum Dominum Iesum, quia ille iam ex mortuis vnctus gloriæ & immortalitatis dotibus surrexerat. At si legatur vespere, vt accepit interpres noster, ac reliqui Latini Patres, duplex surgit difficultas. Altera est, quomodo Matthæus in vespera Sabbatorum dicat venisse mulieres ad videndum sepulcrum, cùm reliqui dicãt matutino eas tempore adijsse sepulcrum? Deinde quomodo Matthæus ait, vesperam Sabbati lucescere in primam Sabbati: nam quomodo vespera dicitur lucescere, cùm potiùs noctescere, siue tenebrescere dicenda sit? Et similis locutio inuenitur apud Lucam, qui cùm descripsisset Dominicam sepulturam, continuò subiungit: Et dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat: Vbi idem est verbum, quod hic habetur, *q̃ lucescit, &c.* ait enim: καὶ Σάββατον ἐπέφωσκε, Quòd si illucescere est, noctem desinere, & diem exortu lucis fieri, vt ex se verbum ipsum significat; quare cũ præcessisset dies Parasceues, subdit: Et Sabbatum illucescebat; non enim Sabbatum, quod diem Parasceues consequebatur, à luce, aut diluculo, sed à vespera, vt notum est dicente Domino: *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Ad hæc luce Sabbati exorta nequaquàm contigerunt quæ apud Lucam sequũtur, sed vespera Parasceues, quæ Sabbati fuit initium, nam sequitur: Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumẽtum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: Quæ omnia non in Sabbato, sed in vespera Parasceues contigisse exploratum est. Apparet igitur, illucescere apud Lucam, phrasi quadam noua positum esse pro diẽ incipere, loquendo de die naturali 24. horas complectente, quæ secũdùm legem incepit apud Hebræos à vespera: vt sensus sit, Sabbatum illucescebat, id est, Sabbati dies iam aduentabat, iam aderat propè eius principium. Quod ob id dictum est à Luca; vt intelligeremus quare mulieres non expleuerunt suum in vngendo Iesu desiderium, quòd scilicet religio Sabbati iam incipientis eas prohiberet. In hunc modum si idem verbum Lucescere accipiatur apud Matthæum, nihil est absurdi, aut obscuri in eius sermone Vespera enim Sabbati, quę

Luc. 23.

Leuit. 23.

præcedentis Sabbati fuit finis, lucescere dicitur in primam Sabbati, quia principium fuit primæ diei Sabbati, hoc est, hebdomadæ, vel primæ diei post Sabbatum. Ac ne quis miretur fortasse nouum hunc loquendi morem, quo dies aliqua lucescere dicitur, cùm incipit, etiãsi à nocte incipiat; non est ignorandum apud Hebræos esse dictionem אזן Azon, quæ cùm est nomen, propriè lucẽ significat, aut manè, hoc est, principium diei, cùm verò est verbum, significat lucescere. Prætereà significat quoque principium noctis. Nam in libro Talmudico, qui Pasichim, id est, Panscharam inscribitur, in hac occurrit significatione. In principio enim, luce decimiquarti inquiunt fermẽtum ad lumen lucernæ. Vbi prima vox Luce, Hebraicè dicitur Azon, de cuius vocis significatione Talmudici Doctores rixosè decertant, & concludunt tandem, significare initium noctis, vt testatur Osiander: sed ita, vt eodem reste, causam huius significationis Azon (quæ vox propriè lucẽ significat) nõ videatur cognouisse. Cæterùm causa huius nouæ, & inusitatæ significationis esse videtur, quòd cũ à principio cõditæ naturæ dies inciperet à manè, iuxta illud: *Factumque est vesperè & manè dies vnus*: secundùm legis autem cõstitutionem dies inciperet à vespera; principium tamen diei suum retinuerit semper nomen. Vt sicut principium diei incipientis à manè dicebatur Azon; ita principium noctis à vespera. Et sicut illucescere dicebatur dies aliqua, quæ à mane sumebat exordium, ita etiam illucescere dicatur, cùm inciperet à vespera. Perinde ac si quis diem naturalem natiuitatis Christi, vel resurrectionis, qui more Ecclesiæ ab hora vespertina sumit exordium; dicat diescere diem natalis, aut resurrectionis; cùm diescere propriè significet, lucẽ in nostro fieri hemisphærio per exorientem Solem. Hoc est ergo q̃ Matthæus ait, In vespera, & fine Sabbati, quod principium fuit sequentis primæ diei hebdomadæ, cõuenisse mulieres, quæ Sabbato siluerunt secundum mandatum, teste Luca, ad videndum sepulcrum, & dicerentur Sabbato siluisse more Hebręo pro quieuisse, vt 1. Machab. 1: *Et siluit terra in conspectu eius* (Alexandri) quieuerunt ergo ab omni opere seruili iuxta mandatum Domini: & in die septimo silẽdum ab alijs & precibus cum Domino agendum, & verbo Domini vacandum, & prius opera præcepti facienda sunt, posteà verò ea quæ sunt consilij & supererogationis, & non è contrario pro nostra voluntate, & cõsilio, quod præposterũ est. Cui rei consonat quod Marcus

Azon Hebręis quid significet.

Osiander hæreticus.

Genes. 1.

Diescere, propriè quid significet.

Luc. 23.

Hebraismus.

ait:

od. 20. alibi. septimo, bus ... incumben... m.

ait: *Et cùm transiisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*: in vespera igitur conuenerunt vngendi Christum, & videndi sepulcrum gratia; non tamen adière sepulcrum vncturæ Dominum, nisi matutino tempore, vt ipsemet Marcus ait, cùm subdit: Et valdè manè vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole: & Lucas addit, secum detulisse, quæ priùs parauerant aromata. Verum nocte præcedenti, vt ait Marcus, emerunt aromata, & præpararunt, ac se ad matutino tempore sepulcrum inuisendum accinxerunt. Hunc autem mulierum ad sepulcrum accessum matutino tempore factum, Matthæus simul comprehendit cum ea mulierum congregatione quæ facta est, non illo matutino tempore, sed in vespere Sabbati, hoc est, noctis præcedētis initio, cum dicit: Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum. Vnde mox ea, quæ matutino tempore contigerunt, recēset, quando, vt testantur alij Euangelistæ, sepulcrum mulieres adierunt. Matthæus ergo cum prænotasset tempus, quo primùm mulieres conuenerant, eo animo vt viderent sepulcrum Domini; sicut breuitati studens prætermisit quid illa vespera fecerint, quòd tamen Marcus expressit; ita prætermisit illud explicare tempus, quo mulieres sunt ad sepulcrum videndum egressæ (quod alij Euangelistæ diligenter expresserūt) subijciens mox quæ contigerunt, cū ad videndum egrederentur sepulcrum, quasi illa vespere Sabbati contigerint, cùm matutino tempore alterius diei acciderint. Ex Matthæo ergo, & Marco colligimus, quando mulieres conuenerint, se seque ad vngendum corpus Domini parauerint: quo verò tempore exierint ad monumentum, concordibus ferè verbis exposuerunt Marcus, Lucas, Ioannes, Marcus dicens, *Valdè manè*: Lucas, *Valdè diluculo*, vel Græca litera, *Profundo diluculo*: Ioannes, *Manè cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum*: quæ omnia ad idem significādum videntur cōuenire. Hæc est meo iudicio egregia huius loci expositio: quam, ne quem sua laude defraudem, à Cornelio Iansenio, viro perfecto & docto, & pio, in libro de concordia Euangelica mutuati sumus. Non dissimulabo tamē, qua ratione hic nodus ab alijs dissoluatur. Igitur Augustinus li. de consensu Euangelistarum, per vesperam Sabbati illucescentem in prima Sabbati, per Synecdochem noctem intelligit mediam inter lucem septimam, & octauam, id est, inter Sabbati diem elapsum, & Dominicæ diem incipiē-

...c. 23.

Marc. 16. Luc. vlt.

Corn. Iansen. commendatio.

Alia solut. August. lib. 3. de consensu Euang. c. 24. to. 4.

tem: denominatur que illa nox à vespertino tempore, & diluculo eiusdem: ita tamen à vespertino, vt terminatur per diluculum. Perinde ac si dixisset Euangelista, Nocte autem Sabbati illucescente in vnam Sabbati: vespere enim in Scripturis pro nocte accipitur vsque ad diluculum, secundùm illud: *Factumque est vespere, & manè dies vnus*. Quanquàm Septuaginta interpretes nonnihil ab hac lectione dissidere videantur: ita enim habent: Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωῒ ἡμέρα μία: hoc est, Et facta est vespera, & factum est manè dies vnus. Vespera etiam apud Ethnicos summū manè, siue diluculum interdum significat. Nam Dio Cassius in vita Adriani Imperatoris, Georgio Merula interprete sub finem ita scribit: *Floruit etiam Cornelius Fronto, cuius in agendis causis primæ partes erant: hic aliquando peruesperi cùm à cœna domum rediret, audissetque eum, cui patrocinium quandoque pollicitus fuerat, causam agere, in veste cœnatoria, quam tum habebat, iudicium ingressus est, iudicesque salutauit, non dicens, Aue, quæ matutina erat salutatio, sed vespertino vsus verbo: Saluete, inquit*, Ex cuius verbis habes, non solùm quæ sit matutina, & vespertina salutatio, sed etiam peruesperi accipere pro summo mane: nam Vesper, siue Hesperus, stella est, quæ occumbente Sole se prodit, & item orientem Solem antecedit, vt eius nuntiatrix existat: qua ratione hoc loco commodè accipi posset. Quòd si vsus esset vocandi vesperum maturinum, sicut vocamus vesperum vespertinum; res planè esset perspicua. Quòd si etiā à media nocte in mediā noctem supputandus esset dies more Romanorum; nō esset difficilè intelligere, vesperam Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, esse partē noctis, hoc est, sex horas tenebrarum in Aequinoctio, quæ à media nocte Sabbati iam trāsacti incipiunt, vsq; ad auroram diei Dominicæ illucescentis. Atque ita explicauit hunc nodum Augustinus, qui lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 24. ita scribit: Quomodo ergo his tribus congruat Matthæus, qui nec diluculo, nec mane, sed vespere, ait, Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, attentiùs indagandum est. A parte quippe prima noctis, quæ est vespera, ipsam noctē voluit significare Matthæus, cuius noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Ea verò causa intelligitur eandem noctem se appellasse, quia iam à vespere licebat afferre aromata, transacto vtique Sabbato. Ergo quoniam Sabbato impediebantur, vt non ante facerent, ab eo tempore denominauit noctem, ex quo eis licere cœpit, vt facerent quæcunq; vellent tempore

Vespera in Scripturis qd significet. Genes. 1.

Dio Cass.

Aue, matutina erat salutatio, Salue, vespertina apud Gentiles.

Hesperus quid sit.

B. August. circa hæc verba Matthæi, Vespere autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati, cum alijs tribus Euangelistis conciliatio.

eiusdem noctis:sic itaque dictum est,vespere Sabbati,ac si diceretur,nocte Sabbati,id est,nocte, quæ sequitur diẽ Sabbati: quod ipsa verba eius satis indicant : sic enim ait: *Vespere autem Sabbati,quæ lucescit in prima Sabbati :* quod fieri non potest, si tantummodò primam noctis particulam, id est, solùm initium noctis intellexerimus, dicto vespere significatam. Neque enim ipsum initium lucescit in prima Sabbati, sed ipsa nox, quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est ; lux autem terminus totius noctis est. Vnde non potest dici Vesper lucescens in prima Sabbati, nisi nomine Vesperi nox ipsa intelligatur, quam lux terminat. Et vsitatus loquendi modus diuinæ Scripturæ est, à parte totum significare. A Vespere ergo noctem significauit,cuius extremum est diluculum. Diluculo enim venerunt illæ mulieres ad monumentum ; ac per hoc ea nocte venerunt, quæ significata est nomine Vesperi. Hactenùs Augustinus, satis eruditè, & concinnè concilians Matthæum cum alijs Euangelistis. Articulo igitur illi fœminino τῇ ἐπιφωσκούσῃ, quod superiore tractatu referendum duximus ad diẽ, hoc est, ἡμέρᾳ, possumus rectè supplere datiuũ casum noctis,scilic. νυκτί: quemadmodum verbũ εἰς μίαν debet intelligi ἡμέραν, id est,in primã hebdomadæ diem. Hic autem sensus videtur ex alijs tribus Euangelistis cõfirmari. Ait enim Marcus: *Et cùm transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome,emerũt aromata,&c. Et valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentũ.* Et Lucas: *Vna autem Sabbati valdè diluculo*, vel,vt Græcè habetur, *Profundo diluculo*, videlicet cùm multũ adhuc superesset diluculi,sicut aqua profunda vocatur, quæ multũ habet aquæ. Iterum Lucas ait, venisse mulieres ante lucem ad monumẽtum; vel vt Ioãnes inquit: *Vna autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent , ad monumentum,* &c. Nominauit igitur Matthæus diluculum illud à vespertino tempore,tum vt describeret certum diem , & certam horam: diem quidẽ,esse primam Sabbati incipientem à nocte præcedenti; horam verò,dicẽdo,quod illucescente die, hoc est, in diluculo eius. Deinde aduesperascit Sabbatũ, & prima Sabbati lucescit : quia gloriæ dignitas Sabbati trãsijt in Dominicam diem. Tertiò, vt non pugnent inter se Matthæus: & Marcus:hic quidem,dicens; *Et cùm transisset Sabbatum* ; ille verò, *Vespere autem Sabbati,quæ lucescit in prima Sabbati :* accipe quod per vesperam intelligi totam illam noctem vsque ad postremas eius tenebras, quæ terminantur in aurora, vel in diluculo primæ Sabbatorum,id est,Dominicæ diei. Nocte igitur illa emerunt aromata, vt ait Marcus; vt parauerunt, vt refert Lucas: paulò verò ante auroram, siue lucem proficisci ad sepulcrum cœperunt. Et hactenùs de primo verbo nobis sit dictum.

Vsitatus Scripturæ loquẽdi modus.

Marc.16.

Luc.vlt.

Ioann. 20.

Cur Matthæus diluculũ, quo mulieres ad sepulcrum Dominicum aduentabant, vesperam nominauerit.

Expenditur verbum illud: Vespere autẽ Sabbati, &c.

Quòd verò hic Græcè dicatur in plurali, Sabbata , & Marc. 16. in principio,vbi habetur: *Et valdè manè vna Sabbatorũ*, & Luc. 24.& Ioann 20. dicendum est,vel plurale capi pro singulari, more Scripturæ : vnde Marcus,qui dixerat : *Et valdè manè vna Sabbatorum*, posteà subdit, *Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene*, vnam Sabbatorum accipiẽs pro vna Sabbati : vel rursus intelligendum est Sabbatum in singulari, diem cuiusque hebdomadæ septimũ, & maxima religione venerabilem apud Iudæos significare; at Sabbata in plurali pro festiua Azymorum solẽnitate constante ex pluribus diebus festiuis, in quibus per septem dies pro sacrificio mactabantur victimæ, & azymis panibus vescebatur,accipiẽda sunt; maximè cum septimus dies tanta esset veneratione colendus, ac primus.Euthymius verò aliam rationem producit:scribit enim: *Hebræi Sabbatum honorantes, septimum videlicet hebdomadæ diẽ, etiam sex dies ipsum præcedentes in honorem eius Sabbata appellabant , nominantes diem Dominicum vnum,siue primum Sabbatorum,secundum, ac tertium,septimum diem, & similiter alios sequentes. Dicens ergo Matthæus vesperam Sabbatorum , finem significauit omnium Sabbatorum,siue septem hebdomadæ dierum & nos vesperam , aut serum diei dicentes , siue serum noctis , vltima ipsorum significamus. Finis autem septem dierum hebdomadæ non solùm ipsum propriè dicitur Sabbatum, sed ipsius Sabbati finis. Ne autem putes , quòd in fine ipsius Sabbati venerint prædictæ mulieres ad monumentum, sed in principio diluculi, addit: Quæ lucescit,hoc est,appetente iam die,prospectante,& oriente.Et sermonem magis adhuc explicans, adiecit : In vnum Sabbatorum.* Hactenùs Euthym. Theophylact. quoque : *Vespera*, inquit : *Sabbatorum eadem est cum profundo diluculo apud Lucam , & valdè manè apud Marcum.* Prætereà Stunica,vir in Hebræis literis eruditissimus,scribens in Erasmum , perdoctè notauit , nomen Sabbati apud Hebræos, quod hic citat Matthæus,in singulari poni. Siquidem שבתון non declinatur more Græcorum Σάββατον σαββάτου, sed perpetuò est indeclinabile apud Hebræos. Quare articulus Græcus appositus apud Ioannem, & Lucam , videlicet τῶν σαββάτων, vel abũdat, cũ minimè sit necessarius,sicut nec hoc loco habetur in vtraq; dictione : & Mar.16.

Frequens in scripturis pro plurali numeri singularis acceptio, & è contrario.
Leuit. 23.

Euthym c.64 in Matth.
Theophyl. in Matt.

Stunica.

Sabbatũ apud Hebræos perpetuò est indeclinabile.

dici-

dicitur cum articulo singulari, καὶ διαγινομένου τοῦ σαββάτου. Et cùm subdit: *Valdè manè vna Sabbatorum*, nullus est articulus. Et infra, cũ ait, ἀναστὰς δὲ πρωὶ πρώτῃ σαββάτου. Quare sicut superiùs ostẽdimus, errorẽ admissum fuisse in Græcis codicibus, in eo quod dicitur transisse Iesus torrentem Cedron, vbi Gręcè habetur τῶν κέδρων, pro eo quod dicẽdum erat τοῦ κεδρὼν, ita hic cùm dicendum esset μίαν σαββατὸν, accipiendo Sabbatum, vt vocem Hebræam indeclinabilem, corruptè addẽtes articulum pluralis numeri, dixerunt τῶν σαββάτων. Vnde interpres noster Matth. 28. & Ioan. 29. vocem Hebræam, vt singularem, vel cùm singularis numeri positã articulo semper cõuertit: nisi quod Marc. 16. vertit, Vna Sabbatorum. Atq; hoc maximè in Matthæo, qui Hebraicè scripsit, verissimum esse comperitur. Caietan. autẽ meditatur, nescio quid, nimirũ, quòd Sabbata in plurali dicantur dies septimi, quia illi soli semper erant Sabbata; Sabbata aũt in singulari, non solum diẽ septimum, sed etiã quẽcunq; diem festiuum, quacũq; die venerit, sic vocari. Et super Ioann. 20. caput annotat, Euangelistas omnes concorditer scripsisse, Vna Sabbatorum. Verùm profectò vtrumque falsum est. Nam Marcus iuxta Græcã literam bis meminit Sabbati in singulari: & Hieron. ad Hedibiã declarat per vtrumque significari idem prorsus, id est, diem Dominicum. Nã cum interrogasset, quomodo vespere Sabbati Maria Magdalena vidit Dominum resurgẽtem, & Ioannes Euangelista referat, manè vna Sabbati eam iuxta sepulchrum flere: Vna Sabbati, inquit, dies Dominica intelligẽda est: quia omnis hebdomada in Sabbatum, & in primam, & secundam, & tertiam, & quartã, & sextam Sabbati diuiditur: quã Ethnici idolorum, & elementorũ nominibus appellãt. Et infrà: *Nec putandum est, Matthaeum, & Ioannem diuersa sensisse, sed vnum, atq; idem tempus, mediæ noctis scilicet, & gallorum cantus, diuersis appellasse nominibus.* Hæc ille, pro eodem accipiens, Vna Sabbati, & Vna Sabbatorum: quanquàm Hieronym. suam retineat sententiam de resurrectione Christi in media nocte. Et hæc sint satis de secundo.

Lib. 10. in 6.
Ioan. 18.
Caietani sensus refellitur in voce Sabbati.
Caietan. in Matt. 28.
B. Hieron p. 4. tom. 3.
Ioann. 20.

Tertio loco explicandum, cur Euangelista dixerit iuxta Græcam literam, vnam Sabbati, & interpres verterit, In primam Sabbati? Dicendum est, Euãgelistam, phrasim Hebræam fuisse secutum, vbi vnum pro primo sumi solet, secundùm illud: *Factumque est vespere & mane dies vnus*, hoc est, primus. Atque ita esse accipiendum docet apertè Marcus cap. vlt. qui vbi dixisset: *Et valdè mane vna Sabbatorum*, Paulò pòst ait: *Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*, id est, prima die Sabbati, siue prima die Hebdomadę, vt rectè exponit Gregor. Nyssen. orat. de Christi resurrectione. Nec tantùm hæc phrasis Hebræis solis est familiaris, sed etiam Latinis; nam Poëta dixit:

Cur Euangelista dixerit iuxta Græcam literam, Vna Sabbati, & interpres verterit, In primam Sabbati.
Genes. 1.
Gregor. Nyss. orat. 2. de Christi resurrect. sub init.

Cadit & Ripheus iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.

Virg. libr. 2. Aeneid. circa medium

Et alter:

Iamq; tum cùm ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis.

Catul. Epigram 1.

Et Ecclesia:

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis;

Id est, prima, ac præcipua. Nos etiam lingua materna, cùm præstantem aliquem, & primarium virum significare volumus, illum vnicum dicimus.

Explicuimus iam illas tres voces. Sequitur: *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulcrum.* Quatuor sunt hoc loco explicandæ difficultates. Prima, qua hora istæ mulieres venisse dicuntur ad sepulcrũ, cùm constet Marcum dixisse, Valdè manè vna Sabbatorum orto iam Sole venisse? Secunda, quomodo verum est illas valdè manè, siue profundo diluculo, vt ait Lucas, vel manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, vt Ioannes refert; & tamen venisse orto iam Sole, vt ait Marcus? Tertia, quæ sit ista altera Maria, quam non expressit Matthæus? Quarta est de numero mulierum: nam Ioannes vnius tantùm mulieris meminit, nempè Mariæ Magdalenæ: Matthæus meminit eiusdẽ, & alterius innominatæ: Marcus meminit trium, nimirũ Mariæ Magdalenæ, Mariæ Iacobi, & Salomes: quartò B. Lucas plurimum meminit, quæ scilicet venerant de Galilæa cum eo, & ministrabant ei de facultatibus suis, nempè Ioannam, Mariam Iacobi, Magdalenam, & alias. Ad primo loco propositum dubium respõdemus, Si per vesperam Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, tantùm intelligimus noctis tempus, quod consecutum est diem Sabbati trãsactam, in ea quidem mulieres, vt tradit Marcus emisse aromata, & præparasse, ac se ad iter accinxisse; quod manè sequenti erant confecturæ. Quod verò profundo mane, siue diluculo profectę fuerint, ex alijs tribus Euangelistis desumendum est, & adiungendũ Matthæo, qui breuiùs, & parciùs in his videtur esse locutus. Si verò per vesperam Sabbati illucescẽtem in primã Sabbati, intelligamus noctẽ illam subsecutam diem Sabbati, non simpliciter, sed vt terminatur in diluculo sequẽtis diei iam illucescentis; tunc Matthęus idẽ ipsum

Marc. 16.
Luc. vlt.
Ioann. 20.
Qua hora istæ mulieres venisse dicuntur ad sepulcrum, cum constet, Marcum dixisse, Valdè mane vna Sabbatorum, orto iam Sole venisse.

quod

quod alij tres Euangelistæ dicunt, asserit, nec est inter eos vlla repugnantia: quanquã sit varia loquendi ratio ad vnum, & idem tempus designandum.

Quomodo venerint orto iam Sole mulieres, vt ait Marcus, cùm alij valde diluculo, & cum adhuc tenebræ essent, dicant accessisse.

1. solut.

Aug libr. 3 de consensu Euãgelistarum. c 24. tom. 4.

Ad secundo loco propositum dubium, quomodo venerint orto iã Sole mulieres; cùm alij dicant, valdè diluculo, vel profundo, & cùm adhuc tenebræ essẽt, ad monumentum accessisse? Dicendum, illud ꝙ Marcus ait, *Orto iam Sole*, non sic esse accipiendum, vt significetur, Solem iam esse in orbe conspicuum: nã sibi ipsi proculdubiò aduersaretur Marcus, qui etiam valdè manè venisse eas scribit; sed id tantùm significatur secundùm Augustinum, vbi de ortu Solis perfecto & imperfecto philosophatur: Imperfectè oritur, cùm in aurora, siue diluculo orbi se incipit prodere, etsi adhuc nobis sub terris delitescat; perfectè autem nobis oritur, cùm se nobis in seipso præbet spectandum: ac priori modo intelligendus est Marcus, cùm ait, Orto iam Sole. Eodem quoq; modo interpretatur Theophyl. scribens in Matthæum: *Solem eo loco intelligere debemus, matutinos Solis radios*: & Euthym. dicens: *Valde manè principium est diluculi.* Verũ si valdè manè erat, quomodo dixit orto Sole? Quia tunc propriè Sol oritur, etsi nobis nondum appareat, demoratus adhuc circa profundissimas, extremasq; Orientis partes, & paulatim exurgens, cuius testimoniũ est gallicinium. Nam galli primi inter omnia animantia sentientes illius calorem, repentè clamant, eiusq; præsentiam hominibus prænuntiant. Hæc ille. Ex qua solutione habes, hoc verbum, Valdè manè, non significare tempus matutinum, quãdo iamdiù cœpit, ita vt Sol incipiat sese ostendere, sed valdè manè matutinum tẽpus vixdum inceptum (vtrumque enim signare illud verbum tradit August.) vt ex Luc. & Ioann. colligitur, dicentibus fuisse profundum articulum, & adhuc viguisse tenebras. Præter hanc solutionem, adiungunt alij alteram, nimirum mulieres profundo diluculo ante Solis ortum, cùm adhuc tenebræ essent, exisse domo, & iter ad sepulcrum ex Bethania confecisse, secundùm aliquos, ex qua Bethania, quæ distabat quindecim stadijs, id est, per duo milliaria à Ierosolyma, profecta erat Magdalena: cùm autem eò cœpissent peruenire, iam Solem ortum fuisse; vel longitudine itineris impeditæ, vel quod fortè terræmotu, vt Matthæus ait, consternatæ, & pauefactæ alicubi delituerant, donec terræmotus remitteretur, aut cessaret. Atque hanc solutionem Bonauẽtura attingit. Tertiò soluunt alij hoc dubium, & maximè Petr. Rauennas Augustini discipulus,

Theophylact.

Euthym. loco citato.

Tob. 2.

Aug ibid.

II. solut.

Bethania à Ierusalem quantum distaret.

Matt. vlt.

Bonau in lib. medit. vitæ Christi.

III. solut.

Petr Rauen. ser. 82.

ab aureo dicendi charactere dictus Chrysologus: quod sicut in morte nox producta est per tres horas ob eclipsin Solis, & abbreuiata est dies Domino patiente, ita Sol resurgenti Domino exultans, & solito officiosior, ante scilicet primam horam sit exortus. Vt ita non inuicem pugnent valdè manè, & orto iã Sole: nam simpliciter valdè manè erat, si consulamus ortum Solis naturalem; at si Solis accelerationem supra naturam factam consulamus, erat simul Sol ortus, & profundum diluculum. Neq; mirum esse debet, cùm Christus sit & Solis, & diei, & Sabbati Dominus, vt ita noctem breuiaret. Quare Dauid cùm dixisset: *Exurge gloria mea, &c. Exurgam diluculo:* pro vltimo verbo Hebraicè habetur; *Excitabo auroram*, quòd est dicere, Præueniam auroram, & illam solito citiùs vt oriatur, excitabo. Dedimus huic secundo dubio tres solutiones; sed ita vt prima nobis videatur præstãtior. Id hoc loci expendendum est, Euangelistas diligentissimè tempus aduẽtus mulierũ ad sepulcrum perscripsisse, non tantùm vt illarum sedulitatem, & ardorem eas ad vngẽdum intempestiuè Dominum, vrgentem denotarent, sed etiam vt signarent orto iam Sole dicto modo tempus nõ fuisse incommodum veniẽdi ad monumentũ, ad quod tenebris profundis durantibus nõ fuisset commodũ accedere; & vt explicent tale fuisse tempus, quo fuerunt iuxta sepulcrum, vt quæ ibi agebantur, rectè vidisse, & retulisse credi possent; ne quis dicere valeat, eas per tenebras delusas fuisse, & spectra pro solidis rebus amplexatas.

Matt. 27.

Marc. 2.

Psalm. 56.

Ex his solutionibus, quæ præstantior videatur.

Ad id quod tertio loco propositum fuit, quænam illa sit altera Maria innominata, de qua loquitur Matthæus indefinitè: Respondeo, extitisse quosdam, qui putarunt fuisse B. Virginem: inter quos Sedulius noster in opere Paschali ita scripsit:

Virgo parens, aliæquè simul cum munere matres
Messis aromaticæ notum venere gementes
Ad tumulum, vacuumq; vident in corpore factum,
Sed plenum virtute locum.

Gregorius quoque Nyssenus in oratio. de Christi resurrectione idem affirmat, his verbis: *Atque altera quidem Maria; hanc autem Deiparam fuisse credere consentaneum est: quoniam nec à passione quidem absfuit, sed stabat iuxta crucem, vt Ioannes memoriæ prodidit, quam etiam decebat, ea, quæ ad gaudium pertinebant, annuntiare, vt quæ radix gaudij esset, ac preclarè audiuisset illud, Aue gratia plena, Dominus tecum.* Nicephorus quoq; Callixtus de altera Maria ait: *Dei verò genitricem esse, patri nobis prodidêre*

Quænam illa sit altera Maria, de qua loquitur Matthæus indefinitè.

Prima opinio, quæ refellitur multiplici ratione.

Sedul lib 4. oper. Paschal.

Greg. Nyss. orat. 2. de Christi resurrect. sub init.

Ioan. 19.

Luc. 1.

Niceph. Callix. li. 1. ca. 33. sub init.

libri. Hæc illi. Sed profectò hæc non solidè dicta esse videntur. Primò quia Matthæus cap. 27. dixerat: *Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria, sedentes contra sepulcrum*, videtur de illis eisdem locutus in hoc 27. cap. cùm ait: *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulcrum*. At Marcus cap. 15. explicat, illam alteram Mariam fuisse Mariam Ioseph, quæ aspiciebat, vbi poneretur corpus IESV: & illa erat eadem, quæ Maria Iacobi, & Ioseph mater. Deinde indignum valdè videtur, vt dum nominatur B. Virgo, illi præferatur Magdalena, quod est, seruam dominę, & filiam matri anteponere; cùm tamen constet ex Ioanne, illam primo loco nominari ante Mariam Magdalenam, & Mariam Cleophæ. (*Ioann. 19.*) Tertiò B. Virgo non erat verbis Christi incredula de resurrectione præstanda tertio die, vt erant aliæ mulieres; quare nec cum illis est connumeranda, quæ certa, constantiq; fide Christum rediuiuum expectabat, & cui cęteræ dicere poterant mulieres: (*Luc. 1.*) *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*. Quod autoritate B. Bernardi libro de passione Domini confirmatur. *Et fortasse propterea*, inquit, *illa mater, quæ plus habuit pietatis cum alijs ad vngendum, non venit corpus* CHRISTI *sepultum, quia frustrà putabat eum vngi, quem resurrecturum sciebat*. Hactenus ille. Quanquàm beatus Chrysostomus in Matthæum insinuare videatur, (*Chrysost. ho. 89. in Matth. to. 2.*) Mariam Iacobi, & Ioseph matrem filiorum, Iosephi sponsi Virginis intelligendam esse vxorem, quòd vxor cuiusque dici soleat mater filiorum illorum, quos vir suus ex alia suscepit vxore. Sed planè hanc expositionem bonis rationibus nixus Euthymius in Matthæum, (*Euthym. c. 67. in Matth. sub finem.*) his verbis reprobat, scribens: *Quidam itaque dicunt, quòd Dei mater est, quæ apud Euangelistas nunc quidem Iacobi, & Iose mater nominatur, quandoque autem Maria Iacobi, interdum verò Maria Iose: nam hi filij erant Ioseph: & quemadmodum Pater illorum vir eius dicebatur propter desponsationem, ita rursus ipsi filij Virginis. Verùm sermo hic absurdus videtur. Primùm siquidem quid prohibebat eam appellare matrem Iesu? præsertim cùm in præcedentibus narrationibus vt plurimum ita eam appellauerint. Deinde absurdum quoque foret in locis sequentibus vbique Magdalenam ei præponi, & ostendere illam fuisse Matre Dei feruentiorē. Vnde suspicamur, alteram quandam fuisse hanc Mariam, quæ mater erat Iacobi parui, & Iose, non filiorum Ioseph, sed aliorum, qui erant è septuaginta discipulis. Nam multa tales similis erant nominis apud Iudæos*. Hæc ille, & nos satis de hoc tertio dubio. Quod verò interpres vertit altera, quia Græcè habetur in vtroque loco Matthæi 27. & Matth. 28. ἄλλαι, & non ἕτεραι, alia & non altera, & quia plures erant quàm duæ, vt explicabitur, meliùs diceretur alia quæ de pluribus dicitur, quàm altera, quæ de duabus tantùm.

(*De numero mulierum ad Domini sepulcrum aduenientium, vt inter se Euangelistæ concordent. I solut. Mos Euangelistarum.*)

Ad quartum dicendum est, morem esse Euangelistarum, vt quæ vnus gratia breuitatis omisit, alter suppleat: numerus enim maior minorem includit; minor verò sine præcisione assignatus, hoc est, in quo non habetur aut solum aut tantum, aut quid æquipollens, maiorem neque negat, neque excludit. Ioannes igitur solus enarraturus Christi suscitati apparitionem Marię Magdalenæ factam, illius tantùm veluti insignioris mentionem fecit, tametsi in comitata minimè ad sepulcrum venerit; Matthæus verò duarum meminit, quæ expectabant corpus reponi in sepulcro: quia illę præcipuè inter se condixerant simul venire ad vngendum. Marcus verò addidit tertiam Salomen, quæ illis adiuncta est comes in via, vel quòd fortassis Magdalena vigilantior cæteris extiterit, vel prior sociam alteram Mariam euocauerit, cui postea adiuncta est tertia Salome, atque aliæ multæ de Galilæa. (*II. solut. Matth. 16. Exod. 20. Luc. 23.*) Posset etiam adiungi quod ait Marcus (& cùm transisset Sabbatum, in quo non licebat operari, & in quo siluerunt secundùm mandatum, teste Luca) tres illæ fœminæ emerunt aromata illo ipso die post Solis occasum, vt mane sequēti venientes vngerent Iesum. Venerunt ergo tres ad emendum aromata: sed mane facto duæ illæ, de quibus Matthæus, diligentiores extiterunt: quas postea secuta est tertia Salome cum alijs mulieribus, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. (*III. solut.*) Postremò dici potest, quòd vt illa apparitio Iesu facta Mariæ Magdalenæ, distincta est ab illa apparitione, qua apparuit duabus mulieribus euntibus ex mandato Angeli (*Matt. 28.*) ad nuntiandum alijs resurrectionem Domini: quibus eūtibus occurrit Dominus in via dicens ad eas: *Auete*. (*Ibid.*) Illæ autem accesserunt, & tenuerūt pedes eius, & adorauerūt eum: ita hæ duæ Iesu apparitiones distinctæ sunt ab apparitione Angelorum facta mulieribus, modò duabus, vt Matthæus, modò tribus, vt Marcus, modò pluribus, vt Lucas; vt suo loco copiosiùs dicemus. (*Marię Magdalenæ virtutes.*) Erat autem Maria Magdalena insignis sanctitatis, atque illustris fidei mulier, de qua cùm eiecisset septem dæmonia, (*Luc. 18.*) vnxissetque pedes, & corpus Domini in cœna, gestiebat vngere totum etiam corpus Iesu. (*Matt. 26.*) Maria Iacobi Christi erat matertera, tresque eius filios, Iacobum, Simonem, &

Iudam

Iudam in Apostolatu habebat. At Salome ex patre sic dicta, mater erat Iacobi, & Ioannis Apostolorum, vt tradunt Origenes. Erat etiam eodem gradu consanguinitatis CHRISTO coniuncta, atque Maria Iacobi; ac proinde CHRISTI quoque matertera: quanquàm Euangelium, vt alibi diximus, non soleat istam Salomen, aut filios eius inter propinquos Christi computare. Sequitur in Textu: *Videre sepulcrum*. Pro quo verbo habet Marcus, Vt venientes vngerent Iesum, & Lucas, *Venerunt*, inquit, *ad monumentum portantes, quæ parauerant aromata*. In his verbis duplex oritur dubium. Alterum est, quomodo finito Sabbato mulieres emerunt aromata, vt Marcus ait; cùm Lucas scribat, quòd in die Parasceues reuersæ parauerunt aromata, & vnguenta? Dicendum est, revera in die Parasceues conuētionem de emptione aromatum fecisse: sed quia Sabbato siluerunt, & vsæ sunt posteà aromatibus eo tempore paratis, dicuntur emisse, ac parasse: nam & fortassis ibi dimiserunt, vnde posteà numerata pecunia acceperunt, elapso scilicet iam Sabbato: ideò Marcus addit eas posteà emisse. Aliqui tamen dicunt, quòd bis parauerunt aromata, in die scilicet Parasceues, antequàm ingrederetur Sabbatum, & rursus alia plura emerint post elapsum Sabbatum: quia vel priora non satis esse videbātur, vel crescebat deuotio plura in Christi gloriam expendendi: atque ita illa nocte præparasse, ac die sequenti fuisse aromata parata, siue ante Sabbatum, & ante Solis occasum, siue post elapsum Sabbatum, & post Solis occasum.

Orig tract. 35 in Matt. in fi. to. 2.
Theoph. ibid.
Luc 24.
Quomodo finito Sabbato mulieres emerunt aromata, vt Marcus ait, cum Lucas scribat, quod in die Parasceues reuersæ parauerunt aromata & vnguenta.
II. solut.

Alterum dubium ex litera desumitur, sed extra literam, cur videlicet hæ mulieres solicitarentur emere aromata, cùm vidissent illam amplam, & largam vnctionem centum librarum myrrhæ & aloes à Nicodemo, & Iosepho factam? Caietanus existimat præ modestia mulieres illas non accessisse, nec vidisse corpus Domini. Quod minimè est verisimile, cùm Marcus dicat, mulieres aspexisse vbi poneretur corpus IESV, & Lucas asserat, quòd mulieres viderunt monumentum, & quomodo erat positum corpus Iesu. Quamobrem dicendum est, quod cùm corporum vnctio mortuorum esset consueta Iudæis, & fieret in honorem mortui, ne corpus eius putrescetet, ac fœteret, & in fidem generalis futuræ in nouissimo die resurrectionis, ob quam causam Maria impediri in morte metuens, alabastrum vnguenti effudit in caput recumbentis in signum sepulturæ; hinc hæ mulieres etsi vnctum scirent Iesum, vngere tamen volebant, & quælibet suam explere fidem, ac deuotionem erga Iesum, sicut accidit in accensione candelarum, quas quisque fidelis pro sua religione incensas altari offert, non tam ad lucem præbēdam, quàm vt declaretur animi deuotio, ac pietas. Amor enim non credit esse factum satis, nisi ipse faciat: vnde queritur Martha, quòd soror eius Maria non vt debebat ministraret. Præterea Nicodemus & Ioseph quia festinanter, instanteque vespera vnxerant, cogitabant fortassis non tam benè, ac diligenter vnctum fuisse, quàm illæ iudicabant esse vngendum: præcipitatæ enim actiones non tanta constant perfectione, quàm quæ maturè & sedatè pro ratione operis fiunt. Aromata verò, teste Theophylacto, & vnguenta, virtutem habebant desiccandi, humoremque corporis absorbendi, vt sic corpus diù durare posset. Quāquàm autem simplices fœminæ ignorarent corpus Iesu non esse corrumpendum, vel incinerandum, etiamsi mille annis in sepultura iacuisset, propter diuinitatis balsamum, quo erat summè vnctum, atque ei coniunctum, ac proinde ab omni actione naturali elementorum inuicem agentium, & ab omni extrinseco corrumpente prorsus immune, iuxta illud: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Et rursus. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Iesus tamen earum obsequium, & ministerium tulit acceptum, & quasi sibi impensum acceptauit. Voluitque vnctionem illam nō sibi, qui minimè egebat, sed infirmis, & pauperibus, qui eius sunt corpus mysticum, impēdi. At sicut vnctricem Magdalenam à Iuda reprehendente eius opus, & ab alijs murmurantibus defendit: ita has deuotas fœminas amplè remunerauit, primò quidem Angelorum alloquio, deinde apparitione prima eis facta; tertiò, in eo quod fecit eas Apostolas Apostolorum, ac tam læti, & fausti nuntij significatrices: quarto, quod singulari Spiritus S. solatio, & interiori vnctione eas, quæ tam officiosè, ac diligenter ad vngendum venerant, perunxerat priùs.

Ioann. 19.
Quoniam hæ mulieres ad sepulcrum vnctura Dominum venerint, cum à Iosepho & Nicodemo large perunctū non ignorauerint.
Caie. in Luc.
III solut.
Corporibus mortuorum vnctionem adhibere cur solerēt Iudæi.
Matth. 26.
Amoris proprium.
Luc. 10.
Theoph. in Marc.
Aromata, & vnguenta quā vim habeant.
Psalm. 15.
Actor. 2.
Psalm. 29.
Corpus Christi mysticum sunt pauperes, & egeni.
Matt. 26.
Pijs sanctisque mulieribus corpus suum vngere parantibus, qualem, & quam amplam Christus gratiam retulerit.

Illud porrò insolens, & minimè ferendum, quod Sectarij infirmitatem, & ignorantiam, atque incredulitatem tribuunt illis tribus Marijs, quæ venerant ad monumentum, vt Christi IESV corpus inungerent; vt propterea nec mortuū in sepulcro, nec rediuiuum inuenire promeruerint, quia sine mandato aromata cōparauerunt, quasi carnali cultui deditæ essent. Confert enim Melanchthō hasce Marias cum eis, qui volunt Domino ostēdere aliqua bona opera, & non

De his tribus Marijs Dominici corporis vnctricibus proinde sectarij quàm impiè & temere & sentiant, & loquantur.
In cap. 28. Matt.
Melanchthon quibus illas conferre non dubitet.

& non potiùs ab ipso accipere. Demùm Erasmus Sarcerius in Postilla Euangelij de Paschate, vocat eas cæcas, stultas, ridiculas, carnales, & infideles, quia sine verbo emerunt aromata, summo diluculo exierunt, ad monumentum Domini venerunt, de lapide reuoluendo contulerunt, & in monumentum ingressæ sunt; cùm tamen illud principium pro cultu inutili, & damnabili habendum sit, quidquid non est expresso Dei verbo institutum. Addunt prætereà, bonas illas matronas ab Angelo reprehensas, quoniam resurrectionis Christi mysterium nec intellexerint, nec obseruauerint. Verumtamen quis est tam cæcus, qui hanc hæreticorum calumniandi, & in deterius rapiendi libidinem non videat, ac non detestetur? Quæ enim Euangelium in laudem, & commendationem earum enarrat; illi audent reprehendere, & affingere illis quæ sibi libent, vt inde oblatrandi & subiurgandi sumant licentiam. Rationes quoque, quibus agunt, leuissimæ sunt, & falsæ. Aiunt enim pro damnabili cultu habendum, quicquid sit, quòd non sit à Deo præceptum. Sed vbinam in sacris literis hoc est vnquàm scriptum, cùm sacrificia multa Patrum legamus, & vota nuncupata, & grata habita, quæ ipse non præceperat; & tamen illa non solùm non erant damnabilis cultus, sed etiam vt sibi spontè promissa redderentur, exigebant? Prætereà tunc nullum expressum Dei verbum Euãgelicum, siue Apostolicum extabat, cùm nihil esset adhuc scriptum: quare meritò excusari poterant. Nam simili ratione Dominus Luc. 7. peccatricem vngẽtem à Pharisæi temerario iudicio, & Mariam Marthæ sororem à Iudæ murmurantis propter vnctionem excusauit, cùm dixit; *Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me.* Deberent etiam damnare illas sanctas matronas, quæ sectantes Christum de suis facultatibus illi ministrabant, cùm nullibi legatur illud sibi à Deo præceptum, aut à Christo suasum, sed sua voluntate exhibitũ. Deinde falsum est, illas fuisse incredulas, cùm nõdum articulus resurrectionis Christi ad credendum obligaret: & excusatione dignæ fuerunt, si excusati sunt Apostoli Petrus, & Ioannes, de quibus testatur Textus Euangelicus; *Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat priùs ad monumentum, & vidit, & credidit.* Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere. Falsum est etiam, prptereà illas Christum nec mortuum, nec viuum inuenisse, quia inuenerunt Angelos, per quos præparatæ, & dispositæ meruerunt videre

Eras. Sarcer.

Luc. 24.

Eorum rationes diluuntur.

Prima. In illud hæreticorum axioma: Quicquid non est expresso Dei verbo institutũ, pro cultu inutili, & abominabili habendum est.

Luc. 7. *Matt. 26.* *Luc. 8.*

II. Ratio.

Ioann. 20.

Iesum, & pedes eius tenere, & adorare. Falsum est etiam, quòd ingressę sunt in monumentum sine Dei mandato: quia Angelo hortante, & præcipiẽte sunt ingressæ, vt habet Textus. Postremò illud planè absurdũ, ac veritate minimè constans, Angeli verba, *Nolite timere vos: Scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis,* fuisse obiurgatoria, quibus reprehensæ sunt: nam potiùs fuerunt cõsolatoria, vt Patres, & præsertim Gregorius, & Beda testantur: nec his verbis magis obiurgatæ sunt, quàm cùm Gabriel dixit sanctissimæ Virgini, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium*; & alter pastoribus Bethleemiticis, *Nolite timere: Ecce enim ego euangelizo vobis gaudium magnum,* & cæt. Quare per omnia stultitiam suam, & malignam mentem produnt Hæretici ita in tractãdis Scripturis. Istæ autem matronæ simul venerũt; non tantùm propter honestatem commẽdandã, quam à Christo didicerant: nec tantùm propter maioris testimonij de veritate soliditatẽ, sed etiã propter tẽpus nocturnum, quo ambulaturæ erant extra ciuitatẽ ante lucem, & propter opus vnctionis peragendum, quod ab vna sola fieri commodè nõ poterat: in quo sanè singulare ediderunt amoris argumentum. Nam in vita sequebantur Iesum, ministrantes illi de facultatibus suis. In morte illi adstiterunt, illumq́ue deplorarunt: at post mortem, memores beneficiorum Christi, & vnctionis spiritualis, per Spiritum sanctum à Christo magnete tractæ sunt, & in odorem vnguẽtorum eius currentes venerunt ad monumentũ vsque. Rectè dictum est à Salomone: *Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustijs comprobatur*: Rectéq; ille cecinit:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Sic enim egerunt tres amici Iob, qui audita morte filiorum, & filiarum eius, venisse pariter feruntur ad consolandum eum. Cùm ergo Euãgelista ait, mulieres venisse ad vidẽdum sepulcrũ, minus dicit, & plus significat: quia volebant vngere Iesum, vt testatur Marcus, & Lucas ait venisse cum aromatibus, quæ præparauerant: quare antequàm vngerent, opus erat videre, si sepulcrum erat clausum, & obsignatũ, & custodia militum munitum, vel an possent milites reuoluere, vt ita vnctionis præstarent ministeriũ. Vnde subdit Marcus: *Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Fortes profectò fęminas se produnt istæ, atque magnanimas: non metuũt aut nocturno tempore ambulare, nõ sigillum Pilati frangere, quod erat crimen læsæ maiesta-

Matt. vlt. III. Ratio. *Ibid.*

IV. Ratio.

Greg. ho. 21. in Euan. to. 1. Beda in Mat. c. vlt. to. 5. Luc. 1. Infr. 2.

Quare simul mulieres ad vngendum Dominum accesserint.

Luc. 8. Infr 23. Ibid.

Earum erga Christum eximiæ charitatis argumenta non obscurè declarata, atq; ostensa.

Cant. 1. *Prouer. 17.*

Ouid. libr. 1. Trist. elegia 8.

Earundem virilis constantia, inuictumque animi robur ac firmitas.

maieftatis; non militum cuftodiam crudelium, nō contrectare corpus mortui, quod folet effe horrendum, & in lege prohibitū; non rabiem Iudæorum, qui excommunicationis fententiam in omnes, qui confiterentur illum, fulminauerant; tantùm de faxo reuoluendo erant folicitæ, & quòd ad reuoluendum erant vires fœmineæ longè impares. Sed profectò longè potens eft amor Chrifti, & nihil amanti indifficile. Potentiffima eft fides, de qua: *Omnia poßibilia funt credenti*: nam, *Si habueritis*, ait Dominus, *fidem ficut granum finapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis*. Et, *Nihil credenti impoßibile*. Et vbi nos præftitimus quod noftrum eft in his, quæ ad Dei gloriam operari cogitamus, Deus quæ fupra nos funt, pro fua immenfa bonitate fupplere confueuit. Viderunt enim lapidem Angelico minifterio de fepulcro fublatum. Quòd fi fortaffe animos, & vires habemus fœmineas, & operis boni difficultate reprimimur, perfeueremus in fide, & in amore, & omnia impedimenta, & obftacula per aliquem bonum Angelum nobis euanefcent.

Num. 19. — Ioann. 9. — Amanti nihil difficile. — Marc. 19. — Luc. 17. — Proprium qd humanæ bonitatis ac prouidentiæ.

Subdit iam Matthæus: *Et ecce, terræmotus factus eft magnus. Angelus enim Domini defcendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidem, & fedebat fuper eum.* Verbum, Reuoluit, Græcè eft ἀπεκύλισε, nō, deuoluit, vt Erafm. malè vertit, fed, auoluit, vel reuoluit, vel amouit: neq; enim faxa, quæ pro oftiolo monumētis aduoluūtur, intra fepulcra ipfa deuolui poffunt, aut folent, fed auolui potiùs, & amoueri. Quò pleniùs terræmotū intelligere valeamus, ambigua nonnulla proponemus. Primùm, cur folus Matthæus meminerit terræmotus: fecundū, quare furgente Domino factus eft terræmotus magnus, & an fuerit naturalis, an fupra naturam: tertium, an ante terræmotum, & lapidis reuolutionem, an poft illa furrexerit Dominus, an verò in terræmotu, & lapidis reuolutione: quartum, quis fuerit autor terræmotus, an Angelus, an Chriftus ipfe fine Angelo: quintū, an terræmotus effectus eft in præfentia mulierum, an ante illarum aduentū: poftremum, an fęminę monumentum fint ingreffæ, exiftētibus adhuc ibi cuftodibus, an verò illis vi, ac terrore, terræmotus metu fugatis, atque expulfis.

Inepta Erafmi interpretatio. — Contra Erafmum Roterodamum. — Sex dubitationes.

Quod attinet ad primum, refpondemus, folum Matthæum facere mentionem terræmotus in defcenfu Angeli de cælo, tum quia hoc proprium erat eius qui fcribebat ad Hebræos, qui hæc poterant in Scripturis agnofcere: fcriptum eft enim, *Terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicium Deus, vt faluos faceret omnes manfuetos terræ*: id eft, dum Chriftus refurgeret ad complendum mundi iudicium, quo princeps illius foras eiectus eft, & iudicatum eft pro falute manfuetorum terræ. Motus enim terræ, refurrectionis eft virtus, & apertio carceris illius, de quo nemo egredi poterat, quia nemo agnitus eft, qui rediret ab inferis: folus Chriftus, qui erat inter mortuos liber, fibi, & fuis dirupit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Et Aggæus, *Adhuc vnum modicum eft, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet defideratus cunctis gentibus*. Præterea hāc hiftoriam de fepulcro, & cuftodibus ipfe Matthæus cap. præcedenti cœperat contexere, quamobrē oportebat eum ad exprobrationem perfidiæ Iudaicæ abfoluere. Ad hæc Matthæus folus, quia terræmotus, qui in paffione acciderat, mentionē fecerat, par quoque erat, vt & eius terræmotus, qui contigerat in refurrectione, meminiffet.

Cur folus Matthæus terræmotus Domini refurrectionis meminerit. — Pfalm. 75. — Quid illud Prophetæ: Terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudiciū Deus. — Ioan. 12. — Sap. 2. — Pfalm. 87. — Aggæi 2. — Matt. 27.

Ad fecundam dubitationem: Non fuit ifte terræmotus ex vento calido inclufo in vifceribus terræ, & exire non valente, qui vt inde egrediatur, terram penetrat, ac perrumpit, fubuertitque ædificia, & plerumq; homines opprimit; fed hic à Deo immediatè per Angelum effectus eft, ad aliquid fignificandum, & repræfentādum. Et ideo magnus dicitur, non folùm quia à Deo magno, & Angelo miniftro eius magno effectus eft, fed etiam ad magnum quid portēdendum, nimirum Chriftum viuum effe, & delitefcere fub terra non valere. Iuftum quippe erat, vt terra præ lætitia tremeret, cùm Chriftus ex eius vifceribus victor peccati, mortis, inferni, ac diaboli prodiret: fpoliaque, atque trophæa pretiofa reportaret: vt cùm Imperator Auguftus Romæ triumphabat, omnia furfum, deorfumq; commouebantur, quod eleganter Poëta exprimens, dixit:

Maxima ter centum totum delubra per orbem
Lætitia, ludisq; viæ, plaufuq; fremebant.

Modò quoque in fignum communis gaudij bellica exonerantur tormenta. Et in aduentu Spiritus fancti factus eft repentè de cœlo fonus, tanquàm aduenientis fpiritus vehemētis. Magnus quoque fuit ad vindictam, terroremq; cuftodum: quod non obfcurè indicat Euāgelifta, dum poft defcenfum Angeli recenfet terræmotum factum, ad quem ftatim commemorat perterrefactos cuftodes. Quemadmodum enim tempore Oziæ Regis, qui Sacerdotale munus thurificandi fibi vfurpauerat, accidit terræmotus ad eius perterrefactionem: de quo terræmotu habes Amos 11. & Zachar. 14.

Quare furgēte Domino factus eft terræmotus magnus, & an fuerit naturalis, nec ne. — Virg. 2. Aeneid. in fin. — Actor. 2. — 2. Paral. 16.

Euthy. c. 68. in Matth.

& Iosephum libr. 9. Antiquit. cap. 11. ita hi custodes territi sunt. Vnde Euthym. scribit in hæc verba: *Terræmotus autem factus est magnus, propter assistentes sepulcro custodes, vt timore terræmotus erecti, & horrore aspectus eius (Angeli scilicet) qui lapidem reuoluerat, consternati fugerent, & hæc Iudæis nuntiarent, ac testes ipsi fierent veritatis: hæc enim maxime fulgere solet, quando ab inimicis suis prædicata fuerit.* Hæc ille. Magnus etiam, quia à centro terræ vsque ad eius superficiem motus ille factus est terræ; vt non solum de cœlo resurrectionis sit factum testimonium, sed etiam de inferno: quia multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & in testimonium Christi suscitati apparuerunt multis. Est & alia ratio ingens, nempè ad disponendum mulieres, & fideles ad hoc Christi suscitati Euangelium suscipiẽdum. Nam sicut in exitu Israel de Ægypto domus Iacob de populo barbaro, à facie Dei mota est terra, à facie Dei Iacob: montes exultauerunt, vt arietes, & colles sicut agni ouium, atque ita dispositi sunt ad legem suscipiẽdam; & in alio loco idem Propheta: *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto; terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel:* ita in passione factus est terræmotus, ad declarandum patienti Domino commiserationis affectum: propter quod multi reuersi sunt percutiẽtes pectora sua, & Centurio viso terræmotu cum suis dixit: *Verè Filius Dei erat iste.* Ita in resurrectione fideles lætari, & præ lætitia cordis debent gestire, & agnoscere CHRISTVM Filium Dei, & veram resurrectionem mortuorum. Dici quoq; potest respectu nostri terræmotum illum prægrandem fuisse, tum ex eo quod mortis Christi fides, & resurrectionis totũ permotura erat orbem, duraq; corda, atq; terrena per illam ad pœnitentiã commouenda. Vt de his non ineptè intelligatur illud: *Commouisti terram, & conturbasti eam:* sana contritiones eius, quia commota est. Deinde significat nobis, quod in resurrectione vniuersali futura præcedet terræmotus ingens, de quo Ezechiel scribit. *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa,* &cæt. Dauid quoque, *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris:* atque Ecclesia cantat: *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quãdo cœli mouendi sunt, & terra, dum veneris iudicare seculum per ignem.* Indicauit igitur hic terræmotus, Christi spiritum ingenti charitatis igne accensum, non potuisse retineri in inferno, sed inuitis dæmonibus erupisse: ostendit triumphum in eius egressu, & lætitiam, testimoniumque ex inferno se habere; incussit terrorem custodibus, disposuitque mulieres ad Christum suscitatum suscipiendũ, & illum Filium Dei agnoscendum; deniq; insinuauit per fidem tantorum mysteriorum, & per pœnitentiam nos interim salutariter esse commouendos, & in nouissimo terræmotum antecessurum magnum generalem omnium hominum resurrectionem. Vt ergo terræmot⁹ factus est post egressum animę à corpore Christi ad inferos, ita postquàm ad corpus regressa est.

Veritatis testimoniũ potẽs, & efficax.

Matt. 27.

Psalm. 113. Exod. 14.

Psalm. 67.

Luc. 23.

Matt. 27.

Hic terræmotus quid portenderet.

Psalm. 59.

Ezech. 37.

Psalm. 45.

Matt. 27.

Ad tertium dubium respondẽdum est, terræmotum, & lapidis reuolutionem factam esse non ante resurrectionẽ, vel in ipsa, sed paulò pòst ipsam. Quod probatur tũ ex eo, quòd terræmotus in passione factus est post Christi mortem, vt expresse habes apud Matthæum. Deinde quia Christus nõ egebat per Angelum iuuari, aut per terręmotum, aut per lapidis reuolutionem ad egressum: quemadmodum Lazaro suscitãdo lapis priùs sublatus est. Qui enim mortalis clauso Virginis vtero potuit nascendo ingredi in mundum, quidni iam factus immortalis, clauso sepulcro potuit resurgendo exire in mundum? In cuius rei confirmationem, post resurrectionem ingressus est ad discipulos ianuis clausis. Tertiò idem Patres confirmant, in primis Iustinus Martyr qu. 117. respondens: *Quemadmodum, inquit, nõ mutatione corporis in spiritum, Dominus super mari deambulauit, verum diuina potentia sua, mare quod pedibus calcari nequiret, ad inambulandum commodũ, & peruium reddidit, non suo ipsius tantum corpori, sed & Petri: ita & suapte potentia è monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est, & ad discipulos ianua clausa ingressus. Non enim excitationis eius gratia, saxi ipsius de monumento facta est deuolutio: sed eorũ causa qui id conspecturi erant, vt ipsius resurrectio ostenderetur. Nam quod sepulcralia eius in monumento vestimenta viderunt, ipsum autem non viderũt, euidentissimum resurrectionis eius fuit indicium.* Hactenùs ille, vel quisquis autor alius extitit illarum quæstionum. Deinde idem docet Euseb. homil. de Paschate, adducens figurã Ioseph, qui sui carceris habuit potestatem. Euthym. quoque in Matth. & Beda in homilia diei istius. Deniq; Gregor. Nyssen. orat. de resurr. Christi idem his verbis confirmat. *Cùm enim lapidem reuoluisset, reperit resurrexisse Dominum, sepulcro, quod sigillis munitũ fuerat, ac præsidio militum custodiebatur, sicut Deum decebat, clauso relicto, quemadmodum clausis quoq; ianuis penetrans in domicilium ad discipulos accessit: quare etiam dicebat, Non est hic, sed surrexit, significans Angelus ante suum aduentum* admi-

Matt. 27.

An ante terræmotum, & lapidis reuolutionem, an verò post illam resurrexerit Dominus.

Ioann. 11.

Inf. 20.

Iustin. Martyr [illegible] Matth. 14.

Euseb. Emiss. ho. 7 Pasch. & hom. 9 Euthym. Beda tom. [illegible] Gregor. [illegible] orat. 11. de resurrect. [illegible] Matt. 2[illegible]

Infr. 28.

Ioan. 11.

admirabiliter accidisse resurrectionem Saluatoris, quam vt Deus propria virtute exequens in ijs, quæ deposita ac destinata erant, peragendis, nullum Angelorum auxilium desiderauit. Nisi enim hoc ita esset, dixisset: Ecce resurgit, significans id, quod statim fieret: sed quoniam ante factum erat, præterito tempore vtens, dixit, Non est hic, sed surrexit. Atque illud etiam ex hoc apertè demonstratur, quod Apostoli cum prædicarent Euangelium, propter infirmitatem audientium dicebant, Christum resuscitatum esse à Patre, acceptabilem, & commendabilem hoc modo sermonem reddentes. Sed Angelus, qui primus resurrectionis annuntiatricem vocem rupit, nudam designans, ac maiestatis plenissimam, Deoq; maximè conuenientem eius, qui resurrexerat, potestatem, clamabat, Non est hic, sed surrexit. Hæc ille, eleganter vim verbi, Surrexit, expendens, oraque impudentium Sacramentariorum nostri seculi contundens, ac obstruens, qui ausi sunt mutire, Christum, Angelo tollente lapidem, eguisse ad resurrectionem. Videntur Sacramentarij omnem rationem exuisse, & lapidem Satana, ac morte, & ipso inferno reddidisse fortiorem. Si ergo isti non potuerunt retinere, quomodo lapis detinere eum valuisset?

Aduersus Sacramentarios, Christum ad resurgendum Angeli opera indiguisse contendentes.

Ad quarto loco propositam dubitationem respōdemus, apertè, Angelum terræmotus causam extitisse, Textum ipsum asserere, ita enim habetur: *Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Vbi coniunctio causalis, *Enim*, causam explicat facti terræmotus fuisse Angeli aduentum: in quo terræmotu non est ablatus lapis, ne frangeretur, sed reuolutus est per Angelum alia operatione distincta à terræmotu. Nam quia Deus vti creatura consueuit in his, quæ per eam fieri possunt, hinc meritò per Angelicum ministerium abstulit lapidem, & effecit terræmotum: quemadmodùm in Lazaro ad vitam mortalem reuocando, vsus est ministerio hominum, cùm dixit: *Tollite lapidem*, ac rursus cùm inquit, *Soluite eum, & sinite abire*: quæ Dominus per seipsum facilè præstare potuisset, si voluisset; verùm per alios decentiùs facta sunt. In illa tamen aliorum actione, sicut in his, quæ modò Angelus gessit, Christus, qui Deus est, maiorem habuit partem; cùm in omni effectu causæ secundæ plus operetur prima causa, quàm secunda.

Quis fuerit autor terræmotus, Angelusne, an ipse Christus sine Angelo.

Ioan. 11.

Circa quintum, probabile mihi valdè est, terræmotum non accidisse præsentibus mulieribus, ne vehementi perturbatione afflictarentur, & animo consternarentur. Quod ex eo probari potest, quòd cùm inuicem colloquerentur, ac dicerent: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? confestim terræmotus factus est magnus*: Et cùm magnus fuisset, mulierum animos debilitasset magnoperè: nisi ponas miraculum, quo à tanto periculo sint præseruatæ. Adhæc si præsentes fuissent, quemadmodùm de custodibus dicitur, quòd perterriti sūt, & facti velut mortui, aliquid profectò Euangelista dixisset de mulieribus: sed cùm eò nondum accessissent, consultò de illis tacuit. Et Matthæus non refert, mulieres vidisse reuolui lapidem; sed tantùm Angelum ad eas dixisse: *Nolite timere vos*, & viderunt lapidem reuolutum. Erant ergo mulieres in via, quando Christus surrexit, & terræmotus est factus. Marcus autem breuitati studens (vt refert Euthymius) neque terræmotum scripsit, neque quis lapidem reuoluerit, docuit. Similiter & Lucas narrationem de his abbreuiauit, dicens: *Inuenerunt lapidem à monumento reuolutum.* Itaque quando ad monumentum venerint mulieres, significauerunt Euangelistę: quando verò resurrexerit Christus, nullus eorum indicauit: solus enim hæc nouit, qui solus surrexit vt nouit. Hactenus Euthymius.

[illegible] mo- [illegible] præsenti- [illegible] mulieri- [illegible] accideret [illegible] ante illarū [illegible]entum.

Marc. 16.

Euthym. ibid.

Ad sextum dicendū est, quosdam meditatos esse, cùm mulieres accessissent, & introissent in monumentum, custodes exterritos aufugisse, & quæ facta fuerant, ac viderant, Principibus Sacerdotum enarrasse. Probabilius tamen est, & magis Christi gloriam promouens, si dicamus, dum custodes exterriti, ac semimortui iacerent, aduenisse fœminas, & Angeli verbo confirmatas ingressas fuisse in monumentum, vidisseque non tantùm sepulchrum apertum, & vacuum, sed & custodes perterrefactos iacere semianimes. Tùm quia Angelus dixit: *Nolite timere vos*, quasi separans eas à militibus iacentibus, vt ponderant Euthymius, & Caietanus. Deinde, quia fuga custodū, & narratio Christi suscitati ad Principes Sacerdotum, describitur post annuntiationem Christi suscitati ab Angelo mulieribus factā: imò postquam mulieribus in via Iesus apparuit. Tertiò, quia vt dicitur in Exodo, in vigilia matutina diei tertiæ inuoluit aqua Ægyptios, & viderunt filij Israël Ægyptios mortuos circa littus maris. Sic enim fœminæ non timuerunt inter armatos custodes expauefactos, & semiuiuos, & Christo adstiterunt à morte suscitato: simul enim dicitur Angelus aspectu suo terruisse custodes, & confirmasse mulieres. Et cum illę viso Christo in via pergerent ad Apostolos, textus habet, *Quæ cùm abyssent,*

An fœminę monumentū sint ingressæ, existentibus adhuc ibi custodibus, an verò illis vi, ac terrore terræmotus fugatis, atque expulsis?

Secunda opinio probabilior.

Euthym. Caiet. in Matth.

Exod. 14.

abiissent (scilicet ad annuntiandum Apostolis ex præcepto Christi) statim sequitur: *Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem:* vbi historiæ planus ordo, seriesque contexitur. Certe Hieronymus ad Hedibiam interrogantem quomodo custodiente militum turba, Petrus, & Ioannes liberè ingressi sint sepulchrum nullo prohibente custodum, respondet: *Igitur qui fuerant tanto timore perterriti, vt putarentur mortui, aut dimisisse sepulchrum, & fugisse credendi sunt; aut ita corpore, & obtorpuisse, vt non dicam viros, sed ne mulierculas quidem, sepulchrum intrare cupiētes audere prohiberent.* Hæc ille. Et hactenus de terræmotu sit dictum. Reliqua verò in sequentem tractatum exponenda consultò seruamus. Tantùm illud ante oculos habeamus, Dominum Iesum verissima habere suæ potentissimæ resurrectionis testimonia, non solùm de cœlo ab Angelis, & ex inferno ab his, qui cum eo suscitati sunt, sed etiam ab ipsis hostibus eius custodiæ deputatis; quò nos tutos ac securos huic tā salutiferæ fidei resurrectionis committere possimus, omnemque salutem nobis polliceri à tanto mortis & inferni triumphatore, benignissimoque redemptore Iesu Christo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto æternis laudibus celebratur ab omni creatura Angelica, & humana in perpetuis seculis, Amen.

Hieron q.6. tom.3.

Quomodo custodiente militum turba Petrus & Ioānes in sepulchrū ingressi sint, nullo custodū prohibente.

Matth. 27.

TRACTATVS IX.

De apparitionibus Angelorum factis ad mulieres, in illa verba: *Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur; & vestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respōdens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos: Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit: Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus, &c.* Matth.28. Marc.16.

Dominicæ resurrectionis historiam esse admodum difficilem, & perobscuram, vnde liceat intelligere.

MAGNIS difficultatibus implicatā esse hanc resurrectionis Christi historiam ex his, quæ superiori Tractatu discussimus, & ex his, quæ in præsenti videbimus, compertum, & exploratum reddemus: veterum etiam Patrum ingenia in his nodis dissoluendis magnoperè, ac diligenter insudarunt, vt cernere poterit qui Hieronym. consulat in quæstio. ad Hedibiam, August. in lib. de Consensu Euangelist. & Ambros. super Lucam, & Gregoriū Nyssenum, in orationibus de resurrectione Christi, Theophylact. & Euthymium in Euangelia: nam in discordijs Euangelistarum componendis hærent, atque laborant. Certè Euthymius refert, cùm quidam dicta Euangelistarum in his conciliare non possent, multos his de rebus in vanum effudisse sermones: quorū alij quatuor ad monumentum accessus diuersis temporibus factos esse asserentes, non easdem mulieres fuisse aiunt, sed alias & alias similium inter sese nominum; alij verò de quatuor, aut saltem de multis accessibus conformiter intelligentes, eos tamen ab eisdem factos mulieribus tradunt. Verùm cùm hæc probabilia non sint, & facilè confutari queant, nō est necessarium ad ea accurrere, sed semper est illud mente recolendum, non ob id contrarios esse Euangelistas, vel quod varia ratione, & modo suas instituant narrationes, vel quod vnus cōmemoret quædam quæ alij prętermiserūt. Credendum igitur est, nulla ratione Euangelistas sibi inuicem dissentire, sed maximè consentire, & mutuò sese iuuare, ad quod præstandum, opus est attentione, & diligentia. Hæc enim omnia magna Dei sapientia disposita esse videntur; vt & diligentiam in Scripturis scrutandis adhibeamus, & fidem in his quæ capere non valemus, præstemus, & vt precatione ad Domini fores pro intelligentia pulsemus, & Patrum scripta, & commentarios non negligamus. Et vt eleganter hoc loco annotauit Euthymius, vt etiam hinc exploratū reddi posset, quòd non ex composito, aut pacto aliquo inter se inito scripserint Euangelistæ. Quæstiones de terræmotu propositas iam absoluimus: nunc de Angelo, qui terræmotus causa extitit, & qui apparuit sedēs super lapidem, & qui non minores nobis porrigit difficultates, differendum est. Quò igitur planior oratio nostra reddatur, primùm quærimus cur Angelis primò Dominus apparuerit. Deinde cur in ea forma, cuius aspectus erat sicut fulgur; & vestimentum album, sicut nix; ita vt custodes valdè terruerit. Tertiò, cur sederit super lapidem reuolutum. Quartò, quomodo conueniat Matthæus cum Marco: nam hic Angelum intra sepulchrum sedētem constituit, ille verò extra super lapidem reuolutum sedentem. Quintò, quomodo cōueniant Matthæus & Marcus cū Luca, & Ioanne, qui duos Angelos visos fuisse

Hiero. tom 3. Aug. tom. 4. Ambr tom.5. Greg Nyssen. Theophylact. Euthym

Euthym in c. 28. Matth.

De Euangelistis quid sentiendum sit.

Vnde factum sit, vt tam obscuras & perplexas Scripturas haberemus.

Euthym. ibid

Quæstiones sex.

Cur Angelis primò Domi minus apparuerit.

Psal 102.
Hebr. 5.

fuisse à mulieribus testantur. Sextò quare dicitur Angelus respondisse ad mulieres, cùm nulla præcesserit interrogatiò. Septimò expendenda sunt verba Angeli ad mulieres euangelizantis. De primo asserimus magna ratione factum, vt Christo à mortuis resurgenti assisterent Angeli: qui ministri sunt Dei, potentes virtute, ad faciendam vocem sermonum eius, & quia vt testatur Apostolus, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Per Angelos primò par erat Christi resurrectionem annuntiari, & ob Christi gloriam, & vitæ ad quam resurrexit immortalitatem designandam, & quia eius resurrectio supra captum erat hominum, sicut conceptio eius, & natiuitas per illos est prædicata hominibus, & annuntiata. Conueniebat etiam, vt priùs quàm se spectandum hominibus præberet, per aliquot fide dignos testes corda hominum ad credendū disponerentur: sicut & ante ipsum missus est Ioannes, qui pararet Domino plebem perfectam. Porrò mulieribus prius resurrectio Christi annuntiata est, quòd hoc illę pia sua, ac religiosa sedulitate promeruerant: quemadmodùm & natiuitas Domini primò est pastoribus patefacta, quòd illi sua simplicitate, & vigilantia consecuti esse videntur. Quemadmodùm igitur incarnationis mysterium tanquā Legati Virgini annuntiarunt, natiuitatis quoque annuntiatores extiterunt, adhæc fugæ eius in Ægyptum, & reditui in terram Israël; & tētationi Domini in deserto ministrarunt, in passione quoque Dominum confirmarūt, ascensionis quoque administri fuerunt, quid mirum si resurrectioni Christi obsequium impenderint, qui adfuturi sunt ad colligendos electos in generali nostra resurrectione? Per ipsos etiam Angelos nouissimus eius aduentus prædicabitur: quoniā, vt habet Paulus, ipse Dominus in iussu, & in voce Archāgeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. Sunt autem Angeli testes omni acceptione maiores: qui propter sapientiam falli nequeunt, & propter charitatem quam gerunt aduersus nos, fallere non valent, maximè in re, de qua ipsi soli testificari possunt, non vt auriti, sed vt oculati testes, nempè de eadem numero anima, eodemque corpore Christi.

Luc 1.
Infra 2.

Supr. 1.
Mulieribus prius quam viris cur nunciata fuerit Domini resurrectio.
Luc. 2.

Supr. 1.

Infra 2.
Matth. 2.
Ibidem.

Infra 4.

Luc. 22.
Actor. 1.
Matth. 24.

1. Thessal. 4.

Angeli quales sint testes.

Ad secundùm dicimus, aspectum, siue formam Angeli fuisse sicut fulguris igneo splendore micantis, & vestimenti candidi sicut nix. Apparuit enim in forma corporea; & sub aspectum cadente, quia corpoream, ac sensibilem Christi annuntiabat resurrectionem: & videtur hæc forma atque habitus conuenire cum ea, quam Dominus in monte transfiguratus ostendit. Resplenduit quidem, vt restatur Matthæus, facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Quare hic Angelus ipso habitu resurrectionem Christi gloriosam concionatus est. Habet prætereà fulgur, quòd simul est lucidum, ac terrorem incutiens, vt nos eo conspecto confugiamus ad Crucis signaculum, eoque tueamur nos ipsos. Et Angeli quidem interdum perterrefaciunt; vnde in libro Iudicum vxor Manue conspecto Angelo cucurrit ad virum suum, dicens: *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis:* Et vir posteà dicebat, *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Et Propheta Daniel Gabrieli sibi apparenti, dixit: *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.* Interdum verò Angeli solantur eos, quibus apparent, vt Angelus ille ad Zachariam, & ad sanctissimam Deiparam, & ad pastores missus. Hic verò officium præstitit vtrumque: nam & terræmotu, & reuolutione lapidis, & præsertim fulguranti aspectu suo magnum timorem incussit custodibus, vt redditi sint fermè mortui, vt textus habet. Natura quippè superior ab inferiori sine terrore cerni non potest. Porrò mulieres terræmotu nonnihil commotas, & verbis confirmarunt, & aspectu sunt consolati. Videlicet Christi resurrectio pijs lux est, impijs verò terror, quia vident in quē compunxerunt. Vestimentum verò album erat sicut nix: quia resurrectio Domini materiam præbet gaudij illo colore indicati; & quia ad immortalitatem, & triumphum gloriæ reducit, atque ad Angelorum societatem, & gloriam restituit. Designat quoque vitæ puritatem post baptismum, spiritualemque à peccati morte resurrectionem. Vnde exhortamur ad seruanda vestimenta candida: *Omni tempore,* inquit, *sint vestimenta tua candida.* Rursus in vestimento candido designatur gloria: *Ambulabunt,* inquit Scriptura, *mecum in albis, quia digni sunt.* Nulla est igitur aut sapientia, aut fortitudo semimortuorum custodum, ac iacentium contra Dominū, integram, ac immortalem vitam possidentem, & corpore intrepidè stantem. Quòd si ab vno tantum Angelo sic territi exanimantur custodes; quo modo impij personam Domini ad iudicium venientis, & innumeris Angelorum myriadibus quasi præsidio muniti, atque stipati sustinebunt.

Cur in ea forma Angelus apparuerit, fulgido aspectu scilicet, & veste candida.

Matth. 17.

Fulguris proprium quid.

Iudith. 13.

Ibidem.

Danie. 10.

Luca. 1.
Ibidem.
Infra 2.

Vnde fit, vt homines angeli visu terreantur.

Ioan. 19.
Apoc. 1.
Album vestimentū in scripturis quid denotet.

Eccli. 9.

Apoc. 3.

Prou. 21.

Cur hic Angelus sederit super lapidem reuolutum.

Tertiæ difficultati respondemus, Angelum super lapidem, quem prius reuoluerat, sedisse; non quo Dominus exiret, qui ante iam surrexerat, sed vt aperto monumento indicaret resurrectionem Christi iam peractam, ac vt possent tam viri, qui mulieres liberè intrare, & videre locum vacuum, exuuiasque atq; reliquias mortalitatis, hoc est, linteamina, & sudarium. Ad hæc Angeli in nouissimo die aperient tumulos nostros ad congregandos cineres. Porrò Angelus sedere dicitur super lapidem; tùm ad animorum mulierum dubietatem sedandam, mentisq; titubationem; tùm ad indicandam quietem immortalitatis eius, qui ad dexteram Patris sedet regnaturus in pace in perpetuum; tùm deniq; ad declarãdum quòd Angeli summa cum voluptate, & quiete impendunt ministerium: non enim capaces sunt lassitudinis, aut defatigationis mentes illæ Angelicæ potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. In Luca verò Angeli dicuntur stare, ad significandum, Dominum ad pugnam, & laborem, ac nostrum ministerium esse renatũ. Porrò hæc lapidis reuolutio Angelico ministerio facta, mysterio suo non caret. Signat enim, quod à die resurrectionis cœperint Christi mysteria reserari, quæ litera legis tanquam lapide prius tegebantur: lex namq; cùm in tabulis descripta fuerit lapideis, per lapidem eleganter repræsentatur. Hæc verò non opera humana, sed cœlesti gratia clara, & aperta ita reddita est, vt iam liceat cum sanctis istis fœminis primariis ingredi ad contemplanda ista Christi arcana, & Sacramenta: litera enim legis in superficie Christum sub se veluti mortuum continebat; at illa ablata, viuere Christus prædicatur, inuita licet, & reclamante Synagoga, in custodibus à Iudæorum Principibus subornatis designata.

Matth. 13.

Angelicæ naturæ vis, ac potestas.

Psal. 102.

Luc. 24

Apud Lucam cur dicantur Angeli stare, & quid hæc lapidis reuolutio per Angelum effecta significet.

Exod 31.

Ad quartam dubitationem, quomodo Matthæus enarrans Angelum sedentem super lapidem reuolutum extra monumentum, & sic allocutum fuisse mulieres, induxisseque eas vt intrarent in monumẽtum, conueniat cum Marco, qui ait mulieres venientes, & respicientes vidisse lapidem reuolutum (erat quippe magnus valde) & introeuntes in monumentum, vidisse iuuenem sedentem in dexteris, coopertum stola candida, & obstupuisse. Vtrumque enim describunt sedentem, ac posteriorem eas iisdem verbis ferè fuisse allocutũ? Dicendum videtur, quòd Matthæus enarrat quid Angelus extra sedens super lapidẽ dixerit mulieribus, & quomodo induxerit eas ad ingrediendum, & videndum sepulchrum, quòd Marcus breuitatis gratia omisit: addidit tamen quod Matthæus tacuit, nimirùm quòd ingressæ viderint iuuenem sedentem in dexteris, coopertum stola candida, id est, Angelum, vel eũdem, qui eas extra allocutus est, & qui simul cũ eis introiuit, quò timorẽ eis adimeret; vel alterum: nihil enim refert hoc, qui ferè eadem, quæ prior ad mulieres dixerat, repetiuit, quò confirmauit eas, ac vt in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum. Atque ita soluit hunc nodum B. Augustinus in lib. de Consensu Euangelistarum, dicens: *Sed potest mouere, quomodo secundùm Matthæum, Angelus super lapidem sedebat reuolutum à monumento. Marcus enim introeuntes eas in monumentu dicit vidisse iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuisse; nisi intelligamus aut Matthæum tacuisse de illo Angelo quem intrantes viderunt, Marcum verò de illo tacuisse, quem foris viderunt sedentem super lapidem; vt duos viderint, & a duobus sigillatim audierint quæ dixerunt Angeli de Iesu: prius ab illo quem foris viderunt sedẽtem super lapidem, deinde ab illo, quem viderunt intrantes in monumentum sedentem à dextris, quò vt intrarent, illius qui foris sedebat, verbis exhortatæ sunt dicentis: Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus.* Hæc ille. Quod verò Marcus adiecit de lapide, *Erat quippe magnus valde*: intellige non tantùm mole corporea, etsi opera viginti hominum egeret ad eius motum, vt fertur, & qui ferro quodam per foramina parua in eo facta ita collocatus erat, vt non nisi ferro confracto, aut petra perrupta aperiri posset monumentum, vt testatur Nicephorus Callistus: quem superiori libro produximus. Erat etiam magnus virtute, quia continebat corpus illius, cui parui sunt cęli, strictum mare, & per angusta terra, & quem totus non capit orbis. Nam vt rectè ait Salomon, Si cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt: quantò magis domus ista quam ędificaui? Magnus etiam valde, quia reddidit corpus viuum, quòd susceperat mortuum; cùm reliqua monumenta cadauera quæ suscipiunt, citò consumere, & incinerare soleant: at hoc reddidit viuum, & gloriosum, & impletum est illud: *Erit sepulchrum eius gloriosum.* Et hactenus de quarto.

Quomodo cõueniat Matthæus cũ Marco, cũ hic Angelum intra sepulchrum sedentem constituit, ille verò Angelum super lapidem reuolutum sedentem.

Deut. 19.
Matt. 18.

Aug lib. 3. de cons. Euang. c. 24 initio ferè tom 4.

Lapis superpositus Domini sepulchro cuius fuerit magnitudinis, ac roboris.

Niceph lib 1. cap 32.

Lib. 10. tract. 49.

2. Paral. 6.

Esai. 11.

Ad quintum verò, quomodo conueniant hi duo priores Euangelistæ de vno Angelo loquentes, cum duobus alteris posterioribus Euangelistis de duobus Angelis visis facientibus sermonem? Respondemus aut vnam, & eandẽ esse historiam, aut diuersam. Quod si eadem fuit, vt nonnulli volunt;

Quomodo cõueniant Matthæus, & Marcus cum Luca, & Ioanne, qui duos Angelos visos fuisse à mulieribus testantur.

volunt; dicimus, in principio duos fuisse visos Angelos, aut stantes, vt Lucas ait, aut sedentes, vt Ioannes: breui enim temporis momento homo, aut Angelus sedet, vel stat. Atque hoc enarrare omisit Marcus; qui tamen posteà vnum ex illis sedentem allocutũ fuisse mulieres tradit. Quẽadmodum in Actis, licet dicantur duo Angeli locuti ad Apostolos, vnus tamen ex eis vtriusque nomine loquebatur tantùm: sicut cùm ex pluribus legatis vnus tantùm sermonem habet, simpliciter tamen dici consueuit, legatos fuisse locutos. Atque illi duo Angeli à Luca, & Ioanne nominati, ijdem sunt cum illis duobus, quos Matthæus describunt, & Marcus tanquam diuersos, ac sedentes. Si autem vt verisimiliùs est, ac rationi magis consentaneum; non ijdem, sed diuersi ab illis, de quibus Matthæus, & Marcus loquuntur (nam mulieres frequenter præ gaudio egrediebantur, & ingrediebantur in sepulchrum, & ita variæ poterant esse Angelorum apparitiones) ex his facilè deduceremus Lucę historiam diuersam fuisse ab illa, quam priores duo enarrant Euangelistæ: tùm à numero fœminarum, quia plures quam duas vel tres fuisse describit; tùm à numero Angelorum, quia narrat duos visos, cùm cæteri tantùm dicant apparuisse vnicum, tùm à situ Angelorum, qui stetisse dicuntur à Luca, à Matthæo verò, & Marco enarratur Angelus conspectus sedens; tùm denique à modo, & verbis illas obiurgandi, vt notant Euthymius, & Caietanus. Nam cùm priores duo mansuetè doceant, & instruant, dicentes, *Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia precedet vos in Galilæam: vbi eum videbitis*; Lucas verò acerbius increpãtes introducit: *Quid quæritis*, inquit, *viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis cùm adhuc in Galilæa esset*, & quæ sequuntur. Quia enim semel, & bis instructæ fuerant, nec capiebant mysterium, acrius reprehendi meruerunt, & nihil dixerunt illis de annuntianda Apostolis resurrectione. Atque ita diuersas fuisse Angelorum apparitiones docent Euthymius, & Leontius, & inter alios maximè B. Ambr. qui in Lucam super illud: *Mane Sabbati venerunt valde tempore ad monumentum*, scribit: *Magna oritur hoc loco plerisque dubitatio. Nam etsi non videntur Euangelistæ dixisse contraria, tamen diuersa dixerunt. Siquidem hic Mane valde tempore: Marcus, valde mane: Matthæus, Vespere Sabbati: Ioannes, Prima Sabbati, cùm adhuc tenebræ essent, mulieres ad monumentum venisse dixerunt. Deinde hic duos viros, Marcus, vnum iuuenem in albis sedentem; Matthæus, vnum Angelum; Ioannes, duos Angelos in albis sedentes visos esse memorarunt. Postremò quod vix enodabile videatur, Ioannes scripsit dictum Mariæ Magdalenæ, & alteri Mariæ, & illas accessisse & tenuisse pedes eius, & adorasse, euidentissima descriptione digessit. Quomodo igitur soluendum, nisi quatuor Euangelistas de diuersis quatuor putes dixisse temporibus, vt & personas alias mulierum, & alias conijcias visiones? Denique aliæ cum vnguento prima Sabbati veniant, aliæ sine vnguento vespere Sabbati. Istarum nomen exprimitur, illæ de Galilæa secutæ Dominum designantur.* Hæc ille. Ioannes quoque Archiepiscopus Thessalonicensis in sermone de Resurrectione Domini, & Concordia Euangelistarum, quatuor ponit diuersos accessus personarum, quibus Angeli apparuerunt: & insectatur Iulianum Apostatam, quòd reprehenderet Euangelistas quasi sibi inuicem dissentientes, ex eo quòd putabat vnum tantùm fuisse accessum & aduentum mulierum, cùm ex temporibus, & locis, & modis annuntiandi resurrectionem discipulis, constet fuisse varios accessus, & aduentus mulierum. Hæc ille philosophatur ad Concordiam Euangelistarum: quæ sanè à ratione disiuncta esse mihi non videntur. Quòd si vrgeas, in apparitione facta soli Mariæ Magdalenę, quam describit solus Ioannes, inspectos fuisse duos Angelos non stantes, sed sedentes in albis, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu; Dicemus necessarium quoque esse, illam Angelorum apparitionem esse diuersam ac distinctam esse à reliquis tribus. Vnde Hieronymus ad Hedibiam ait: *Sin autem illud obijcitur, quomodo eadem Maria, quæ prius viderat Dominum resurgentem, postea ad sepulchrum eius flere referatur; hoc dicendum est, quod & sola, & cum altera, siue cum alijs mulieribus memor beneficiorum, quæ in se Dominus contulerat, ad sepulchrum eius frequenter cucurrerit, & nunc adorauerit quem videbat, nunc fleuerit, quem quærebat absentem.* Hæc ille. Et Euthymius in Ioannem scribens, maxima cum probabilitate loquitur, Ioannem prætermisisse quæ ab alijs tribus dicta erant, nempè de terræmotu, aduentu mulierum, ingressu in monumentum, & apparitione Angelorum illis facta: quæ verò soli Mariæ Magdalenæ acciderunt, vt ab alijs præterita, exponuntur à Ioanne. Igitur cùm quatuor Angelorum apparitiones mulieribus factæ describantur, & quisque enarret suam, vt exactè, atque integrè percipiantur, vt di-

Actor. 1. *Euthym in Matth.* *Caiet. ibid.* *Matth. 17.* *Euthym. ibid* *Leontius Episcopus.* *Ambr lib. 10. in Luc. tom. 5.* *Luc. 24.* *Marc. 16.* *Matth. 28.* *Luca. 8.* *Ioã Archiep. Thessalon. Concord. Euangelist.* Quid de Euangelistis in resurrectione Domini describenda senserit Iulianus Apostata. *Ioan. 19.* *Hierõ. ad Hedibiam, q. 4. tom. 3.* *Euthym c. 18 in Ioan.*

vt distinctæ prorsus, ac diuersæ propter varias circumstantias habendæ sunt, vt de singulis differemus plenius suo loco.

Quare dicitur Angelus respōdisse ad mulieres, cum nulla præcesserit interrogatio. Matth. 11. Hebraismus.

Sextæ dubitationi satisfacere, non est difficile. Etenim more Hebræo respondere idem valet, atque dicere, vt plerumque in superioribus annotauimus. Vnde apud Matthæum Iesus respondens dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra.* Vel dicitur Angelus respondisse, tùm ad mulierū corda trepidātia, ac nutantia inter tot metuendi caussas, maximè cùm viderent custodes territos, & semimortuos, q indigni erant, qui Angelum Domini oculis intuerentur; tùm etiam respondit ad verba mulierum inuicem dicentium: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monuméti? Tunc ille respondit: *Nolite expauescere*; quasi diceret, Propè accedite, lapis est reuolutus, veruntamen vnctio vestra necessaria non est, quia surrexit. Venite, & videte locum corpore vacuum. Hæc erat summa annuntiationis Angelicæ. Marc. 16.

Cur Angeli mulieribus an nuntiauerint Dominicam resurrectionē.

Ad postremum, expendenda sunt verba Angeli, tùm externi sedentis super lapidem reuolutum, de quo loquitur Matthęus, tùm interni, & sedentis ad dexteram, de quo loquitur Marcus, etsi verba non sint dissimilia. Externus igitur apud Matthæum dixit mulieribus: *Nolite timere vos.* Vbi primùm resurrectio per Angelos mulieribus annuntiatur: quia Deus sperantes in se, minimè derelinquit, & quia omnis qui quærit, inuenit. Deinde Angelus sicut mulieri primus incarnationis nuntium attulerat, ita primus resurrectionem annuntiaret. Adhæc, vt quemadmodum olim à muliere initium peccati, mortisque sumptum est, ita nunc mulieres nuntium acciperent primæ gaudij iustitiæ, & vitæ gloriosæ, quæ per Christum confertur. Nec tantùm Angelus primus apparuit mulieri, sed etiam ipse Christus suscitatus: ignis enim fidei Christi resurgētis à lignis siccioribus perrexit ad minus siccos, vt eos inflammaret, hoc est, ab Angelis ad mulieres, & ab his ad viros. Prætereà indicauit Angelus, omnia bona per Christi resurrectionem comparata, æquè ad fœminas, sicut ad viros pertinere. Quia in Christo Iesu non est masculus, neque fœmina. Quare Apostolorum Princeps Petrus vult viros vt vxores sic habeant, tanquam comparticipes gratiæ, & cohæredes regni. Ac rectè ait Angelus: *Nolite timere vos*: multæ siquidem erant timendi caussæ. Et Angeli Dei licèt à principio soleant perterrefacere, posteà tamen illos, ad quos destinantur, confirmant, ac solantur, quemadmodùm missi ad Zachariam, ac sanctissimam Deiparam, & ad pastores: qui omnes initio eorum apparitione exterriti fuerunt, sed posteà confirmati. Deinde fructus resurrectionis Christi, amotio timoris est, qui ex morte, quæ est vltimum terribilium, oritur; vt iam CHRISTO agnito dicere valeamus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, vel, *Nunc dimittis seruum tuum Domine.*

Matth. 28. Quos Deus minime derelinquit. Iudith 13. Luca. 11. Supr. 1. Genes. 3. Eccli. 25. Rom. 6 & Galat. 3. 1. Petr. 3.

Bonorum proprium Angelorum officiū erga pios.

Luc. 1. Ibidem. Infra 2.

Fructus Christi resurrectionis quis sit.

Philip. 1. Luc. 2.

Scio enim (inquit) *quod Iesum qui crucifixus est, quaeritis.* Ad pauida mulierum corda constabilienda, Angelus dixit se nosse quid quærunt, quò pacatiores redderentur. Atque Angeli primi non erubescunt Crucis nomen, aut prædicationem: vnde & Paulus in Cruce gloriatur. Et meritò sanè: quia vt Euthymius ait, his quidem, qui ante ipsum crucifixi sunt, crux ignominia erat, cùm argumentum esset maleficij eorum; huic verò potiùs gloria, cùm fuerit demonstratio beneficij in homines collati, propter quod ad crucem condemnatus est. ¶ *Surrexit enim, sicut dixit.* Pulchrè de resurrectione Christi, quę videntibus hominibus facta non est, per Angelos Apostolis testificari voluit; & quò rem maiori fide ostenderet esse amplectendam, adiunxit, Sicut dixit. Christus namque frequenter illam prænuntiauerat, euentusque cum prænuntiatione consentiens indicat rem prorsus à Deo processisse, sicut pleraque, quæ in morte sibi acciderunt, sæpè est prælocutus. ¶ *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.* Inuitat ad perficiendum iter: substiterant enim pauidæ conspecto Angelo, & lapide reuoluto. Et his verbis declarat se propter eas lapidem reuoluisse: & vacuum sepulchrum visum, satis erat ad comprobandum primum dictum, scilicet, Non est hic, & credibile reddebat dictum secundum, scilicet, Surrexit: quia viderunt linteamina, & sudarium seorsum posita, & inuenerunt illuc custodes curantes ne corpus Iesu tolleretur à quoquam: & hinc credibile fiebat, quod propria diuina virtute cum glorificato corpore surrexisset. Et primum quidem ad necessitatem fidei nequaquam spectabat, scilicet, quòd amplius ibi non esset: poterat enim post resurrectionem ibi esse, quare de hoc voluit illas per sensum visus certas reddi. Alterum verò ad fidem vt præcipuus pertinens articulus, nimirùm quod resurrexerit: ex solo sermone annuntiat: quia fides ex auditu, & quò fides sit cum merito, debet longè abesse experimentum. Idcircò per verbum Angeli nuntiātis, & per ea quę Christus sæpè de sua resurrectione prædixerat:

Quorsum id: Scio quod Iesum qui crucifixus est, quæritis? Galat. 6.

Euthym. c. 68 in Matt.

Cur per Angelos Deus Christi resurrectionem Apostolis voluerit annuntiari. Matth. 16. Infra 17. Infra 20. Infra 26.

Mulieres Christi sepulchrū inuisentes, cur eguerint Angelo consolatore.

Rom. 10.

xerat, debebant mulieres firmam Angelo habere fidem. Et cùm ait, *vbi positus erat Dominus*, more vulgari loquitur Angelus; nã per figuram Synecdoches, qua pars pro toto, aut totum pro parte ponitur, dicimus Petrum Romæ esse propter corpus, & in cœlo propter animam. Et ex vi verborum non elicitur, vt vult Caietanus, diuinitatem Christi non fuisse à corpore soluto separatam.

Reiicitur sententia Caietani.

Quia, inquit ille, *non esset verum verbum hoc Angeli, scilicet vbi positus erat Dominus: non enim Dominus, sed corpus quod fuerat Domini, fuisset tunc in illo loco positum.* Hæc ille. Sed certe hæc annotatio perimitur instantijs, nec satis solidam se esse demõstrat. Nam de Lazari corpore dixit Dominus: *Vbi posuistis eum?* & de Stephano dicitur, quod viri timorati curauerunt eum, & fecerunt planctum magnum super eum, id est, corpus eius.

Ioan. 11.
Actor. 8.

Et cito euntes, dicite discipulis eius, addit Marcus, *& Petro: quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam.* Non solum annuntiat Christi resurrectionem mulieribus, & per eas iubet deferri, sed & promissionem adiunxit, qua eorum fidem confirmet, spondens cum ipsis videndum in loco Galilææ ab ipso prædicto. *Citò*, inquit, *euntes*, id est, festinantes præ gaudij magnitudine. Atque his verbis videntur mulieres constitui Apostolorum Apostolæ. Vult enim interdum Deus per fœminas sanctas erudire viros: quia non est acceptio personarum apud Deum. Ecce Apollos Alexandrinus, vir eloquens, & potens in Scripturis, à Prisca, & Aquila instituitur: & Apostoli non credentes mulieribus, reprehenduntur à Christo. Angelus igitur à vacuo sepulchro, atque à propria testificatione, & ab euentu verborum Iesu eas, & per eas discipulos ad credendum in Iesum suscitatũ nititur inducere. Meminit autem Galilææ de qua Christus prædixerat: Postquam, ait, resurrexero, præcedam vos in Galilæam; vt intelligas nec vnum quidem iota, vel vnum apicem verborum Domini in terram cecidisse. Præcedam, inquit, vos; id est, Antequam vos illuc accedatis, ego prior & accedam, & perueniam: erigitque ipsorum animos, & ad festinandum in Galilæam vrget, vt qui non expectaturi irent, sed expectati. Meminit autem huius tantum apparitionis, quia ibi eum plus quam quingenti fratres simul viderunt, vt testatur Apostolus, & quieti, & liberi ab omni metu Iudæorum viderant, & quia ibi habebat plures discipulos, quàm in Iudæa, & quod honorare suam patriam vellet: etiamsi ante nunc illis, nũc illis esset appariturus. Quare nonnisi dementissimè dixit Iulianus Apostata, Christum mentitum, quòd cùm promiserit se in Galilæa videndum Apostolis, Ierosolymis tamen se illis spectandum præbuerit. Sed profectò suam promissionem compleuit Dominus visus in Galilæa: donauit autem alteram gratiam, Ierosolymis eis prius apparens, vt mœrorem eorum solueret, & mulierum verba, aliorumque qui eum suscitatum viderant, confirmaret. Matthæus ergo ea præterijt, quæ acciderunt donec discipuli abirent in Galilæam, cæteri verò Euangelistæ etiam illa conscripserunt: Marcus quidem breuiùs; Lucas autem latiùs; Ioannes verò adhuc fusiùs. Hæc ferè omnia Euthymius, reprehendens Iulianum. Adhæc Galilæa erat, à qua cœperat incarnatio, & gloria prædicationis Christi, in qua etiam Dominus transfiguratus fuerat visus ab Apostolis; quare ibi quoq; voluit in carne immortali gloriosus, suscitatusque apparere. Præterea Galilæa hæc, Gentium erat, recteque Transmigratio interpretatur: quia à Iudæis ad Gentes transmigraturus erat, vt Augustinus libro de Consensu Euangelistarum asserit. In credentibus quoque debebat à peccato transmigrare ad gratiam, & iustitiam; & in iustis à gratia ad gloriam. Et vt Christus in Iudæa manifestus reddi cœpit docendo, & prædicando, sed ita vt paucis esset cognitus; at in Galilæa post Ioannem in carcerem coniectum, palàm omnibus declarari voluit: ita vt hinc suæ prædicationis initium auspicentur tres priores Euangelistæ, nulla facta prædicationis mentione in Iudæa, quam expressit aliquo modo Ioannes: ita & suscitatus Dominus primum quidem in Iudæa visus est, sed nõ nisi tectè, & clàm paucis discipulis, at in Galilæa apertè, & multis in mente visus. Vt propterea hanc solam apparitionem & Angelus, & Dominus promittat, eamque solam Matthæus commemorat. In qua & rursus illud Esaiæ impletum est, quod in exordio prædicationis Domini in Galilæa inchoatæ ad exitum fuisse perductum dixerat idem Euangelista, nempè: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, & quæ sequuntur. ¶ *Ibi eum videbitis.* Etiam oculis corporeis, & non hærebitis tantùm soli meo testimonio. Videbitis autem ex gratia: quia beati corpus oculis humanis minimè est spectabile, nisi pro eius munere, & volũtate. Videbitis quoque ad satietatem, & securitatem, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Potuit quidem anteà apparere, vt fecit cum quibusdam: sed publicè, & coram omnibus apparere noluit,

Matth. 26.
Cur Deus etiam à mulieribus viros nonnunquam erudiat.
Actor. 18.
Marc vlt.
Christi dictorum [illegible] constantia.
Matth. 26.
Cur in Galilæa [illegible] Matthæus meminit.
Apostata Iulianus in Christum blasphemia.
Euthym. c. 68 in Matth.
Luc. 1.
Matt. 4
Infra 9.
Galilæa quid signet.
Aug lib. de cõsen Euang. c. 25. in fin. to. 4
Matth. 14.
Esai. 9.
Matth. 4.
Hominis corpus gloriosum quibus aspectabile tãtum sit.
Ioan. 16.

In Galilæa tantū cur Dominus apparuerit vniuersis discipulis.

noluit, nisi in Galilæa, quò eorum desiderium videndi redderetur ardentius, eorumque probaretur perseuerantia. ¶ *Ecce prædixi vobis.* Confirmatio est & protestatio prædictorum; quasi diceret; Ex me non defuit, quo minus vos, ac discipuli crederetis. Ita modò dicimus, Nihil mea interest, functus sum officio meo, vos videritis. Et cùm testis rogatus in instrumento subscribit, solet dicere: Ita est, ego scripsi. Hactenus de verbis Angeli externi, qui quia exhortatus est mulieres ad intrādum in monumentum: Venite, inquit, & videte locum, vbi positus erat Dominus: Marcus de ingressu illarum scribit: *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida: & obstupuerunt.* Vbi illud aduerte primo loco, Matthæum innuisse, mulieres ingressas fuisse in monumentum: quia subiungit postea quæ explicuimus: *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno:* Si ergo exierunt de monumento, intus fuerunt prius. Hic autem Angelus, vt tradit Augustinus, etsi potuerit idem esse ille, de quo Matthæ⁹ loquitur, qui apperuit monumētum Domini, & reuoluit lapidem, vt eas introduceret; & dictus Angelus intus, & extra simul esse dici possit: intus quidem, quantum ad septa aliqua, quæ ante ostium monumenti erant; extra verò, quantum ad ipsum sepulchrum vel extra monumētum prius expectans mulieres, & postquam inuitauit mulieres ad ingressum ipsum, vt timorē adimeret, primùm ingressum, vt indicat Theophylactus. Probabilius tamen est longè, diuersos fuisse Angelos, vt quædam in vnoquoque singularia ostendunt. Matthæus dixit: *Nolite timere vos.* Marcus simpliciter, *Nolite expauescere.* Ille apud Matthæum inquit: Citò euntes, dicite discipulis eius; Marcus habet, *Ite, dicite discipulis eius, & Petro:* Matthæus ait, *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus;* Marcus, *Ecce locus, vbi posuerunt eum.* Prior, erat terribilis aspectu, vt fulgur, terrens custodes; iste verò adolescentulus, vt Græca litera habet, fulgens vt flos, & mulieribus verbo, & aspectu blandiens. Primus euanuit, secundus inuentus est intus, vt inquit Euthymius, & Augustinus dubitat, dicens: *Siue ipse sit Angelus, siue alius,* scilicet Angelus. Hæ autem differentiæ etsi minutæ videantur, ac leues, probabiliorem tamen reddunt sententiam, quòd fuerit Angelus à prioribus distinctus. Iste igitur Angelus, de quo Marcus loquitur, Christi resurrectionem concionatur, non tantùm affatu, sed etiam figura, situ, loco, & habitu; quæ omnia deseruiebant sermoni. In primis enim figura erat iuuenis, vel vt Græca lectio habet, adolescentulus. In ætate iuuenili solent Angeli apparere, sicut Angelus Raphael Tobiæ, non solum ob floridam, speciosamque & nunquam marcescentem naturæ Angelicæ immortalitatem, nulli enim senio, aut temporis corruptioni, spiritus illi beati obnoxij sunt; sed etiam ad Christi resurrectionem ad immortalem vitam testificandam. Significatur quoque per iuuentam ætas resurgentium, non tantùm sine macula, sed etiam sine vlla ruga. Dum enim sola anima est beata, nec extenditur beatitudo ad corpus, nondum est propensio illa, & expetitio corruptelę, qua animus vniri sibi corpus desiderat, sed quasi ruga quædam in animo esse videtur. Modò quidem Ecclesia in sexta hac mundi ætate non caret macula. Quia si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: at in septima ætate, quæ est animarum separatarum, non caret ruga. Verùm in octaua resurrectionis vtroque carebit & maculæ, & rugę impedimento, & omni ex parte gloriosam ipse Christus sibi exhibebit Ecclesiam: quam octauam resurrectionis ætatem designat iste dies Christi resurgentis octauus. Et sicut octaua dies est eadem quæ prima, sic in illa ætate restituitur homo in id ipsum, ad quod conditus erat: vt testatur Rupertus. Quia ergo Christus non tantùm animo, vt in vita gloriosus erat, sed etiam corpore, & exemplar in se octauæ illius ætatis edere volebat, rectè in ætate iuuentæ, quæ caret macula, & ruga, Angelus eius resurrectionis testis apparuit: in qua renouabimur vt aquilæ, quando occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt docet Paulus. Quanquam hic Pauli locus non satis comprobet propositum, quoniam de perfectione spirituali corporis mystici, quod est Ecclesia, loquebatur Apostolus, & non de ætate corporis: vt docent Oecumenius, & Augustinus. Sicut etiam cum ait, in virum perfectum, non intelligit solùm virilem sexum suscitandum, vel eandem corporis staturam: quamquam Augustinus admittat posse intelligi etiam de corpore. Quia enim resurrectio opus est naturæ restauratæ, fit vt homo in ea sit ætate instaurandus, in qua conditus est Adam, & in qua suscitatus est CHRISTVS, qui est exemplar resurrectionis nostræ. Infantia siquidem, vel pueritia imbecilla est, nec in illa aut ratio, aut fortitudo corpo-

Hic Angelus idemne fuerit, an diuersus.

Aug. ibid. ca. 24. initio. Prima opinio Augustini.

Theophyl. in Matth. 28. Altera opinio, quā autor sequitur.

Euthym. ibid Aug ibid ca. 25. post med

Iuuenili forma cur appareant Angeli.

Tob. 6.

Animæ beatæ etiam & [illegible] ruga quæ illa sit.

1. Ioan. 1.

Ephes 5. & 27.

Rupert lib. [illegible] de diuin [illegible] cap. 13.

Psal. 102. *Ephes 4.*

Coloss.

Oecumen. [illegible] in epist ad Ephes. in fin. *Aug. li. 22. de ciuit Dei c. 15. tom. [illegible]* *Idem ibid.*

Gen. 1.

Pueritiæ, senectutis, & iuuentutis comparatio.

corporis vigere solet, quare infantes, ac pueri, ad munera publica non admittuntur. Senectus verò grauis est, ac molesta, ac genus quoddam morbi incurabile. Quare omnes florem iuuentæ maximè expetunt, & vellent in illa semper viuere: & cùm ab ea recedunt per ætatem, solent ferre molestè. Deinde situ quoque Angelus resurrectionem prodebat: qua in sessione quies à laboribus, & dominiū quod anima super corpus sortitur medijs quatuor dotibus, indicatur. Rursus sedebat super sepulchrum; vt dominium corporis beati supra mortem & sepulturam designetur. Ideò Christo dixit Pater, *Sede à dexteris meis*, & Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens*; est enim in sessione quies eius æterna adumbrata. Præterea peculiariter sedebat Angelus, vt fidei Doctor, & resurrectionis magister, vt sedaret mentes mulierum pauidas, ac perturbatas. Tertiò repræsentat resurrectionem ratione loci, quia sedebat: sicut & Angelus Zachariæ apparuit stans à dextris altaris. Nam & Angelica natura ab omnibus malis immunis summa fruitur felicitate: & Christus è malis huius vitæ translatus erat ad gloriosam æternæ vitæ immortalitatem, quoniam, vt notat Beda, sedebat ad Meridiem. Quia Christus ita fuit in sepulchro conditus, vt caput haberet ad Occidentem, pedes verò ad Orientem: quare eius dextera respiciebat Meridiem. Et per locum dexteræ, teste Gregorio in homilia quadam, futuræ gloriæ status exprimitur. Ideò à dextris Christi statuuntur oues in iudicio: porrò oues, electi sunt, qui resurrectionem gloriosam similem illi Christi sunt habituri. Idcircò secundùm Bernardum, post omnia beneficia dextrum latus sibi persodi voluit, quò indicaret nonnisi de dextera in dextram nobis esse pergendum. In illa Christi dextera fulgor est meridianus, quem quærit Sponsa cùm ait: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* In resurrectione prætereà nihil erit sinistrum, nihil fictum, aut fucatum, verùm omnia sunt dextera, id est fortia, honorifica, solida & gloriosa. Quartò, Angelus resurrectionem annunciauit habitu: quia erat indutus stola candida, quæ vestis longa erat, ac talaris: quemadmodùm vestimentum Christi in transfiguratione candidum fuit sicut nix, in typum eius gloriæ, quam corpus suscitatum habebit, quando tota Ecclesia erit gloriosa, sine macula, & ruga, animo videlicet candida, & corpore. Romæ quoq; triumphantes albis induebantur, equumque triumphatoris viri candidum ducebant: victimam quoque albam mactabant: vnde Poëta inquit:

Hinc albi Clytumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpè tuo perfusi munere sacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

Hæc ille de Clytumno fonte gignēte greges, & armenta albi caloris. In veste ergo alba significat triumphum Christi, & suorum, qui cum eo triumphaturi sunt, & de quibus affirmat: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Postremò in verbis ipsis apertissimè indicauit resurrectionem: *Nolite*, inquit, *expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Cùm ad repentinum Angeli conspectum territi essent custodes, & mulieres obstupuissent præ nimio terrore: illos quidem à suo non eripuit timore, ad quos perterrefaciendos venerat; has verò mox ab omni incusso metu liberare voluit, quas non perterrefacturus, sed consolaturus, vt earum pium merebatur officium, missus fuerat. Annūtiat ergo illa eadem quæ alter prior externus Angelus nuntiauerat, vt gemino Angelorum testimonio, & à concepto metu, ac pauore liberentur, & certam resurrectionis Christi fidem concipiant, & Apostolis illam testificentur constantius. Nolite, ait, expauescere: non dixit vos, vti prior Angelus exposuerat, quia non erant intus in monumento custodes, sed erant extra illud; ac propterea prior Angelus dixit, *Nolite timere vos*, *secernens eas à custodibus.* Commentarium, quod nomine Hieronymi circumfertur in Marcum, in hunc locum ita scribit: Deus charitas est: non est ergo timor in charitate. Quid expauescerent quæ inuenerunt, quem quæsierunt? Iesum quæritis Nazarenum. Radix enim amara Crucis euanuit: flos enim vitæ cum fructibus: id est, qui iacuit in morte, surrexit in gloria. *Paueant*, inquit Gregorius, *illi qui non amant aduentum supernorum ciuium. Pertimescant qui carnalibus desiderijs pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros conciues videtis?* Sic ille. Hæc autem verba cum articulis Græcè proferuntur maioris emphasis gratia: Ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν Ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον. Id est, Iesum quæritis, illum Nazarenum, illum crucifixum: si enim Iesus erat, & Saluator, quomodo non saluaret se ipsum? Si Nazarenus, id est, floridus, quia solus floruit inter spinas, cùm omnes ex Adam progeniti, spinæ essent, ac tribuli: & ideò solus inter mortuos liber, quomodo er-

Marginalia (left): Quid Angeli sessio super sepulchrum indicaret. Psal. 109. Coloss. 3. — Luc. 1. — Beda in Mat. 28. tom. 5. — Greg. hom. 21 in Euang. initio, tom. 2. Dextera in Scripturis quid significet. Matth. 25. Bern. ser. 7 in Psal. Qui habitat, in fin. Quare Christus dextrum sibi latus fodi sit passus. Cant. 1. — Angelus ad sepulchrū cur apparuerit in veste candida. Matt. 17. Ephes. 5.

Marginalia (right): Romanorum triumphantiū ritus. — Virg. 2. Georg. init. versus. — Clytumni amnis proprium. — Apoc. 3. — B. Hier. to. 9. — 1. Ioan. 4. — Quibus pauendum, ac pertimescendum, teste Hieron. Greg. hom. 21 in Euang. sub initium. — Nazarenus quid. — Psal. 87.

Psal. 27.

Quomodo Christus iustificatus sit à peccato.

Rom. 6.

do ergo non refloresceret, iuxta illud: *Et refloruit caro mea; & ex voluntate mea confitebor ei?* Si rursus crucifixus est, id est, officio suo functus; iustificatus est à peccato, id est, à debito quod contraxerat, ac dignus est vita extra carcerem mortis, & inferni? Non confunditur Angelus Dominum prædicare crucifixum: nam his, qui ante ipsum crucifixi fuerant, crux erat ignominia, & tormentum, cùm testaretur eorum maleficium; at huic gloria est, & exaltatio, vt per quam & eius erga homines charitas, & potestas contra mortem, & dæmones declarata est. Rursus crucis meminit Angelus, vt sicut prædictam ab ipso crucifixionem iam videbant completam, crederent etiam prædictam resurrectionē iam factam, de qua subiungit: Surrexit, nō est hic. Surrexit, non descendit de Cruce viuus, sed, quòd plus est, ex inferno, ac sepultura viuus, & viuificans omnia ascendit: quia ipse est resurrectio, & vita. Cauendaque diligenter lectionis distinctio pessima, vt surrexit non, est hic: quia repugnaret Matthæo; *Non est hic, surrexit enim, sicut dixit:* Vbi vera distinguendi ratio ostenditur: *Non est hic:* videlicet per præsentiam carnis, qui nusquam non est per præsentiam maiestatis, vt exponit Gregorius in homilia. Atque his verbis Angelus amantium accendit desiderium, dum differt manifestare, quod concupiscunt: desideria enim quæ differuntur, augentur. Satis quippè erat dicere, Surrexit, vt ipsæ nosse cuperent vbi esset: sed noluit indicare vbi esset; sed potiùs vbi non esset, cùm dixit: *Ecce locus, vbi posuerunt eum.* Videtur digito ostendisse locum, cùm inquit, Ecce: quod prior Angelus apud Matthęum non valuit præstare, cùm esset extra sepulchrum, sed tantùm eas ad ingrediendum inuitauit. Sed ô sanctæ Angele, ad locum non propter locum, sed propter locatum in eo Dominum venerunt mulieres: nil ad eas attinet, à quo absens sit Dominus: quia, vt dicitur in libro Machabæorum, non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit. ¶ *Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro.* Non solis vobis concessum est hoc gaudium, sed ob id primò vobis communicatur, vt & alij per vos eius participes fiant: non mundi amatores huius, sed discipuli, ac Petrus. Hic secundus Angelus nominatim Petrum expressit, quem prior subticuerat, vt summi Pontificatus candidato, & Apostolorum Principi honorem deferret. Nam qui ad Pontificem summum, & Cardinales literas daret, nominatim ipsum Pontificem exprimeret: quemadmodū in Actis dicitur Petrus cum vndecim, & Poëta suo modo præcipuum describens, ait:

Angelus hoc loco Christi crucifixi cur meminerit.

Christi crucifixi virtus ac potentia.

Ioan. 11.

Incommoda distinguendi ratio omnino fugienda.

Greg. hom. 21. in Euang.

2. Machab. 5.

Cur Petrum Angelus cum discipulis nominatim expresserit.

Actor. 2.

Virg. 3. Aen.

Serua altera Troiæ
Pergama, relliquias Danaum, atque immitis Achilli.

Adhæc rationi est consonum, vt doctrina inferioribus communicanda, agnoscatur prius, ac comprobetur à capite, & superiori suo. Meminit quoque Petri, vt commentarij illi Hieronymi in Marcum dicti ostendunt, quia indignum se iudicauit discipulatu, dum ter negauit magistrum (& subiungit) *Peccata præterita non nocent, quando non placent.* Gregorius quoque scribit: *Quia peccauerat Petrus, nec audebat venire; proptereà peculiariter inuitatur.* Hæc ille ferè. Beatus Ambrosius sermone de pascha peccatores inuitat ad petendam illa die veniam à Christo, dicens: *Si latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus?* Et si illi Dominus, cùm crucifigitur, miseretur; multò magis huic miserebitur, cùm resurgit. Et si passionis humilitas tantùm præstitit confitenti; resurrectionis gloria quantum tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse, sicut ipsi scitis, lata victoria, quàm addicta captiuitas. Euthymius: *Nominatim autem Petrum addidit;* vt sciret remissum sibi esse trinæ negationis lapsum; propter feruentem pœnitentiam, & respiraret: absorptus siquidem erat immenso mœrore. *Quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* In Galilæam dicit; vt vbi fuit initium splendoris gratiæ, quæ in ea cœpit prædicari, ibi quoque esse initium splendoris gloriæ. Ad immigrationem vocat Iesus, quia ad vitam nouam, & immortalem pertransierat, & ad eandem nos euocat; quia nunquam potest perfectè in hac vita videri Dominus, vt nos interim ad illam aspiremus, nec cessemus à peccato ad iustitiam, & ab imperfectiori statu iustitiæ ad perfectiorem progredi. Quidam ex Augustino (cuius librum, & locum non signant) docent probabiliorem esse sententiam, quòd Galilæa sit locus sic vocatus, non longè à Ierosolyma, in ipso monte Oliueti situs, vbi hodie turris extat, quæ Galilæa dicitur, & à peregrinis inuisitur. Verùm huic sententiæ in primis repugnant Doctores, aientes, in monte Thabor sito in Galilæa, in qua olim Christus transfiguratus, & conspectus est à tribus discipulis, visum fuisse Dominum ab omnibus discipulis, & Apostolis. Deinde, quia infrà Matthæus ait: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat,*

Hier. in Marcum, tom. 9.

Matth. 26.

Peccata præterita non nocent, quando non placent, teste Hieronym.

B. Gregor. loco dicto.

B. Ambr. ser. 51. in fin. to. 3.

Luc. 23.

Euthym in c. 68 Matth.

Matth. 26.

Ioan. 21.

Matth. 26.

Supr. 4.

Cur hîc Angelus Galilæā nominauit.

Quorundā de Galilæa, vbi Christus se post resurrectionem discipulis videndū prædixerat, minus firma, & probabilis opinio.

Matth. 17.

1 Cor. 15.

Matth. 28.

fuerat illis Iesus: quæ verba videntur sonare locum distantem à Ierosolyma, & non vicinum. Tertiò, quia Augustinus libro de Consensu Euangelistarum, sic tradit: *Proculdubio quoniam vox est ista non Euangelistæ narrantis, quod ita factum sit, sed Angeli ex mandato Domini, & ipsius posteà Domini, Euangelistæ autem narrantis: sed quod ita ab Angelo, & à Domino dictum sit, Propheticè dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur, vel transmigratio, vel reuelatio.* Hæc ille, ad allegoriam hoc trahens: de qua re inferiùs suo loco dicemus. Adiungit tamen ibidem Augustinus in obiectionem illam Iuliani Imperatoris, quam superiùs soluimus: quòd si Angelus dixisset: Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis; aut, nonnisi eum videbitis; cæteris Euangelistis sine dubio Matthæus repugnaret. Cùm verò dictum est: *Ecce præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis*; nec expressum est quando id futurum esset, verùm primum antequam alibi ab eis visus esset, an posteà quàm eum alicubi etiam præterquam in Galilæa vidissent: idque ipsum quod Matthæus dicit ite in Galilæam, in montem, nõ exprimit diem nec narrandi ordinem ita contexit, vt necessitatem ingerat nihil aliud intelligendi quã hoc primitùs factum; non aduersatur quidem narrationibus cæterorum, & dat eis intelligendis, atque accipiẽdis locum. Hęc ille Pater egregiè.

Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 25 prope fin. tom. 4.

Galilæa quid sonet Augustino.

Iuliani Apostatæ calumniam repellit Augustinus contra Euangelicam veritatem.

Sequitur in Marco: *At illæ exeuntes, fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor, & pauor: & nemini quicquam dixerunt; timebant enim.* Hæc eadem Matthæus expressit his verbis: *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius.* Vbi primùm nota, illis verbis Matthæum insinuare, mulieres ingressas fuisse in monumentum, quod expressit Marcus, sed egressum illarum vterque explicauit. Ideò malè interpretatus est Erasmus, & digressæ celeriter de monumento, & legendum egressæ. Nec est vlla inter eos contradictio: nisi quod Matthæus tradit, quòd timebant, ac gaudebant, Marcus verò, quòd tremebant, ac stupebant, siue pauebant: nam timorem illis incussum expressit vterque, gaudium verò tacuit Marcus: ni velimus in pauore illum intelligere: ipsum siquidem gaudium quandòque vertit in pauorem, seu vt Græca vox habet, in stuporem. Quod verò Matthæus dixit: *Exierunt citò de monumento*: Marcus exprimit verbo fugiendi: nam tanta celeritate sunt egressæ, vt viderentur fugere: atque hoc propter Iudæos, ne conspectæ ipsæ viderentur furari Iesum. Quòd autem præ timore nemini hominum occurrentium in via quicquam dixerunt, id factum est, quia timebant Iudæos, ne ipsas occiderẽt, audito quod Christi prædicarent resurrectionem: tamen Apostolis vniuersa retulerunt, vbi ad eos reuersæ sunt, sicut refert Lucas. Iam his duabus visionibus Angelorum expeditis, explicanda est illa tertia apparitio duorum Angelorum pluribus mulieribus facta, & enarrata à Luca, qui sic habet: *Vna autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata.* Quod ait, Venerunt, non exprimens venientes; referendum est ad superiora Lucæ verba: *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus Iesu.* Istæ ergo quæ viderant, sunt, de quibus capite vltimo subdit: *Vna autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum.* Græcè additur hoc loco: *Et quædam cum ipsis*, id est, nonnullæ ipsæ mulieres cum ipsis venerunt. Et ita videtur hæc visio alia esse à priori, ex numero mulierum: quia in priori fuerunt duæ, iuxta Matthæum; vel tres, iuxta Marcum; hic autem erant mulieres cum quibusdam alijs. Erant enim præter illas duas à Matthæo nominatas, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & aliquot aliæ, non expressis earum nominibus. Itaque præter quatuor fœminas, tres in Marco, & vnam in Luca nomine suo nuncupatas, constat etiam, alias quoq; Domini sepulchrum adijsse. Nec propterea tamen debet quis existimare, diuersos Euangelistas de diuersis locutos mulieribus, aut de earummet diuersis accessibus: quia non omnes æquè multas nominant. Ioannes vnius tantùm facit mentionem, vt omnium præcipuæ, quæ sola prima videre Dominum promeruit; alij verò vnam & alteram ex præcipuis ei coniunxerunt, omissis alijs, quæ eas comitabantur: omnes tamen satis indicant, Angelos mulieribus, & mulieres Apostolis annuntiasse Domini resurrectionem. Sequitur in Luca: *Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.* Intellige hunc ingressum secundum esse à priori trium fœminarum enarrato à Marco. Et vel aliæ ab illis tribus mulieres hæ fuerunt, quæ exemplo priorum ingredi voluerunt monumentũ; vel si illæ eædem, aut si aliqua ex illis fuit, mirandum non est, quòd cùm dicantur citò exijsse, fugisseve de monumento, substiterint aliquantulum, & redierint: vel vt alijs fœminis, quę non viderant, ducatum præberent; vel vt eædem

Erasmi interpretatio reijcitur.

Matthæi cum Marco conciliatio.

Cur mulieres exierint citò de monumento.

Luc. 24.

Ibidem.

Luc. 23.

Angelorum mulieribus facta visio diuersa ab illa quam Marcus cõmemorat.

Luc. 8.

Discrimen visionis Angelorum ab illa Marci discrimen, vnde etiam confirmari possit.

ipsæ conspecto monumento, de corpore sublato redderentur confirmatiores. Subiungit Lucas: *Et factum est, dum mente consternatæ essent* (siue, vt Græcè dicitur, *perplexæ*) *de isto ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, (siue, vt Græcè legitur, *fulguranti*.) Quia ponuntur duo Angeli, & stantes, & in forma virorum, & in vestibus fulgurantibus, & post aliam temporis moram in monumento tractam apparuisse, non videtur esse illa eadem visio, quæ apud Marcum à nobis iam exposita est: quia ibi vnus tantùm Angelus, & sedens in dextera, & in forma adolescentuli; Græcè enim dicitur νεανίσκος, sicut hi dicuntur ἄνδρες: & statim vt ingressæ sunt, viderunt Angelum illum coopertum stola candida, non autem veste ad similitudinem fulguris splendente.

Marc. 16.

Sequitur in Luca: *Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram.* Territæ erant ex præsentia Angelorum, & ex monumento vacuo, & declinabant vultum in terram, tùm solitæ verecundiæ modestia, tùm fulore vestium, & maiestatis Angelicæ. Sequitur: *Dixerunt ad illas, Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordati sunt verborum eius.* Hæc Angelorum verba satis indicant, longè diuersam esse Angelorum visionem à prædicta Marci: nō locuti sunt enim mansuetè, vt prior, & secundus, quēadmodùm notat Euthymius, & Caietan⁹, sed obiurgādo eas propter ipsarum incredulitatem, quæ bis instructæ ab Angelis, adhuc non credebant. Et primò quidem vnus Angelus, deinde alter, tertiò iam non vnus, sed duo alij, vel vterque dictus; vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Et primò arguunt, quòd quærant Iesum viuum suscitatum cum mortuis, hoc est, quasi mortuū: hoc enim est esse cum mortuis. Argumentantur à loco vacuo: Surrexit, inquiunt, non est hic. Tertiò ab obliuione verborum Domini, qui dum versaretur in Galilæa, omnia ista prædixerat. Ter enim prædixerat mortem, & resurrectionem, semel in Cæsarea Philippi, deinde in regione Galilææ, tertiò in ciuitate Capharnaum, vt habes apud Matthæum & Lucam: *Oportet* (inquit Angelus) *filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi; & tertia die resurgere.* Peccatores vocat Gentiles, iuxta morem Hebræorum, vnde Paulus dixit: *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus, peccatores.* Et Christus non tantùm mortem, sed etiam resurrectionem prædixerat: alterum impletum iam videbāt mulieres; de altero aiunt Angeli: Nobis credite, quia eius rei testes missi sumus. Et sequitur effectus, quòd recordatæ sunt verborum: credebant enim, iam euētum cum prædictione consonum videntes, & nihil præcipiunt Angeli, vt annuntient Apostolis, quia iam satis supra bis eas admonuerāt. Vt & hinc colligatur apparitio diuersa, vt colligunt Euthymius, & Caietanus: quamquā intus, & extra monumentum factam esse asserat hanc Angelorum apparitionem, eo quòd locus monumenti tot mulieres intus non caperet. Ait igitur, illas primum fuisse ingressas paulatim, & in ingressu vidisse hos duos Angelos. Et hactenus de Angelorum diximus apparitionibus: tantùm superest illa duorum Angelorum visio, quæ soli Magdalenæ conspecta fuit, quam à præteritis omnibus longè esse diuersam, non erit difficile demonstrare. Quæ quoniam cum prima apparitione Christi ipsimet facta coniuncta est, nonnisi hoc loco poni potest. Sed interim opportunum est huic tractatui finem imponere. Angelorum igitur testimonio corroborati, & mulierum, quæ primæ illos viderant, visionibus confirmati, & promissione de spectando Christo erecti; non est de resurrectione Domini ambigendi vllus locus nobis relictus. Nec sine mysterio hæ mulieres Mariæ sunt appellatæ: quoniam sicut colloquium Angeli cū beatissima Virgine Maria initium fuit nostræ salutis, ita colloquium Angelorum post Christum suscitatum cum eiusmodi Marijs, nostræ fuit initium reparationis, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto est trinus honos, gloria & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Vis maiestatis angelicæ.

Matt. 17

Euthym. vbi suprà.
Caiet. in Matt
Deut. 19.
Matth. 18.

Quid illud Angelicum ad mulieres, Quid quæritis viuentem cum mortuis?

Matth. 26.

Infra 17.

Quos Iudæi de more peccatores appellauerint.

Galat. 2.

Euthym. c. 68 in Matth.
Caiet. ibid.

Quid quod hę mulieres Domini visitatrices sepulchri, Mariæ sint appellatæ.

Luc. 1.

TRACTATVS X.

De mulieribus ab Angelis ad discipulos destinatis, ac de Petri, & Ioannis festinato cursu ad monumentum, in verba illa beati Ioannis: *Vna autem Sabbati, Maria Magdalena venit manè cùm adhuc tenebræ essent, ad monumētum, & vidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt*

runt eum. Exyt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum,&cat. Ioann. 20.& Luc.24.

Compendium prædictum de apparitionibus tribus Domini factis.

HACTENVS Explicuimus apparitiones tres per Angelos factas mulieribus, in quibus Angeli apertè monuerunt illas, vt faustum resurrectionis nuntium adferrent discipulis: id enim expresè docet Angelus primus apud Matthæum, & ille alter secundus apud Marcum: at Angeli duo apud Lucam visi à mulieribus, nihil tale illis verbo mandauerunt, verùm cùm illæ eædem essent mulieres, quæ hæc à duobus prioribus Angelis susceperant monita, non opus fuit illud tertiò replicare, & satis erat ipsa rei nouitas, vt pedibus illarum alas innecteret, quò festinantes nuntiarent Apostolis quæ visu ipsò, atque auditu perceperant: de quarum ad Apostolos aduentu tantummodò Lucas, Ioannesque mentionem fecerunt, quarum monitu Petrus,& Ioannes ad inuisendum se contulerunt sepulcrum, & vera esse, quæ mulieres annuntiauerant, compererunt. In primis igitur ita exorditur Ioannes: *Vna autem Sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento.* Nihil in his verbis legimus, quòd non fuerit superiùs abundè explicatum.

Cur Ioannes Mariæ Magdalenæ ad sepulcrum venientis tantum meminerit.

Illud notandum, Ioannem tacuisse sodales, quæ comitatæ sunt Mariam Magdalenam venientem ad monumentum, & ipsius tanquàm antesignanæ,& in fide feruẽtioris mentionem facere,& quia mens eius erat, apparitionem illi soli factam describere. Quod vt simili per omnia illustretur exemplo, ecce Lucas solius Petri ad sepulcrum venientis ad vocem Magdalenæ, & aliarum mentionem facit, quia in animo habebat apparitionem illi factam recensere, de qua infrà testatur, quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, cùm tamen constet ex hoc capite Ioannis, quod non solus Petrus, sed etiam Ioannes venerint ad monumentum. Haud dissimili ratione Maria Magdalena sola dicitur à Ioanne venisse ad sepulcrum; cùm tamen solitaria nequaquàm venerit, sed cum altera Maria, vt tradit Matthæus, vel cum alijs duabus, vt tradit Marcus, vel cum alijs nonnullis, vt insinuat Lucas; imò ipse Ioannes illud aliquo modo indicare videtur, cùm inducit Mariam loquentem ad Apostolos, ac dicentem, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Vbi expendendum est verbum pluralis numeri, Nescimus, quo verbo innuit solam se non fuisse; sed cùm alijs. Lucas etiam proponit duos discipulos euntes in Emaus, Domino dicentes: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt ad nos dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.* Neque ergo sola Maria Magdalena venit ad monumentum, & vidit visionem Angelorum, neque sola redijt ad annuntiandam discipulis Domini resurrectionem, vt apertè testatur Lucas, etiamsi Ioannes & Marcus, solam illam redijsse ad testandum Apostolis, se Dominum vidisse, perhibeant. Quãquàm hi duo Euangelistæ nõ loquantur de reditu Magdalenæ ad testificandum Apostolis, se visionem Angelorum vidisse, qui dicebant Dominum viuere: quia in hoc reditu comites habuisse alias mulieres testatur Lucas; sed loquuntur de reditu Magdalenæ, postquàm sola Dominum vidit; ad testandum se Dominum vidisse, quod solus Marcus, & Ioannes recensent. Quanquàm verisimile non est, illam solam venisse ad Apostolos, sed cum alijs mulieribus, quibus euntibus ad nuntiandum, Dominus in via illis apparuit; illæ verò tenuerunt pedes eius,& adorauerunt eũ, vt Matthæus scribit. Verùm Magdalena cũ maiori polleret fide, autoritateq; apud omnes, idcirco de illa tanquàm antesignana priùs Euangelista commemorat. Ambrosius tamen in Lucam, distinctam esse vult istam Mariam Magdalenam, quæ solitaria venit ad monumentum ab ea, quæ cum alijs comitata accessit ad sepulcrum: quia hæc sciebat Dominum suscitatum, illa verò nesciebat. Hieronymus quoque ad Hedibiam scribit: *Quidam duas Marias Magdalenas de eodem vico Magdalo fuisse contendunt, & alteram esse, quæ in Matthæo eum viderit resurgentem, altera, quæ in Ioanne illum quærebat absentem.* Idem prætereà beata Elisabet in libris suarum reuelationum tradit. Verumtamen nihil solidi habet hæc opinio, cùm possit idoneè Textus vna Maria Magdalena posita consistere: & illas duas Marias Magdalenas non tam ex sua; quàm ex aliorum sententia Hieronymus adferat. Refert Ioannes, Mariam vidisse lapidem sublatum à monumento, tacet autem terræmotum, & visionem Angelorum enarratam ab alijs Euangelistis, & mandatum, vt hæc annuntiarent discipulis, tantumque enarrat ipsam annuntiationem, dicens: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Quibus verbis in-

Quare Lucas dixerit, Domini num resurgentem Simoni apparuisse, cũ etiam alijs visus sit.
Luc. vlt.
Luc.24.
Matt. vlt.
Ambr. lib.10. in Lucam, in c.24. tom.5.
Hier. ad Hedib.q.4. to.3.
B. Elisabet li.4. reuelat.

Maria Magdalena quanti faceret Christum.

dicat non satis firmatam fidem resurrectionis ab Angelis prædicatæ concepisse: quanquàm illud sit commendandum, quod pro summo damno duceret perdidisse CHRISTVM. Hinc enim eius erant lacrymæ, & querelæ: nobis tamen longè diuersus est animus, qui temporaria damna statim sentimus, ac deploramus, de spiritualibus verò nihil prorsus curamus. Illud autē commendandum, quòd præcepto Angelorum obsequentes, qui dixerant: *Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro*, sui ipsarum oblitæ cucurrerint, nihil cogitantes essetne sibi decorum, vel indecorum, modò munere perfungerentur suo, calcaribus metus, & spei stimulatæ ad maturandum reditum.

Mulierū illarū obedientia, & amor erga Christum.

Cur Maria Magdalene Petro nominatim, ac Ioanni resurrectionē Domini annuntiauerit. *Ioann. 18*

Dicuntur autem venisse ad Petrum, ac discipulum dilectum, qui aliorum veluti capita erant, & qui fortassis primi ipsis inter Apostolos occurrerunt. Semper enim illi duo inter se coniunctissimè agebant, ac versabantur, vt constat ex passione, in qua vterque secutus est CHRISTVM: & ex hoc festinato cursu ad sepulcrum, & quia simul piscantur ad Mare Galilææ, ac principibus Sacerdotum respondent: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*: simul quoque ascenderunt in templum ad horam orationis nonam: & coniunctim missi sunt ad Samaritanos. Ad Simonem ergo cucurrit, vt qui à fęmina perterrefactus negauerat Dominum, fœminæ nuntio recrearetur. Quòd vero mulieres nihil de Angelorum visione discipulis dixerint, ex infidelitate non fuit profectum, vt existimat Caietanus: quia Lucas testatur, euntes in Emaus retulisse mulieres, se visionem Angelorum vidisse. Porrò hanc annuntiationem à mulieribus discipulis factam, quam Ioannes breuiter absoluit, latiùs Lucas explicauit, his verbis: *Et regressæ* (scilicet mulieres) *à monumento, nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Vbi primùm obserua, quòd quia annuntiauerunt omnia quæ audierant, etiam renuntiarunt Angelorum visionem. Et quia dicit, Vndecim discipulis, & cæteris omnibus, per cæteros omnes intellige septuaginta discipulos, quorum permulti aderant, quemadmodum cum nominatis Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, subiungit: Et cæteræ quæ cum eis erant; intellige Salomen, quam hactenùs non expresserat, & alias quasdam. Quòd vero verba mulierum visa

Inf. 21. *Actor. 5.* *Supr 8.* *Infr 8.* *Matt. 26.* Caietani sensus refellitur. *Luc. 24.* *Caietan. in Ioannem.*

sint illis sicut deliramentum, & fide indigna; mirandum non est, si spectes tarditatem, ac duritiem naturalem Apostolorum in credendo, maximè post tantam mortis CHRISTI tempestatem, & mentes illorum vehementibus timoris, atque tristitiæ affectibus perculsas. Nam obliuio verborum Iesu, quæ dixerat de sua resurrectione, & tantæ rei ad credendum propositę difficultas eos retardabat. Nam vt rectè quidam dixit:

Quare Apostoli mulieribus Domini resurrectionem annuntiantibus fidem nō habuerint.

Tarda solet magnis rebus inesse fides. — *Ouid. epi. 16.*

Nihil autem magis nouum, atque inauditum, quàm mortui ad vitam reuocatio. Timor quoque, ne à fœminis fortè per spectra quædam conspecta deceptis deciperentur, & conceptum gaudium illis præriperetur, eos maximè auocabat, & impediebat à credendo; quare putabant verba illarum deliramentis esse similia, ac quibus fides haberetur, minimè digna. Id etiam ea narratione diuinitùs dispensatum est; vt quò Apostoli duriores se exhibuerunt in credendo, eò magis in veritate tandem cognita confirmatiores redderentur, & nos in eorum dubitatione in tanto fidei articulo magis solidaremur. Etsi autem dicantur non credidisse fœminis Apostoli, Lucas tamen exceptionem facit statim Petri, dicens: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens* (siue, vt Græca vox habet, *demisso capite prospiciens*, *eò quòd ostium monumenti esset depressius*) *vidit linteamina sola posita, & abijt, secum mirans quod factum fuerat.* Cùm igitur dixisset illos minimè fidem habuisse mulieribus, cùm aduersatiua subiungit: *Petrus autem*: ostendens, Petrum non accepisse verba mulierum vt deliramenta, nec incredulum se illis præbuisse, quia statim concito gradu in monumentum pertexerit, vt dictorum à fœminis veritatem exploraret. Atque id ipsum testatur Ioannes, cùm ait: *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul*, & reliqua. Sed apud nonnullos in controuersia positum est, an hæc annuntiatio resurrectionis per mulieres ad Apostolos facta, & à Luca enarrata, sit prorsus illa eadem, quam ex Ioanne retulimus Simoni Petro factam. Et nonnulla indicare videntur esse diuersam. Primò, quia illa, quam commemorat Lucas, facta est à pluribus mulieribus; hæc autem apud Ioannem dicitur facta à Maria Magdalena. Sed hoc debile est: nam & illa, quæ in Luca facta esse dicitur, præcipuè facta est à Magdalena, sed alijs comitata. Et hæc, quam recenset Ioannes ab vna sola factam,

An hæc annūtiatio resurrectionis à mulieribus ad Apostolos facta, & à Luca enarrata, sit prorsus illa eadem, quam Simoni factam refert Ioannes.

Rationes eorum, qui aiunt esse diuersam, diluuntur.

indi-

indicat & alias adfuisse, cùm ait: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Nam quemadmodum non ob id asserimus Euāgelistas diuersa narrare, quia vnus plures, alius pauciores nominat mulieres; ita nec ob id putandum Ioannem contraria, aut diuersa à Luca recensere, quòd Mariam Magdalenam venisse dicat ad Petrum,& Dilectum discipulum, cùm Lucas eam dicat venisse cum alijs ad vndecim, eisque narrasse, quæ audierant, & viderant. Secundò videtur probare, illam esse diuersam: quia illa dicitur facta soli Petro,& Ioāni dilecto; hæc verò Lucæ vndecim Apostolis,& cæteris omnibus. Verùm hoc facilè soluitur, dicendo, quod primò facta est omnibus in genere, vt ait Lucas, verùm Maria Magdalena illam peculiariter Petro fecit,& Ioanni. Et causam annotauit Euthymius his verbis: *Petro autem, & Ioanni loquitur Magdalene: illi quidem tanquàm omnium summo: huic verò tanquàm dilecto, & qui ampliùs quàm cæteri diligebant Iesum: soli enim inter omnes secuti fuerant eum, cùm ligatus abducebatur ad Annam, & Caipham.* Hæc ille. Tertiò videtur probare diuersam, quòd illa annuntiatio apud Ioānem facta, statim fuit credita à Petro, & à Ioanne, quia sequitur: *Exijt ergo Petrus, & alius ille discipulus, & venerunt ad monumentum:* hæc verò verba mulierum commemorata testātur visa esse Apostolis sicut deliramentum, non credentibus illis de viso & audito testificantibus quòd vidissent Angelos, & audissent ea quæ retulerant. Atque hæc paruipensio Apostolorum tanta fuit, vt mulieres ipsas de audita resurrectione reddiderit dubias: vt patet ex eo, quòd reuersæ sunt ad monumentum adhuc Iesum quærentes. Et Maria Magdalena cogitans intra se, quod verè decepta esset in his quæ viderat, & audierat, reuersa est prætereà ad sepulcrum, & inuento corpore sublato, redijt ad Petrum; & Ioannem. Hæc super Matthæum docet Euthymius, & subscribit eius sententiæ Caietanus. Sed profectò verisimile non est, mulieres à fide eorum quæ viderant, & audierant, excidisse, nec ex incredulitate reuersas fuisse ad sepulcrum, sed visitandi loci gratia, ac desiderio Dominum videndi, quem surrexisse audierant, & crediderant. Solutio ergo propositæ difficultatis est, verum esse, Apostolos mulieribus non credidisse; at Petrus, & Ioannes nonnullam fidem conceperunt, cùm venerunt ad monumentum, vt cum aduersatiua particula Lucas indicat, dicens; *Petrus autem surgens,&c.* quo verbo declarauit, Petrum verba mulierū pro deliramentis non habuisse. Quarto loco obijci posset, Lucam solum retulisse, Petrum concurrisse ad monumentum; Ioannem verò, non tantùm Petrum, sed etiam Ioannem concurrisse. Sed hoc facilè conciliatur: Petrus enim non venit solus, sed cum Ioanne, vt ipsemet Ioannes testatur, qui in hoc capite supplere videtur id, quod Lucæ deerat. Imò ex Luca ipso accipi potest, quod Petrus solitarius non venerit in sepulcrum, quia infra euntes in Emaus asserebant: *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt.* Vbi dicendo Quidam ex nostris in plurali, ostendit, non solum Petrum venisse, vt acutè considerauit Augustinus libro de consensu Euangelistarum. Quintò videri quoque posset contrarium inter Ioannem,& Lucam, quòd prior scribat Mariam tantùm dixisse, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum*, cùm Lucas dicat, mulieres dixisse Apostolis quæ viderant, & audierant. Nam si dixerunt se vidisse Angelos, qui dicerent Dominum viuere; quomodo Maria dixit, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum?* Sed non est difficilè intelligere, mulieres etiam post visionem Angelorum firmiter credidisse, Dominum surrexisse: & idcirco nunc quidem narrasse quæ audierant, & viderant, nunc vero suam dixisse sententiam, qua putabant ab his, quos in monumento receperant, aut ab alijs Domini corpus alio translatum fuisse. Et quia Ioannes de prima apparitione Angelorum à tribus descripta Euangelistis nihil retulerat, ideo ea tantùm verba Magdalenæ recenset, quibus propriam tantùm ipsius explicauit sententiam, non illam Angelorum. Vnde & paullo post enarrat ipsam flentem ad monumentum dixisse Domino in forma hortulani apparenti: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Et infrà: *Domine, si tu sustulisti eum: dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam.* Quod ergo Augustinus colligit, ex eo quod Magdalena apud Ioannem tāntùm dicit sublatum Dominum de monumento, illam cum alijs in primo accessu ad sepulcrum non vidisse Angelos, sed viso sublato lapide recurrisse, ac renunciasse Petro & Ioanni, qui adierunt sepulcrū; & inuentis linteis credidisse verum esse quod Maria dixerat sublatum corpus; deinde vero mulieres reuersas vidisse Angelos, eisque visis renuntiasse Apostolis quæ audierant ab eis: non conuenit cum narratione Matthæi & Marci,& videtur cōtraria Lucæ, qui vbi

II. Ratio.
Euthym. c. 18. in Ioann.
Ioann. 18.
III. Ratio.
Euthym. cap. 63 in Matth.
Caiet. ibid.
IV. Ratio.
Aug lib. 3. de consensu Euang. c. 25. prope finē. tom. 4.
V. Ratio.
Dictum Augustini refellitur.

vbi dixit mulieres renuntiasse quæ viderāt, & audierant ab Angelis, & illos non credidisse eis, mox subijcit: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum*: significans Petrum accessisse sepulchrum post annuntiatam Angelorum apparitionem, quam referētibus mulieribus Apostoli non crediderunt. Et idem significat inferiùs, vbi ait Cleophas: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum. Et non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum verò non inuenerunt.*

VI. Ratio.

Argumentantur quidam ex illo Ioannis, vbi habetur, quòd Ioannes procubuit, seu inclinauit se, Petrus verò accedens introiuit in monumentum. At Lucas refert Petrum procubuisse, seu demisisse caput vt prospiceret, & vidisse linteamina, &c. Responderi tamen facilè potest, Petrum procubuisse primò, vt Lucas refert, deinde verò resumpto animo etiam vltrà fuisse progressum: quia intrauit ipse, & autor fuit vt Ioannes quoque introiret: qui etsi præcurrisset citiùs Petro, eatenùs tamen ingredi ausus nō fuerat. Et ita concordat hāc dissonantiam Augustinus dicto loco. Quanquàm aliter dici possit, quod postquàm ingressus est Petrus in monumentum, ipsum demisit caput, vt certiùs, & clariùs perspiceret linteamina, illaque contrectaret, non contentus ea videre à longinquo. Ad extremum, posset fieri argumentum, quia illa narratio Ioannis concluditur in fide duorum Apostolorum, nam dicitur: Et vidit, & credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere: aduentus verò Petri apud Lucam in eo terminatur, quòd abijt, secum mirans quod factum fuerat.

Admiratio duplex est.

Verùm hoc solui potest: quia admiratio nō tollit fidem, imò quandoque ponit; nec fides tollit admirationē, sed potiùs auget, vt in nobis: admiramur enim plerumque magna creationis, incarnationis, & resurrectionis mysteria, quæ fide suscepimus; vnde Angeli dixerunt ad Apostolos credentes, videntesque mysterium Ascensionis: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* At quòd idem sit prorsus, testantur illa verba, quæ Lucas ait: *Et abijt ad seipsum* (ita enim Græcè legitur, καὶ ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν) id est, Ad suum diuersorium: quod Ioannes de seipso ac Petro ait: *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos*, id est, ad propria habitacula, vel ad propria curanda negotia. Cursus ergo ille Petri enarratus à Luca, vnus & idem est cum eo quem tecēset Ioannes, vt temporis ratio indicat, id est, Post auditam à mulieribus resurrectionem, concitatus, maturatusq; gressus, ingressusque in sepulchrum ostendit, atq; prospectus linteaminum iacentium, & reditus eorundem Apostolorum à monumento in domum suam indicat: quare paruæ illæ differentiæ quas composuimus, obstare non debent, quo minùs sit vna, & eadem historia.

Iam verba Ioannis explicemus: *Currebant autem duo simul: & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumētum.*

Petrus & Ioannes quare ad sepulchrum Christi currebant.

Isti duo præ cæteris diligebant ardentius; etsi fieri potuerit vt hi duo à cæteris alijs fuissent ordinati, vt eorum nomine sepulchrum adirent, & viderent si vera essent, quæ sibi fuerant renuntiata. Currebāt non solùm amore Christi tracti, sed etiam timore Iudæorum, ne die iam claro ab eis viderentur venisse ad sepulchrum. Simili feruore currebant, & se despiciēres, & sua, & simul ab initio cursus: sed Ioannes vt iunior, & vigore corporis robustior, prior peruenit, & inuicē se ambo vicerunt: Ioannes quidem in currendo, Petrus verò in intrando in monumentum, vt expendit Euthymius.

Euthym. cap. 18. in Ioan.

Nec ad leuitatem, sed ad pietatem cursus ille spectabat: non enim ad mundi spectacula festinabant, sed ad sepulchrum Christi.

Cursus Ioannis ad monumentum quid insinuet.

Et quòd Ioannes cucurrit; indicat Christianum feruorem quo quisque pro virili sua tendere debeat ad Christum, iuxta illud Pauli: *Sic currite vt comprehendatis.*

1. Cor. 9.

Quod Ioannes præcucurrerit citius Petro ad sepulchrum, quid denotet.

Quòd verò Ioannes præcucurrit citiùs Petro ad monumentum; denotabat in Ecclesia futuros nonnullos, qui Christi vicarios, & Petri successores, vel sapientia, vel sanctitate superarent; potestate tamen, & autoritate longè esse Christi vicario inferiores. ¶ *Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina*, (scilicet sine corpore) *non tamen introiuit.*

Quare Ioannes in monumentum non introiuerit.

Fortassis præ timore, quòd audisset à mulieribus Angelos ibidē conspectos fuisse; vel vt superiori Petro, ac seniori deferret ingressus primatum, & honorem. ¶ *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.*

Luc. 24. Matt. 27. Marc. 15.

Nota in primis & hoc loco, & apud Lucam dici in plurali linteamina, quæ Matthæus & Marcus in singulari vocant Sindonem, quòd nō esset simplex sindon, sed duplicatus, vt annotauimus. Adhæc obserua Lazarum suscitatum, habuisse faciem sudario ligatam, quod pro more illius gentis adhibebatur mortuis.

Ioan. 11. Sudarium olim mortuis adhibebatur more Iudæorum.

Reliquit autem Christus linteamina & sudariū in sepulchrò,

Quare Christus absq; linteaminibus surrexerit.
Gregor. Nyss. orat. 2. de Resurrect. aliquant. ante medium.
I Ratio. Vera vestis quæ sit.
Psalm. 92.
4. Reg. 2.
Genes. 2.

pulchro; quo ostenderet se ad vitã immortalem verè esse suscitatum, vt testatur Gregorius Nyssenus Oratione de resurrectione. Vita siquidem illa, ad quam suscitamur, terrenis, caducisve non indiget vestibus, cum iam decorem indutus esset Christus, & fortitudinem, quæ vera est vestis, qua sine nunquàm satis nos possumus obtegere, etiamsi coram hominibus egregiè nobis vestiri videamur, ac tecti. In cuius rei signum dum Helias deportaretur in cœlũ, pallium suum reliquit Helisæo. Si enim incolentes terrestrem paradisum, vestibus terrenis non egebant, cùm adhuc essent mortales, id est, mori possent, licèt necessitati moriendi non essent obnoxij, vnde erant nudi, & non erubescebant; quantò magis corporibus gloriosis, & immortalibus exornati? Hinc Dominus quam volebat speciem sine habitum assumebat, vt hortulani, quẽadmodum fecit, cum apparuit Mariæ Magdalenæ, vel peregrini, vt fecit cum discipulis pergẽtibus in Emmaus; vel mercatoris, vt cùm apparuit discipulis piscantibus ad mare Tyberiadis, & dixit illis: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Præterea ad testimonium fidei, reliquit linteamina cõtra Iudæos, qui mentiebantur Apostolos furatos esse corpus Christi. Vt igitur huiusmodi cadaueris asportati suspicio tollatur, exuuias reliquit: nam Apostoli nec linteamina reliquissent, imò nec tantùm temporis habuissent, vt possent eaã corpore, cum quo erant mixtione myrrhæ, & aloës agglutinata, separare: nec separatim fuisset sudarium tanta cura inuolutum, atque plicatum, sed asportatum fuisset cadauer, vt iacebat cum linteaminibus, & sudario. Tertiò indicare voluit hoc facto, verè spiritualiter à morte peccati suscitatos debere veterem cum actibus, colloquijs, & familiaritatibus pristinis deserere vitam, etiamsi fortissimis, ac dulcissimis voluptatis vinculis adstricti, illigatique illi essent, secundùm illud Apostoli ad Ephesios: *Deponere vos, secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Postremò docere nos voluit, in sudario illo diuinitatis faciem non potuisse sudoribus, aut passionibus occultari, quin tandem se proderet, quemadmodum nec humanitas, siue humanitatis innocentia vllis pœnis quasi linteaminum vinculis, quibus erat inuoluta, potuit detineri. Imò Petrus inquit: *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossi-*

Luc. 24.
Ioan. 21.
Matt. 28.
Ioann. 19.
II Ratio.
Ephes. 4.
III. Ratio.
IV Ratio.
Act. 2.

bile erat teneri illum ab eo. Porrò illa Ioannis præcursio in monumentum, qui tamen ingredi non est ausus, nisi prius Petrus introiret, mysterium inuoluit. Nam Synagoga in Ioanne designata nõ intrante monumentum, significat vt Gregor. exponit, Iudæos in Christi fidem non fuisse ingressos: quòd etiam illud iuxta spiritum spectat, quod dictum est Christo: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui.* At Petrus ingrediens monumentum, Gentilitatem delineat, quæ fidem resurgentis amplexa est Christi: ac vt post Petrum ingressus est Ioannes, ita postquàm plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet.

Ioannis præcursio in monumentum, in quod tamẽ non introiuit, sed Petrus, qđ delineauerit.
Gregor. ho. 21. in Euangelia, tom. 2.
Matt. 12.
Rom. 11.

Sequitur in textu: *Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum.* Prior ingressus est Petrus, vtpotè audacior, ac animosior, & vt docet Ambrosius super Lucam, quasi qui claues regni vt alijs aperiret, acceperat. *Et vidit, & credidit.* Vidit quòd mulieres dixerant se non inuenisse corpus IESV in sepulcro, & se vidisse visionem Angelorum dicentium Dominum Iesum surrexisse. Primùm quidem vidit oculis suis, videlicet non adesse corpus; reliqua duo credidit. Et adiungit: *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum à mortuis resurgere.* Excusat tarditatem discipulorum in credendo mulieribus resurrectionem annuntiãtibus, tùm ex ignorantia sacræ Scripturæ, quæ frequenter, & præsertim in Psalmis resurrectionis Christi facit mentionem: vnde Paulus dixit, quòd resurrexit tertia die secundùm Scripturas. Poterat etiam adiungere obliuionem verborum Domini, de qua superiùs accusatæ sunt mulieres ab Angelis: nam sæpè Dominus tùm Apostolis, tùm mulieribus resurrectionem suam tertio die à morte futurã concionatus fuerat, & ideò euentu ipso, & Scriptura prædicente reuincuntur. Et perfectior virorum fides ex eo esse probatur, quia sine visione Angelorũ, & reuelatione crediderunt. Alij interpretantur credidisse illos Domini resurrectionem annũtiatam, quia simpliciter dicitur: Et vidit, & credidit. Quare Cyrill. in Ioannem: *Credidit*, inquit, *Christum surrexisse, nimirum ex visis linteaminibus, sudarioque: quia nondũ Scripturæ sensum bene perceperant, quòd Christi futura resurrectio esset prædicta. Nam si id credidissent, non expectassent signa illa sensibilia in monumentum, & visus linteaminum, & sudarij, quibus permoti crediderunt.* Hæc ille in sensu. Hinc quoque apparet, quòd ille aduentus Apostoli Petri ad monumentum, secundùm Lucam, non sit distinctus ab illo, quẽ Ioannes narrat: quia

Matt. 16.
Ambr. in Luc. 24. to 5.
Petri fides de Christi resurrectione.
Discipulorum infidelitas, & vnde profecta.
Luc 24.
Matth. 16.
Infr. 17.
Infr. 20.
Infr. 26.
1. Cor. 15.
Luc. 24.
Virorũ, quam mulierum, cur perfectior de resurrectione Domini fides.
Cyrill. li. 12. in Ioan. cap. 44. tom. 1.

si alius

si alius esset ab eo, vtique illo esset posterior. Et postquàm credidit Scripturæ docenti resurrectionem Domini, non rediret iterum ad sepulcrum vt spectaret linteamina, nec solùm conciperet ex factis admirationem, quam ex rebus nouis & inauditis concipimus, illam verò ex primo ingressu satis deponere potuisset. Imò tunc creditur Petrum reuertétem à sepulcro separatum fuisse ad aliquod tempus à Ioáne: & fide iam concepta resurrectionis in mente sua Dominum Iesum suscitatũ, primùm inter homines vidisse, etiam ante discipulos euntes in Emmaus. Prior tamen simpliciter Dominum vidit Maria Magdalena, vt scribit Marcus. Deinde Dominus ostendit se Petro: tertiò apparuit mulieribus in via, quæ ibant ad Apostolos, vt annuntiarent Christi resurrectionem: quartò iterum discipulis duobus euntibus in castellum: quintò, sub vesperam apparuit vndecim discipulis. Vt interim silẽtio supprimamus apparitionẽ factam Iacobo Apostolo, cui⁹ meminit Paulus, & Hieronymus ex Euangelio Nazarenorũ producit, & illam factã Iosepho ab Arimathia, quã aliqui ex traditione producunt: sed in primis illam quam sanctissimæ Virgini ante omnes viros, & mulieres exhibuit Dominus Iesus, de qua sequenti Tractatu commodiùs verba faciemus. Concludit ergo Ioannes: *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos*: hoc est, in suũ diuersorium, siue domicilium: vt est illud Marci: *Veniunt nuntij ad archisynagogum*, id est Dominum archisynagogi: ita hic, Abierunt ad semetipsos. i. ad locum, vbi nouem erant congregati, vt annuntiarent alijs quæ viderant, & consultarent quid agendum. Abierunt inquam, non quidem incredulitate debilitati, aut fracti desperatione, sed fide nonnulla, atq; fiducia concepta, ita vt magis dispositi redderentur ad videndum Dominum: & vbi cœperunt Scripturas intelligere, iam ad seipsos, qui priùs extra se erãt, præ formidinis, dolorisq; magnitudine reuersi sunt. Quemadmodum enim qui magno aliquo excandescentiæ, siue iracundiæ motu perturbantur, cùm illum deponunt, ad seipsos redire dicuntur, ita qui ingenti conficiuntur mœrore, quãdo affulget gaudij spes aliqua, redire censendi sunt ad seipsos, quasi priùs à seipsis discessissent, ac tum veritatis fiunt capaces. Vnde & Petro ad seipsum reuerso, tanquàm iam idoneè præparato præsentiam suam exhibuit Dominus Iesus Christus, cui sit cum Patre, & Spiritu S. benedictio, & claritas, & sapientia, honor, virtus, & fortitudo tanquam Deo nostro in secula seculorum, Amen.

Marc. 16.

Luc. 24.
Matt. vlt.

Ibid.

1. Cor. 15.
Hiero. in Catalog. scripto Ecclesiast. to. 1.

Quid est, discipulos ab. isse ad semetipsos.

Marc. 5.

Vnde hæc dicta comparatio videatur.

TRACTAT. XI.

In quo differitur de prima apparitione Christi suscitati ad sanctissimam suã genitricem Mariam, etiamsi de ea nulla fiat mentio in Euangelio.

VENATORIAE artis periti quò prædam consequi valeant optatam, consueuêre maturè admodum lustra ferarum, in quibus quiescunt, ac delitescunt, accedere, atque illis retia tendere, cæteraque opportuna instrumenta ad assequendam feram adhibere. Ecce mulieres sanctæ, & CHRISTI ardentes dilectrices profundo diluculo surgunt, & cum adhuc tenebrę essent, ad monumentum, Christo veluti magnete illas trahẽte, contẽdunt. Nec fuerunt illæ quidem fraudatę desiderio suo: nam in primis Angelorum visione sunt decoratæ, ad lustrum monumẽti, in quo delitescebat Christus, introductæ sunt, Christique Domini, quem desiderabãt, iam à mortuis suscitati, nuntium faustissimum acceperunt, atq; ad illud Apostolis nuntiãdum ab Angelis sunt destinatæ. Qua in re singulare diuinæ prouidentiæ detegitur consilium, vt cùm Angeli illud possent per seipsos multò faciliùs præstare, illosque suscitati ad vitam immortalem CHRISTI certos reddere, ac confirmatos, voluerit tamen potiùs opera mulierum vti; quò illam fidem ita excitaret magis, & charitatem communicati gaudij in Apostolos conferrent, atque illos, vtpotè tardiores in credendo, & duriores, illarum exemplo confunderet. Inter has autem omnes mulieres & fide, & testimonio Euangelico illustres, cæteras omnes antecelluit beata Deipara: quæ si non gressibus corporis, & vnguentis ad monumentum accessit, singularis tamen, & acerrimæ fidei merito Christi suscitati præsentiam prima cernere promeruit. Sed quemadmodum in arte, & natura contingit, vt forma nonnisi in materiam aptam, ac dispositam inducatur, nec ignis forma nisi per licciora signa in alia minùs sicca accedat, & sigilli species nisi in cera molli ac præparata non imprimatur, nec vultus imago nisi in terso, & mundo splendeat speculo: ita sanè in diuinis, & quæ supra naturam sunt rebus contingit. Nam vt ait Salomon, *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: nec iustificationis donum cuiquam infunditur, nisi qui fide, & peculiari Christi auxilio sit ad illam suscipiendam dispositus: neque

Mulieres Christum suscitatum summo mane ad sepulcrum quæritantes, apte venatori comparantur.

Cur Deus per mulieres potius, quàm per Angelos Domini resurrectionem Apostolis voluerit manifestari.

Virginis Deiparæ de Filij sui resurrectione fidei præstantia & excellentia.

Quibus patefiant diuina mysteria, declaratur exemplo.

Sap. 1.

æternæ vitæ præmium quisquam suscipere valet, nisi qui gratia Dei bonorum operum fructus protulerit; quò ita donet gratiam pro gratia, vt testatur Ioannes. Quemadmodum igitur dum Domin⁹ venire voluit in carnem, Angelos ad Patres præmisit, qui eius aduentum illis annuntiarent, quique signato tēpore, loco, & familia, de qua proditurus erat, declararent; quare ad Virginē destinatus est Angelus Gabriel, vt eam ad tanti beneficij condignam susceptionem præpararet, ipsaq; Christo grauida Ioānem & parentem eius ad Christum traheret: ita sanè ad Christum à morte reuocatum fide complectendum, conueniens fuit præmitti Angelos tanquàm præparatores, ac instructores, vitæque suæ immortalis annuntiatores: cùm hæc sit lex diuinitatis instituta, vt sacra mysteria nonnisi per superiores ad inferiores deferantur, ac per eos ad minimos quosque. Angeli quoque conserui sunt ac fratres nostri futuri in resurrectiōis gloria; vt de nobis pronuntiauerit Dominus: *In resurrectione neq; nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Adhuc Angeli nostræ spirituali resurrectioni deseruiunt, & in corpore subministrabunt colligendo cineres, vt Christus apud Matthæum testatur. Deniq; Angeli vt testes de visu annuntiare possunt, idem corpus, & eandem numero animam in resurrectione Christi conuenisse, quòd homo purus testificari non valebat; at mulieres ab Angelis euangelizatæ ad deferendum hoc nuntium discipulis destinatę sunt: Quanquàm illi quia prædicaturi erāt, tardiores extiterint in credendo, & verba mulierum deliramenta putauerint: at fœminæ quæ prædicādi munus non erant obituræ, suscitati fidem Christi citiùs apprehenderunt. Cæterùm etsi Paulus doceat: *Docere, mulieri non permitto,* & alibi: *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse:* priuatim tamen domestica admonitione alios etiam viros instruere possunt. Vnde Ambros. super Lucam ita ferè scribit: *Ad eos fœmina mittitur, qui domestici sunt: non autem mittitur ad hoc quòd testimonium ferat ad populum.* Et Cyrill. in Ioannem: *Fœmina,* inquit, *quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percepit, & nuntiat. Adeptū est igitur fœmineum genus, & ignominiæ absolutionem, & absolutionis repudium.* Hæc ille in sensu. Vt igitur incarnationis mysterium per sanctissimam Deiparam primò, & per Elizabetham delatum est ad viros, vt ad Ioseph, Zachariam, pastores, Magos, & Simeonem, ita hoc resurrectionis arcanum, per mulieres primùm est patefactum. Vbi illud seriò statuendum est, fœminarum testimonium cōmuniter haberi inualidum & infirmum: quia vt ille dixit:

Varium, & mutabile semper Fœmina.

Quare in iure tota quæstione tertia Causæ 15. eiusmodi testimonium vt minùs efficax reijcitur, & reprobatur. Hinc fit, vt Apostolus Paulus qui ad Gentes scribebat, dum resurrectionem IESV probare contendit, nonnisi efficacia, & solida testimonia ex apparitionibus ad viros tantùm factis producat. Beatus quoque Lucas, qui sub Paulo scripsit Euangelium ad Gentes, atq; eius indiuiduus in peregrinatione comes fuit; in toto suo Euangelio nullam Christi suscitati apparitionem ad mulieres factam commemorat; quarū tamen Matthæus, & Marcus, ac Ioannes mentionem fecerunt. Possunt tamen mulieres, si probatę, ac prudentes sint, atque vitæ honestæ, testari in causa fidei, vel contra hæreses: vt tradit cap. De crimine. Idcirco Apostoli à Christo meritò sunt reprehensi, & increpati de duritia cordis: quia ijs qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt; id est, mulieribus, quas sanctas, & vitæ inculpatæ esse nouerant. Præsertim cùm in Christo Iesu non sit masculus, neque fœmina, non seruus, neque liber, vt Apostolus inquit. Earum tamen testimonium non hic producitur, quasi confirmando Euangelio sit per se efficax, ac validum, sed quia ad id potissimum selectæ erant, vt primò Angelorum visione, deinde Christi apparitione corroboratæ Apostolis testificarētur; quorum testimonium, vt efficaciùs, & solidiùs ad confirmādum hunc Fidei articulum necessarium erat. Quare Paulus in loco prædicto ad Corinthios recenset apparitiones Petro & Iacobo, deinde vndecim Apostolis, rursum aliam plusquàm quingentis fratribus, postremò aliam omnibus discipulis factas. Lucas verò nōnisi ostēsionem, qua se ostendit duobus discipulis euntibus in Emmaus, detexit, & alteram Cephæ, siue Simoni factam, atque alteram vndecim Apostolis, & postremam in die Ascensionis. Quanquàm apparitiones Angelorū, siue Christi factæ ad mulieres, vt confirmatæ sunt Euangelico testimonio, & ab Ecclesia Catholica comprobatæ, nobis non minùs testatam reddant, ac firmam resurrectionis fidē, quam ipsorum Domini Apostolorum. Hic verò illud quoq; obseruandū est, quòd quia passio Christi peracta est in carne mortali, & inflicta à Iudæis, quæ cōmuni lege omnibus nota est, in omnium oculos incurrit, ideò passio eius ab omnib⁹ con-

Marginalia (left): Ioann. 1. — Cur Deus Angelorum opera sit vsus in detegendo resurrectionis Christi mysterio. — Luc. 1. — Ibid. — Lex diuinitatis. — Apoc. 19. — Matt. 22. — Infr. 24. — 1. Tim. 2. — 1. Cor. 14. — Ambr. l. 10 in Luc. non lōgè à fin. tom 5. — Cyrill ib. cap. 51. sub init. — Genes 3. — Luc 1. — Ibid. — Infr. 2. — Matth. 2. — Luc 2. — Mulieris testimonium infirmę cur fidei sit & autoritatis.

Marginalia (right): Virg. 4. Aeneid. aliquātò post medium. — 1. Corin. 15. — 2. Cor. 8. — Mulieribus ferre testimonium quando permissum est. — 15. q. 3. — Marc. 16. — Galat. 3. — Mulierum de resurrectione Domini testimonium hic quatenus allatum sit. — 1. Cor. 15. — Luc. 24. — Actor. 1. — Quare Christi resurrectio nō item vt passio eiusdem, atque morti omnibus innotuerit, sed quibusdam tantummodo.

conspecta fuit. At resurrectio, quia facta est in carne mortis omnis ac passionis experti, & per gloriam Patris, vt testatur Paulus ad Romanos, atque hæc non est omnibus nota atque comperta; propterea illam non decebat manifestari omnibus, sed quibusdam tantùm, de quibus Petrus in Actis dixit: *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.* Et paullò antè dixerat: *Et nos testes sumus omnium præcedentium*, hoc est, vitæ, atque doctrinæ, passionis, atque mortis, & consequentium, nimirùm ascensionis in cœlum, & qui cæteris in credendo duriores extitimus, quò semel de veritate persuasi, constantiùs illam prædicaremus.

Rom. 6.

Actor. 10.

Luc. vlt.

Quemadmodum autem Euangelistæ omnes doctrinam & passionem Christi describũt, sed ita vt vnus hoc, illud alius, & alius aliud enarret, ex quibus conflatur corpus totius Christi doctrinæ, & gestorum passionis eius: ita resurrectionis mysterium omnes attingunt, sed ita vt vnusquisq; sua habeat propria, & vnus hanc recenseat suscitati Christi apparitionem, alius aliam atq; aliam. Quod eleganter his verbis Augustinus significauit sermone de resurrectione corporum contra Gentiles: *Omnes Euangelistæ quatuor, neque de passione Domini, neque de resurrectione facere potuerunt. Nam quia multa fecit Dominus Iesus, non omnes omnia conscripserunt, sed alius ista, alius illa, summa cum concordia veritatis. Multa etiam commemorat Ioannes Euangelista facta esse à Domino Iesu Christo, quæ à nullo aliorum conscripta sunt. Tanta facta sunt, quanta tunc fieri debuerunt: tanta scripta sunt, quanta nunc legi debuerunt. Vt autem ostendantur Euangelistæ omnes quatuor in eo quod simul omnes dicunt, & non prætermittunt, id est, de passione, vel de resurrectione Christi, non inter se dixisse contraria, valdè operosus est labor. Nonnulli enim putauerunt eos inter sese esse contrarios: cùm essent contrarij animæ suæ. Et ideò data est opera ab eis, qui potuerunt, adiuuante Domino, vt ostenderetur inter se non esse contrarij.* Et infrà: *Qui nouit quomodo ista defendat, doctior, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem, alius non habet facultatem, & copiam, & doctrinam defendendi fidem, sed habet ipsam fidem. Ille autem qui nouit defendere fidem, titubantibus est necessarius, non credentibus. In defensione enim fidei curantur vulnera dubitationis, vel infidelitatis.* Hactenùs Augustinus doctè, atque eruditè. Omnibus tamen Euangelistis, atque adeò beato Paulo conuenit in silentio supprimenda Christi apparitione facta ad beatissimam suam Genitricem; cum tamen æquum videatur, & cum pietate, fide, atq; ratione maximè sit coniunctum, illi primùm ante omnes alios se spectandum præbuisse. Ad hoc autem comprobãdum neq; Doctores desunt, neque rationes; vt interim missam faciamus ipsam pietatem, & facti conuenientiam, quæ magni solet esse ponderis atque momenti in his quæ sunt huiusmodi. Sed iam exordiamur à Patrum sententijs. Ita scribit Ambrosius libro de Virginibus: *Considerate*, inquit, *quia virgines præ Apostolis resurrectionem videre meruerunt. Certè hoc docuit hodierna, quæ decursa est lectio. Nam cùm in nouo monumento (sicut Ioannes dixit) corpus positum esset Domini Iesu, in suo autem monumento (sicut est secundũ librum Euangelij Matthæi) posuisset Ioseph Domini corpus, obseruabant virgines.* Et infrà: *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quamuis adhuc ista nutaret.* Hæc ille, & vidisse, & primo quidem loco Virginem tradens. Falsum verò est, quòd Ioãnes à Louanio negat Christum visum primùm à matre: & testimonium Ambrosij interpretatur de duabus Marijs Magdalenis (vt ipsemet in Commẽtarijs in Lucam tradit), quarum alteram virginem fuisse, quæ prima Dominum viderit, explicat hoc loco producto (libr. 3. de Virginibus) sed etsi reuerà hoc illi gratis concederemus, falsum est tamen quod ait prædictus Doctor ab vna Magdalena virgine Christum visum fuisse, quia Ambrosius virgines in plurali ait vidisse, & non distinguit, vnde comprehendit Virginem matrem Iesu, & Mariam Magdalenam, quam similiter ipse sentit fuisse virginem: non enim hoc ad Mariam Iacobi, vel Salomen est referendum, quæ coniugatæ extiterunt. Præterea nomen Mariæ Virgin. in Euangelio, alteri non solet competere quàm beatæ matri Iesu: vnde violenter interpretatur dictum Ambrosij, negans Virgini Mariæ apparuisse. Adhæc Sedulius antiquus autor, & Ambrosio æqualis, in Opere Paschali sic scribit:

Aug. serm. 4. de resurrect. corporum. & in ordin. 129. vnit. 10. 10.

De Euangelistis quid senserint quidam.

In defensione fidei curantur vulnera dubitationis, vel infidelitatis, teste Augustino.

Quod Dominus resurgens sanctissimæ suæ genitrici ante omnes alios primum apparuerit, multis ostenditur.

Ambr. li. 3. de Virg. 10. 1.

Ioann. 19.

Matt. 27.

Discedat Synagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam Christus pulchro sibi iunxit amore,
Hæc est conspicuo radians in honore Maria,
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater,
Semper virgo manet, huius se visibus astans
Luce palàm Dominus prius obtulit, vt bona mater
Grandia diuulgans miracula quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis, & index.

Sedul. li. 4. Oper. Pasc. ab longè à fin.

Bernar-

Bernard. Bernardus quoque sermone de Resurrectione loquens de beata Dei genitrice: *Nulla, inquit, in fruitionis gratia dignior, nulla expectationis desiderio feruentior, nulla deprecandi instantia vehementior, nulla apparenti intimior. Ideo & prima Dominum vidit in forma gloriosa, & non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij: vnde & Euangelista eam non recensent.* Adde Rupertum Tuitiensem, qui libro de Diuinis officijs, ait primùm apparuisse Mariæ Magdalenæ inter testes præordinatos à Deo, quos solos nominare, ad Euangelistas pertinuit, vel post Christi resurrectionem annunciare decuit. Sed omnibus beatam Virginem matrem excipimus. Nunquid illam nuntiare decebat, vt verba eius tanquàm deliramenta viderentur ante Apostolos? Si enim extranearũ verba fœminarum visa sunt eis tanquàm deliramenta, quomodo non magis matrem amore filij delirare crederent? Verissimè ergo matri filius resurgens apparuit, sed illa vt ab initio cœperat, ita & nunc cõseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quod si idcirco verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur; consequens est, quòd nunquàm post resurrectionem suam visus sit matri: quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrẽ & matrem honorare præcepit: absit, inquam, vt matrem propter se doloris gladio trãsuerberatam, tam dura negligentia talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolicæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Ierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Nam cùm hac prima die Paschæ stationem ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam Missæ officio præscripsit, quid aliud quàm Ierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit? Si enim omnis anima timens Dominum sic benedicitur, vt videat bona Ierusalem, & videat filios filiorum suorum, pacem super Israel: & ideo dicitur, & est ipsa quoque Ierusalem, quod est visio pacis: quantò magis ista ter, quaterque virgo dicenda est Ierusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres, vidit filium suum pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum? Hæc ille, non contemnendis certè rationibus suam corroborans sententiam. Præterea beatus Anselmus fere Bernardo æqualis, in libro de Excellentia Virginis in hunc modum disserit: *At si aliquis quærit, quare Euangelistæ non referant ipsum pijssimum Dominum à morte resurgentem, hanc suam dulcissima, dilectissimaque matri, vt eius dolores mitigaret, primò, ac præcipuè apparuisse. Dicimus quòd à quodam sapiente de hoc ipso sciscitantes audiuimus sic: Tanta est suscitata autoritas narrationis Euangelicæ, vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur: ita quòd si matri Domini, si dominæ mundi ipsius filius ab inferno resurgens scriberetur, sicut alij cuilibet apparuisse, eamq; de sua resurrectione docuisse, quis non talem scriptum superfluum duceret, Reginam videlicet cœli, & terræ, omnisque creaturæ coæquare illis quibus apparuit viro, aut mulieri?* Additur Nicephorus Callistus, qui libro primo Historiæ Ecclesiasticæ cap. 32. ita scribit: *Primum quidem à matre, & reliquis conspectus mulieribus, deinde à dilectis discipulis, aliàs alijs, per dies quadraginta visus.* Beatus item Vincentius de Resurrectione agens, primo loco inquit, visum Christum à matre, & beato Gregorio fuisse reuelatum, Angelum Gabrielem ad Mariam missum, qui reuerenter eam salutans, dixit: *Regina cœli, lætare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia: Resurrexit sicut dixit, alleluia:* & statim Christus affuit, & illam ineffabili gaudio solatus est: quare à filio obtinuit, vt primò Mariam Magdalenam, deinde etiam Petrum visitaret, missis priùs Angelis, qui illos disponerent ad CHRISTVM spectandum. Adhæc beata Brigitta libr. 6. suarum Reuelationum: *Multi etiam,* inquit, *in Ierusalem Sancti mortui resurrexerunt quos vidimus, quorum animæ descenderunt cum filio meo, sed corpora expectant cum alijs iudicium, & resurrectionem. Mihi verò, quæ sum mater Dei, cùm post mortem eius incomprehensibili dolore mœsta essem, apparuit idem filius meus priusquàm alijs, & palpabilem se ostendit mihi, consolans me, & commemorans se visibiliter in cœlum ascensurum. Et quamuis hoc non est scriptum propter humilitatem meam, tamen ista rei veritas, quòd filius meus resurgens, primò mihi apparuit, quàm alicui alij.* Hæc illa, & idem confirmat in sermone Angelico capite sexto. Non desunt etiam rationes probabiles, pro hac tam pia sententia, inter quas prima sit: Quia Deus apparet his, qui fidem habent in illum, & non tentant eum. Deinde apparet, & insinuat se amantibus, secundùm illud: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Præterea afflictis atque flentibus seipsum exhibet conspicuum, & consolatorem: *Cum ipso sum,* inquit, *in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum,* & iterum: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ob hæc tria maximè asserendum est matri apparuisse, quæ cæteris omnibus fidei merito ante-

Marginalia (left): Bernard. — Rup. Tuit li. 7. de diuinis off. c. 21 ante medium. — Actor 10. Luc. vlt. — Sup. 2. — Exod. 20. Matth. 15. — Luc. 2. — Psalm. 127. — Ierusalem, visio pacis, interpretatur. Luc. 1. — B. Anselm. li. de excellentia beatæ virg. Mar. c. 6. paulò ante med.

Marginalia (right): Quanta Euangelicæ autoritas narrationis de Dominica resurrectione. — Niceph. lib. 1. Eccl. hist. c. 32 paullò ante med. — Actor. 1. 1 Cor. 15. — B. Vincen. ser. 1. in die S. Paschæ, sub fi. — B. Brigit. li. 6. c. 94. — Matt. 27. — Eadem in ser. Ang. ca. 6. — Rationes pro eadem veritate astruenda. Sapient. 1. Deus quibus appareat. Ioann. 14. — Psalm. 90. Ioan. 16. Fidei excellentia, quam mater Christi habuit de eius resurrectione.

antecellebat. Fuit enim excellens quędam, & maximè insignis fides in B. Virgine, atque adeò, vt quidam ex Patribus volunt, in ea sola remansit explicita fides resurrectionis: tanta ergo fides, & tam insignis visionem CHRISTI primam promerebatur, poteratq; illi Dominus dicere: *O mulier, magna est fides tua. fiat tibi sicut vis*: si parua mulierum fides præsentiam Christi promeruit. Quod autem ad hoc cōfirmandum de fide, quæ in sola Virgine remāsit per triduū adfertur à quibusdam: *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, minus ꝓposito quadrat, quoniā hęc sententia ad literam aliò tendit, nēpè vt laudet mulierem sedulam, quæ gustata bonitate negotiationis ex lana, & lino, qua cibum parat familiæ; idcircò magna accensa diligentia etiam in nocte non vult extingui lucernam suam, sed etiam aliquot horis accendit, quò operibus possint domesticis incumbere, quando rusticis vacare nequeunt. Sed ad rem nostram redeamus, illa, quæ singulari filium prosequebatur dilectione, digna hoc erat amantium beneficio. Et cùm super alias omnes mulieres, & Apostolos afflicta fuerit, & vt sic dicam, filio cōcrucifixa, vt propterea dicatur iuxta crucem stare: promeruit vt & propior iuxta Christum resurgentem consisteret, tantique gaudij prima fieret particeps.

Matth 15. Illud Salomonis de muliere forti: Non extinguetur in nocte lucerna eius, quò tendat. *Prouer. 31.*

Ioan. 19.

II. Ratio. *Simon de Cass. li. 14. de resurr.*

Secunda ratio: quia prima fuit, vt testis est Simon de Cassia, quæ Christum in carne mortali ex visceribus suis genitum, & videre, & adorare promeruit, siquidē canit Ecclesia: *Ipsum quem genuit, adorauit*: iustum erat igitur, vt prima quoque suscitatum, iamq; immortalem, & quem maioribus parturierat doloribus, cerneret, adoraretque.

III. Ratio. *Exod. 20.*

Tertia ratio: Filiorum est quantum possunt, parentes honorare, illosque sua præsentia consolari, ac iuuare, secundùm illud pręceptum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Qui ergo in omnibus alijs, vel in ipsa cruce se matri morigerum, ac obsequentem præstiterat, ergo id maximè debuit præstare post resurrectionem, in qua longæuitatem dierum ingressus est, quam ratione obedientiæ Patri cœlesti, ac matri exhibitæ consecutus est; atque hæc ratio peculiaris ad alios minimè spectat. Filius siquidem pro mortuo, & extincto in bello habitus, à parentibusque deploratus, ac desideratus, si fortè contingat sanatis vulneribus, quæ in acie accepit, viuum, & integrum redire, deberet parentes afflictos, atque eius nece contristatos primùm inuisere, suaque consolari præsentia.

IV. Ratio.

Quarta ratio: Illud ipsum solidè confirmat antiqua videlicet consuetudo Ecclesiæ Romanæ, quæ stationem ad sanctam Mariam Maiorem primo die Paschæ instituit, vt doctè annotauit Rupertus.

Rupertus. Ibid. V Ratio.

Quinta ratio: quia mater Christi vt verè fidelis ad monumentum venisse non legitur, neque vlla ad vnctionem præparauit aromata, neque alias religiosas mulieres quæ parabant, impediuit, vt videlicet sineret eas esse officiosas: & quia, si maximè diceret filium tertia die resurrecturum, ob id vix fidem ab eis esset impetratura, vt quæ mœrore, ac dolore essent confectæ. Propterea beata Mater summam illam beatitudinem obtinuit, eorum, qui non vident, & credunt; itaque magis ad delicias apparere potuit matri, non autem ad fidem faciendam, aut ad impediendam beatitudinem non videntium. Quare silentium quo vtuntur Euangelistæ in explicanda apparitione facta Matri, caussa extitit; ne illam tam insigni priuarent beatitudine.

Ioann. 20. Beatitudo fidei V[illegible] matri, [illegible] illi apparuit filius eius.

VI. Ratio. *Marc. vlt.*

Sexta ratio: quia Angelus qui apparuit mulieribus, dicens: *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro*, parum ciuiliter videri potuisset locutus, si non dixisset, Dicite matri, & Petro, ac Discipulis. Sed quia nouerat iam Dominum illi fuisse conspectum, nihil de annuntiatione dixit matri facienda. Et vt apparitio matri facta non est expressa, ita nec destinatio Angeli Gabrielis ad eam. Sunt qui meditantur, mulieres dixisse: Ibimus, & annuntiabimus matri: ac Dominum respondisse: Non est opus, quia iam prior inuisi ipse.

VII. Ratio.

Septima, ac postrema ratio: Quemadmodum candela calida, & recens extincta fumo facilè ad se trahit vicinum lumen, ac lucet: ita sanè sanctissima Virgo, quæ ardentibus precibus suis, ac votis Verbum de cœlo ad se traxerat vt carnem indueret, qua se spectandum hominibus exhiberet, ad eum quoque modum feruentissimis suis desiderijs, ac suspirijs ex intimis cordis medullis profectis filium in inferno existentem iterum ad se pertraxit, ad vitamque reuocauit, cui illud potest congruere, vt dixerit: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara*: &: *Exurgam diluculo.* Vocabat autem Psalterium, & citharam, ad eius crucem intuens, vbi nerui Christi velut fides in nablo extenti fuerunt: nos quoque admonens, vt eius suauissimi psalterij cantu, velut Saul olim, refocillemur, & à mortis periculo recreemur.

Psalm. 56. Cur psalterium & cithara Christus teste Dauide.

Legimus in libro Tobiæ, Annam Tobię senioris vxorem anxiam de filio suo absenti fuisse ac solicitam, diesque absentiæ diligenter computātem, ita vt montem ascenderet extra vrbem, & longè respiceret, an reuerteretur filius; donec

1 Reg. 16. Maria Virgo cum Anna Tobiæ senioris comparatio. *Tob. 2.*

donec tandem cùm vidisset eum venire à longinquo, reuersa est, ac viro suo cæcitate laboranti renuntiauit. Hæc quidem beata Virgo incomparabiliter maiorem solicitudinem gerebat, deque filij sui à morte per resurrectionem reditu anxia erat, diémque tertium, expectabat à Christo prædictum. Egressa igitur huius mũdi angustias, & ascendens contemplationis, atque orationis montem, prima vidit illum reuertẽtem cum gaudio, reliquisque qui sibi assidebant, renuntiat. Si amor paternus iuniorem Tobiam ad festinandum permouebat: dicebat enim intra se, vt ibidem scribitur: *Ego noui quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis*: quantò magis immensus, & ineffabilis amor Iesu erga matrem, ac discipulos suos vrgebat eum vt reditum maturaret, ac se illorum aspectibus exhiberet. Legimus olim sub Helisæo filios Prophetarum ad scindendam materiam in syluam venisse, vbi cadente ferro securis in aquam profundam, quidam ex filijs Prophetarum rogabat Helisæum: *Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam*: confestim Helisæus lignum proiecit in locum aquæ, in quem ceciderat, ferrumq; supernatauit, atque vnitũ est ligno. Orauit sanctissima Virgo cum lacrymis Deum suum Saluatorem (ita enim interpretatur Helisęus) & ferrum animæ, quod erat sub aqua in inferno, sursum ascendit, & coniunctum est ligno, hoc est, corpore leui, quod suprà remanserat: atq; illa primum sospitem, & incolumem filium recepit.

Quid ferrum securis mersũ profundo, Helisæi ad preces, quis superna tans, ad lignũ que rediens significauent.

4. Reg. 6.

Helisæus quid.

Sed iam in dictam sententiam duo quæ obijci possunt, sunt diluenda. Primum est ex textu ipso Marci vltimo; vbi dicitur: Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ; ante illam igitur apparuerat nulli, aut illa nõ est prima. Respondit ad hoc Rupertus Tuitiensis paullò antè productus, qui asseruit apparuisse primũ Mariæ Magdalenæ inter testes præordinatos à Deo, quos solos nominare ad Euangelistas pertinuit, & quos Christi resurrectionem annuntiare decuit. Atque hæc solutio rationi consentanea esse ex eo ostenditur, quòd vt vir rediens ex longinqua peregrinatione, aut de luctuoso aliquo bello, in quo putabatur extinct⁹, quamprimùm in patriam redit, domũ matris, aut vxoris inuisit, suaque illas præsentia, ac verbis exhilarat, atque delectat: postquam verò aliquantulum captauit quietis, tunc statuit de inuisendis cognatis, aut amicis: & vbi nõnullos visendi gratia conuenerit, dicere solet, Inprimis, talem visitaui, deinde talem, &c. vbi sine vllo mendacio ordo ille prioris, ac posterioris falsus non est, sed rationi, veritatique consonus.

Quæ in hanc sententiam obijci possunt argumenta, soluuntur. I. argum.

Rupert. loco citat.

Actor. 10.

Christum à morte rediuiuum, primum suæ genitrici visum esse, quo fiat exemplo perspicuum.

Secundò obijciunt, nullibi in Euangelijs tale quid legi aut inueniri. Sed profectò ex negatiua desumptum argumentum infirmum est: quia plerumque quòd non legitur in Scripturis, legitur in traditione. Et rationes in promptu sunt, ob quas non decuerit hanc CHRISTI ostensionem describi. Primò, quia Scriptura aperta quædam & manifesta, & quæ in libro rationis, & pietatis leguntur, non solet scribere; ne quid superfluum videatur continere, vt docuit superiùs Anselmus. Deinde, quia matris testimonium contra filium recipi solet, in gratiam verò filij infirmum est, ac inane. Tertiò, quia si propterea quod non scribitur, non apparuit, nunquàm ergo illum beata Virgo vidisset suscitatum, cùm id nullibi testentur sacra Biblia, vt etiam Rupertus annotauit. Quartò, quia apparitiones, siue ad mulieres, siue ad viros ab Euangelistis descriptæ nonnisi ad incredulos, ac vacillantes, ac de Christo suscitato dubitantes sunt factæ: at illa ad Virginem matrem exhibita talis non fuit, quę perfectè beatitudinem possidebat credentis, & non videntis, vt in verbis superioribus indicauit Anselmus. Quintò, quia vt testatur Bernardus, in forma apparuit gloriosa, quæ à matre singulari munere potuit cerni; aliæ verò omnes apparitiones in ea forma exhibitæ sunt, qua posset ab eis spectari. Sexta ratio; ad eius singularem humilitatem indicandam, vt ipsa testatur in producto testimonio ex beata Brigitta. Postrema ratio sit; ad incomprehensum beatæ Virginis de CHRISTI resurrectione gaudium explicandum. Poterat siquidem beata Virgo illud dicere: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram, deque ea illud intelligi: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mũdum*. Quis est autem qui tanta dicẽdi facultate, & copia valeat, vt verbis cõsequi possit hanc tantam lætitiam, & animi voluptatem, qua tota perfusa est, vbi vultum filij ei datum est intueri, verasque eius audire, & reddere voces? Gauisa namque est in primis beata Virgo non tantùm propter filium, sed etiam propter seipsam, & propter nos. Ob CHRISTVM quidem, quem plus quàm seipsam, & ardentiùs diligebat. Audita olim à Iacob Patriarcha vita, & gloria Iosephi filij sui, quem præ cæteris teneriori

II. argum.

Cur minimè decuerit Christi apparitionẽ matri primum factam scriptis Euangelicis consignari. I. Ratio.

Anselm. li. de excellentia Virgin. Mariæ, cap. 6. II. Ratio. III Ratio.

Ruper. li. 7. de diuin. off. c. 25. IV Ratio.

Anselm. ib. V. Ratio Bern. loco citato.

VI. Ratio.

B. Brigitta li. 6 c. 94 VII. Ratio.

Luc. 15.

Ioann. 16.

De gaudij magnitudine, quo Christus resurgens matrem affecit.

Primum argumentum ab exemplis, & documentis.

Genes. 45.

amoris diligebat affectu, reuixit spiritus eius, ac dixit: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit.* Est enim à natura quoddam insitum gaudium, cùm innocentem à periculo cernimus liberatum, tametsi ille nullo propinquitatis, aut amicitiæ gradu nos attingat: imò qui agnum viderit euadere de ore lupi, non mediocri afficitur voluptate.
Luc. 1. Quid igitur spiritum fecisse Mariæ, qui olim exultauit in Deo salutari suo, quantum gaudium concepisse, vbi filium suum agnũ innocẽtissimum liberatum de faucibus lupi infernalis, seu leonis rugientis, qui eum
II. argum. deuorauerat, est existimandum? Deinde magnas habebat rationes, ob quas propter seipsam ingentem caperet delectationem. Nã in morte desierat esse Christus homo, consequenter & ipsa desierat esse mater, vt
Scot in 3. dist. 8. q. vnic. ad 3 Scotus, & sui tradunt: at in resurrectione hanc tãtam amissam matris dignitatem recuperauit prorsus. Hinc poterat iocundè
Luc 15. 2. Cor. 1. ac suauiter dicere; *Filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est*: ac rursus; *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per*
III. argum. *Christum abundat consolatio nostra.* Demũ propter Apostolos in fide nutãtes, quos instar filiorum magnoperè diligebat, & propter
Luc. 8. religiosas illas mulieres, quæ Christo de facultatibus ministrabant, atque adeò propter nos ipsos, qui sine resurrectione à fide relaberemur, mirificè recreata est, atq; exhilarata. Nam si Paulus Thessalonicensibus
2. Thess. 3. dicebat: *Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum*: quantò magis igitur hoc dicere poterat sanctissima illa Deipara, cuius charitas longè illi Pauli antecellebat, & quæ nos omnes materno quodam affectu parturiuit? Quomodo igitur Euangelistæ hæc tanta inexplicabilis argumenta lætitiæ exprimere potuissent? Quare celeberrimum illum pictorem
Timantis pictoris egregij in pingendo ingenium & industria. Timantem imitati esse videntur, qui illa quæ penniculo consequi non poterat, velo quodam, quasi non possent coloribus exprimi, confictο contegebat. Ipsi igitur sanctissimæ Matri soli, in quam dona ac beneficia à Deo collata captum intelligẽtiæ nostræ superare dignoscuntur, hoc tantũ gaudium degustandum relinquamus, nobis vero satis sit vel longè illud odorari, & venerari, vel ex eius reliquijs tanquàm pientissimæ matris aliquid nobis filiolis suis deriuare, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu S. immortales laudes, & honores meritò debentur in seculis seculorum, Amen.

TRACTAT. XII.

De apparitione Domini IESV soli Mariæ Magdalenæ primùm facta, in illa verba: *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumẽtum: Et vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras, &c.* Ioan. 20. & Marc. vlt.

HANC Domini Iesu ostensionem factam ad solam Mariam Magdalenam paucis verbis perstringit Marcus, fusiùs autem Ioãnes Apostolus. Verba Marci sunt hæc: *Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens nuntiauit his qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.* Disputant in primis Gregorius Nyssenus Orat. de Resurrectione, & Greg. Nyss. orat. 2. de resurr.
Euthymius in caput Marci vltimum, & Nicephorus libro Ecclesiasticæ historiæ, Euthym. cap. 48. in Marc.
num soli Mariæ Magdalenæ apparuerit Dominus, an illi comitatæ cum altera Maria: & exponunt non tantùm fuisse Mariam Magdalenam, sed etiam alteram Mariam. Frequenti est enim in vsu apud Euangelistas, vt ait Euthymius, per personam quæ insignior est, eã etiam intelligere, quæ minus nota est. Insignior autem erat Magdalene, in hoc quod festinauit, & præcessit ad monumentũ: multo enim fidei in Christum calore feruebat, vtpotè magno ab eo affecta beneficio: cùm ipsam à septem dæmonijs liberauerit. Hæc ille. Et posset hoc confirmari exemplo aduentus solius Mariæ, quam tamen incomitatam nequaquàm venisse, ex alijs Euangelistis probatum reliquimus. Verùm hæc tantorum virorum meditatio nõ satis veritati consentanea videtur. Nam in primis non magis vni, quàm alteri apparuisset ex illis, imò tribus Marijs, secundùm Marcum visus fuisset. Deinde Marcus non respexisset ad Euangeliũ Matthæi dicentis, Christum in via apparuisse duabus Marijs, de qua visione nihil ipse scripsit, & tamen scribit apparuisse primò Mariæ Magdalenæ. Tertiò, quia habemus CHRISTI visionem soli Mariæ Magdalenæ factam apud Ioannem latè explicatam: ideo meritò colligimus illam esse istam,

Num soli Maria Magdalenæ apparuerit Dominus, an illi comitatæ cum altera Maria.

Prima opinio, quę refellitur.

Mos Euangelistarum.

Matt. vlt.

de

Matth. vlt.

B. Hieron. ad Hedib. q. 5. tom. 3.

Quomodò, (vt ait Hieronymus) cum Christus permiserit sibi teneri pedes, & adorari à fœminis in via, iuxta Matthęũ pòstmodum apparens soli Mariæ Magdalenæ, dixerit: Noli me tangere, &c.

I. solutio.

II. solutio.

de qua Marcus, & post illam factam fuisse apparitionem mulieribus euntibus per viam, ac tenentibus pedes eius, & adorantibus: vt egregiè docet B. Hieron. ad Hedibiam, vbi tractat, quomodò cùm Christus permiserit sibi teneri pedes, & adorari à fęminis in via, vt testis est Matthæus, postmodùm apparens soli Mariæ Magdalenæ dixerit, Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Ad quam quęstionem respondet dupliciter: vno modo, Mariam Magdalenam obstupefactam, & incredulam promeruisse post Christi cum alijs mulieribus tactum, vt amplius sola non tangeret: noli, inquit, me tangere, si nondum putas me ad Patrem ascendisse, sed hominum fraude sublatum, quem prius vidisti, & tetigisti viuum: indigna meo tactu effecta es. Secundò respondet, ostensionem Mariæ Magdalenæ factam soli, in qua prohibita est tangere, præcessisse illam, quam communem habuit cum cæteris quæ tetigerunt: & ita profecit, vt postea tangeret. Quod verò apud Marcum Hieronymus ad Hedibiam, & Gregorius ac Theophylactus, & Euthymius in Marcum contendunt sic esse distinguẽdam orationem: Surgens autem Iesus, siue vt Græcè habetur, Cùm surrexisset autem Iesus: atque ibi posito commate, legẽdum, mane prima Sabbati apparuit primùm Mariæ Magdalenæ: violenta est proculdubio, ac dura distinguendi ratio, & non solùm incertam nobis reddens diem & horam resurrectionis, sed etiam quænam fuerit prima apparitio; cum potuerit ante matutinum tempus alijs apparere. Præterea hæc lectio ex falso procedit firmamento, quòd videlicet Christus media nocte surrexerit, aut quòd omninò incerta sit resurrectionis hora; cùm tamen superius primo diluculo illum surrexisse, ex Scripturis, & Patrum traditionibus testatum, atq; confirmatum reliquerimus. Quamobrem nostra legendi ratio, vt comma ponatur post aduerbium mane, in hunc modum: Cùm surrexisset autem Iesus mane, omnino est retinenda. Quod verò Marci Euangelium finem habeat ante illa verba: *Surgens autem Iesus, &c.* omninò est incredibile, quãuis illud insinuet Hieronymus in loco prædicto, & Gregorius Nyssenus oratione de resurrectione, & Euthymius super Marcum, cuius verba non grauabor adscribere. Ait enim: *Quidam interpretum asserunt, hoc in loco completum esse Marci Euangelium; quæ verò sequuntur, recentiorem esse additionem. Oportet tamen & hanc explanare; cùm veritati nihil repugnet.* Hæc ille. Op-

Hier. ibidem, q. 3. tom. 3

Greg. orat. 1. de resurrect.

Theophylact. in Marcum.

Euthym. ibid

Hæc distinctio: Surgens Iesus, mane prima Sabbati apparuit, &c. quanta patitur incommoda.

Marci Euangelium ante hæc verba: Surgẽs autem Iesus mane, prima Sabbati, &c. minimè terminari ostẽditur.

Hieronym. Greg locis cit. Euthym.

ponimus etiam antiquissimos Patres ex illis verbis, tanquam germanis, & verè Euangelicis, testimonia producentes, & Ecclesiam in die Ascensionis Domini ex illo Euangelium legentem. Victor Antiochenus antiquissimus Pater, in commentarijs in Marcum scribit, se reperisse in emendatissimis exemplaribus pluribus, legique omnia in Euangelio Marci Palæstino. Certè in codice Syriaco omnia non secùs atque in Latino planè inueniuntur. At reuera Marcus diminutus sine illis videri posset, maximè cùm ille figuram leonis describat, cuius est resurrectionis victoria. Ad Hieronymum verò cum Hieronymo ipso respondemus: qui in Pelagianos agens, post illa verba: *Quia ijs qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant,* admonet in quibusdam Græcis exemplaribus haberi: *Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum istud iniquitatis, incredulitatis substantia est: quæ non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcircò iam nunc reuela iustitiam tuam.* Sic ille. Quæ profectò clausula meritò reiecta est, quia nihil spirat Euangelicum, & sine illa caput integrum est, & perfectam suam habet intelligentiam. Quod igitur Caietanus annotauit, hoc vltimum caput Marci ad firmandam fidem nõ satis esse solidæ autoritatis, reijciendum est, eademque autoritate reijcitur, qua probatur, cùm Ecclesia illud vt canonicum agnoscat, & legat in die Ascensionis. Iam igitur ad verba Ioannis explicanda accedamus. *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans.* Reuersa ergo est iterum ad sepulchrũ, non sine aliarum mulierum comitatu: nam alioqui non posset Matthæi narratio consistere, quia tradit Dominum occurrisse mulieribus à monumenro redeuntibus, easque salutasse, cùm in primo earum à sepulchro recessu non possit intelligi contigisse, cùm certum sit ex Marco, & Ioanne, Christum apparuisse primò Magdalenæ, idque non in via sed ad monumentum. Intelligendum ergo est, reliquis omnibus, & viris, & mulieribus à sepulchro recedentibus solam Magdalenam præ amotis vehementia ab illo diuelli haud facilè potuisse. Adhæc cùm Petrus & Ioannes concurrissent ad monumentum, non potuit simul cum eis Magdalena currere, & ne reuertentibus quidem occurrit Apostolis, vt quippiam etiam ipsa ab eis addisceret: vel si Apostoli in via Mariæ occurrerunt, teste Nysseno, nihil illi dixerunt. Huius Mariæ reditus causam talem explicat Gregorius Nyssenus oratione de resurrect. Christi:

Victor Antiochenus.

Marci propriũ Euangelistæ.

Hier. li. 2. aduers. Pelagia. tom. 2.

Falsum, & temerarium Caietani dictum exploditur.

Caietan. in Marcum.

Marc. 16

Greg. Nyssen. orat. 2 de resurrect.
Idem ibid.
Maria Magdalena cur redierit ad monumentum, teste Nysseno.
Actor. 12.

At Magdalenæ vnà cum Deipara abeunti, & similiter ad annuntiandum properanti, accidit quiddam more humano. Et quemadmodùm Petrus ab Herode comprehensus, & nullo negotio solutis catenis per Angelum ex custodia eductus, multumque spatij progressus, quoad portam quoque vrbis transijsset, non putabat verum esse quod agebatur, sed visionem se videre existimabat: ita etiam hæc cùm excellentiam miraculi veluti importunum, & intempestiuum quiddam esse putaret, & simul posteaquam custodes anteuertissent, & cum Pontificibus cœpissent texere calumniam aduersus resurrectionem, prorsus quiddam tale susurrari sensissent, ambiguitatis ac dubitationis cogitationes admisit, neglectaque renuntiatione, atque salutari mandato ad sepulchrum tendebat mane, cum adhuc tenebræ essent, vt Ioannes addit. Quemadmodum enim permisit Dominus vt ex incredulitate Thomas diceret: Nisi videro in manibus eius vestigium clauorũ, & mittam digitum meum in vestigium clauorum, mittam item manum meam in latus eius, non credam: ac per curiosam illius incredulitatem, & contrectationem, nos in eam fidem confirmati sumus, vt omissis opinionum, ac suspicationum fabulis, quo corpore passus est, eodem etiam resuscitatum esse credamus Emanuelem: eodem modo Mariam quoque Magdalenam ad incredulitatem reuersam; cùm hoc etiam facilius ei accidisset: (non ignota est enim mulieorũ sexus fragilitas, & facilitas ad lapsum) per curiosam, & superuacuam inquisitionem, miraculum resurrectionis, quod omnem fidem, cogitationemque superat, atque excedit, credibilius effluere permittebat. Hæc ille. Ex cuius dictis non videtur recipiendum, quòd illa altera Maria non fuerit sanctissima Deipara, vt superius confutauimus; sicut nec illud quod Maria antequam renuntiaret Apostolis, quæ præceperant Angeli, incerta, & ambiguo incredulitatis laborans redierit ad sepulchrum, cùm manifestè constet ex Luca, quòd omnibus simul Apostolis facta fuerit annuntiatio, non tantùm Petro, & Ioanni, licèt hi auditis verbis mulierum soli ad monumentum cucurrerint. Minus etiam videtur probanda tanta incredulitas Magdalenæ, cùm illa prima extiterit, quæ Dominum videre promeruit: quod quidem argumẽtum est, illam per fidem ampliùs quàm cęteras ad videndum Dominum fuisse dispositam.

Ioan. 20.
Ibidem.

Gregorij dictum Nysseni in tribus reprehenditur.

Luc. vlt.

Illud porro diligenter expende, nõ solùm Ioannem testari reditum Mariæ Magdalenæ ad sepulchrũ, vt Ioannes explicatè tradit, dicens, quantum ad situm, quod stabat, quantum ad locum stabat foris iuxta monumentum: vel quod superfluum putaret ingredi, in quod ipsa ingressa, & Apostoli Dominum non inuenissent; vel quod religione quadã, ac metu ab ingressu reuocaretur, vbi priùs ex visione Angelorum perturbata recesserat. Quantum ad animi affectum stabat plorans cæteris eius sodalibus, vel sedentibus, vel in horto vagãtibus, vel Apostolos abeuntes consequẽtibus, lachrymisq; amissum Christum deflebat. Et eius fletus veluti puerorum erat: nam illo pueri parentes suos expugnãt, ac quicquid volunt, impetrãt. Et flebat amissa spe vngendi corpus, quod putabat ablatum, siue desiderio videndi eum, quẽ amplius vngere non poterat: & felices lachrymę, quę Christum amissum recuperant viuum: abstergunturque à Christo, veluti sudario, de quibus: *Absterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis sanctorum.* Et in verbo standi, perseuerãtia significatur, quæ sola obtinet quicquid petitur, solaque conatur: recedẽtibus enim viris, & mulieribus cũctis à monumento, ipsa sola persistit, ac lachrymis suis vocat ad se dilectum.

Maria ad monumentum cur fleret.

Quęnã lachrymæ felices.

Apoc. 7. & 21.

Stare quid significet.

Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes: vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Solus Ioannes hanc visionem Angelorum duorum prætermissam ab alijs supplet, præter illas tres iã enarratas Angelorum apparitiones mulieribus factas. Inclinauit ergo se curuo corpore, circumspiciens si qua affulgeret spes inueniendi corporis, more eorum, qui quod libenter amant quęrunt etiam ibi, vbi prius negligenter quærentes non inuenerant, & vel è conspecto consolationem capiens, quòd ibi Dominum inuenire non licuerit. Hoc autem tam ardens Christi desiderium maiorem meretur apparitionem, quàm Apostoli. Vidit autem Maria hos duos Angelos corporeis oculis, vt circumstantiæ vestium, quia sedentes, & loci, quia intus in monumento, indicant. Neque isti duo Angeli sunt illi à Matthæo, & Marco enarrati, quia pariter in veste candida visi sunt sedere: siquidem isti visi sunt simul sedere, vnus ad caput, & alter ad pedes, & intra monumentum; illi verò Matthæi, & Marci non simul visi sunt sedere, sed vnus post alterum, & vnus intra, alius extra monumentum, & non vnus ad caput, & alius ad pedes; cùm ille qui extra erat, nec ad pedes esset, nec ad caput. Rursus hi duo Angeli visi à Magdalena, non sunt illi ijdem, quos recenset Lucas cõspectos à mulieribus: quia illi stantes erant, isti sedentes: illi à pluribus fœminis aspecti, isti à solitaria Magdalena: illi apparuerũt antequam mulieres venissent ad Apostolos,

Duo isti Angeli, quos Magdalena vidit in albis ad caput, & pedes Dominici sepulchri sedentes, à quibus diuersi sint.

stolos, vt adferrent nuntium resurrectionis; isti perspecti à Magdalena, postquam Apostolos monuerat de visione Angelorum, & sublato corpore, & ipsa secundò redierat ad monumentum. Illorum longè diuersa sunt verba, quæ ad mulieres dixerunt, ab his, quæ isti duo dixerunt: atque ista consecuta est ostensio CHRISTI suscitati, quæ in priori minimè fuit. Obserua illud, nusquam in resurrectione Angelos apparuisse viris, etiam ad sepulchrũ venientibus, qui tamen quater conspecti sunt à mulieribus, cuius rei causa fortasse fuit: quia statim recesserunt à monumento; & quia futurum erat, vt illis tanquam prudentioribus ad fidem sufficerent ea, quæ viderant: vt testis est Euthymius. Et hoc gen' delitij, atq; solat j infirmiori sexui exhibere voluit, propter illatum religionem, ac fidem, qua Christum baiulantem Crucem comitatæ sunt, & Crucis spectaculo, atque sepulturæ adfuerunt, ad vngẽdum post triduum magna diligentia primæ accesserunt. Duos autem modò vidit Angelos, quia duo sunt Angelorum officia, assistere scilicet, & ministrare: quæ ex eo tempore perfectius ab illis nobis exhiberi cœperunt, quàm ante hæc. Erant ad pedes, & ad caput, vt mulieri corpus Domini sublatum putanti declararent neminem potuisse in illud vim inferre, quod ab Angelis custoditum defendebatur. Præterea vt sua præsentia declararent, frustra quærere ibi mortuum, vbi viui tantùm inueniuntur; aut certè vt sua apparitione primam Domini apparitionem cohonestarent, & ad illam fœminam sanctam, ac religiosam magis disponerent.

Cur viris etiã ad sepulchrũ venientibus, angeli minime apparuerint, sed fœminis tantum, & pluries.

Euthym. in Ioannem.

Angelorum officia duo.

Angeli duo ad caput, & pedes sepulchri Dominici consistentes cur Mariæ conspecti sunt.

Dicunt illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum; & nescio vbi posuerunt eum. Tunc tempus est plorandi, cũ Dominum perdimus: & quæ olim fratris Lazari resuscitationem lachrymis impetrauerat, si illa eadem fuerat, etiam nunc ad lachrymas se conuertit, vt eum, qui est omnium elementorum resurrectio, & vita, suscitatum videret. Nec illam fefellit spes: nam lachrymis tandẽ Iesum vitę redditum intueri promeruit. Cùm autem aiunt, *Mulier, quid ploras?* non tam lachrymarum causam quærens (quam certè non ignorabant) verùm vt aperiret animi sui dolorem, à quo erat liberanda: vnde dixit; *Quia tulerunt Dominum meum; & nescio vbi posuerunt eum.* Vel vt lachrymis modũ imponat, admonent, quasi dicerent: Noli plorare, non enim habes causam plorandi vllam, cùm hic nullus sit defunctus, sed potiùs gaudendi, cùm Dominus, quem quæris, ad vitam reuocatus, humanum genus omne ad vitam suo merito sit excitaturus. Simili ratione cùm Dominus vellet viduæ filium, qui efferebatur ad sepulturam, suscitare, Dominus parentem priùs suam solatus est, dicens: *Noli flere.* Pulchrè autem Augustinus sermone in vigilia Paschæ scribit: *Petrus videns resurrectionem, quam Dei Filius pronuntiauerat, impletam, quis solicitus venerat, securus abscessit. Maria tamen resurrectionis ignara non cessat lachrymas fundere, nesciens hãc esse Dominici corporis gloriam, quam putabat iniuriam.* Hæc ille. Ex quibus habes, quòd non anteà Dominum viderit: quoniam si vidisset, minimè fleuisset, nec dixisset: Tulerunt Dominum meum; & nescio vbi posuerunt eum, vt dixerat Petro, ac Ioanni. Ita hæc est noua ratio, quòd hæc apparitio facta Magdalenæ soli, præcessit illam, quam narrat Matthæus in fine Euangelij sui.

Plorandi tempus quãdo sit.

Ioan. 11.

Ibidem.

Cur Angeli Magdalenam interrogauerint, quid ploraret, & cum id probe nossent.

Luc. 7.

Aug. ser. 1 in vigil. Paschæ & in ordine 132 circa medium, tom. 10

Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Retrò aspexit Maria, vel vt ex impatienti amore hinc inde prospiceret, vel quia splendorem vultus Angeli, ac vestis, diu ferre non posset, vel ex strepitu, ac gressibus agnouit aliquem astare à tergo, vel ambulare, vel quia conspectus Angelorum eã non satiabat, quia non Angelos, sed Christum Angelorum Dominum quærebat. Vel potius, quia, vt testantur Chrysostomus, & Euthymius, subitò post eam apparente Christo, Angeli statim surrexerunt, & cum tremore ei reuerentiam exhibuerunt: quare excitata est mulier, vt retrò cõuersa aspiceret. *Et vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est.* Semper post resurrectionem stans visus est Dominus: quia resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Et stantem vidit Stephanus in cœlo; vt intelligamus eum auxiliatorem, & protectorem esse, & ad nos tuendum paratum. Non est autem cognitus à Maria: quia in manu est glorificati se ipsum prodere cuicunque, & sub quacunque forma, & habitu velit. Et interdum Deus, qui nobis adest, se occultat, non ob aliud profectò, vt docet Bernardus, quam vt ardẽtius quæratur: requisitus cum gaudio inueniatur: inuentus, cũ solicitudine teneatur: retentus, nunquam ampliùs dimittatur, sed dicat cum Sponsa: *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.*

Cur Magdalena angelos aspiciẽs, retrorsum se se conuerterit.

B. Chrys. ho. 85. in Ioan. tom. 3.

Euthym. ibid.

Semper post resurrectionẽ stans quare visus sit Dominus.

Rom. 6.

Actor. 7.

Deus cur se interdum nobis subtrahat, teste Bernardo.

Bernard.

Cant. 3.

Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Addit Dominus dicto illi Angelorum, Quid ploras? quem quæris? id est, lachrymaris, quod aliquem quæras, quem non inue-

inuenias. Dic ergo mihi, quis est ille, quem tanto mœrore animi, & fletu quæris? Quid ergo ploras? quem quæris? Quod est dicere, teste Augustino in prædicto sermone:

Aug. ibid.

Me iam viuente, pro quo mortuo lachrymas fundis? aut me præsente, quem quæris? Et Origenes in homilia huius Euangelij (quanquam nonnulli viri deuoti non sine rationabili causa dubitent, an illi sit eiusmodi homilia tribuenda.) *Quid*, inquit, *ploras? id est, Quid me tanto clamore vocas? Lachrymæ enim vocant ad se Deum.* Non est autem Iesus locutus solita vocis resonantia, ne protinus agnosceretur. Vides hic sæpè Deum ita nobiscum agere, quasi nesciat quid apud nos agatur, aut quasi à nobis absit; cùm tamen non longè sit ab vnoquoque nostrum, & res nostras meliùs quàm nos ipsi notas, atque compertas habeat.

Orig. tom. 2.

Lachrymarũ vis.

Actor. 17.

Illa existimans quia hortulanus esset. Nimirùm quia horti illius curam habuit, in quo situm erat sepulchrum, quare nec vocem eius insolito modo prolatã agnouit, quemadmodùm nec agnita fuit ab euntibus in Emmaus, neque à discipulis piscantibus ad mare Galilææ, saltem in principio, donec Ioannes dixit, Dominus est. Visus est Christus suscitatus nunc in specie peregrini, nunc in habitu mercatoris, nunc in forma hortulani, & vt peregrinus vixit in hoc mundo, vt negotiator pretiosas comparans merces, hoc est, bonas margaritas, sanguinem suum profudit; vt hortulanus vero suscitatus est, qui herbas, plantasque animarum sacro Baptismi fonte irrigaret, & hortum Ecclesiæ excoleret. *Dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam.* Præ magnitudine amoris dilectum non nominat, quem putat omnibus esse notum, vel existimans eius horti illum esse custodem. Non opus erat dicere, quem quæreret, cùm id sibi ignotum esse non posset: ideò tantùm quærit, vt indicet locum, vbi Dominum reposuerit. Et rectè Iesum interrogabat, si asportasset corpus suum: quia reuera nemo alius præter Iesum de sepulchro corpus eduxerat, & diuinitatis virtute impleuerat. Quod autem dixit: *Ego eum tollam,* amoris sui vehementiam patefacit. Nam Origenes ait in homilia huius Euangelij; Ioseph timuit, & nõ fuit ausus tollere corpus tuum de cruce, nisi de nocte, & nisi hoc peteret à Pilato: Maria verò noctem non præstolatur, nec Pilatum reueretur, sed audacter promittit, dicens: *Ego eum tollam.* Hoc tanto amoris desiderio oblectatus Dominus, diutius se illi non putauit celandum: idcircò voce nota, & familiari eam blandè compellauit.

Luc vlt.
Ioan. 21.

Variæ formæ habitusque Christi à mortuis resuscitati, quibus apparuit amicis.

Matth. 13.

Vis amoris in Magdalena erga Christum.

Orig tom. 2.

Dicit ei Iesus; Maria; Non solùm igitur nomine proprio, sed etiam sono vocis propriæ, & accentu solito ipsam nominauit: alioqui ex solo proprio nomine non cognouisset eum, sed dixisset ei, Vnde me nosti? Vnde constat, quòd verba quæ priùs dixerat, Mariæ aut solito vocis sono non protulit; aut si protulit, ad Mariam solita eius resonantia non peruenit: & vt vtrouis modo acciderit, signum fuit. Dixit ergo, Maria, quasi diceret, Recognosce eum, à quo agnosceris. Non se potuit Iesus continere ampliùs, quin se amanti proderet, vt olim Ioseph, cùm se erga fratres vt illis ignotum redderet, tandem amore victus, se præbuit manifestum, & vt bonus pastor ouiculam suam vocauit nominatim. Et verbo potissimùm se indicauit; alioquin etsi præsens existat, non agnoscitur tamen, nisi verbo se aperiat suo. *Conuersa illa dicit ei, Rabboni, (quod dicitur Magister.)* Hæc Mariæ conuersio indicat, quòd se pro inquieto suo affectu, huc atque illuc impellente, à Christi facie, quasi hortulani, vultum suum auertisset, & ad Angelos faciem reflexisset: ideò agnita voce Magistri, & pastoris, ad illum conuertitur protinus, & verbo consueto salutat, siue nominat, Rabboni: quę vox Syra est, pro Rabbi Hebræa, & interpretatur magister meus. Et plura verba profundere, ingẽs ac inopinata rei insperatæ lætitia impediuit: & verbo Christi omnes mœroris nubes dissipatæ sunt in ea, & fons lachrymarum tantarum arefactus. Et non tantùm verbo se ad Christum conuertit, sed etiam facto, prouoluens se in genua, vt Christi pedes oscularetur. Christus tamen dixit ei: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quia apud Epiphanium hæresi 26. in Gnosticos, & hæresi 80. siue postrema contra Messalianos legitur dixisse Mariæ Dominus: *Noli me tangere*, elicuerunt nonnulli matri suæ Mariæ id dixisse, sed satis leui argumento, quia etiam Magdalena ibidem vocatur Maria etiam à Christo: nec opus est excusare dictum Epiphanij, quasi per obliuionem id locutus sit. Caput B. Mariæ Magdalenæ in ciuitate sancti Maximini asseruatur, in cuius fronte parum eminet carnis, quam dicunt Dominum digito tetigisse, cùm eam à se repulerit, tangere pedes, & eos adorare volentem. Quomodò autem corruerit Maria versus Christum, dubium est. Nam Caietanus apertè tradit, illã in amplexus eius ruisse. Sed hoc minimè est verisimile, qui tãtę erat autoritatis,

Vnde Magdalena ab eo nomen suum audiens agnouerit ipsum.

Christi amor in Magdalenã quantus.

Gen 42. 43 44 45.

Ioan. 10.

Rabboni quid.

Quorundam ex Epiphanio infirma coniectura.

B. Mariæ Magdalenæ caput vbi asseruetur.

Quomodo se gerit Magdalena Christo mortuo resurgentem.

Caiet in Ioã.

& ma-

& maiestatis apud omnes, sed præcipuè apud fœminas, vt nunquam dum viueret, in amplexus eius ruere sint ausæ: benè tamen permisit eas ad osculum pedum procumbere, vt peccatricem, & Marias illas, quæ ibant ad annuntiandam discipulis resurrectionem: quod etiam egregiè docet Hieronymus ad Hedibiam, & Gregorius Nyssenus oratione de resurrectione, & Augustinus sermone in vigilia Paschæ, & Euthymius hoc loco. Nonnus paraphrastes Ioannis scribit, Mariam Magdalenam voluisse dexteram tenere, & tangere vestem, & Christum dixisse: *Noli tangere tunicam meam.*

Luc. 7. Matth. vlt. Hier. ad Hedibia. q. 8. to 3. Greg. Nyssen. orat. 2. de resurrect. Aug. loco cit. Euthym. ibid. Nonnus paraphrastes.

Duplex difficultas.

Porrò hæc verba: *Noli me tangere, nondum enim asceudi ad Patrem meum,* duplicem habent difficultatem: altera est de probibitione tactus, cùm paullò pòst à tribus Marijs permiserit teneri pedes suos, & adorari, Apostolos quoque eadem nocte ad tactum inuitauerit: *Palpate, & videte,* inquit, *quia spiritus carnem, & ossa non habet:* & Thomæ dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Vt omittam, quòd dum viueret, permiserit se tangi ab Hæmorroyssa, & à peccatrice, & à Maria vnctrice pedum & capitis, & à comprimentibus turbis, & à crucifigentibus. Secunda difficultas est circa rationem à Christo additam: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quia non satis constat, quo tendat hæc ratio: tùm quia cùm tactus est à Marijs, & ab Apostolis, & præsertim à Thoma, nondum Dominus ad Patrem ascenderat; tùm quia post ascensionem tactui locus non erat ampliùs, & tamen verba Christi in speciem insinuant, ipsum post ascensionem tangendum. Respondendum est, nonnullos egregios, illustresque sensus à Patribus huic loco tribui. Primus est quædam simplex expositio: Noli me tangere, id est, Noli me, vel te tangendo detinere: quia vobis ero per quadraginta dies adhuc familiaris. Nondum enim ascendi, id est, Nondum ascendo tam citò, vt tu putas (accipiendo præteritum pro præsenti, vel pro futuro) magna erit commoditas tangendi me: interim perge nunc ad Apostolos meos, & faustum hoc resurrectionis meæ annuntia Euangelium. Cùm olim Maria ad pedes Iesu sederet, audiens verbum illius, reprehensa est à sorore eius Martha, quòd eam non adiuuaret, verùm defensa est à Domino dicente, quòd meliorem partem elegisset: nunc autem eam à se repellit, vt confestim ad Apostolos pergat. Ne me, inquit, tangas, & te ipsam,

Luc. vlt. Supr. 8. Supr. 7. Matth. 26. Luc. 12.

Horum verborum: Noli me tangere nondum enim ascendi ad Patrem meum, I. sensus.

Actor. 1. Luc. 10.

& bonum tuum solum respicias; sed vade, annuntia fratribus meis gloriam meam, & ascensum ad Patrem: recordare fratrum tuorum, quando ingressa es potentias Domini. Vide quòd necdum ascendi ad Patrem meum, dum vestram causam priùs ago: quare vade & tu, & fac similiter: annuntia illis vt me videre velint, antequam recedam: nam me posteà tanges. Ita olim Samaritana audito verbo Dei ex ore Christi, non immoratur cum Christo, sed currit ad annuntiandum suis ciuibus aduentum Messiæ.

Ioan. 4.

Secunda expositio est Hieronymi ad Hedibiam, & Chrysostomi in Ioannem, Gregorij Nysseni, atque Augustini, prohibitam videlicet Magdalenam tangere, ob defectũ fidei. Ait enim Hieronymus: *Noli me tangere, tibi enim nondum ascendi ad Patrem meum. Et est sensus: Quem mortuum quæris, viuentem tangere non mereris. Si me necdum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es.* Sic ille. Vbi ascenderis ad Patris, & mei ipsius fidem, quòd ego & Pater meus vnum sumus, tunc tanges. Addit Chrysostomus, quòd Maria crederet Christum resurrexisse à mortuis ad communem vitam cum discipulis ducendam, vt antea, non ad vitam gloriosam, ideò voluisse eum familiariter tangere, vt priùs quando vnxit pedes, & caput. Sed repressa est, dicendo, Noli me tangere, quasi vobiscum vt priùs conuersaturum: nondum enim ascendo ad Patrem meum; per ascensionem immortalitatem intelligens. Quòd enim appaream modo in sensibili corpore, sicut priùs ante passionem; hoc est, quia nondum ascẽdi ad Patrem, quò possim priùs vos instruere, & à vobis videri. Atque ex eiusmodi verbis maiorem cœpit Maria consolationem, quàm si permissa fuisset tangere: prohibet ergo quod minus est, & quod maius est largitur.

II. sensus. Hiero. ad Hedib. q. 5. sub finem. tom. 3. Chrys. ho. 85. in Ioan. to. 3. Greg. Nyssen. orat. 2. de resurrect. Aug. ser. 1. in vigil. Pascha in ordine 132.

Ioan. 10. Chrysost. ibid.

Matth. 26.

Tertia expositio est, Mariam non contentam Christum vidisse, & audisse, voluisse etiam tactus sensu certiorem reddi, cũ olim pedes Christi lauisset, vnxissetque. Hæc est enim naturâ amantium, & ingenium hominũ, vt cùm incerti sint, ac dubij, non tantùm visui, audituique non acquiescant, sed etiam velint tangere: cuius rei gratia Christus, qui nouit figmentum nostrum, externa Sacramentorum signa quæ tangeremus, adhibuit, vt omnibus modis certi redderemur. Dicendo igitur, Noli me tangere, in primis videtur hortari ad fidem; quò repulsa à se, ac repressa ostendere plus fidei niteretur. Deinde nolebat eã impetu

III. sensus.

Amantium ingenium quod.

Matt. vlt.

impetu duci, sed consultã, & cum alijs comitatam accedere, vt in Matthæo dicitur, quod accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum: ostendens placere sibi plus amoris societate coniunctos, quàm solitarios: idcircò se à multis tangi permisit, & nō à sola: sicut discipulis duobus euntibus in eas confestim euanuit, qui postea cum Apostolis congregatis versatus est diu. Tertiò noluit illi gloriandi in alios ansam præbere, quasi sola tetigisset. Et in Maria adumbrata est Gentilitas, quę Christum nec visura erat, nec comprehensura, nisi post Christi ascensionem.

Luc. vlt.

In Maria Dominum ni tangere prohibita, quid fuerit adumbratum Quæ.us sensus.

Denique dixit, Noli me tangere; id est, Noli sensu tactus amittere meritum fidei, neque velis bonum fidei tuę infirmare per tactum, quo infirmitas Apostolorum erat confirmanda: ideò Apostolos, & Thomam ad palpandum videndumque inuitauit, quia nondum credebant. Quod pulchrè Bernardus super Cantica explicauit, his verbis: *Noli me tangere* (inquit) *hoc est, dissuesce huic seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce: fides nescia falli, fides inuisibilia comprehendens, sensus penuriam non sentit. Denique transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ vsum, experientiæ terminos. Quid interrogas oculum, ad quod non sufficit? Et manus quid explorare conatur quod supra ipsam est? Minus est quicquid ille, vel illa renuntiet. Sanè fides pronuntiet de me, quæ maiestati nihil minuat. Disce id habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Quasi verò cùm iam ascenderit, tunc tangi ab ea velit, aut possit. Et vtique poterit, sed affectu, non manu; voto, non oculo: fide, non sensibus. Quid tu me (ait) tangere quæris, quæ sensu corporis gloriam æstimas resurrectionis? Non recordaris quomodo tempore adhuc meæ mortalitatis transfigurati ad horam morituri corporis gloriam oculi discipulorum sustinere nequiuerunt? Adhuc quidem tuis sensibus gero morem, formam ingerendo seruilem, quam de consuetudine recognoscas. Cæterùm mirabilis facta est gloria mea ex te: confortata est, & non poteris ad eam. Differ ergo iudicium, suspende sententiam, & tantæ rei definitionem: ne credas sensui, fidei reseruato. Illa dignius, illa diffiniet certius, quæ plenius comprehendet.* Hæc ille. Augustinus quoque sermone in feria sexta Paschæ proposita difficultate quomodo eum tetigerit post ascensionem, quæ illo die cum tribus Marijs tetigit, subiungit: *Tangit Christum, qui credidit in Christum. Nam & illa mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, apud se ipsam ait: Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. Fide tetigit, & sanitas subsecuta est quam præsumpsit. Denique vt nos sciamus quid sit verè tangere, Dominus continuò dixit discipulis suis; Quis me tetigit, &c.* Hæc ille. Nondum ergo ascendi ad Patrem meum, à quo impetrabo Spiritum sanctum, & eius dona, quo tanquam Dei digito (sic enim vocat illum Scriptura, & Ecclesia, quę canit: *Dextræ Dei tu digitus.*) nos tangit Christus, & nos eum tangere debemus, illoque ornati ad salutaria Sacramenta accedere, sed maximè ad Eucharistiam, in qua ipse Dominus tanquam in fimbria vestis suæ tangitur. Et gustus ipse quidam tactus est, vt docet Philosophus: vnde & Spiritus sanctus in forma linguæ apparuit, qua maximè lingua gustanda est dulcedo, atque suauitas Christi.

Luc. 24.
Ioan. 20.

Bern. ser. 28. super Cãtica, circa med.
Fidei virtutes ex Bernardo.

Christus quomodo tangendus, eodem autore.

Matth. 17.

Psal. 138.

Aug. ser. 1 in fer 6 Pascha. & in ord 136 inter [illegible]rè, tom. 10.
Christum qui tangat
Luc. 8.

Quo nos Christus digitō tangat, illumque tangere debeamus.
Luc. 11.

Arist li 2. de partib. anim. cap. 17.
Actor. 2.

Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Paulò ante constituta fuerat ab Angelis Magdalena Apostolorum Apostola: confirmatur in eo munere ab ipso Christo: quemadmodùm gratia ab Episcopo impetrata, solet à summo Pontifice confirmari. Fratres autem vocat suos Apostolos Dominus, tùm vt veram naturam humanam se resumpsisse per resurrectionem ostendat, tùm vt fiduciam ad se redeundi præbeat, tùm denique, vt singularem suam erga nos charitatem detegat. Nam qui, dum mortalis erat, eos appellabat discipulos, & maiori amicos dignatione; cùm iam immortalis, & gloriosus existat, maiori charitate eos fratres appellat, regni nimirùm per triumphum mortis acquiriti cohæredes. Instruens nos, ne exaltati, & maiorem dignitatis gradum adepti despiciamus inferiores, iuxta illud Sapientis salutare consilium: Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, &c. Ascendo, inquit, de pręsenti, nec tamen ascendit, nisi post quadraginta dies: verum ita locutus est, Ascẽdo, id est, ascendere volo. Quod ad longum tempus extendi potest, & vt amplius eorum mentes ad sublimia erigeret, & vt se non ad vitam priorem, quam cum eis ducebat, sed ad nobiliorem, ac diuiniorem suscitatum confirmaret, nec putarent sibi cum illo esse conuersandum ea ratione qua ante mortem; vt vitam ageret in cęlo, etsi ad tempus hic apud nos moratus sit. Adhæc vt maiori cum veneratione, & attentione animum eius verbis intenderent. Porrò diuinam sapientiam: dum mortalis cum hominibus versabatur, proponebat mortem suam, & resurrectionem: suscitatus, ascensionem suam ad Patrem concio-

Magdalena Apostolorum Apostola à se ipso confirmatur.

Apostolos Dominus cur fratres suos appellauerit.

Ioan. 13. infra 15.

Eccli 32.
Rectoris officium iuxta sapientem
Actor. 1.

Mira Christi sapientia.

concionatur, in qua terminata est resurrectio: ac dum ascéderet, promisit Spiritum sanctum, vt habes in Luca, ac in Actis. Ceterùm cum ait, Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, duplicem in Christo indicauit naturam: alteram diuinam, secundùm quam ab æterno Pater, Verbi pater est, atque vnius, & eiusdem substantiæ cum eo; alteram humanam, secundùm quam singulari quodam modo Deus ipse, Deus est humanitatis assumptæ, quàm vnionis hypostaticæ sibi counitam vinculo decorauit. Quare cùm ipse talis esset, ac tantus, moriendo, ac resurgendo promeruit, effecitque Deum patrem nostrum fieri per adoptionem; vt iam non alijs oculis nos respiciat, quàm solet amantissimus pater dulcissimos filios suos. Præstitit etiam, vt Deus peculiari ratione Deus noster esset, non tantùm creatione, redemptione, conseruatione, ac prouidentia communi omnibus, sed etiam singulari electione, & gratiæ suę protectione, atque cura, assistentiaque Christi capitis, ac Dei nostri, qui nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: quem vt Emmanuelem habemus.

Luc. vlt. *Actor. 1.*

Quid nobis per assumptā Filius Dei humanitatem contulerit.

Matth. vlt. *Supra 1.* *Esai. 7.*

Magdalenæ feruor.

Venit Maria Magdalena enuntians discipulis, Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Id est, verba Christi fideliter retulit Apostolis, vt eorum exacueret ad videndum desiderium. Quod si prius non inuento Christi corpore, venit currens ad discipulos; quanto est verisimilius, Domino inuento, concitato gressu peruenisse ad hæc tam fausta, & grata renuntianda? Et apparet, quòd Deus magnificat sua opera, & humiles, & abiectos perficere solet: nam eligere consueuit infirma mundi, vt confundat fortia.

1. Cor. 1.

Quomodo acceptum fuerit hoc nuntium Magdalenę à discipulis, non explicat Ioannes. Exposuit Marcus, dicens: *Illa vadens nuntiauit his qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. Et illi, audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.* Lugebant adhuc discipuli Christi mortem, ac fortè dolebant, quod primò mulieribus apparuisset, & non sibi, vt indicat Euthymius in Marcum. Porrò Euangelistæ Marcus & Ioannes, dum hunc reditum Mariæ Magdalenæ enarrant ad Apostolos, silentio premunt aliam apparitionem Domini Iesu ad mulieres factam in via, quæ tenuerunt pedes eius, & adorauerunt, vt solus docet Matthæus. Et ita non est verisimile, solam Mariam Magdalenam sine sodalibus suis hoc nuntium ad Apostolos attulisse. Cùm enim viso Domino solitaria exiret de monumento, vt hoc Apostolis annuntiaret, consecuta est mulieres, quæ illam præcedebant, vel illæ sibi adiunctæ sunt per viam, & tunc illis apparuit Dominus, eiusque pedes tenuerunt, &c. Postremò quod dicitur, Apostolos non credidisse: intellige pro maiori parte. Quia iam Petro apparuerat Dominus, & Ioannes spem aliquam ex his, quæ viderat in monumento, concepit, vt ipse ait de se, & fortassis etiam iam beato apparuerat Iacobo, quando mulieres istæ discipulis visum ab eis Christum annuntiarunt. Itaque alij octo Apostoli, & septuaginta discipuli sunt hi, quos nō credidisse refert Marcus. Quod autem illi non crediderint mulieribus tantum gaudium annuntiantibus; aut tarditati illorum dandum est, aut quia putabant illas deceptas, aut fieri posse vt asportatum esset corpus Iesu, sed consilio primorum Iudęorum; vt sic detegerentur, qui se profitebantur Christi discipulos, & ita agniti punirentur: & hoc fortassis metuentes Apostoli delitescebant, neque facilè credebant. Adhæc cùm audissent à militibus asportatum dici corpus Iesu per discipulos, suspicari poterant, hanc in eos compositam calumniam, & ipsos quidem milites mandato Iudæorum corpus amouisse; vt intenderetur lis aduersus eos, qui noti erant pro discipulis Iesu, vt per hanc occasionem & ipsi raperentur ad necem, & deterrerentur à nomine Iesu amplius nominando, & fugam, vel exilium arriperent. Sed Petrus, & Ioannes non tam cauti primò abierunt ad monumentum, posteà se cum cæteris continebant, donec ad eos venit Iesus. Nemo igitur aut de tanto mysterio dubitet, aut acceptionis personarum vitium esse existimet apud Deum, quòd quibusdam Dominus se videndum ostenderit, alijs verò minimè: quia hæc summa cum sapientia, atque prouidentia facta esse constat à clementissimo illo, & nostri amantissimo Redemptore, & glorificatore Iesu Christo Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto sempiterna reddatur laus, honor, & imperium per infinita secula, Amen.

Marc. vlt. *Cur discipuli, quibus Magdalena nuntiauit se Dominum vidisse, lugerent, & flerent.*

Euthym. c. 48 in Marc.

Matth. vlt.

Vt verum sit, Apostolos Magdalena nunciante [illegible] Dominum [illegible] minime credidisse. *Luc. vlt.*

Ioan. 20.

Cur illi non crediderint.

Matth. vlt.

Ioan. 20.

TRACTATVS XIII.

De apparitione Domini Iesu facta ad mulieres in via, dum pergerent ad annuntiandum discipulis Christi resurrectionem, in illa verba: *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete. Illæ autem accesserūt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt. Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant, &c.* Matth vlt. Adiunguntur etiam apparitiones Domini factę Petro, Iacobo, & Iosepho ab Arimathia.

Quo consilio Deus Dominicę resurrectionis veritatem meridiana vel hoce clariorem ipsa, varijs tamen dubitationum tenebris velut obscurari, atque offuscari sit passus.

VERVM est illud tritum & peruulgatum prouerbium: Opposita iuxta se posita magis elucescunt: hinc artis pingendi sciente, dum vt quidam colores viuidiores & gratiores eminere possint, dant operam, nigrum propè adhibere curant, qui sua quam habet deprimēdi virtute cæteros exurgere faciat, atque extare. Quando quęstiones in vtramque partem agitantur, splendescit magis, atque emicat veritas, & in conspectum se prodit. In hunc sanè modum voluit Deus tam necessariam, & salutarem resurrectionis Christi veritatem diu agitari, & ad tempus permittere, vt homines illam multis modis obscurare atque extinguere tentarent, quò eò esset nobis certior, atque solidior. Hinc est, quòd dum mulieres annuntiant Apostolis resurrectionem, interim milites seducti, & pecunia corrupti mendacium pro veritate tale proferunt, atque in vulgus spargunt, vt tamen se ipsos statim prodant, veritasque ea ratione magis inclaruerit resurrectionis. Ait igitur Matthæus: *Et ecce Iesus occurrit illis.* Græca lectio hoc expressiùs dicit: *Et dum ibant & renuntiarent discipulis eius, Ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete.* Vbi primùm obseruandum est, hunc reditum mulierum ad Apostolos, nō fuisse illum primum, quando ab Angelis visis missæ sunt ad adferendum nuntium resurrectionis discipulis. Quòd ex narratione aliorum Euangelistarum fit liquidum. Nam ex Luca, & Ioanne constat illas peruenisse ad discipulos, & renuntiasse corpus sublatum, & Angelos visos: & tamen de Christo in via sibi apparēte nihil locutæ sunt, quia videlicet nondum illis apparuerat: nam id proculdubiò fœminæ minimè siluissent. Ad hæc cùm earum monitu Petrus & Ioannes ad sepulcrum cucurrissent, & vera esse comperissent, quæ sibi erant renuntiata, ac discessissent, remansit sola Maria Magdalena: quæ cùm esset solitaria, primùm vidit Angelos, & deinde Dominum, ac statim ab eo destinata est, vt renuntiaret Apostolis resurrectionis veritatem. Hæc autem apparitio dicitur prima à beato Marco, cùm ait: *Surgens autem Iesus mane prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ:* quam apparitionem si prima extitit, opus fuit præcedere hāc factam mulieribus in via à Domino, in qua etiam mulieres ad Apostolos destinauit: alioquin illa non esset prima, sed secunda potiùs.

De quo reditu mulierum ad Apostolos annuntiandæ resurrectionis Christi gratia non fit sermo hoc loco Matth. vltimo

Ioan. 20.

Marc. vlt.

Matthęus igitur extrema tacitis medijs cōiungit: tacet enim reditum mulierum ad discipulos, & aduentum Petri, & Ioannis ad monumentum, eorumque reditum ad semetipsos; prætermittit quoque apparitionem in specie hortulani factam Mariæ: atque his omnibus omissis, saltat ad regressum mulierum, quo Maria Magdalena verba etiam, quæ audierat Iesu renuntiatura ibat ad Apostolos: nam dum Maria exijsset solitaria de monumento, confestim aliæ mulieres sanctæ se illi adiunxerunt, vel ipsa eas præcurrentes, & cum Petro, & Ioanne discedentes consecuta est. Cùm autem illæ adiunctæ pergerent, ecce iterum Dominus in via illis apparuit, vt hîc ait Matthæus. Nec mirandum est, Matthęum suppressis medijs extrema enarrando coniunxisse. Nam similia quoque fecisse Marcus comperitur, qui descripta prima apparitione Iesu facta Mariæ, & altera facta euntibus in Emmaus, transijt ad extremam, & nouissimam factam in die Ascensionis, vbi habet: Nouissimè autem recumbentibus illis vndecim, apparuit illis Iesus: qui tamen silentio supprimit apparitionem hanc factam mulieribus euntibus ad Apostolos, & illam sub vesperam eiusdem diei factam omnibus Apostolis, eam quoque, quæ post octo dies præsente Thoma facta est, & aliam ad mare Tyberiadis, & in monte Thabor discipulis exhibitam: nam de his omnibus verbum nullum apud Marcum. Quid dicam de Luca, qui omissis apparitionibus omnibus ad mulieres factis, quemadmodùm etiam Paulus facit in epistola ad Corinthios, tantùm percenset visionem discipulis euntibus in castellum ostensam, & illam, quæ eodem die ad decem facta est Apostolos, & statim ad nouissimam in die Ascen-

Euangelistas rebus quæ interiacent, prætermissis sæpe extrema narrando coniungere, quibus hat exemplis perspicuum atque manifestum.

Ioan. 20.

Infra 12.

1. Cor. 15.

Ibidem.

Luc. vlt.

Ibidem

Ascensionis exhibitam taltat, præteritis nonnullis, nimirùm facta apud Apostolos Thoma præsente, & altera ad mare Tyberiadis,& alia in monte Galilææ. Non absimili ratione Ioannes descripta visione facta Mariæ, & illa facta decem discipulis in die Resurrectionis sine Thoma, & altera post octo dies ad eosdem cum Thoma. postremò recenset illam, quæ facta est ad mare Tyberiadis; tacet autem hanc mulieribus in via factam, & alterã discipulis duobus, qui pergebant Emmaus,& factam Petro,ac Iacobo primo die; omittit etiam illam in monte Thabor,& alteram in die Ascensionis. Et hæc de Euangelistis. Paulus quoque omissis his, quæ factæ sunt ad mulieres, & ad euntes in Emmaus,& ad mare Tyberiadis, tantùm commemorat visiones Petro, & Iacobo, & Apostolis vndecim,& plus quàm quingentis fratribus, & iterum Apostolis in die Ascensionis exhibitas, & nouissimè eam quæ sibi tanquam abortiuo facta est.

Ioan. 20.

1. Cor. 15.

His vt veris,& omni acceptione dignis, positis,constitutisq; re, quia non est vni datum omnia scribere, iam verba textus expendamus: *Dum ergo mulieres pergerent ad nuntiandum, Ecce occurrit illis Iesus, dicens, Auete.* In propria quidem specie Dominus apparuit, & consueto vocis sono eas salutauit, vt omni dubio amoto, & absque vlla hæsitatione Iesum esse cognoscerent, possentque tutò adorare eum. Et quæ ante omnes diluculo surrexerant,ante omnes vident Dominum, & hanc sui studij ac festinationis mercedem referunt; quasi Dominus diceret: Qui manè vigilauerint ad me,inuenient me. Cùm etiam ex obedientia pergerent Christum annuntiare discipulis, ipsum intueri promeruerunt. In quo ostensum nobis esse voluit, eos, qui ex obedientia prædicandi munere perfunguntur, & verbum Dei alijs annuntiant, dignos existere,qui veritates ipsas,quas annuntiant, altius intelligant, ac veluti eas cernant, quò fortius efficaciusque eas annunriando,alijs imprimere valeant.Profectò sanctæ illæ fœminæ nihil minus sperabant, quàm hunc Domini Iesu occursum, cùm Angelus dixisset, ipsum in Galilæa spectandum: nihilominus tamen pro sua charitate Christus eis occurrit, & prior illas salutat, quò eas in annuntiando redderet confirmatiores. Ita plerumque nobis, dum in futura vita perfecta visio Christi promittitur, interim tamen hîc in fide, & charitate ambulantibus,Deus minimè deest, & Christus qui per fidem habitat in cordibus nostris. Et vt scribit Rabanus: *Per*

His mulieribus cur in sua specie & forma Christus apparuerit, sonoque vocis consueto eas salutauerit.

Prou. 8.

Meritum obedientiæ.

Christi munificentia.

Ephes. 3.

Rabanus in Matth.

hæc ostendit se omnibus iter virtutum inchoantibus, vt ad salutem perpetuam peruenire queamus, adiuuando occurrere. Sic ille. Nemo nescit filio à regione longinqua redeunti patrem occurrisse opis gratia ferendę. Dixit autem illis Auete, siue vt Græcè habetur χαίρετε, quòd est,gaudete,saluete,valete,& plaudite. Euthymius inquit, *Gaudere eas tribuit, quæ ob veterem inobedientiam condemnatæ erant ad habendum mœrorem.* Gregorius Nyssenus oratione de Resurrectione: *Saluete ait: Etenim oportebat primùm muliebrem sexum, & ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, Saluete, quoniam mulier quoque prima audiuerat fraudem serpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœna tristitiæ, ac doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare Seruator, & pedes apprehendere, & contrectare permittebat, vt ijs quæ primæ defecerant, & alienatæ erant ab eo: & discipulis gaudium annuntiare iubebat, cùm mulierem, quæ tristitiæ ministra Adamo fuerat, gaudij nuntiam viris esse vellet, contrarijs contraria curans.* Hactenus ille, accipiens saluete, pro gaudete. Et rectè post Mariam Deiparam, cui dictum est: *Aue gratia plena:* iam etiam mulieres primæ merentur audire, auete, vel gaudete; vt maledictum Euæ mulieris, cui dictum erat, *In dolore paries filios*, solueretur in mulieribus gaudio eis denuntiato. Auete ergo,quia omne bonum quod auere potestis, per resurrectionem vobis porrigitur. Saluete,quæ salutem corporis & animæ per meam resurrectionem consecutæ estis. Valete,quæ vt semper valeatis animo, & corpore, per resurrectionem meam adipiscimini. Et quoniam hæc ampla sunt seges & materies gaudij spiritualis quod nunquam tollitur, meritò ait, gaudete.

Luc. 15.

Euthym. in c. Matth 27.

Genes 3.

Greg. Nyss. oratio. 2. de resurrect. sub init.

Gen 3.

Suprà 2.

Luc. 1.

Genes 3.

Quid est illud Auete.

Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Ex verbis Magdalenæ intelligentes vulgari, & solito more non esse amplexandum, vel contrectandum, accesserunt fide ad se accedentem: quia credere oportet accedentem ad Deum quia est,& inquirentibus se remunerator sit. *Tenuerunt pedes eius.* Qui earum corda suspensa tenebat. Et tenuerunt ad osculum adorationis, vt scilicet vestigia vulnerum passionis quæ in pedibus apparebant, oscularentur, vt gratas se beneficio mortis Christi ostenderent. Et tunc non repulit à tactu eas, vt suprà Magdalenam, quia moderatè, & cum alijs, & plenæ fide per charitatem operante tetigerunt. Nam fides hæc charitati coniuncta, manus est spiritualis, quam si extenderimus, iam reue-

Mulierũ modestia, & in Christum reuerentia.

Hebr. 11.

Mulieres cur tenuerint pedes Domini suscitati.

His quare Christus non dixit, Nolite me tangere, vti cum Magdalena fecerat.

ia Christum tangimus, & tenemus Permisit etiam se tangi, vt cognoscerent Christi corpus non esse phantasma, sed verum, & solidum, vt ait Chrysostomus, addens: Fortassis aliquis vestrûm vellet & secundùm illas effici mulier, & pedes detinere Iesu. Potestis & nunc quicunque vultis, nō manus, & pedes detinere, sed & caput detinere sacrum illud terribilibus potientes mysterijs pura conscientia. Hæc ille. Accede ergo tu ad Christum fide, tene charitate, adora cultu latriæ Christum in Eucharistia, sic eris mulieres imitatus.

Chrysostom.

Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Etsi dilectum Iesum tenuissent, & adorassent, tamen quia à morte excitatus apparebat illis, eum timebant: ideò timorem pellit, & consolationem infundit, non tantùm verbo, vt Angeli, sed intus ex corde, timorem pellendo, quoniam ipse dixit, & facta sunt: sicut cùm inquit, Auete, vel gaudete, gaudium illis singulare contulit. Adiungensq́ue, Ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, confirmauit illo verbo Angelos fuisse suos qui prius illis apparuerant, & qui eadem præceperant. Et fratres dignatur appellare, quos olim vocabat discipulos; ne putes accidisse quod philosophi autumant, dirimi amicitias, cùm ex altera parte maioris fiat fortunæ accessio: Modò autem Christo data erat omnis potestas in cœlo, & in terra. De Galilæa sæpè dictum est: & hîc esset adiungēdum, quomodo Maria Magdalene discipulis annuntiauerit verba Iesu, vt docent Marcus, & Ioannes, & quomodo discipuli sidem non præstiterint: sed hæc expediuimus superiori tractatu. Sequitur in Matthæo: *Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.* Solus Matthæus, qui mentionem fecerat custodiæ adhibitæ, necessariò narrare debuit quid sit de custodibus factum: in qua narratione alterum suscitati Christi profertur testimonium: quod ab inimicis exhibitum solidius est, quanquam illud Iudæi stultè, ac ridiculè corrumpere tentauerint. Videntur custodes toto illo tempore, quo apparuerunt Angeli mulieribus, & venerunt Apostoli ad monumentum, & redierunt, aut perterrefacti, ac veluti semimortui iacuisse, aut præ metus magnitudine tacuisse; ita vt nonnulli post reditum secundum mulierum ad Apostolos, venerint ad Principes Sacerdotum. Deinde nota, venisse in ciuitatem: quia sepulcrum erat extra eam non longè à monte Caluario, vbi fuerat crucifixus. Nota præterea verbum illud, Quidam de custodibus: non enim omnes aut fuerunt ad Principes Sacerdotum venire, partim timore, partim pudore suffusi. Vel quidam ex eis, hoc est, insigniores, & aliorum veluti capita venerunt tantùm annuntiare omnia, quæ facta fuerant, hoc est, terræmotum, Angeli in terribili aspectu apparitionem, lapidis reuolutionem, aduentum mulierum, & ingressum earum in monumentum, corporis Christi absentiam, linteaminumq́ue, ac sudarij in sepulcro derelictionem. Et ita velint nolint custodes testes ac prædicatores veritatis resurrectionis Christi efficiuntur. Veritas enim diuulgata ab aduersarijs, qui Christi gloriam denigrare volebant, clarius per illos splendescit. Idem accidit fratribus Ioseph, qui eum Ismaëlitis, ne regnaret super eos, vendiderunt: verùm ea via excellentius regnauit: quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes, Dicite, Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Dicam quid Nicodemus in Euangelio suo circa hoc recenseat: quia non solùm non repugnat, sed etiam illustrat magis veritatem Euangelicam. Ait enim Iudæos indignatos fuisse contra Ioseph, qui petierat corpus Iesu à Pilato ad sepeliēdum: ipsumque Ioseph comprehendisse, & in cubiculo obsignato claui sine fenestra dimisisse, donec transiret Sabbatum: quo transacto conuenerunt Annas, & Caiphas, vt morte plecterent Ioseph: at eum ibi non inuenerunt. Quibus perturbatis, adsunt custodes annuntiantes terræmotum, & Christi resurrectionem. Quibus cum illi credere nollent, dixerunt custodes: Date ergo nobis Ioseph, quem in cubiculo custodistis; & nos dabimus vobis Iesum, quem in sepulcro custodiuimus. Iudæi responderunt, Ioseph nos dabimus, date nobis Iesum. Ioseph autem in ciuitate sua Arimathæa est. Respondetunt milites dicentes: Si Ioseph in Arimathæa est; & Iesus in Galilæa est, sicut audiuimus ab Angelo dicente mulieribus. Tunc dederunt pecuniam copiosam, vt fingerent mendacium de corpore Iesu furto sublato à discipulis cum ipsi dormirent. Rogati cur non apprehendissent mulieres, dixerunt: Nescimus, & nos vt mortui facti sumus præ timore Angeli. Hæc ibi referuntur: quæ Anselmus tanquam vera in libro de Passione prope finem proponit. Sed iam expende illud: Principes Sacerdotum cum senioribus cōsilium inijsse; vt intelligas

Cur dixit eisdem: Nolite timere.

Psal. 148.

Quare Apostolos Christus fratres appellet.

Matth. vlt.

Cur Matthæus ipse solus custodum sepulcri ad Principes Sacerdotum accessus meminerit.

Quando illi accesserint ad Principes Sacerdotum, & cur non ante.

Cur illi venisse in ciuitatē dicantur.

Quinam ex illis accesserint ad Principes Sacerdotum.

Christi potentia.

Genes. 37.

Infra 41.

Prouerb. 21.

Nicodemi Euangelium.

Matth. 27.

Infra 28.

Anselmus.

telligas, eos, qui prudentia, & rerum experientia atque autoritate apud populum vigebant, in tam stultam, & mendacē amentiam incidisse, quæ in ipsorum capita recciderit. Quia, vt habet prouerbium, malum consilium, consultori pessimum. Veritatem, atque adeò Christum viuum sepelire cogitabant: sed techna detecta, confusi sunt, ac pudefacti. Væ aduocatis, qui vias, & rationes excogitant, quomodo aut falsis testibus, aut corruptis instrumentis, aut perperam detortis legibus veritatem perspicuam celare possint: multósque hæredes & successores horum Iudæorum habet mundus, qui in hoc sunt ingeniosi, & sagaces, vt veritatem sepelire, & obscurare non erubescāt. Dederunt ergo copiosam pecuniam militibus, (siue, vt Græca habent, ἀργύρια ἱκανὰ, id est, argenteos multos. Est enim nomen substantiuum Græcis argenteus, non adiectiuum) quò tantam, & iam confessam veritatem obtegerent, & abnegarent.. Vide etiam pecuniæ vim, & efficaciam, & quanti sit ponderis apud milites.

Malum consilium, consultori pessimū.

Iudæos Dominicæ resurrectionis veritatem obscurare molientes, hodiequi imitentur.

Pecuniæ vis quanta.

Sed quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Virg. 3. Æn prope initiū.

Et Salomon, *Pecuniæ obediunt omnia.* Armatus pecunijs proditur Antichristus venturus, vt citò obtineat à sectatoribus suis fidem. Agnosce hoc loco ex Sacerdotibus, quantum malum sit inuidentia alieni nominis, & proprij nominis gloria: & ex militibus accipe quàm latè potens, ac patens malum sit auaritia, cùm per hæc vtriq; veritatem certò agnitam in tam apertum, & improbabile conuerterint mendacium. Nec mirandum, ait Chrysostomus, si pecuniæ milites superarunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem, vt redderent eum magistri sui proditorem. Vide quæso in quos vsus pecuniam sacram expenderunt boni illi Sacerdotes, atque seniores: prius proditionem à discipulo pretio redemerunt; deinde sub mercede conduxerunt Pilati cohortem, vt eum comprehenderent. Tertiò pecunia numerata custodes monumento apposuerunt. Postremò vt dignum esset patella operculum; copiosa pecunia mendacium à custodibus compararunt. Pulchrè in hæc verba scribit Hieronymus: *Custodes miraculum confitentur, ad vrbem conciti redeunt: nuntiant Principibus Sacerdotum quæ viderunt, quæ facta conspexerint. Illi qui debuerunt conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut anteà triginta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur qui stipe templi, & his quæ conferunt ad vsus Ecclesiæ, abutuntur in alijs rebus, quibus suam expleant voluntatem; similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium, & Saluatoris sanguinem.* Et Hilarius: *Emitur verò, inquit, à custodibus, qui omnia hæc viderant argento resurrectionis silentium, & mendacium furti, honore scilicet sęculi, & cupiditate: quia in pecunia honor eius est, Christi gloria denegatur.* Hæc illi Patres egregiè.

Ecclesiast. 10

Inuidiæ, & ambitionis, & auaritiæ potestas.

Chrysostom.

Matth. 26. Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum sacrilega pecuniarum templi applicatio.

Hieronym. in Matth. to 9.

Similes Scribarum & Pharisæorum qui fuere Hieronymo.

Hila can. vlt. in Matt. in fi.

Dicite (inquiunt) *quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* O stulta insania ô cæcitas insignis, ô futile commentum: dormientes testes adhibes? Si dormierunt, quomodo furtū viderunt? Si non viderunt, quomodo testes esse possunt? Quòd si etiam fures viderunt, quomodo non eos detinuerunt? Verè dictum est: *Mentita est iniquitas sibi*: & prouerbium rectè admonet: *Oportet mendacem memorem esse.* Chrysostomus rectè hoc loco contra Iudæos philosophatur: *Verè formàm mendacij habebat quod dicebant: qualiter enim furarentur homines discipuli pauperes, & idiotæ, nec apparere audentes? Si enim Christum adhuc viuum videntes fugerunt, qualiter eo mortuo non timuerunt tot militum multitudinem? Nunquid ostium sepulcri poterant euertere? Lapis eminebat magnus, multis indigens manib. Nunquid etiam non erat sigillum super impositum? Propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus sepulchro aderat? Sabbato enim petierunt à Pilato custodiam, &c. Quare non persuasibilia sunt, quæ de furto dicta sunt. Vnde per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere. Dicentes enim quòd discipuli furati sunt, confitentur nō esse corpus in sepulcro: furtum autem ostendit esse mendax custodia militum, & discipulorum pauor.* Hæc ille.

Iudæorum minima insania, cæcitas, nequitia.

Psalm 26.

Prouerbium.

Chrysosto mus aduersus Iudæos.

Matth. 26.

Sed rursus vrgeamus eos: Si dormiebant, quomodo valuerunt tantum saxum ab ostio monumēti amouere sine illorum excitatione? Item si dormiebant, quomodo potuerunt scire quòd discipuli eius magis quàm alij homines corpus eius asportarunt? Nunquid more leporum apertis oculis dormire didicerant? Adhæc spoliatores sepulcrorum consueuerunt furari vestes, & linteamina, relicto cadauere; nouū autem est, & inauditum, asportare cadauer, omissis vestibus. Adde, si corpus voluissent asportare, nulla profectò suberat caussa cur relinquerent linteamina, quæ vnguentis myrrhæ, & aloes conglutinata, & inuiscata erant corpori. Præterea ad hoc multa temporis mora opus erat, quam tamen horrere solent fures, & latrones. Nam ad plicandum sudarium, & extendenda linteamina, minimè breue tempus sufficiebat.

Quàm ridicula excusatio Iudæorū ista: Dicite, quia dormientibus nobis, nocte discipuli eius sustulerunt corpus Iesu.

Ioan. 19.

Qui porue-int custodes fu to sublatum Domini corpus asserere citra metum sui ab eodem mendacij conuincendi.

Sed quomodo custodes non sunt veriti dicere ipsum furto sublatum, & nō metuebant ne viuus se solito more offerret omnium oculis, vt ita apertissimi mendacij conuincantur? Vt fecisse legimus Athanasium, cui cùm obijceretur quòd Arsenij lectoris sui brachium præcidisset, ipse Arsenius corā omnibus vtroq; brachio incolumi præditus apparuit. Sed hoc illi non timuerunt, vel quòd audissent, Angelos eius resurrectionem nuntiasse, non tamen viderant custodes eum resurrexisse, intelligētes proinde eum non ad communem, sed ad nouam vitam surrexisse, in qua solito more cum hominibus non conuersaretur: vel sanè didicerant Angelum dixisse illum à discipulis videndum in Galilæa; & ideò sperabant, si talis sermo diuulgaretur, aut illū negare, aut persuadere Iudæis illum non fuisse verum Iesum, sed quempiam alium illi persimilem Galilæis discipulis obtrusum. ¶ *Et si hoc auditum fuerit à præside; nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.* Id est; Nos persuadebimus ei rem ita esse gestam, & placabimus, ne quid supplicij sumat de vobis. Sed respondere debebant custodes, nisi eos pecuniæ amor, & studium obcæcasset, Persuadebitis quidem ei, vt qui facilè potest falli: nam si esset stabilis, nequaquam ei persuaderetis. Quomodo securos nos facietis, cùm nos ipsos negligentiæ accusauerimus, quòd perditè, ac profundè obdormiuimus? Quomodo etiam si nos interroget, quî sciamus sublatum fuisse corpus, cùm fateamur nos dormijsse? Qua ratione præsidi suadebitis ne nos reprehendat? Responderunt seniores, optimè profectò milites dictis: sed quoniam nec in Romani imperij bonum, neque in nostram rem facit, hunc Iesum pro suscitato haberi, ne plebs eum sequatur, ne imperio Romano rebellet, quidlibet vel stolidū potius mentiri oportet, quàm rediuiuum fateri. Et ideò pręses vestro mendacio cōgaudens non habebit cur vos reprehendat. Sed quid putamus præsidem posteà respondisse Iudęis, nisi quòd acerbè eos reprehenderet, quòd imponere sibi vellent, & sic dicere suscitatum illum, vt ipsi aliena inuidia crescerent, & populo ducem ostenderent? Quare nisi res sopiatur, eos pro reis se habiturum, qui populum in officio continere possent, ministros autem suos excusatos habiturum. Quòd si rescierit eos pecuniā securos, aut alia fraude resurrectionis testes esse; vltorem eorum fore. Adhæc si Pilato dicerent, Christum suscitatum à mortuis, suspicari potuisset milites corruptos, vel ab amicis Iesu, vel à rerum nouarum cupidis: quam quam & res nouas optare Pilatus poterat, vt haberet vnde Iudęos expilaret: & Pilatus facilè erat crediturus, ne leuem se ostēderet. Cyrillus Hierosolym. illud explicās: *Etsi hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei: Illis quidem, inquit, militibus persuadistis; orbi autem terrarum nō persuadistis.* Et statim interrogat. *Quare sicut Petro de custodia exeunte, condemnati sunt custodes, sic etiam qui Iesum custodiebant, non sunt condemnati? Sed illi quidem ab Herode mulctati sunt, & ignorantia facti nullam defensionem reperiebant; isti autem scientes veritatem, & ipsam occultantes propter argentum, à principibus Sacerdotum seruati sunt.* Hæc ille. Sequitur in textu: *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Obtinuit igitur mendacium inter Iudæos, qui eius erant amatores, & diligebant magis tenebras, quàm lucem. Verbū verò diuulgatum fuit, Christum furto discipulorum sublatum de monumento: quasi potuerint corpus eius inuita custodia asportare, aut asportatum viuificare. Sed profectò Gentiles Iesus resurrectionis suę noluit habere testes, & tales qui facilè redempti pecunia viderentur, aut certè ne aliquibus lusisse videri possent, ac discipulis, & Principibus illusisse. Præterea à tardiores homines ad credendum volebat, neq; illos festinare in testimonio ferendo, antequam Spiritus sanctus daretur; ne si cū suis citò venirent, citò recederent. Item noluit nos venire in gregem, antequam grex ille esset confirmatus, & Spiritu sancto doctus, quo posset ipse nos transformare, potius quàm ille in mores degeneraret nostros. Hinc voluit electos suos priùs impugnari, vt ex eo penderemus. Cogitauit has etiam nectere moras ex militum mendacio, ex principum taciturnitate, & cautela, ex testibus suis, qui erant vel mulieres, quæ minùs idoneæ ad testandum per leges habebantur; vel discipuli, qui quoniā cupere viderentur Christi resurrectionem, aut nimis citò credidisse, aut mētitos se quoq; esse videri potuissent, vt sic non tam citò crederetur surrexisse. Ac vbi Spiritus sanctus datus est, tunc etiam persecutores sui in testes facti sunt: & postquam plus quàm quingentis fratribus (teste Apostolo) visus est, & non omnibus, sed testibus præordinatis à Deo apparere voluit: quia scilicet hominū testimonio Deus non indiget, neque ad seruandum, neq; ad damnādum, alia, quàm propria cuiuspiam vtetur conscientia.

Diuulgatum est ergo verbum hoc, & fama de corpore furto sublato sparsa est, vt omninò futiles testes haberentur resurrectionis; quo fides nostra non esset polita in

Magni Athanasij de abscisso Arsenij lectoris brachio calumniæ confutatio.

Matth. 28.

Quàm stulta Iudæorum atque ridicula excusatio militum apud Præsidem de corpore Christi, vt aiebant, sublato.

Quid illi impostores forsitan audierint à Pilato.

Cyril Ierosol. catech. 14. aliquanto ante medium.

Actor 12. Cur potius Petri, quàm custodes, quàm Domini sepulti passi dederunt.

Ioan 3.

Prima ratio cur Christus Gentiles habere noluerit testes resurrectionis suæ.

II. ratio.

III. ratio.

Quarta & postrema.

1. Cor. 15.

Act 10.

Quare diuulgatum apud Iudæos sit furtum à discipulis Domini.

[Margin: ...eius corpus furto sublatu dicunt.]
[Margin: 1 Cor. 2.]

in sapientia hominum, sed in virtute Dei; & cùm suspecti haberentur omnia; diuina tamen virtus, & inspiratio homines ad crucifixum, & suscitatum trahens negari non posset. Sed quid cogitârunt tunc Principes Sacerdotum, & Seniores? nunquid aliquis eximuit e orum, ac inquit: Quid scimus an hic sit Messias, quo interfecto ciuitas, & templum sint vastanda, teste Daniele? an hic sit ille, de quo Esaias: *Quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum*: Et, *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*. Et ideo ipse iustificat suos, cæteros in dispersionem abire facit, de qua Zacharias. Quid item ipsi Principes postquàm per multos dies nihil de resurrectione audierunt, suspicati sunt? an putarunt sese à militibus deceptos, & crediderunt ab eis Domini Iesu corpus discipulis fuisse venditũ, & posteà etiam ab ipsis Principibus artificiosè pecuniam extorsisse? Nam ante quinquagesimum diem de Christi resurrect one nihil publicè prædicatum fuit, sed fama erat eum à discipulis sublatum. Voluit Dominus vt hoc post quinquaginta dies maiori Spititu fidẽ resurrectionis efficeret. Et ait Matth. *Vsque in hodiernum diem*; quem tamen constat post duodecimum annum scripsisse à Christi ascensione, vt quidam opinantur, vel octauo anno, vt testatur Theophylact. Ac vide ingenium Principum, qui populum mendacijs alere, ac retinere consueuerunt.

[Margin: Daniel. 9. Esai 53.]
[Margin: Ibidem.]
[Margin: Zachar. 13. Matth. 26.]
[Margin: Theophyl. in c. 1. Mat. init.]

[Margin: Cur Principes Sacerdotum fidem non habuerint militibus quin potius eos subornârunt.]

Dices; Cur Principes fidem non habuerunt militibus, sed potiùs eos mendacij ministros facere curauerunt; Respondemus, Principes Sacerdotum animos militũ tentasse, vt si viderent eos accepta pecunia paratos mentiri, non eis crederent, sed putarent eos pecunia corruptos credere ipsum surrexisse, aut corpus vendidisse discipulis crederent. Si autem constanter affirmarent se suscitatum credere, nec vlla pecunia adducerentur ad mentiendum, tunc eos deterrerent, quòd Romano imperio non expediret credere ipsum suscitatum; ac proinde poterant comminari se illos fraudatæ custodiæ accusaturos. Nunc autem data pecunia dissipãt famam, quæ nec ipsis esset dedecore, nec imperio periculosa: nam dicere poterant venisse discipulos, & ipsis dormientibus furatos esse corpus Iesu, & quod id ipsi vel ab alijs acceperint; vel strepitu expergefacti non potuerint corpus recipere, cùm pars discipulorum sese ipsis opponeret, pars altera corpus asportaret. Sed qua causa quæso, discipuli vellent corpus eius auferre? an vt se ipsos vltrò deciperent? an vt alios in suam ipsorum ruinam traherent? Nam quis crediturus esset, si non vidisset rediuiuum, quem certissimè nouerat mortuum, nisi in discipulis virtus illius viuentis reluceret? Sed volebant, dicis, corpus furari, quia ab ipso acceperant potestatem mortuos suscitandi, & ita eum volebant à mortuis suscitare. Verùm equidem si talis ex illo in eis supererat, & non erat cum ipso extincta; magnus erat, & dignus, qui pro Messia reciperetur. Dicent Iudæi; Nos libenter recepissemus eum tanquàm Messiam, nisi se fecisset æqualem Deo: quo nomine crucifigi curauimus, & custodiri sepulcrum, vt periculum faciamus an fauorem Dei haberet contra mortem ei ob hanc blasphemiam illatam. Nam si ipse Deus in hoc fauet, vt eum resuscitet, & discipulos eius potestate signorum illustret, indicium erit manifestum, ipsum esse Deo æqualem. Si ergo discipuli eius, qui æqualem Deo credunt, signa edunt in nomine eius, recipiendus etiam erit vt Deo æqualis, vt cui ipse Deus in hoc non contradixerit, sed fauerit: qui Deus nonnisi miraculis apud Israëlitas fidem inuenerit. Sed iam missos faciamus hos nebulones, quorum technæ detectæ in eorum capita reciderunt. Profectò Iustinus Martyr in Dialogo qui inscribitur Tryphonis, testatur, Iudæos Christo suscitato à mortuis non solùm non credidisse, sed eximijs electis viris per totum orbem terrarũ emissis admonuisse Iudæos, impiam & iniquam hæresim à Iesu suscitatam esse, cùm esset seductor, & eius corpus clàm noctu à discipulis sublatum. Et Hieronymus in Esaiam ex Eusebio scribit, Iudæos in vniuersam Iudæam, & Syriam misisse literas, ne passio Christi reciperetur: & totum orbem eiusmodi blasphemiæ disseminatione impleuisse. Adde Oecumenium in Prolegominis in epist. ad Romanos: *Priusquam*, inquit, *Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec soli ipsi, sed & omnes qui vbique locorum agebant. Verùm vnde id manifestum est? Inuenimus in veterum commentarijs, quod Sacerdotes, & Scribæ, ac seniores, qui Hierosolymæ inhabitabãt, exaratas literas ad omnes nationes transmiserant Iudæis, vbicunque terrarum dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes, tanquàm à Deo alienam, atque epistolis admonebant, ne illam susciperent. Hoc ipsum certè videtur Esaia propheta significare, quæ sic habet: Væ terræ nauium alæ, trans flumina Aethiopiæ:* (ὁ ἀποστέλλων) *qui mittit per mare obsides, ac literas papyraceas super aquam. His significat quod vltra AEthiopum quoque regiones, & nouißimos terræ fines, sonus malitiæ eorum qui Iudæã inhabitabant,*

[Margin: Ioan 5.]
[Margin: Iustin. Martyr tom. 2.]
[Margin: Hieroym lib. 5 in Esai in c. 18. tom 5.]
[Margin: Oecumen.]
[Margin: Esaiæ de literis Hierosolymitarum ad Iudæos per orbem dispersos, ne Christi resuscitati Euangelium reciperent, vaticinium.]
[Margin: Esa 18. iuxta Septuaginta.]

per quadam veluti allata nauigia processerit; & illorum Apostoli literas papyraceas differentes, super aquas nauigantes, mareq; transeuntes, vbique terrarum discurrebant, sermonem qui de Saluatore nostro erat, calumniantes. Hęc Oecumenius.

De apparitionibus Petro, & Iacobo, ac Iosepho factis agitur. 1. Cor. 15.

Iam dicamus nonnihil de apparitionibus factis Petro, Iacobo, ac Iosepho: & in primis aduerte, quòd vt inter mulieres primò apparuit innocentissimę Matri suę, deinde alijs fœminis, quæ peccati non fuerant expertes, vt Magdalenæ, & alijs: ita inter viros primùm Petro qui negauerat, deinde Iacobo Iusto, & deinde eũtibus duobus in Emmaus, & sub vesperam decem Apostolis, & post octauam diem Apostolis eisdem cum B. Thoma. De prima illa Petro exhibita meminit apertè Paulus in priori ad Corinth. & Lucas cap. vlt. & hæc inter eas, quæ viris factæ sunt, creditur esse prima, vt annotauit Chrysostomus: Tùm quia Paulus primam illam inter alias recenset, tùm quia Lucas scribit, quòd quando redierunt duo illi discipuli Hierosolymam ex Emmaunte, discipuli dicebant: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Fuit ergo facta in die ipsa resurrectionis; etsi non constat de hora, nisi quòd præcesserit illam discipulis Emmauntem pergentibus præstitam. Apparuisse autem creditur, dum solus fide concepta de resurrectione Christi viso sepulcro redibat, admirans quod factum fuerat. Vbi ergo Dominum Iesum vidit, procidit in faciem suam in terram, & veniam quòd pluries eum negasset, cum lacrymis postulauit: quam Dominus benignè contulit, solatusque est eum, & iussit vt confirmaret fratres suos. Dominus autem Petro apparuit; vt quemadmodum prior eum esse Christum, ita etiam eum suscitatum primus prædicaret. Deinde, vt mentem eius corroboraret, & qui timore mortis eum negauerat, ac turpiter deciderat, per spem vita resurrectione Christi resurgeret, ac remissione peccatorum percepta minimè desperaret. Quartò, vt exemplo suo institueret, quomodo Petrus suis subditis peccantibus, ac pœnitentiam agẽtibus se accõmodare deberet; nempè mitem, ac tractabilem, ac potestate clauium in remittendis peccatis vtentem. Denique, vt Chrysostomus rectè docet, non omnibus apparuit simul, vt femina iaceret quædam fidei: qui prius enim vidit, planeque certus fuit, rem cæteris nuntiauit. Deinde fama vulgata eum qui audiuit, in ingentem tanti miraculi constituit expectationem, & fidei ab ipso conspectu post secuturæ viam præstruxit. Itaque nec omnibus principio visus est, nec pluribus simul, sed vni modò, & ei principi & fide maximè digno. Hæc ille in epistolam ad Corinthio priorem. Proinde rectè argumentabantur Apostoli: Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni: quia huius autoritas primas tenebat inter Apostolos, plus fidei inter discipulos, quàm sermo mulieris habebat. Et quãdo veritas apparuit Simoni, vel Simonis successori, hoc est, Papæ, tunc omnes illud ipsum credere cogimur; quodcunque ille sua sententia definitiua credendum decreuerit.

Chrysost. ho 38. in priorem ad Corinth. paulo post med. tom. 4. Luc. 24.

Petro Dominus quando apparuerit, & cur Petri pœnitentia, & Christi clementia Matth. 26.

Luc. 22. Matth. 16.

Chrysost. loco supradicto.

Quando Iacobo Dominus apparuerit. 1 Cor. 15 Aug lib 3 de consensu Euang. c 25. to 4. B. Thom. in c. 15 1 ad Cor. tomo 10. Ioan 20.

Dicendum secundò de apparitione Iacobi, cuius meminit Paulus in eam epistolam ad Corinthios. Et licèt postremo loco describat eius visionem; tamen vt Augustinus testatur libro de consensu Euangelistarum, & Thomas in Commentarijs super Paulum, primo die resurrectionis fuit exhibita, sicut etiam illa Petri. Quia cùm singulariter dicatur facta Petro, altera singulariter Iacobo; & Christus illo die serò, hoc est, vna Sabbatorũ apparuerit decem Apostolis absente Thoma, oportet asserere hanc Iacobo soli, & alteram Petro soli apparitiones factas præcessisse illam decem Apostolis exhibitam. Deinde habemus testimonium Euãgelij secundùm Hebræos, quo frequenter vtitur Origenes, & Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi ait: *Euangelium quoque quod appellatur secundùm Hebræos, & à me nuper in Græcum, Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpè vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert. Dominus autem cùm dedisset sindonem seruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis.* Rursusque post paullulùm: *Afferte, ait Dominus, mensam, & panem. Statimq; additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus.* Hæc ibi, vbi vides communionem, sub altera tãtùm specie panis. Vides etiam desiderium iustorum, quod est omne bonum, à Domino impleri. Et cùm extiterint duo Iacobi, alter frater Ioãnis, alter verò dictus Iustus, & frater Domini, Alphæique filius; hic per excellentiam dicitur Iacobus; & propterea hanc visionem Domini illi credimus factam. Tertiò de Iosepho ab Arimathia, viro iusto, qui Dominum in horto suo sepeliuit, testatur Euangelium Nazarenorum, quod cùm Iudæi eadem vespera, qua Dominum sepeliuit, eum in quodam cubiculo clauso, ac sigillato reclusissent, alligantes

Orig Euangelio sæpe vtitur Hebræorũ teste Hieronymo Hieron. to.

Nicodemi de Iacobo Apostolo fratre Domini traditio.

Prou. 11. Desiderium iustorum, omne bonum

Quomodo Iosepho Arimathæo Dominus apparuerit. Euangelium Nazaræorum.

gantes eum primùm ad columnam in ipso carcere,& cogitassent post Sabbatum eum occidere; ecce statim in ipsa resurrectionis die suspensa domo à quatuor Angelis Dominus ad eum introiuit,eq́ue latus aperuit,atque illum verbis consolatus est, faciem eius extersit, & osculum dedit:ac deinde salutis sigillis eum educens,ac liberãs, in domum suam,quam habebat in ciuitate Arimathææ ipsum adduxit. Huius etiam rei meminit beatus Anselmus in libro de passione. Quæ cùm beneficium contineat Iosepho exhibitum, & in nullo Scripturæ Euangelicæ repugnet, non video quomodo hæc apparitio non sit piè recipienda,atque amplectenda: in qua sanè quàm sit magnificus, ac potens obsequiorum sibi impensorum remunerator Iesus Christus,planè ostenditur. Quare gnauiter studijs pietatis,& charitatis officijs incumbamus,non ignorantes nos manere pretiosam gloriæ coronam, quam reddet vnicuiq; nostrûm benignus ille Redemptor, ac iustus iudex Iesus Christus, cui cũ Patre,& Spiritu sancto detur omnis gloria, potestas, & imperium,Amen.

Mira Christi benignitas.

B. Anselm.

2. Timoth. 2.

TRACTATVS XIV.

De apparitione Domini Iesu discipulis duobus in castellum euntibus exhibita, in illa verba Lucæ: *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur,& secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent*,& reliq. Luc. vlt.

IN Primis annotandum venit solũ Marcum & Lucam huius meminisse apparitionis. Sed Marcus quidem breuissimè. Sic enim ait: *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie,euntibus in villam. Et ipsi euntes nuntiauerunt cæteris; nec illis crediderunt*. Sic ille. Lucas verò fusiori oratione totam huius apparitionis rationem recenset: quemadmodum apparitionem factam soli Mariæ Magdalenę, Marcus paucis perstrinxit verbis, quam Ioannes multis verbis est persecutus. Quod verò eadem illa Marci, & Lucæ sit, ostendit, quòd essent

Marc vlt.

Ex quibus intelligi valeat quam Marcus, & Lucas describunt historiam de duobus discipulis euntibus in

duo ex discipulis, quod ierint in villam, quam Marcus Græcè ἀγρὸν vocat, Lucas verò κώμην, quam plerunque interpres vertit castellum, sicut ἀγρὸν villam. Ostendit etiam id, quod in alia forma, seu habitu apparuit: nam & hic dicitur, quòd tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent. Denique & illud quod ait: *Et illi euntes nuntiauerunt cæteris; nec illis crediderunt*. Nam & hi apud Lucam narrantur è castello protinùs in Hierosolymam redijsse, & annuntiasse Dominum sibi ipsis visum in via. Porrò vnum solum obstare videtur, quòd Marcus ait, discipulos illis duobus non credidisse: cùm Lucas commemoret, discipulos congregatos dixisse duobus illis, *Quòd surrexit Dominus verè,& apparuit Simoni*. Ob hanc autem apparentem dissonantiam Euthymius in Marcum, & Osiander hæreticus existimârunt alios fuisse duos illos discipulos, de quibus Marcus, ab illis, quorum meminit Lucas. Sed cùm hæc sit leuissima coniectura,& in tot alijs sibi cõsonent Euangelistæ, dicendum est cum Augustino libro de cõsensu Euangelistarum, aliquos fuisse inter discipulos, qui non crediderunt, vt Thomas,& aliqui, qui eum nõ viderant,& necdum credebant, alios verò qui viderant, vt Petrus,& Iacobus: qui illis fidẽ præstabant, & hi dixerunt illud: *Surrexit Dominus verè,& apparuit Simoni*: & Matthæus scribit, ex discipulis quosdam credidisse, quosdam verò dubitasse, cùm se illis præbuit vidẽdum in Galilæa. Iam ad literam explicãdam accedamus.

Emmaus quibus Dominus apparuit in ... deinque elic.

Obiectio diluitur.

Euthy ca. 84. in Marc
Osiander homo hæreticus

Aug lib. 3 de cõsensu Euang. ca. 25. tom. 4

Et ecce duo ex illis. Aduerbium, Ecce, indicat statim post annuntiationem Angelorum ad mulieres,& earundem ad Apostolos, accidisse præsentẽ historiam: quæ profectò noua est, iocunda,& admirabilis, scituq́ue, atque auditu dignissima, cùm in ea Christus singularem suam aduersus discipulos charitatem, qua dispersas ouiculas suas congregabat, indicauerit. Quod igitur ait Euangelista, Duo ex illis, intellige discipulis Domini: quia præcedit quod annuntiauerat vndecim,& cæteris omnibus. Et intellige istos discipulos se ad iter accinxisse post primam renuntiationem mulierum factam ad Apostolos; non autem post secundam, quoniam ex verbis, quibus Dominum sunt allocuti, commemorant mulieres quasdam ante lucem fuisse ad monumentum: & non inuento corpore Christi redijsse dicentes, se Angelos vidisse, qui eum dicerent viuere; non autem mulieres recẽsent se Dominum ipsum vidisse, quod maius erat, & maximi referebat recensere. Videntur ergo isti primam audiuisse mulie-

Christi pastoris vigilantia, cura, atque custodia ouium suarum.

Quis fuerit ille alter ex

discipulis, qui ibat in Emmaus, comes Cleophæ.

mulierum annuntiationem, non autem secundam. Erant autem isti ex numero septuaginta discipulorum. Et de altero quidem constat vocatum fuisse Cleopham; quis verò extiterit alter eius comes, Euangelista non expressit. Hinc datus est locus varijs coniecturis, & opinionibus. Sanè Origenes super Ioannem bis asserit nominatos fuisse Simonem, & Cleopham, qui dicebant; *Tu solus peregrinus es in Hierusalem*, Et, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, &c. Idē rursus repetit lib. contra Celsum Philosophum. Idem tenet Basilius in 6. cap. Esaiæ, circa medium. Verùm cùm hæc coniectura tantùm eorum autoritati, & nulli solidiori rationi nitatur, non satis certam rem constituit. Et certè si rationem consulamus, cùm duo essent Simones inter Apostolos, alter Simon Petrus, alter verò Simon Cananæus, de neutro illorum hic locus accipi potest: quia dicitur in Textu, quòd reuertentes inuenerunt congregatos vndecim: quare ex illorum numero nullus fuit. Testatur quoque Dorotheus in Synopsi Cleopam dictum fuisse Simonem: & ita idem esset Simon, & Cleopas. Annotat Leontius in Lucam, alterum comitem Cleopæ dictum Simonem, non Simonem Petrum, vel Cananæum, sed alterum ex numero septuaginta. Sed quis alius inter septuaginta diceretur Simon, præter ipsum Cleopam, Dorotheus in Synopsi, & Hippolytus in libello de septuaginta discipulis minimè produnt: ideo firmum illud non videtur. Epiphanius in Saturnilianos agens, ita inquit: *Sed Lucas Euangelista affirmat, ipsum Saluatorem post resurrectionem ex mortuis visum esse in via Nathanaeli, ac Cleopæ, & admonuisse hos ex Prophetis, quòd sic oportuerit Christum pati, & ex mortuis resurgere tertia die.* Sed vnde id acceperit, non explicat Epiphanius: & si Nathanael erat Bartholomæus, vt libro 4. diximus, ille talis Nathanael esse non potuit. Præterea minùs potuit esse ex septuaginta discipulis: nam cùm catalogum eorum scribunt Hippolytus Martyr, & Dorotheus in Synopsi, talis Nathanaelis Christi discipuli mentionem non fecerunt. Ambrosius in Lucam testatur, istum vocatum fuisse Ammaonem, Ruffi filium, non admodum dissimili nomine à loco, in quē ibant, qui dictus est Emmaus, & à Iosepho Ammaus. Sed cùm illi, qui septuaginta discipulorum recensent catalogum, talis non meminerint discipuli, non videtur posse consistere. Quidam recens scriptor tradit fuisse Iacobum Iustum, de quo testatur Apostolus, quòd illi apparuerit. Verùm huic sententiæ duo obstare videntur: alterum, quod Paulus loquitur de apparitione soli facta Iacobo; at verò in hac historia non minus vni apparuit, quàm alteri: alterum est, quia Iacobus siue frater Ioannis, siue filius Alphæi, dictus frater Domini, computādus est inter illos vndecim, quos isti duo redeuntes congregatos inuenerunt. Postremò, alia est communior, & probabilior sententia, nempè hunc alterum fuisse Lucam Euangelij conscriptorem, atque hoc ipsum tradit Dorotheus in Synopsi, in vita Cleophæ, Theophylactus in Lucam, Simeon Metaphrastes in vita B. Lucæ, & Nicephorus Callistus in libris Ecclesiasticæ historiæ: ex nostris verò Gregorius in prologo Moralium: atque hoc vt probabilius affirmant. Quod & affirmant ea ratione, quòd consuetum sit scriptorem, cùm de seipso mentionem facit, loqui in tertia persona. Vnde in Commentarijs suis Cæsar sæpè ait: At Cæsar fecit hoc, siue illud; quasi de alio ageret: & Moses frequenter de se in tertia persona loquitur, & Ioannes frequenter, cùm dicit; *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*. & Paulus: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim*, &c. Non tamen semper obseruant hunc morem, quia quandoque produnt seipsos, vt vel ipse Paulus, cùm inquit: *Nouissimè omnium tanquàm abortiuo visus est & mihi*. Lucas verò humilitatis causa nomen suppressit suum. Est & alia coniectura, quòd fuerit Lucas ille alter discipulus, ex eo quòd tam plenè, ac copiosè minutas quasque huius apparitionis circunstantias descripserit, vt potiùs illi adstitisse, quàm ab alio accepisse videatur.

I. opinio. *Orig. tom I. in Ioan. non longè à princ.*

Idem lib. 2. cōtra Celsum, à fine remotius, tom. II. Basil tom. VI.

Dorotheus Episcopus. II. opinio. *Leontius Episcopus.*

Dorotheus Episcopus. Hippolyt. Martyr. III opinio. *Epiphan in hæresin 23. in fin.*

IV. opinio.

Ambr lib 10. in Luc. c. vlt prope fin to. 5. Ioseph lib 18 Antiq ca 4.

V. opinio.

1. Cor. 15.

VI. opinio, quæ placet autori.

Dorotheus. Theophylact. Sim. Metaph. Niceph lib. 1. c. 34. sub init. Grego in prolog Moral. c. tom 1. Lyranus

1. Cor 12.

1. Cor 15.

In hanc sententiam ... [illegible]

Sed in primis huic sententiæ nonnulla obstare videntur: quia teste Hieronymo libro de Hebraicis quæstionibus, Lucas dum vixit, nunquàm fuit ex discipulis Domini, sed Apostoli Pauli. Verùm hoc facilè solui potest: quia Dorotheus in Synopsi, & Hippolytus in catalogo septuaginta duorum discipulorum, & Epiphanius in fine tomi 1. & in hæresim 51. circa initium, Lucam computant inter septuaginta Domini discipulos. Secundo obijciunt, quia Lucas se computat inter eos, qui acceperunt Euāgelium ab his qui viderunt, & ministri fuerunt sermonis; ergo & ipse nec vidit, nec minister fuit verbi, & per consequens nec Domini Iesu discipulus. Sed dici posset, non se computasse inter eos qui viderunt, quia paucissima viderat: & si offensus fuit verbo Domini: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. (vt à nobis producti tres illi autores testantur libr. 8.) profectò ex his, quæ in Euangelio scripsit, videre potuit:

1. argum. *B. Hiero. to.*

Dorotheus. Hippolyt. Epiphan.

II. argum.

Lucas Euangely initio.

Ioan. 6

Cur se inter Euangelistas non numerauerit Lucas

potuit: quamplurima autem eorum, quæ scripsit in Euangelio, ab his, qui viderunt, accepit. Quod autem non se computet inter verbi ministros, hoc dandum est humilitati eius, qui vel illum honorificum titulum solis Apostolis tribuere voluit, vel se indignum putabat inter septuaginta duos computare, qui à Domino defecerat verbo illo de carne, & sanguine suo scandalizatus. Tertiò obijci posset, quod cùm Paulus in priori ad Corinthios enumerat apparitiones Christi viris exhibitas, quòd Lucæ apparuerit, qui eius fuit indiuiduus peregrinationis comes, & de quo honorificam plerumq; facit mentionem, nunquàm dixit; quam verisimile est non prætermissurum, si vera extitisset. Sed si hæc ratio solida esset, còuinceret nec Cleophæ apparuisse; cui tamen esse visum, tradit Euāgelium. Imò nec etiā Iosepho ab Arimathæa, quia eius etiam non meminit Paulus: & tamen illa insignis fuit Christi ostensio, etiamsi in Euangelio non contineatur. Ac de his hactenùs.

III argum. 1. Cor. 15.

2. Cor. 8.

Ibant autem, ait, *duo ex illis*. Non exprimitur causa, propter quam irent, an videlicet missi ab alijs discipulis: quia missi fuerant bini, vt Christus olim illos mittebat. Verisimilius tamen est, quòd abirent propter metum Iudæorum, vt latitarent, ne in illorum capita cuderetur faba, maximè mortuo iam Christo, & tempore tentationis oportet conferie, & inuicem vniri, ne solus, & vnus pereas, vt Iudas. Vnde legimus: *Melius est duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Erant prætereà duo, id est, diuersi, non vniti, vel vniformes: nam ceciderant ab vnitate fidei, & integritate mentis. Denique duo erant, in typum duorum populorum, qui hoc tantum mysterium post longam disceptationem, ac vacillationem certissima fide complexi sunt. Ibant autem, & ignorabant quòd erant in vero Sabbato, in quo quietem agere oportebat, & ipsa die Dominica, quā fecit Dominus, orto iam Sole Christo, ipsaque die tertia nondum expleta: quod certè magnum erat dedecus, cùm vidissent Lazarum quatriduanum à Christo suscitatum.

Luc. 10.

Quare discipuli hi duo in Emmaus pergerent.

Matth. 17. Ecclesiast. 4

Hi duo discipuli quid figurarent.

Psalm. 117.

Ioan. 11.

In castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Iam admonuimus Græcā dictionem κώμην propriè significare pagum, sed interpretē nostrum solitum vertere castellum: quemadmodum in eo loco: *Ite in pagum, qui cōtra vos est*, quod interpres dixit, *Ite in castellum*. Erat autem Emmaus villa, cum ante fuisset vrbs insignis inter omnes Palestinæ vrbes, estq; iuxta Sochot in valle Terebynthi, vbi Dauid peremit Goliath gigantem. Eratque Emmaus sita inter Ioppe & Ierosolymam. Dicitur autem Emmaus à Iosepho Ammaus, & interpretatur, Aquæ calidæ. Erat enim ibi fons sanandis corporum vitijs. Et hoc castrum à Romanis durante obsidione Hierosolymitana dirutum est, posteà verò sub M. Aurelio Antonino, vt ait Beda, instauratum, ac dictum est Nicopolis. Plinius lib. naturalis historiæ inter tetrarchias Iudææ Emmaunta recenset. Hieronymus libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, commemorat, Iulium Africanum, cuius de temporibus extant quinque volumina sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione vrbis Emmaus suscepisse: quæ posteà Nicopolis appellata est. Idem quoque in Epitaphio Paulæ ita scribit: *Repetitoq; itinere Nicopolim, quæ priùs Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit.* Historia quoque tripartita: *Est itaque*, ait, *ciuitas Palestinæ Nicopolis nomine; hanc cùm adhuc vicus esset, Emmaus sacer Euangeliorum liber appellat. Quam Romani post vastationem Hierosolymorum, Iudaicamq; victoriam, Nicopolim ex euentu vtique victoriæ vocauerunt. Ante hanc vrbem in triuio, vbi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquàm ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo morbi hominum abluuntur, & alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur. Quod vt ita contingat, traditur ex quodam itinere visum esse Christum apud fontem cum discipulis suis, & lauisse pedes, ex quo aqua facta est diuersarum curatrix passionum.* Hæc illi. Meminit & Iosephus huius ciuitatis, nam lib. 7. Antiquitatum: *Emmaus, inquit, cremata est Vari iussu, in vindictam cæsorum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus.* Et libro 18. *Non longè apud Emmauntem vicum sunt aquæ calidæ.* Et libro de bello Iudaico: *Ammaus autem*, inquit, *si quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur. Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitijs idoneus.* Ex his dictis Iosephi accepit Hieronymus, & Historia Tripartita, quod scribunt de illa ciuitate. Quod autem ait interpretari aquas calidas, illud veritatem habet, si Emmaus scribatur cum prima litera Chet: nam Cham, calidum significat; & ita significabit vel calidas aquas, vel calidum consilium. Si autem prima litera sit Aleph, interpretari potest, Terror consilij, ab Emah. Si verò deducatur ab Em, vel Am, verti potest,

Marc. 11.

Emmaus villa vbi sita fuerit, & quid significet.

1. Reg. 17.

Ioseph lib. 18. Antiq c 2 & lib 4. de bello Iudaic. c. 1.

Beda in Luc. c. 24. tom. 5. Plin. li 5 c. 14.

Hierony. to. 1. Iul. Afric.

Hiero. tom. 1.

Luc. 24. Hist. Eccl. tripar. li. 6. c. 24.

Emmaus cur posteà Nicopolim Romani appellant.

Emmaus fons olim vnde salutaris.

Ioseph lib. 17. Antiq. c. 14.

Idem lib. 18. cap. 4 Idem lib. 4. de bel Iud. cap. 1. propè initium

Hierony. vbi sup. Hist. tripar. ibidem.

Emmaus quomodo scribatur Hebraicè.

matris

ia Christum tangimus, & tenemus Permisit etiam se tangi, vt cognoscerent Christi corpus non esse phantasma, sed verum, & solidum, vt ait Chrysostomus, addens: Fortassis aliquis vestiu vellet & secundùm illas effici mulier, & pedes detinere Iesu. Potestis & nunc quicunque vultis, nō manus, & pedes detinere, sed & caput detinere sacrum illud terribilibus potientes mysterijs pura conscientia. Hæc ille. Accede ergo tu ad Christum fide, tene charitate, adora cultu latriæ Christum in Eucharistia, sic eris mulieres imitatus.

Chrysostom.

Cur dixit eisdem: Nolite timere.

Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Etsi dilectum Iesum tenuissent, & adorassent, tamen quia à morte excitatus apparebat illis, eum timebant: ideò timorem pellit, & consolationem infundit, non tantùm verbo, vt Angeli, sed intus ex corde, timorem pellendo, quoniam ipse dixit, & facta sunt: sicut cùm inquit, Auete, vel gaudete, gaudium illis singulare contulit. Adiungensque, Ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, confirmauit illo verbo Angelos fuisse suos qui prius illis apparuerant, & qui eadem præceperant. Et fratres dignatur appellare, quos olim vocabat discipulos; ne putes accidisse quod philosophi autumant, dirimi amicitias, cùm ex altera parte maioris fiat fortunæ accessio: Modò autem Christo data erat omnis potestas in cœlo, & in terra. De Galilæa sæpè dictum est: & hîc esset adiungēdum, quomodo Maria Magdalene discipulis annuntiauerit verba Iesu, vt docent Marcus, & Ioannes, & quomodo discipuli fidem non præstiterint: sed hæc expediuimus superiori tractatu. Sequitur in Matthæo: *Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.* Solus Matthæus, qui mentionem fecerat custodiæ adhibitæ, necessariò narrare debuit quid sit de custodibus factum: in qua narratione alterum suscitati Christi profertur testimonium: quod ab inimicis exhibitum solidius est, quanquam illud Iudæi stultè, ac ridiculè corrumpere tentauerint. Videntur custodes toto illo tempore, quo apparuerunt Angeli mulieribus, & venerunt Apostoli ad monumentum, & redierunt, aut perterrefacti, ac veluti semimortui iacuisse, aut præ metus magnitudine tacuisse; ita vt nonnisi post reditum secundum mulierum ad Apostolos, venerint ad Principes Sacerdotum. Deinde nota, venisse in ciuitatem: quia sepulcrum erat extra eam non longè à monte Caluario, vbi fuerat crucifixus. Nota præterea verbum illud, Quidam de custodibus: non enim omnes aut sunt ad Principes Sacerdotum venire, partim timore, partim pudore suffusi. Vel quidam ex eis, hoc est, insigniores, & aliorum veluti capita venerunt tantùm annuntiare omnia, quæ facta fuerant, hoc est, terræmotum, Angeli in terribili aspectu apparitionem, lapidis reuolutionem, aduentum mulierum, & ingressum earum in monumentum, corporis Christi absentiam, linteaminumque, ac sudarij in sepulcro derelictionem. Et ita velint nolint custodes testes ac prædicatores veritatis resurrectionis Christi efficiuntur. Veritas enim diuulgata ab aduersarijs, qui Christi gloriam denigrare volebant, clariùs per illos splendescit. Idem accidit fratribus Ioseph, qui eum Ismaëlitis, ne regnaret super eos, vendiderunt: verùm ea via excellentius regnauit: quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes, Dicite, Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Dicam quid Nicodemus in Euangelio suo circa hoc recenseat: quia non solùm non repugnat, sed etiam illustrat magis veritatem Euangelicam. Ait enim Iudæos indignatos fuisse contra Ioseph, qui petierat corpus Iesu à Pilato ad sepeliēdum: ipsumque Ioseph comprehendisse, & in cubiculo obsignato claui sine fenestra dimisisse, donec transiret Sabbatum: quo transacto conuenerunt Annas, & Caiphas, vt morte plecterent Ioseph: at eum ibi non inuenerunt. Quibus perturbatis, adsunt custodes annuntiantes terræmotum, & Christi resurrectionem. Quibus cum illi credere nollent, dixerunt custodes: Date ergo nobis Ioseph, quem in cubiculo custodistis; & nos dabimus vobis Iesum, quem in sepulcro custodiuimus. Iudæi responderunt, Ioseph nos dabimus, date nobis Iesum. Ioseph autem in ciuitate sua Arimathæa est. Responderunt milites dicentes: Si Ioseph in Arimathæa est; & Iesus in Galilæa est, sicut audiuimus ab Angelo dicente mulieribus. Tunc dederunt pecuniam copiosam, vt fingerent mendacium de corpore Iesu furto sublato à discipulis eum ipsi dormirent. Rogati cur non apprehendissent mulieres, dixerunt: Nescimus, & nos vt mortui facti sumus præ timore Angeli. Hæc ibi referuntur: quæ Anselmus tanquam vera in libro de Passione prope finem proponit. Sed iam expende illud: Principes Sacerdotum cum senioribus cōsilium inijsse; vt intelligas

Psal. 148.

Quare Apostolos Christus fratres appellet.

Matth. vlt.

Cur Matthæus ipse solus custodum sepulcri ad Principes Sacerdotum accessus meminerit.

Quando illi accesserint ad Principes Sacerdotum, & cur non ante.

Cur illi venisse in ciuitatē dicuntur.

Quinam ex illis accesserint ad Principes Sacerdotum.

Christi potentia.

Genes. 37.

Infra 41.

Prouerb. 21.

Nicodemi Euangelium.

Matth. 27.

Infra 28.

Anselmus.

telligas, eos, qui prudentia, & rerum experientia atque autoritate apud populum vigebant, in tam stultam, & mendacē amentiam incidisse, quæ in ipsorum capita reciderit. Quia, vt habet prouerbium, malum consilium, consultori pessimum. Veritatem, atque adeò Christum viuum sepelire cogitabant: sed techna detecta, confusi sunt, ac pudefacti. Væ aduocatis, qui vias, & rationes excogitant, quomodo aut falsis testibus, aut corruptis instrumentis, aut perperam detortis legibus veritatem perspicuam celare possint: multosque hæredes & successores horum Iudæorum habet mundus, qui in hoc sunt ingeniosi, & sagaces, vt veritatem sepelire, & obscurare non erubescāt. Dederunt ergo copiosam pecuniam militibus, (siue, vt Græca habent, ἀργύρια ἱκανά, id est, argenteos multos. Est enim nomen substantiuum Græcis argenteus, non adiectiuum) quò tantam, & iam confessam veritatem obtegerent, & abnegarent. Vide etiam pecuniæ vim, & efficaciam, & quanti sit ponderis apud milites.

Sed quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Et Salomon, *Pecuniæ obediunt omnia.* Armatus pecunijs proditur Antichristus venturus, vt citò obtineat à sectatoribus suis fidem. Agnosce hoc loco ex Sacerdotibus, quantum malum sit inuidentia alieni nominis, & proprij nominis gloria: & ex militibus accipe quàm latè porens, ac patens malum sit auaritia, cùm per hæc vtriq; veritatem certò agnitam in tam apertum, & improbabile conuerterint mendacium. Nec mirandum, ait Chrysostomus, si pecuniæ milites superarunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem, vt redderent eum magistri sui proditorem. Vide quæso in quos vsus pecuniam sacram expenderunt boni illi Sacerdotes, atque seniores: prius proditionem à discipulo pretio redemerunt; deinde sub mercede conduxerunt Pilati cohortem, vt eum comprehenderent. Tertiò pecunia numerata custodes monumento apposuerunt. Postremò vt dignum esset patella operculum, copiosa pecunia mendacium à custodibus compararunt. Pulchrè in hæc verba scribit Hieronymus: *Custodes miraculum confitentur, ad vrbem conciti redeunt: nuntiant Principibus Sacerdotum quæ viderint, quæ facta conspexerint. Illi qui debuerunt conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut antea triginta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur qui stipe templi, & his quæ conferunt ad vsus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus, quibus suam expleant voluntatem; similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium, & Saluatoris sanguinem.* Et Hilarius: *Emitur verò, inquit, à custodibus qui omnia hæc viderant argento resurrectionis silentium, & mendacium furti, honore scilicet sæculi, & cupiditate: quia in pecunia honor eius est, Christi gloria denegatur.* Hæc illi Patres egregiè.

Dicite (inquiunt) *quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* O stulta insania ò cæcitas insignis, ô futile commentum: dormientes testes adhibes? Si dormierunt, quomodo furtū viderunt? Si non viderunt, quomodo testes esse possunt? Quòd si etiam fures viderunt, quomodo non eos detinuerunt? Verè dictum est: *Mentita est iniquitas sibi*: & prouerbium rectè admonet: *Oportet mendacem memorem esse.* Chrysostomus rectè hoc loco contra Iudæos philosophatur: *Verè formam mendacij habebat quod dicebant: qualiter enim furarentur homines discipuli pauperes, & idiotæ, nec apparere audentes? Si enim Christum adhuc viuum videntes fugerunt, qualiter eo mortuo non timuerunt tot militum multitudinem? Nunquid ostium sepulcri poterant euertere? Lapis eminebat magnus, multis indigens manib. Nunquid etiam non erat sigillum super impositum? Propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus sepulchro affuit? Sabbato enim petierunt à Pilato custodiam, &c. Quare non persuasibilia sunt, quæ de furto dicta sunt. Vnde per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere. Dicentes enim quòd discipuli furati sunt, confitentur nō esse corpus in sepulcro: furtum autem ostendit esse mendax custodia militum, & discipulorum pauor.* Hæc ille.

Sed rursus vrgeamus eos: Si dormiebant, quomodo valuerunt tantum saxum ab ostio monumēti amouere sine illorum excitatione? Item si dormiebant, quomodo potuerunt scire quòd discipuli eius magis quàm alij homines corpus eius asportarunt? Nunquid more leporum apertis oculis dormire didicerant? Adhæc spoliatores sepulcrorum consueuerunt furari vestes, & linteamina, relicto cadauere; nouū autem est, & inauditum, asportare cadauer, omissis vestibus. Adde, si corpus voluissent asportare, nulla profectò suberat caussa cur relinquerent linteamina, quæ vnguentis myrrhæ, & aloes conglutinata, & inuiscata erant corpori. Prætereà ad hoc multa temporis mora opus erat, quam tamen horrere solent fures, & latrones. Nam ad plicandum sudarium, & extendenda linteamina, minimè breue tempus sufficiebat.

Malum consilium, consultori pessimū.

Iudæos Dominicæ resurrectionis veritatem obscurare molientes, hodieque imitentur.

Pecuniæ vis quanta.

Virg. 3. Æn. propè initiū.

Ecclesiast. 10

Inuidiæ, & ambitionis, & auaritiæ potestas.

Chrysostom.

Matth. 26. Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum sacrilega pecuniarum templi applicatio.

Hieronym. in Matth. to. 9.

Similes Scribarum & Pharisæorum qui testc Hieronymo

Hila. can. vlt. in Matt. in fi.

Iudæorum mira insania, cæcitas, nequitia.

Psalm. 26.

Prouerbium.

Chrysostomus aduersus Iudæos.

Matth. 26.

Quàm ridicula excusatio Iudæorū ista: Dicite, quia dormientibus nobis, nocte discipuli eius sustulerunt corpus Iesu.

Ioan. 19.

Qui poruerint custodes furto sublatum Domini corpus asserere citra metum sui ab eodem mendacij conuincendi.

Magni Athanasij de abscisso Arsenij lectoris sui brachio calumniæ confutatio.

Sed quomodo custodes non sunt veriti dicere ipsum furto sublatum, & nō metuebant ne viuus se solito more offerret omnium oculis, vt ita apertissimi mendacij conuincantur? Vt fecisse legimus Athanasium, cui cùm obijceretur quòd Arsenij lectoris sui brachium præcidisset, ipse Arsenius coram omnibus vtroq; brachio incolumi præditus apparuit. Sed hoc illi non timuerunt, vel quòd audissent, Angelos eius resurrectionem nuntiasse, non tamen viderant custodes eum resurrexisse, intelligētes proinde eum non ad communem, sed ad nouam vitam surrexisse, in qua solito more cum hominibus non conuersaretur: vel sanè didicerant Angelum dixisse illum à discipulis videndum in Galilæa; & ideò sperabant, si talis sermo diuulgaretur, aut illū negare, aut persuadere Iudæis illum non fuisse verum Iesum, sed quempiam alium illi persimilem Galilæis discipulis obtrusum. ¶ *Et si hoc auditum fuerit à præside; nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.* Id est; Nos persuadebimus ei rem ita esse gestam, & placabimus, ne quid supplicij sumat de vobis. Sed respondere debebant custodes, nisi eos pecuniæ amor, & studium obcæcasset, Persuadebitis quidem ei, vt qui facilè potest falli: nam si esset stabilis, nequaquam ei persuaderetis. Quomodo securos nos facietis, cùm nosipsos negligentię accusauerimus, quòd perditè, ac profundè obdormiuimus? Quomodo etiam si nos interroget, quî sciamus sublatum fuisse corpus, cùm fateamur nos dormijsse? Qua ratione præsidi suadebitis ne nos reprehendat? Responderunt seniores, optimè profectò milites dictis: sed quoniam nec in Romani imperij bonum; neque in nostram rem facit, hunc Iesum pro suscitato haberi, ne plebs eum sequatur, ne imperio Romano rebellet, quidlibet vel stolidū potius mentiri oportet, quàm rediuiuum fateri. Et ideò pręses vestro mendacio cōgaudens non habebit cur vos reprehendat. Sed quid putamus præsidem posteà respondisse Iudęis, nisi quòd acerbè eos reprehenderet, quòd imponere sibi vellent, & sic dicere suscitatum illum, vt ipsi aliena inuidia crescerent, & populo ducem ostenderent? Quare nisi res sopiatur, eos pro reis se habiturum, qui populum in officio continere possent, ministros autem suos excusatos habiturum. Quòd si rescierit eos pecuniā secutos, aut alia fraude resurrectionis testes esse; vltorem eorum fore. Adhæc si Pilato dicerent, Christum suscitatum à mortuis, suspicari potuisset milites corruptos, vel ab amicis Iesu, vel à rerum nouarum cupidis: quam & res nouas optare Pilatus poterat, vt haberet vnde Iudęos expilaret. . . Pilatus facilè erat crediturus, ne leuem se ostēderet. Cyrillus Hierosolym. illud explicās: *Etsi hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei: Illis quidem*, inquit, *militibus persuadisti; orbi autem terrarum nō persuadisti.* Et statim interrogat. *Quare sicut Petro de custodia exeunte, condemnati sunt custodes, sic etiam qui Iesum custodiebant, non sunt condemnati? Sed illi quidem ab Herode mulctati sunt, & ignorantia facti nullam defensionem repererant; isti autem scientes veritatem, & ipsam occultantes propter argentum, à principibus Sacerdotum seruati sunt.* Hæc ille. Sequitur in textu: *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Obtinuit igitur mendacium inter Iudæos, qui eius erant amatores, & diligebant magis tenebras, quàm lucem. Verbū verò diuulgatum fuit, Christum furto discipulorum sublatum de monumento: quasi potuerint corpus eius inuita custodia asportare, aut asportatum viuificare. Sed profectò Gentiles Iesus resurrectionis suę noluit habere testes, & tales qui facilè redempti pecunia viderentur, aut certè ne aliquibus lusisse videri possent, ac discipulis, & Principibus illusisse. Prætereà tardiores homines ad credendum volebat, neq; illos festinare in testimonio ferendo, antequam Spiritus sanctus daretur; ne si cū suis cito venirent, citò recederent. Item noluit nos venire in gregem, antequam grex ille esset confirmatus, & Spiritu sancto edoctus, quo posset ipse nos transformare, potius quàm ille in mores degeneraret nostros. Hinc voluit electos suos priùs impugnari, vt ex eo penderemus. Cogitauit has etiam nectere moras ex militum mendacio, ex principum taciturnitate, & cautela, ex testibus suis, qui erant vel mulieres, quæ minùs idoneæ ad testandum per leges habebantur; vel discipuli, qui quoniā . . upere viderentur Christi resurrectionem, aut nimis citò credidisse, aut mē. . itos se quoq; esse videri potuissent, vt sic non tam citò crederetur surrexisse. Ac vbi Spiritus sanctus datus est, tunc etiam persecutores sui in testes facti sunt: & postquam plus quàm quingentis fratribus (teste Apostolo) visus est, & non omnib. s, sed testibus præordinatis à Deo apparere voluit: quia scilicet hominū testimonio Deus non indiget, neque ad seruandum, neq; ad damnādum, alia, quàm propria cuiuspiam vtetur conscientia.

Diuulgatum est ergo verbum hoc, & fama de corpore furto sublato sparsa est, vt omninò futiles testes haberentur resurrectionis; quo fides nostra non esset polita in

Matth. 28.

Quàm stulta Iudæorum atque ridicula excusatio militum apud Præsidem de corpore Christi, vt aiebant, sublato.

Quid illi impostores forsitan audierint à Pilato.

Cyril. Ierosl. catech. 14 aliquanto ante medium.

Actor 12

Cur potius Petri, custodes tandem excussis custodes, quàm Domini sepulti pœnas dederint.

Ioan 3.

Prima ratio cur Christus Gentiles habere noluerit testes resurrectionis suæ.

II. ratio.

III. ratio.

Quarta & postrema.

1. Cor. 15.

Act. 10.

Quare diuulgatum apud Iudæos fuit, quod discipuli Domi.

... ei... corpus ... o futu... 1 Cor 2.

in sapientia hominum. sed in virtute Dei; & cùm suspecta haberentur omnia; diuina tamen virtus, & inspiratio homines ad crucifixum, & suscitatum trahens negari non posset. Sed quid cogitârunt tunc Principes Sacerdotum, & Seniores? nunquid aliquis extimuit eorum, ac inquit: Quid scimus an hic sit Messias, quo interfecto ciuitas, & templum sint vastanda, teste Daniele? an hic sit ille, de quo Esaias: *Quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eũ*: Et, *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*. Et ideo ipse iustificat suos, cæteros in dispersionem abire facit, de qua Zacharias. Quid item ipsi Principes postquàm per multos dies nihil de resurrectione audierunt, suspicati sunt? an putarunt sese à militibus deceptos, & crediderunt ab eis Domini Iesu corpus discipulis fuisse venditũ, & posteà etiam ab ipsis Principibus artificiosè pecuniam extorsisse? Nam ante quinquagesimum diem de Christi resurrectione nihil publicè prædicatum fuit, sed fama erat eum à discipulis sublatum. Voluit Dominus vt hoc post quinquaginta dies maiori Spiritu fidẽ resurrectionis efficeret. Et ait Matth. *Vsque in hodiernum diem*; quem tamen constat post duodecimum annum scripsisse à Christi ascensione, vt quidam opinantur, vel octauo anno, vt testatur Theophylact. Ac vide ingenium Principum, qui populum mendacijs alere, ac retinere consueuerunt.

Daniel. 9. Esai 53. Ibidem. Zachar. 13. Matth. 26. Theophyl. in c. 1. Mat. init.

Dices; Cur Principes fidem non habuerunt militibus, sed potiùs eos mendacij ministros facere curauerunt; Respondemus, Principes Sacerdotum animos militũ tentasse, vt si viderent eos accepta pecunia paratos mentiri, non eis crederent, sed putarent eos pecunia corruptos credere ipsum surrexisse, aut corpus vendidisse discipulis crederent. Si autem constanter affirmarent se suscitatum credere, nec vlla pecunia adducerentur ad mentiendum, tunc eos deterrerent, quòd Romano imperio non expediret credere ipsum suscitatum; ac proinde poterant comminari se illos fraudatæ custodiæ accusaturos. Nunc autem data pecunia dissipât famam, quæ nec ipsis esset dedecore, nec imperio periculosa: nam dicere poterant venisse discipulos, & ipsis dormientibus furatos esse corpus Iesu, & quod id ipsi vel ab alijs acceperint; vel strepitu expergefacti non potuerint corpus recipere, cùm pars discipulorum sese ipsis opponeret, pars altera corpus asportaret. Sed qua causa quæso, discipuli vellent corpus eius auferre? an vt se ipsos vltrò deciperent? an vt alios in suam ipsorum ruinam traherent? Nam quis crediturus esset, si non vidisset rediuiuum, quem certissimè nouerat mortuum, nisi in discipulis virtus illius viuentis reluceret? Sed volebant, dicis, corpus furari, quia ab ipso acceperant potestatem mortuos suscitandi, & ita eum volebant à mortuis suscitare. Verùm equidem si talis ex illo in eis supererat, & non erat cum ipso extincta; magnus erat, & dignus, qui pro Messia reciperetur. Dicent Iudæi; Nos libenter recepissemus eum tanquàm Messiam, nisi se fecisset æqualem Deo: quo nomine crucifigi curauimus, & custodiri sepulcrum, vt periculum faciamus an fauorem Dei haberet contra mortem ei ob hanc blasphemiam illatam. Nam si ipse Deus in hoc fauet, vt eum resuscitet, & discipulos eius potestate signorum illustret, indicium erit manifestum, ipsum esse Deo æqualem. Si ergo discipuli eius, qui æqualem Deo credunt, signa edunt in nomine eius, recipiendus etiam erit vt Deo æqualis, vt cui ipse Deus in hoc non contradixerit, sed fauerit: qui Deus nonnisi miraculis apud Israëlitas fidem inuenerit. Sed iam missos faciamus hos nebulones, quorum technæ detectæ in eorum capita reciderunt. Profectò Iustinus Martyr in Dialogo qui inscribitur Tryphonis, testatur, Iudæos Christo suscitato à mortuis non solùm non credidisse, sed eximijs electis viris per totum orbem terrarũ emissis admonuisse Iudæos, impiam & iniquam hæresim à Iesu suscitatam esse, cùm esset seductor, & eius corpus clàm noctu à discipulis sublatum. Et Hieronymus in Esaiam ex Eusebio scribit, Iudæos in vniuersam Iudæam, & Syriam misisse literas, ne passio Christi reciperetur: & totum orbem eiusmodi blasphemiæ disseminatione impleuisse. Adde Oecumenium in Prolegominis in epist. ad Romanos: *Priusquam*, inquit, *Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec soli ipsi, sed & omnes qui vbique locorum agebant. Verùm vnde id manifestum est? Inuenimus in veterum commentarijs, quod Sacerdotes, & Scribæ, ac seniores, qui Hierosolyma inhabitabãt, exaratas literas ad omnes nationes transmiserant Iudæis, vbicunque terrarum dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes, tanquàm à Deo alienam, atque epistolis admonebant, ne illam susciperent. Hoc ipsum certè videtur Esaiæ prophetia significare, quæ sic habet: Væ terræ nauium alæ, trans flumina Aethiopiæ: (ὁ ἀποστέλλων) qui mittit per mare obsides, ac literas papyraceas super aquam. His significat quod vltra AEthiopum quoque regiones, & nouissimos terræ fines, sonus malitiæ eorum qui Iudæã inhabitabant,*

Cur Principes Sacerdotum fidem non habuerint militibus quin potiùs eos subornârunt.

Ioan 5. Iustin. Martyr tom. 2. Hieronym. lib. 5 in Esai in c. 18. tom. 5. Oecumen.

Esaiæ de literis Hierosolymitarum ad Iudæos per orbem dispersos, ne Christi resuscitati Euangelium reciperent, vaticinium. Esa 18. iuxta Septuaginta.

per quadam veluti allata nauigia processerit; & illorum Apostoli literas papyraceas deferentes, super aquas nauigantes, mareq; transeuntes, vbique terrarum discurrebant, sermonem qui de Saluatore nostro erat, calumniantes. Hęc Oecumenius.

De apparitionibus Petro, & Iacobo, ac Iosepho factis agitur.
1. Cor. 15.

Iam dicamus nonnihil de apparitionibus factis Petro, Iacobo, ac Iosepho: & in primis aduerte, quòd vt inter mulieres primò apparuit innocentissimę Matri suę, deinde alijs fœminis, quæ peccati non fuerant expertes, vt Magdalenæ, & alijs: ita inter viros primùm Petro qui negauerat, deinde Iacobo Iusto, & deinde eũtibus duobus in Emmaus, & sub vesperam decem Apostolis, & post octauam diem Apostolis eisdem cum B. Thoma. De prima illa Petro exhibita meminit apertè Paulus in priori ad Corinth. & Lucas cap. vlt. & hæc inter eas, quæ viris factæ sunt, creditur esse prima, vt annotauit Chrysostomus: Tùm quia Paulus primam illam inter alias recenset, tùm quia Lucas scribit, quòd quando redierunt duo illi discipuli Hierosolymam ex Emmaunte, discipuli dicebant: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Fuit ergo facta in die ipsa resurrectionis; etsi non constat de hora, nisi quòd præcesserit illam discipulis Emmauntem pergentibus præstitam. Apparuisse autem creditur, dum solus fide concepta de resurrectione Christi viso sepulcro redibat, admirans quod factum fuerat. Vbi ergo Dominum Iesum vidit, procidit in faciem suam in terram, & veniam quòd pluries eum negasset, cum lacrymis postulauit: quam Dominus benignè contulit, solatusque est eum, & iussit vt confirmaret fratres suos. Dominus autem Petro apparuit; vt quemadmodum prior eum esse Christum, ita etiam eum suscitatum primus prædicaret. Deinde, vt mentem eius corroboraret, & qui timore mortis eum negauerat, ac turpiter deciderat, per spem vitæ resurrectione Christi resurgeret, ac remissione peccatorum percepta minimè desperaret. Quartò, vt exemplo suo institueret, quomodo Petrus suis subditis peccantibus, ac pœnitentiam agẽtibus se accõmodare deberet; nempè mitem, ac tractabilem, ac potestate clauium in remittendis peccatis vtentem. Denique, vt Chrysostomus rectè docet, non omnibus apparuit simul, vt semina iaceret quædam fidei: qui prius enim vidit, planeque certus fuit, tem cæteris nuntiauit. Deinde fama vulgata eum qui audiuit, in ingentem tanti miraculi constituit expectationem, & fidei ab ipso conspectu post secuturæ viam præstruxit. Itaque nec omnibus princi-

Chrysost. ho. 38. in priorem ad Corinth. paullò post med. tom. 4.
Luc. 24.

Petro Dominus quando apparuerit, & cur
Petri pœnitentia, & Christi clementia.
Matth. 26.

Luc. 22.
Matth. 16.

Chrysost. loco supradicto.

pio visus est, nec pluribus simul, sed vni modò, & ei principi & fide maximè digno. Hæc ille in epistolam ad Corinthios priorem. Proinde rectè argumentabantur Apostoli: Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni: quia huius autoritas primas tenebat inter Apostolos, plus fidei inter discipulos, quàm sermo mulieris habebat. Et quãdo veritas apparuit Simoni, vel Simonis successori, hoc est, Papæ, tunc omnes illud ipsum credere cogimur; quodcunque ille sua sententia definitiua credendum decreuerit.

Quando Iacobo Dominus apparuerit.
1 Cor. 15.
Aug. lib. 3 de consensu Euang. c. 25 to. 4.
B. Thom. in c. 15. 1 ad Cor. tomo 16.
Ioan. 20.

Dicendum secundò de apparitione Iacobi, cuius meminit Paulus in eam epistolam ad Corinthios. Et licèt postremo loco describat eius visionem; tamen vt Augustinus testatur libro de consensu Euangelistarum, & Thomas in Commentarijs super Paulum, primo die resurrectionis fuit exhibita, sicut etiam illa Petri. Quia cùm singulariter dicatur facta Petro, altera singulariter Iacobo; & Christus illo die serò, hoc est, vna Sabbatorũ apparuerit decem Apostolis absente Thoma, oportet asserere hanc Iacobo soli, & alteram Petro soli apparitiones factas præcessisse illam decem Apostolis exhibitam. Deinde habemus testimonium Euãgelij secundùm Hebræos, quo frequenter vtitur Origenes, & Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi ait: *Euangelium quoque quod appellatur secundùm Hebræos, & à me nuper in Græcum, Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert. Dominus autem cùm dedisset sindonem seruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis.* Rursusque post paullulùm: *Afferte, ait Dominus, mensam, & panem. Statimq; additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus.* Hæc ibi, vbi vides communionem, sub altera tãtùm specie panis. Vides etiam desiderium iustorum, quod est omne bonum, à Domino impleri. Et cùm extiterint duo Iacobi, alter frater Ioãnis, alter verò dictus Iustus, & frater Domini, Alphæique filius; hic per excellentiam dicitur Iacobus; & propterea hanc visionem Domini illi credimus factam. Tertiò de Iosepho ab Arimathia, viro iusto, qui Dominum in horto suo sepeliuit, testatur Euangelium Nazarenorum, quod cùm Iudæi eadem vespera, qua Dominum sepeliuit, eum in quodam cubiculo clauso, ac sigillato reclusissent, alligantes

Orig. Euangelio sæpe vtitur Hebræorũ teste Hieronymo.
Hierony. tom. 1.

Nicodemi de Iacobo Apostolo fratre Domini traditio.

Prou. 11.
Desiderium iustorum, omne bonum.

Quomodo Iosepho Arimathæo Dominus apparuerit.
Euangelium Nazaræorũ.

gantes eum primùm ad columnam in ipso carcere, & cogitassent post Sabbatum eum occidere; ecce statim in ipsa resurrectionis die suspensa domo à quatuor Angelis Dominus ad eum introiuit, eique latus aperuit, atque illum verbis consolatus est, faciem eius extersit, & osculum dedit: ac deinde saluis sigillis eum educens, ac liberās, in domum suam, quam habebat in ciuitate Arimathææ ipsum adduxit. Huius etiam rei meminit beatus Anselmus in libro de passione. Quæ cùm beneficium contineat Iosepho exhibitum, & in nullo Scripturæ Euangelicæ repugnet, non video quomodo hæc apparitio non sit piè recipienda, atque amplectenda: in qua sanè quàm sit magnificus, ac potens obsequiorum sibi impensorum remunerator Iesus Christus, planè ostenditur. Quare gnauiter studijs pietatis, & charitatis officijs incumbamus, non ignorantes nos manere pretiosam gloriæ coronam, quam reddet vnicuiq; nostrûm benignus ille Redemptor, ac iustus iudex Iesus Christus, cui cū Patre, & Spiritu sancto detur omnis gloria, potestas, & imperium, Amen.

Mira Christi benignitas.

B. Anselm.

2. Timoth. 2.

TRACTATVS XIV.

De apparitione Domini Iesu discipulis duobus in castellum euntibus exhibita, in illa verba Lucæ: *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent*, & reliq. Luc. vlt.

IN Primis annotandum venit solū Marcum & Lucam huius meminisse apparitionis. Sed Marcus quidem breuissimè. Sic enim ait: *Posthac autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Et ipsi euntes nuntiauerunt cæteris; nec illis crediderunt.* Sic ille. Lucas verò fusiori oratione totam huius apparitionis rationem recenset: quemadmodum apparitionem factam soli Mariæ Magdalenę, Marcus paucis perstrinxit verbis, quam Ioannes multis verbis est persecutus. Quod verò eadem illa Marci, & Lucæ sit, ostendit, quòd essent

Marc. vlt.

Ex quibus intelligi valeat quam Marcus, & Lucas describant historiam de duobus discipulis euntibus in

duo ex discipulis, quod irent in villam, quam Marcus Græcè ἀγρὸν vocat, Lucas verò κώμην, quam plerunque interpres vertit castellum, sicut ἀγρὸν villam. Ostendit etiam id, quod in alia forma, seu habitu apparuit: nam & hic dicitur, quòd tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent. Denique & illud quod ait: *Et illi euntes nuntiauerunt cæteris: nec illis crediderunt.* Nam & hi apud Lucam narrantur è castello protinùs in Hierosolymam rediisse, & annuntiasse Dominum sibi ipsis visum in via. Porrò vnum solum obstare videtur, quòd Marcus ait, discipulos illis duobus non credidisse: cùm Lucas commemoret, discipulos congregatos dixisse duobus illis, *Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Ob hanc autem apparentem dissonantiam Euthymius in Marcum, & Osiander hæreticus existimârunt alios fuisse duos illos discipulos, de quibus Marcus, ab illis, quorum meminit Lucas. Sed cùm hæc sit leuissima coniectura, & in tot alijs sibi cōsonent Euangelistæ, dicendum est cum Augustino libro de cōsensu Euangelistarum, aliquos fuisse inter discipulos, qui non crediderunt, vt Thomas, & aliqui, qui eum nōviderant, & necdum credebant, alios verò qui viderant, vt Petrus, & Iacobus: qui illis fidē præstabant, & hi dixerunt illud: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: & Matthæus scribit, ex discipulis quosdam credidisse, quosdam verò dubitasse, cùm se illis præbuit vidēdum in Galilæa. Iam ad literam explicādam accedamus.

Emmaus quibus Dominus apparuit ... dum que esse.

Obiectio diluitur.

Euthy ca. 84. in Marc

Osiander homo hæreticus

Aug lib. 3. de cōsensu Euang. ca. 25. tom. 4

Et ecce duo ex illis. Aduerbium, Ecce, indicat statim post annuntiationem Angelorum ad mulieres, & earundem ad Apostolos, accidisse præsentē historiam: quæ profectò noua est, iocunda, & admirabilis, scituque, atque auditu dignissima, cùm in ea Christus singularem suam aduersus discipulos charitatem, qua dispersas ouiculas suas congregabat, indicauerit. Quod igitur ait Euangelista, Duo ex illis, intellige discipulis Domini: quia præcedit quod annuntiauerat vndecim, & cæteris omnibus. Et intellige istos discipulos se ad iter accinxisse post primam renuntiationem mulierum factam ad Apostolos; non autem post secundam, quoniam ex verbis, quibus Dominum sunt allocuti, commemorant mulieres quasdam ante lucem fuisse ad monumentum: & non inuento corpore Christi rediisse dicentes, se Angelos vidisse, qui eum dicerent viuere; non autem mulieres recēsent se Dominum ipsum vidisse, quod maius erat, & maximi referebat recensere. Videntur ergo isti primam audiuisse mulie-

Christi pastoris vigilantia, cura, atque custodia ouium suarum.

Quis fuerit ille alter ex

Cur se in illo Euangelij sui inter verbi ministros Lucas Euangelista no computet.

potuit: quamplurima autem eorum, quæ scripsit in Euangelio, ab his, qui viderunt, accepit. Quod autem non se computet inter verbi ministros, hoc dandum est humilitati eius, qui vel illum honorificum titulum solis Apostolis tribuere voluit, vel se indignum putabat inter septuaginta duos computare, qui à Domino defecerat verbo illo de carne, & sanguine suo scandalizatus. Tertiò obijci posset, quod cùm Paulus in priori ad Corinthios enumerat apparitiones Christi viris exhibitas, quòd Lucæ apparuerit, qui eius fuit indiuiduus peregrinationis comes, & de quo honorificam plerumq; facit mentionem, nunquàm dixit; quam verisimile est non prætermissurum, si vera extitisset. Sed si hæc ratio solida esset, cõuinceret nec Cleophæ apparuisse; cui tamen esse visum, tradit Euãgelium. Imò nec etiã Iosepho ab Arimathæa, quia eius etiam non meminit Paulus: & tamen illa insignis fuit Christi ostensio, etiamsi in Euangelio non contineatur. Ac de his hactenùs.

III argum. 1. Cor. 15. 2. Cor. 8.

Ibant autem, ait, *duo ex illis*. Non exprimitur causa, propter quam irent, an videlicet missi ab alijs discipulis: quia missi fuerant bini, vt Christus olim illos mittebat. Verisimilius tamen est, quòd abirent propter metum Iudæorum, vt latitarent, ne in illorum capita cuderetur faba, maximè mortuo iam Christo, & tempore tentationis oportet conferre, & inuicem vniri, ne solus, & vnus pereat, vt Iudas. Vnde legimus: *Melius est duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Erant prætereà duo, id est, diuersi, non vniti, vel vniformes: nam ceciderant ab vnitate fidei, & integritate mentis. Denique duo erant, in typum duorum populorum, qui hoc tantum mysterium post longam disceptationem, ac vacillationem certissima fide complexi sunt. Ibant autem, & ignorabant quòd erant in vero Sabbato, in quo quietem agere oportebat, & ipsa die Dominica, quã fecit Dominus, orto iam Sole Christo, ipsaque die tertia nondum expleta: quod certè magnum erat dedecus, cùm vidissent Lazarum quatriduanum à Christo suscitatum.

Luc. 10. — Quare discipuli hi duo in Emmaus pergerent. — Matth. 27. Ecclesiast. 4 — Hi duo discipuli quid figurarent. — Psalm. 117. — Ioan. 11.

In castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Iam admonuimus Græcã dictionem κώμην propriè significare pagum, sed interpretẽ nostrum solitum vertere castellum: quemadmodum in eo loco: *Ite in pagum, qui cõtra vos est*, quod interpres dixit, *Ite in castellum*. Erat

Marc. 11.

autem Emmaus villa, cum ante fuisset vrbs insignis inter omnes Palestinæ vrbes, estq; iuxta Sochot in valle Terebynthi, vbi Dauid peremit Goliath gigantem. Eratque Emmaus sita inter Ioppe & Ierosolymam. Dicitur autem Emmaus à Iosepho Ammaus, & interpretatur, Aquæ calidæ. Erat enim ibi fons sanandis corporum vitijs. Et hoc castrum à Romanis durante obsidione Hierosolymitana dirutum est, posteà vero sub M. Aurelio Antonino, vt ait Beda, instauratum, ac dictum est Nicopolis. Plinius lib. naturalis historiæ inter tetrarchias Iudææ Emmaunta recenset. Hieronymus libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, commemorat, Iulium Africanum, cuius de temporibus extant quinque volumina sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione vrbis Emmaus suscepisse: quæ posteà Nicopolis appellata est. Idem quoque in Epitaphio Paulæ ita scribit: *Repetitoq; itinere Nicopolim, quæ priùs Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit.* Historia quoque tripartita: *Est itaque*, ait, *ciuitas Palestinæ Nicopolis nomine; hanc cùm adhuc vicus esset, Emmaus sacer Euangeliorum liber appellat. Quam Romani post vastationem Hierosolymorum, Iudaicamq; victoriam, Nicopolim ex euentu vtique victoriæ vocauerunt. Ante hanc vrbem in triuio, vbi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquàm ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo morbi hominum abluuntur, & alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur. Quod vt ita contingat, traditur ex quodam itinere visum esse Christum apud fontem cum discipulis suis, & lauisse pedes, ex quo aqua facta est diuersarum curatrix passionum.* Hæc illi. Meminit & Iosephus huius ciuitatis, nam lib. 7. Antiquitatum: *Emmaus*, inquit, *cremata est Vari iussu, in vindictam cæsorum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus.* Et libro 18. *Non longè apud Emmauntem vicum sunt aquæ calidæ.* Et libro de bello Iudaico: *Ammaus autem*, inquit, *si quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur. Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitijs idoneus.* Ex his dictis Iosephi accepit Hieronymus, & Historia Tripartita, quod scribunt de illa ciuitate. Quod autem ait interpretari aquas calidas, illud veritatem habet, si Emmaus scribatur cum prima litera Chet: nam Cham, calidum significat; & ita significabit vel calidas aquas, vel calidum consilium. Si autem prima litera sit Aleph, interpretari potest, Terror consilij, ab Emah. Si verò deducatur ab Em, vel Am, verti potest,

Emmaus villa vbi sita esset, & quid significet. — 1. Reg. 17. — Ioseph lib. 18. Antiq c. 2. & lib. 4. de bello Iudaic. c. 1. — Beda in Luc. c. 24. tom. 5. — Plin. li. 5 c. 14. — Hierony. to. 1. Iul. Afric. — Hiero. tom. 1. — Luc. 24. Hist. Eccl. tri par. li. 6. c. 24. — Emmaus cur posteà Nicopolim Romani appellant. — Emmaus fons olim vnde salutaris. — Ioseph lib. 17. Antiq. c. 16. — Idem lib. 18. cap. 4 — Idem lib. 4. de bel Iud. cap. 1. prope initium. — Hierony. vbi sup. Hist. tripar. ibidem. — Emmaus quomodo scribatur Hebraicè.

matris

Santes Pagninus.

matris augentis consilium, vt docet Santes Pagninus. Certè Euāgelium Syriacum neque cum Chor, neque cum Aleph, sed cum Hayn scribere solet ܥܡܐܘܣ. Quòd si haberemus primum librum Machabæorū Hebraicum, vt Hieronymus illum Hebraicè conscriptum testatur, statim constaret, quibus literis scribatur: nam 1. Machab. 3. & 4. eius fit mentio, prope quam Machabæi obtinuerunt victoriam contra Lysiam. Et inflectitur, vt Cerasus Cerasuntis, & Cerasuntos, & Trapesus Trapesuntis, & Trapesuntos; ita Emmaus. Quanquàm Plinius & Hieronymus secundæ declinationis forma inflectant: quemadmodū in libro Machabæorum Emmaum fit indeclinabile: quod admonuimus, ne quis putet loca esse diuersa. Distabat verò ab Ierusalem per stadia sexaginta. Plinius docet stadium continere 125. passus. Et dicitur σάδιον à stando, quoniam Græci, vt ferunt, autore Hercule, viatum spatia mensurabant. Est igitur stadium octaua pars milliarij, quare sexaginta stadia septem millia passuum conficiunt cum quadringentis passibus, quæ vix medium miliare conficiunt. Quod benè spatium itineris, vt ait Beda, congruit ijs, qui de morte, ac sepultura Saluatoris certi, dubij de resurrectione gradiebantur. Nam resurrectionem, quæ post septimam Sabbati facta est, octauo numero cōcinere quis ambiget, Hæc ille. Quod si per sexaginta stadia distabat ab Hierusalē, falsum est quod ait Iosephus, distare Emmauntem ab Hierosalem per stadia triginta. *Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant*, nimirum circa Christum: ita enim illa animos eorum occupauerant, vt de alijs rebus verba facere non liceret, quàm de his ipsis, vtpotè de passione, & sepultura eius, de signis in morte, & mulieribus quæ viderant Angelos. Et confabulatio in peregrinatione, ad laboris tædium leuandum vtilis existit. Deinde de eo loquebantur instar amantiū, qui quos amant, cogitant sæpè, atque de illis somniant, & ex abundantia cordis os loquitur. Nec tātùm amabant, sed etiam dubitabant, ideo inuicem cōferebant: quia vt ait Salomon, ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.

Hiero. in præfat. in 1. Reg.
10. 4.
Plin dicto loco
Plin. libr. 2. c. 3 init
Stadium quot passibus constet, teste Plinio.
Quid sit stadium, & vnde dictum sit.
Beda in Luc. tom 5.
Quid quòd stadijs sexaginta distare Emmaus ab Hierusalem dicatur, teste Beda.
Ioseph. lib. 7 ca. 26. de Bell Iud. in fine
Error Iosephi per Euangelicam corrigitur veritatem.
Amantiū proprium quid.
Matth. 12.
Prouerb. 27.

Et factum est dum fabularentur, et secum quærerent. Fabula, sermo est, & rumor populi, siue res passim diuulgata, etiamsi vera sit: à fando dicta. Vnde Hieronymus Ruffinū, qui calumniatus erat eum, quòd dixisset, Belis, & draconis fabulas, illas historias, quæ in Daniele continentur, tuetur dictum suum, & ostendit Latinè non minùs falsa, quàm vera fabulas dici. Plautus verò verbo fabulandi de communi sermone frequenter vtitur: & Iuuenalis dicit:

It noua nec tristis per cunctas fabula cœnas.

Fabula quid, & vnde dicta sit.
Hiero. lib 2 aduers. Ruffin. in fin. tom. 2
Daniel. 14
Ruffin. lib. in Hierony.
Plautus.
Iuuen. Satyr. 1 sub finem.

Alioqui fabula, est rerum magnarum, & incredibilium narratio cum admiratione citra fidē. Græcæ voci μῦθος, quæ prope fabulam significat, idem accidit: nam interdum pro vero sermone accipi cōsueuit, siue pro oratione: vnde apud Homerum lib. ὀγδ. Iliados, μύθου ἀγασάμενοι. id est, orationem admirantes. Et Plato lib. 6. de legibus μῦθον μυθούμενος pro sermone vero vsurpat. Græcum verbum hîc habet ὁμιλεῖν, vnde deducitur homilia: & ad euitandam vocis fabulandi ambiguitatem, verti poterat. Et factū est, dum colloquerentur. Quid verò colloquerentur, & secum quærerent, Euangelista non exprimit: verisimile tamen est, eos cū formidine, & animi angustia dixisse, actum esse de Iesu, eumq́; aut ipsos decepisse, aut ipsum deceptum fuisse. Putare quidem se resurrecturum, vt, sicut alios, sic etiam se ipsum à mortuis excitaret: sed nihil actum esse, quòd esset tertia, & iam quidem alta dies, necdum tamen apparuisset: nō autem fieri verisimile, vt mulieribus potiùs quàm ipsis apparere voluerit, si verè surrexisset. Prætereà quis honor esse poterat tam malè affectum resurgere? nemo enim se quæretur tam despectum. Itaque licèt ipse esset Messias, expectabat aliud tempus, quo scilicet ea ignominia ex animis hominū decederet.

Homerus
Plato.
Homelia vnde sit dicta.
Quibus de rebus secū quærerent, & loquerentur duo discipuli euntes in Emmaus.

Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Ecce quod dici solet, Lupus est in fabula. Et cogitur Iesus à tribulatione nobis laborantibus adesse, sicut Apostolis laborantibus in remigando adfuit. Hinc Propheta ait: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, &c. forsitan aqua absorbuisset nos.* Cogitur quoque à promissione sua: *Vbi sunt*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū*: & quod tunc secundùm præsentiam corporalem præstitit, nunquàm non facit secundùm spiritum. Cogitur denique à colloquio spirituali interesse colloquentibus: *Propè est*, inquit, *Dominus omnibus inuocantibus eum*, siue omnibus de se colloquentibus. Est enim familiaris de Christo sermo, musica quædam suauis Christi aures demulcens, & instar candelæ fumantis, quæ trahit lumen ipsum ad se: ita sermo sanctus & spiritualis Christum, vt simile trahitur à simili. Et obserua veritatem corporis Christi suscitati, quia appropinquans ibat cum illis, quasi obuius quidam tertius pere-

Nobis quando adsit Iesus.
Matth. 8. & 14
Psal. 123.
Matth. 18
Psal. 144.
Familiaris de Christo sermo cui similis sit.
Christi corporis resuscitati quomodo monetur.

peregrinus, ac viator, qui illos esset præcedentes assecutus. Non enim Dominus instar spiritus rapidè, sed per interualla, quod proprium est humanorum corporum, mouetur. Etsi enim infirmitate, & corruptione esset per resurrectionem liberatus; non tamen substantia, & corporis humani proprietatibus: quia glorificatione non substantia, & natura, sed naturæ defectus, atque imbecillitas absorbetur. Felices, quibus se Christus in via socium adiungit: quia errare, periclitarive minimè poterunt, cùm Christus sit via, & veritas, & vita.

Corpori glorioso quid deperæat à forma super inducta

Ioan. 14.

Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Dicenda sunt duo: primùm qui oculi, & quomodo tenebantur; deinde ad quid tenebantur, ne eum agnoscerent? Ad primum dicimus, triplici ratione potuisse teneri illorum oculos externos: videlicet aut immutato externo obiecto aut minimè in se mutato, imprimebat aiam speciē ab ea, quā imprimere solebat naturaliter, aut medio ipso cernēdi permutato, aut organo luminum externorum infecto. Possunt etiam spirituales animi nostri oculi sua peculiari ratione alligari ne videant, aut vt aliter videant. Hic igitur primùm de obiecto mutato nihil contigit, quia idem ipse Christus immutatus erat, vt ostendit, quando aperuit oculos eorum, & permisit se videri. Ideo quod dicitur à B. Marco: *Ostensus est in alia effigie,* siue forma; hoc est, quia Christus non imprimebat in discipulis suam, sed alienam effigiem, aliumque habitum, & vestitum à cōsueto, ac pristino alienum, & vocis suæ sonum diuersum à proprio & natiuo. Quę sententia probabilis videtur, & conformis verbis beati Marci: & illud erat oculos teneri, secūdùm Lucam. Secundum verò quod ad medium spectat, minimè hic fuit: quia sic sæpè ludificantur oculi nostri, vt cùm remum in aqua positum fractum esse iudicamus, denariusque in aquam iniectus, & à longinquo cōspectus multò maior cernitur, quàm sit, & annulus aureus in vase cystallino inclusus, apparet multò maior, quā revera existat, eò quòd media, per quæ spectātur, sint crassiora. Hic autem modus hic esse nō potuit. Superest tertius modus de oculis, vel externis, quorum organa aliquo humore infecta rem aliter apparere efficiūt, quam sit: & dicitur Græcis ἀορασία, quæ visus priuatio dici potest. Hac autem sæpè vtuntur magi, seu circulatores, admirabilia, & ferè incredibilia publicis spectaculis exhibentes, qui mira manuum celeritate, oculorumque infectione interdum peragunt.

Qua ratione oculi discipulorum tenebantur, ne Christum agnoscerent.

Triplex modus immutandi visum.

Marc. 16.

Illud Marci de Christo: Ostensus est in alia effigie: quomodo accipiendum sit.

Vel de internis mentis oculis, vt ait Caietan⁹, est sermo, quia de illis loquitur, quos posteà testatur fuisse apertos. Constat autem nō externos, sed internos fuisse apertos, quibus Iesus agnoscitur: nō enim clausis oculis ibant per viam. Diciturque Græcè ἀκρισία, id est, iudicij priuatio: sicut Petrus eductus de custodia per Angelum nō ratiocinabatur quòd verè ambulasset, sed existimabat se visum videre. Simile est in hominibus, qui cogitabundi, & valdè ad aliquid meditandum intenti, nō discernunt multa, quæ in oculos eorum incurrunt, atq; ita facultas cognoscēdi interior, quæ comprehendit intelligentiam, & internos sensus, non impediebatur aliarū rerum apprehensione, sed tantummodò ne eum agnoscerēt, vt ait Euthymius. In eum modum olim Sodomæ ciues ἀορασίας, siue ἀκρισίας, vitio ab Angelis percussi ostiū domus Lot nunquam inuenire potuerunt. Et prætor Mediolanēsis, qui Ambrosio ad se accedenti præcludi ostium mandauit, nec illi pulsanti fores aperiri voluit, cū ab Imperatore post paucos dies iussus esset comprehendi, illeq; in templū tanquam ad asylum cōfugeret, in meridie nunquam tēpli ostiū inuenire potuit apertum: vt Paulinus in vita eius testis est. Simili ratione serui, siue latrunculi missi à Rege Syriæ Benadab, vt caperēt Helisæum, eum sibi occurrentē non agnouerunt, sed percussos cęcitate introduxit in ciuitatem Samariæ. Iesus quoque in Euangelio percutiens cæcitate Iudæos: & transiens per medium illorū ibat. Ita ergo aorisia, siue acrisia, non est defectus virtutis passiuæ, vel medij, per quod cernimus, sed sensus alligatio, vt in somno contingit, vel impedimentū iudicij? Quod etiam dicitur à Marco in alia effigie apparuisse, intellige secundùm existimationem discipulorum, non secundùm rei veritatē: non enim in corpore Christi fuit vlla vel coloris, vel lineamentorum propriorum mutatio, vt existimauit Theophylactus, & Beda: ad id inclinare videtur Augustinus in Epistola ad Paulinum; sed impedimentum fuit in ipsis oculis, qui alligati tenebātur per abstractionem immutationis oculorum secundùm omnem dispositionem corporis Christi. Ipse tamen Augustinus, magis probat contrariam sententiam propter verba Lucę, quę apertè significāt, oculos discipulorum fuisse impeditos ne Iesum cognoscerent: quia subdit, in fractione panis eos fuisse apertos, ablato scilicet impedimento quo tenebantur. Hieronymus tamen in Epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, vtrumque fa-

Caiet. ientaculo. 7.

Euthym. c. 82 in Luc. in fin.

Gene. 19.

Paulinus Episcopus.

4. Reg. 6.

Luc. 4.

Theophyl. in Luc. vlt. c.

Beda.

Aug. epist. 59. in solutione 4. quæstionis to. 2.

Idem lib. 3. de Cons. Euang. c. 25. tom. 4.

TRACTATVS XIII.

De apparitione Domini Iesu facta ad mulieres in via, dum pergerent ad annuntiandum discipulis Christi resurrectionem, in illa verba: *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete. Illæ autem accesserũt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt. Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant, &c.* Matth vlt. Adiunguntur etiam apparitiones Domini factę Petro, Iacobo, & Iosepho ab Arimathia.

Quo consilio Deus Dominicę resurrectionis veritatem meridiana vel luce clariorem ipsa, varijs tamen dubitationum tenebris velut obscurari, atque offuscari sit passus.

VERVM est illud tritum & peruulgatum prouerbium: Opposita iuxta se posita magis elucescunt: hinc artis pingendi scientes, dum vt quidam colores viuidiores & gratiores eminere possint, dant operam, nigrum propè adhibere curant, qui sua quam habet deprimẽdi virtute cæteros exurgere faciat, atque extare. Quando quęstiones in vtramque partem agitantur, splendescit magis, atque emicat veritas, & in conspectum se prodit. In hunc sanè modum voluit Deus tam necessariam, & salutarem resurrectionis Christi veritatem diu agitari, & ad tempus permittere, vt homines illam multis modis obscurare atque extinguere tentarent, quò eò esset nobis certior, atque solidior. Hinc est, quòd dum mulieres annuntiant Apostolis resurrectionem, interim milites seducti, & pecunia corrupti mendacium pro veritate tale proferunt, atque in vulgus spargunt, vt tamen se ipsos statim prodant, veritasque ea ratione magis inclaruerit resurrectionis. Ait igitur Matthæus: *Et ecce Iesus occurrit illis.* Græca lectio hoc expressiùs dicit: *Et dum ibant & renuntiarent discipulis eius, Ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete.* Vbi primùm obseruandum est, hunc reditum mulierum ad Apostolos, nõ fuisse illum primum, quando ab Angelis visis missæ sunt ad adferendum nuntium resurrectionis discipulis. Quòd ex narratione aliorum Euangelistarum fit liquidum. Nam ex Luca, & Ioanne constat illas peruenisse ad discipulos, & renuntiasse corpus sublatum, & Angelos visos: & tamen de Christo in via sibi apparẽte nihil locutæ sunt, quia videlicet nondum illis apparuerat: nam id proculdubiò fœminæ minimè siluissent. Ad hæc cùm earum monitu Petrus & Ioannes ad sepulcrum cucurrissent, & vera esse comperissent, quæ sibi erant renuntiata, ac discessissent, remansit sola Maria Magdalena: quæ cùm esset solitaria, primùm vidit Angelos, & deinde Dominum, ac statim ab eo destinata est, vt renuntiaret Apostolis resurrectionis veritatem. Hæc autem apparitio dicitur prima à beato Marco, cùm ait: *Surgens autem Iesus mane prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*: quam apparitionem si prima extitit, opus fuit præcedere hãc factam mulieribus in via à Domino, in qua etiam mulieres ad Apostolos destinauit: alioquin illa non esset prima, sed secunda potiùs. Matthęus igitur extrema tacitis medijs cõiungit: tacet enim reditum mulierum ad discipulos, & aduentum Petri, & Ioannis ad monumentum, eorumque reditum ad semetipsos; prætermittit quoque apparitionem in specie hortulani factam Mariæ: atque his omnibus omissis, saltat ad regressum mulierum, quo Maria Magdalena verba etiam, quæ audierat Iesu renuntiatura ibat ad Apostolos: nam dum Maria exijsset solitaria de monumento, confestim aliæ mulieres sanctæ se illi adiunxerunt, vel ipsa eas præcurrentes, & cum Petro, & Ioanne discedentes consecuta est. Cùm autem illæ adiunctæ pergerent, ecce iterum Dominus in via illis apparuit, vt hîc ait Matthæus. Nec mirandum est, Matthęum suppressis medijs extrema enarrando coniunxisse. Nam similia quoque fecisse Marcus comperitur, qui descripta prima apparitione Iesu facta Mariæ, & altera facta euntibus in Emmaus, transijt ad extremam, & nouissimam factam in die Ascensionis, vbi habet: Nouissimè autem recumbentibus illis vndecim, apparuit illis Iesus: qui tamen silentio supprimit apparitionem hanc factam mulieribus euntibus ad Apostolos, & illam sub vesperam eiusdem diei factam omnibus Apostolis, eam quoque, quæ post octo dies præsente Thoma facta est, & aliam ad mare Tyberiadis, & in monte Thabor discipulis exhibitam: nam de his omnibus verbum nullum apud Marcum. Quid dicam de Luca, qui omissis apparitionibus omnibus ad mulieres factis, quemadmodùm etiam Paulus facit in epistola ad Corinthios, tantùm percenset visionem discipulis euntibus in castellum ostensam, & illam, quæ eodem die ad decem facta est Apostolos, & statim ad nouissimam in die Ascen-

Ioan. 20.

Marc. vlt.

Euangelistas rebus quæ intercedebant, prætermissis sæpè extrema narrando coniungere, quibusdam exemplis perspicuum atque manifestum.

De quo reditu mulierum ad Apostolos annuntiandæ resurrectionis Christi gratia non fit sermo hoc loco Matth. vltimo

Ioan. 20.
Infra 12.
1. Cor. 15.
Ibidem.
Luc. vlt.
Ibidem.

Ascensionis exhibitam taltat, prætermis nonnullis, nimirùm facta apud Apostolos Thoma præsente, & altera ad mare Tyberiadis, & alia in monte Galilææ. Non absimili ratione Ioannes descripta visione facta Mariæ, & illa facta decem discipulis in die Resurrectionis sine Thoma, & altera post octo dies ad eosdem cum Thoma. postremò recenset illam, quæ facta est ad mare Tyberiadis; tacet autem hanc mulieribus in via factam, & alterā discipulis duobus, qui pergebant Emmaus, & factam Petro, ac Iacobo primo die; omittit etiam illam in monte Thabor, & alteram in die Ascensionis. Et hæc de Euangelistis. Paulus quoque omissis his, quæ factæ sunt ad mulieres, & ad euntes in Emmaus, & ad mare Tyberiadis, tantùm commemorat visiones Petro, & Iacobo, & Apostolis vndecim, & plus quàm quingentis fratribus, & iterum Apostolis in die Ascensionis exhibitas, & nouissimè eam quæ sibi tanquam abortiuo facta est.

Ioan. 20.

1. Cor. 15.

His vt veris, & omni acceptione dignis, positis, constitutisq; re, quia non est vni datum omnia scribere, iam verba textus expendamus: *Dum ergo mulieres pergerent ad nuntiandum, Ecce occurrit illis Iesus, dicens, Auete.* In propria quidem specie Dominus apparuit, & consueto vocis sono eas salutauit, vt omni dubio amoto, & absque vlla hæsitatione Iesum esse cognoscerent, possentque tutò adorare eum. Et quæ ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vident Dominum, & hanc sui studij ac festinationis mercedem referunt; quasi Dominus diceret: Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. Cùm etiam ex obedientia pergerent Christum annuntiare discipulis, ipsum intueri promeruerunt. In quo ostensum nobis esse voluit, eos, qui ex obedientia prædicandi munere perfunguntur, & verbum Dei alijs annuntiant, dignos existere, qui veritates ipsas, quas annuntiant, altius intelligant, ac veluti eas cernant, quò fortius efficaciusque eas annuntiando, alijs imprimere valeant. Profectò sanctæ illæ fœminæ nihil minus sperabant, quàm hunc Domini Iesu occursum, cùm Angelus dixisset, ipsum in Galilæa spectandum: nihilominus tamen pro sua charitate Christus eis occurrit, & prior illas salutat, quò eas in annuntiando redderet confirmatiores. Ita plerumque nobis, dum in futura vita perfecta visio Christi promittitur, interim tamen hîc in fide, & charitate ambulantibus, Deus minimè deest, & Christus qui per fidem habitat in cordibus nostris. Et vt scribit Rabanus: *Per*

His mulieribus cur in sua specie & forma Christus apparuerit, sonoque vocis consueto eas salutauerit.

Prou. 8.

Meritum obedientiæ.

Christi munificentia.

Ephes. 3.

Rabanus in Matth.

hoc ostendit se omnibus iter virtutum incohantibus, vt ad salutem perpetuam peruenire queamus, adiuuando occurrere. Sicille. Nemo nescit filio à regione longinqua redeunti patrem occurrisse opis gratia ferendę. Dixit autem illis Auete, siue vt Græcè habetur χαίρετε, quòd est, gaudete, saluete, valete, & plaudite. Euthymius inquit, *Gaudere eas tribuit, quæ ob veterem inobedientiam condemnatæ erant ad habendum mœrorem.* Gregorius Nyssenus oratione de Resurrectione: *Saluete ait: Etenim oportebat primùm muliebrem sexum, & ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, Saluete, quoniam mulier quoque prima audiuerat fraudem serpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœna tristitiæ, ac doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare Seruator, & pedes apprehendere, & contrectare permittebat, vt ijs quæ primæ deciderant, & alienatæ erant ab eo: & discipulis gaudium annuntiare iubebat, cùm mulierem, quæ tristitiæ ministra Adamo fuerat, gaudij nuntiam viris esse vellet, contrarijs contraria curans.* Hactenus ille, accipiens saluete, pro gaudete. Et rectè post Mariam Deiparam, cui dictum est: *Aue gratia plena*: iam etiam mulieres primæ merentur audire, auete, vel gaudete; vt maledictum Euæ mulieris, cui dictum erat, *In dolore paries filios*, solueretur in mulieribus gaudio eis denuntiato. Auete ergo, quia omne bonum quod auere potestis, per resurrectionem vobis porrigitur. Saluete, quæ salutem corporis & animæ per meam resurrectionem consecutæ estis. Valete, quæ vt semper valeatis animo, & corpore, per resurrectionem meam adipiscimini. Et quoniam hæc ampla sunt seges & materies gaudij spiritualis quod nunquam tollitur, meritò ait, gaudete.

Luc. 15.

Euthym. in c. Matth 27.

Genes. 3.

Greg. Nyss. oratio. 2. de resurrect. sub init.

Gen 3.

Suprà 2.

Luc. 1.

Genes. 3.

Quid est illud Auete.

Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Ex verbis Magdalenæ intelligentes vulgari, & solito more non esse amplexandum, vel contrectandum, accesserunt fide ad se accedentem: quia credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. *Tenuerunt pedes eius.* Qui earum corda suspensa tenebat. Et tenuerunt ad osculum adorationis, vt scilicet vestigia vulnerum passionis quæ in pedibus apparebant, oscularentur, vt gratas se beneficio mortis Christi ostenderent. Et tunc non repulit à tactu eas, vt suprà Magdalenam, quia moderatè, & cum alijs, & plenæ fide per charitatem operante tetigerunt. Nam fides hæc charitati coniuncta, manus est spiritualis, quam si extenderimus, iam reuera Chri-

Mulierū modestia, & in Christum reuerentia.

Hebr. 11.

Mulieres cur tenuerint pedes Domini suscitati.

His quare Christus non dixit, Nolite me tangere, vti eum Magdalena fecerat.

ia Christum tangimus, & tenemus Permisit etiam se tangi, vt cognoscerent Christi corpus non esse phantasma, sed verum, & solidum, vt ait Chrysostomus, addens: Forsitan aliquis vestrûm vellet & secundùm illas effici mulier, & pedes detinere Iesu. Potestis & nunc quicunque vultis, nô manus, & pedes detinere, sed & caput detinere sacrum illud terribilibus potientes mysterijs pura conscientia. Hæc ille. Accede ergo tu ad Christum fide, tene charitate, adora cultu latriæ Christum in Eucharistia, sic eris mulieres imitatus.

Chrysostom.

Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Etsi dilectum Iesum tenuissent, & adorassent, tamen quia à morte excitatus apparebat illis, eum timebant: ideò timorem pellit, & consolationem infundit, non tantùm verbo, vt Angeli, sed intus ex corde, timorem pellendo, quoniam ipse dixit, & facta sunt: sicut cùm inquit, Auete, vel gaudete, gaudium illis singulare contulit. Adiungensque, Ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, confirmauit illo verbo Angelos fuisse suos qui prius illis apparuerant, & qui eadem præceperant. Et fratres dignatur appellare, quos olim vocabat discipulos; ne putes accidisse quod philosophi autumant, dirimi amicitias, cùm ex altera parte maioris fiat fortunæ accessio: Modò autem Christo data erat omnis potestas in cœlo, & in terra. De Galilæa sæpè dictum est: & hîc esset adiungẽdum, quomodo Maria Magdalene discipulis annuntiauerit verba Iesu, vt docent Marcus, & Ioannes, & quomodo discipuli fidem non præstiterint: sed hæc expediuimus superiori tractatu. Sequitur in Matthæo: *Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.* Solus Matthæus, qui mentionem fecerat custodiæ adhibitæ, necessariò narrare debuit quid sit de custodibus factum: in qua narratione alterum suscitati Christi profertur testimonium: quod ab inimicis exhibitum solidius est, quanquam illud Iudæi stultè, ac ridiculè corrumpere tentauerint. Videntur custodes toto illo tempore, quo apparuerunt Angeli mulieribus, & venerunt Apostoli ad monumentum, & redierunt, aut perterrefacti, ac veluti semimortui iacuisse, aut præ metus magnitudine tacuisse; ita vt non nisi post reditum secundum mulierum ad Apostolos, venerint ad Principes Sacerdotum. Deinde nota, venisse in ciuitatem: quia sepulcrum erat extra eam nõn longè à monte Caluario, vbi fuerat crucifixus. Nota præterea verbum illud, Quidam de custodibus: non enim omnes ausi sunt ad Principes Sacerdotum venire, partim timore, partim pudore suffusi. Vel quidam ex eis, hoc est, insigniores, & aliorum veluti capita venerunt tantùm annuntiare omnia, quæ facta fuerant, hoc est, terræmotum, Angeli in terribili aspectu apparitionem, lapidis reuolutionem, aduentum mulierum, & ingressum earum in monumentum, corporis Christi absentiam, linteaminumque, ac sudarij in sepulcro derelictionem. Et ita velint nolint custodes testes ac prædicatores veritatis resurrectionis Christi efficiuntur. Veritas enim diuulgata ab aduersarijs, qui Christi gloriam denigrare volebant, clariùs per illos splendescit. Idem accidit fratribus Ioseph, qui eum Ismaëlitis, ne regnaret super eos, vendiderunt: verùm ea via excellentius regnauit: quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes, Dicite, Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Dicam quid Nicodemus in Euangelio suo circa hoc recenseat: quia non solùm non repugnat, sed etiam illustrat magis veritatem Euangelicam. Ait enim Iudæos indignatos fuisse contra Ioseph, qui petierat corpus Iesu à Pilato ad sepeliẽdum: ipsumque Ioseph comprehendisse, & in cubiculo obsignato clam sine fenestra dimisisse, donec transiret Sabbatum: quo transacto conuenerunt Annas, & Caiphas, vt morte plecterent Ioseph: at eum ibi non inuenerunt. Quibus perturbatis, adsunt custodes annuntiantes terræmotum, & Christi resurrectionem. Quibus cum illi credere nollent, dixerunt custodes: Date ergo nobis Ioseph, quem in cubiculo custodistis; & nos dabimus vobis Iesum, quem in sepulcro custodiuimus. Iudæi responderunt, Ioseph nos dabimus, date nobis Iesum. Ioseph autem in ciuitate sua Arimathæa est. Responderunt milites dicentes: Si Ioseph in Arimathæa est; & Iesus in Galilæa est, sicut audiuimus ab Angelo dicente mulieribus. Tunc dederunt pecuniam copiosam, vt fingerent mendacium de corpore Iesu furto sublato à discipulis cum ipsi dormirent. Rogati cur non apprehendissent mulieres, dixerunt: Nescimus, & nos vt mortui facti sumus præ timore Angeli. Hæc ibi referuntur: quæ Anselmus tanquam vera in libro de Passione prope finem proponit. Sed iam expende illud: Principes Sacerdotum cum senioribus cõsilium inijsse; vt intelligas

Cur dixit eisdem: Nolite timere.

Psal 148.

Quare Apostolos Christus fratres appellet.
Matth. vlt.

Cur Matthæus ipse solus custodum sepulcri ad Principes Sacerdotum accessus meminerit.

Quando illi accesserint ad Principes Sacerdotum, & cur non ante

Cur illi venisse in ciuitatẽ dicuntur.

Quinam ex illis accesserint ad Principes Sacerdotum.

Christi potentia.

Genes 37.
Infra 41.

Prouerb. 21.

Nicodemi Euangelium.

Matth. 27.

Infra 28.

Anselmus.

telligas, eos, qui prudentia, & rerum experientia atque autoritate apud populum vigebant, in tam stultam, & mendacē amentiam incidisse, quæ in ipsorum capita reciderit. Quia, vt habet prouerbium, malum consilium, consultori pessimum. Veritatem, atque adeò Christum viuum sepelire cogitabant: sed techna detecta, confusi sunt, ac pudefacti. Væ aduocatis, qui vias, & rationes excogitant, quomodo aut falsis testibus, aut corruptis instrumentis, aut perperam detortis legibus veritatem perspicuam celare possint: multosque hæredes & successores horum Iudæorum habet mundus, qui in hoc sunt ingeniosi, & sagaces, vt veritatem sepelire, & obscurare non erubescāt. Dederunt ergo copiosam pecuniam militibus, (siue, vt Græca habent, ἀργύρια ἱκανὰ, id est, argenteos multos. Est enim nomen substantiuum Græcis argenteus, non adiectiuum) quò tantam, & iam confessam veritatem obtegerent, & abnegarent. Vide etiam pecuniæ vim, & efficaciam, & quanti sit ponderis apud milites.

Malum consilium, consultori pessimum.

Iudæos Dominicæ resurrectionis veritatem obscurare molientes, hodie qui imitentur.

Pecuniæ vis quanta.

Sed quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Virg. 3. Æn pro è initiu.

Et Salomon, *Pecuniæ obediunt omnia.* Armatus pecunijs proditur Antichristus venturus, vt citò obtineat à sectatoribus suis fidem. Agnosce hoc loco ex Sacerdotibus, quantum malum sit inuidentia alieni nominis, & proprij nominis gloria: & ex militibus accipe quàm latè potens, ac patens malum sit auaritia, cùm per hæc vtriq; veritatem certò agnitam in tam apertum, & improbabile conuerterint mendacium. Nec mirandum, ait Chrysostomus, si pecuniæ milites superarunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem, vt redderent eum magistri sui proditorem. Vide quæso in quos vsus pecuniam sacram expenderunt boni illi Sacerdotes, atque seniores: prius proditionem à discipulo pretio redemerunt; deinde sub mercede conduxerunt Pilati cohortem, vt eum comprehenderent. Tertiò pecunia numerata custodes monumento apposuerunt. Postremò vt dignum esset patella operculum, copiosa pecunia mendacium à custodibus compararunt. Pulchrè in hæc verba scribit Hieronymus: *Custodes miraculum confitentur, ad vrbem conciti redeunt: nuntiant Principibus Sacerdotum quæ viderint, quæ facta conspexerint. Illi qui debuerunt conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut antea triginta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur qui stipe templi, & his quæ conferunt ad vsus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus, quibus suam expleant voluntatem; similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium, & Saluatoris sanguinem.* Et Hilarius: *Emitur verò,* inquit, *à custodibus, qui omnia hæc viderant argento resurrectionis silentium, & mendacium furti, honore scilicet sæculi, & cupiditate: quia in pecunia honor eius est, Christi gloria denegatur.* Hæc illi Patres egregiè.

Eccles. 10

Inuidiæ, & ambitionis, & auaritiæ potestas.

Chrysostom.

Matth. 26.
Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum sacrilega pecuniarum templi applicatio.

Hieronym. in Matth. 10 9.

Similes Scribarum & Pharisæorum qui teste Hieronymo

Hila can vlt. in Matt. in fi.

Dicite (inquiunt) *quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* O stulta insania ô cæcitas insignis, ó futile commentum: dormientes testes adhibes? Si dormierunt, quomodo furtū viderunt? Si non viderunt, quomodo testes esse possunt? Quòd si etiam fures viderunt, quomodo non eos detinuerunt? Verè dictum est: *Mentita est iniquitas sibi:* & prouerbium rectè admonet: *Oportet mendacem memorem esse.* Chrysostomus rectè hoc loco contra Iudæos philosophatur: *Verè formàm mendacij habebat quod dicebant: qualiter enim furarentur homines discipuli pauperes, & idiotæ, nec apparere audentes? Si enim Christum adhuc viuum videntes fugerunt, qualiter eo mortuo non timuerunt tot militum multitudinem? Nunquid ostium sepulcri poterant euertere? Lapis eminebat magnus, multis indigens manib. Nunquid etiam non erat sigillum super impositum? Propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus sepulchro affuit? Sabbato enim petierunt à Pilato custodiam, &c. Quare non persuasibilia sunt, quæ de furto dicta sunt. Vnde per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere. Dicentes enim quòd discipuli furati sunt, confitentur nō esse corpus in sepulcro: furtum autem ostendit esse mendax custodia militum, & discipulorum pauor.* Hæc ille.

Iudæorum mira insania, cæcitas, nequitia.

Psalm 26.

Prouerbium.

Chrysostomus aduersus Iudæos.

Matth. 26.

Sed rursus vrgeamus eos: Si dormiebant, quomodo valuerunt tantum saxum ab ostio monumēti amouere sine illorum excitatione? Item si dormiebant, quomodo potuerunt scire quòd discipuli eius magis quàm alij homines corpus eius asportarunt? Nunquid more leporum apertis oculis dormire didicerant? Adhæc spoliatores sepulcrorum consueuerunt furari vestes, & linteamina, relicto cadauere; nouū autem est, & inauditum, asportare cadauer, omissis vestibus. Adde, si corpus voluissent asportare, nulla profectò suberat caussa cur relinquerent linteamina, quæ vnguentis myrrhæ, & aloes conglutinata, & inuiscata erant corpori. Præterea ad hoc multa temporis mora opus erat, quam tamen horrere solent fures, & latrones. Nam ad plicandum sudarium, & extendenda linteamina, minimè breue tempus sufficiebat.

Quàm ridicula excusatio Iudæorū illa: Dicite, quia dormientibus nobis, nocte discipuli eius sustulerunt corpus Iesu.

Ioan. 19.

Qui poterint custodes furto sublatum Domini corpus asserere citra metum sui ab eodem mendacij conuincendi.

Magni Athanasij de abscisso Arsenij lectoris sui brachio calumniæ confutatio.

Sed quomodo custodes non sunt veriti dicere ipsum furto sublatum, & nō metuebant ne viuus se solito more offerret omnium oculis, vt ita apertissimi mendacij conuincantur? Vt fecisse legimus Athanasium, cui cùm obijceretur quòd Arsenij lectoris sui brachium præcidisset, ipse Arsenius corā omnibus vtroq; brachio incolumi præditus apparuit. Sed hoc illi non timuerunt, vel quòd audissent, Angelos eius resurrectionem nuntiasse, non tamen viderant custodes eum resurrexisse, intelligētes proinde eum non ad communem, sed ad nouam vitam surrexisse, in qua solito more cum hominibus non conuersaretur: vel sanè didicerant Angelum dixisse illum à discipulis videndum in Galilæa; & ideò sperabant, si talis sermo diuulgaretur, aut illū negare, aut persuadere Iudæis illum non fuisse verum Iesum, sed quempiam alium illi persimilem Galilæis discipulis obtrusum.

Matth. 28.

Quàm stulta Iudæorum atque ridicula excusatio militum apud Præsidem de corpore Christi, vt aiebant, sublato.

¶ *Et si hoc auditum fuerit à præside; nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.* Id est; Nos persuadebimus ei rem ita esse gestam, & placabimus, ne quid supplicij sumat de vobis. Sed respondere debebant custodes, nisi eos pecuniæ amor, & studium obcæcasset, Persuadebitis quidem ei, vt qui facilè potest falli: nam si esset stabilis, nequaquam ei persuaderetis. Quomodo securos nos facietis, cùm nos ipsos negligentię accusauerimus, quòd perditè, ac profundè obdormiuimus? Quomodo etiam si nos interroget, qui sciamus sublatum fuisse corpus, cùm fateamur nos dormijsse? Qua ratione præsidi suadebitis ne nos reprehendat? Responderunt seniores, optimè profectò milites dictis: sed quoniam nec in Romani imperij bonum, neque in nostram rem facit, hunc Iesum pro suscitato haberi, ne plebs eum sequatur, ne imperio Romano rebellet, quidlibet vel stolidū potius mentiri oportet, quàm rediuiuum fateri. Et ideò prçses vestro mendacio cōgaudens non habebit cur vos reprehendat. Sed quid putamus præsidem posteà respondisse Iudęis, nisi quòd acerbè eos reprehenderet, quòd imponere sibi vellent, & sic dicere suscitatum illum, vt ipsi aliena inuidia crescerent, & populo ducem ostenderent? Quare nisi res sopiatur, eos pro reis se habiturum, qui populum in officio continere possent, ministros autem suos excusatos habiturum. Quòd si rescierit eos pecuniā secutos, aut alia fraude resurrectionis testes esse; vltorem eorum fore. Adhæc si Pilato dicerent, Christum suscitatum à mortuis, suspicari potuisset milites corruptos, vel ab amicis Iesu, vel à rerum nouarum cupidis: quam & res nouas optare Pilatus poterat, vt haberet vnde Iudęos expilaret: ... Pilatus facilè erat crediturus, ne leuem se ostēderet.

Quid illi impostores forsitan audierint à Pilato.

Cyril Ierosol. catech. 14. aliquanto ante medium.

Cyrillus Hierosolym. illud explicās: *Etsi hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei: Illis quidem, inquit, militibus persuadistis; orbi autem terrarum nō persuadistis.* Et statim interrogat. *Quare sicut Petro de custodia exeunte, condemnati sunt custodes, sic etiam qui Iesum custodiebant, non sunt condemnati? Sed illi quidem ab Herode mulctati sunt, & ignorantia facti nullam defensionem reperiebant; isti autem scientes veritatem, & ipsam occultantes propter argentum, à principibus Sacerdotum seruati sunt.* Hæc ille.

Actor. 12. Cur potius Petri, e carcere tandem excuntis custodes, quàm Dominici sepulcri pœnas dederint.

Sequitur in textu: *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Obtinuit igitur mendacium inter Iudæos, qui eius erant amatores, & diligebant magis tenebras, quàm lucem.

Ioan. 3.

Verbū verò diuulgatum fuit, Christum furto discipulorum sublatum de monumento: quasi potuerint corpus eius inuita custodia asportare, aut asportatum viuificare.

Prima ratio cur Christus Gentiles habere noluerit testes resurrectionis suæ.

Sed profectò Gentiles Iesus resurrectionis suę noluit habere testes, & tales qui facilè redempti pecunia viderentur, aut certè ne aliquibus lusisse videri possent, ac discipulis, & Patribus illusisse.

II. ratio.

Prætereà tardiores homines ad credendum volebat, neq; illos festinare in testimonio ferendo, antequam Spiritus sanctus daretur; ne si cū suis cito venirent, cito recederent.

III. ratio.

Item noluit nos venire in gregem, antequam grex ille esset confirmatus, & Spiritu sancto doctus, quo posset ipse nos transformare, potius quàm ille in mores degeneraret nostros.

Quarta & postrema.

Hinc voluit electos suos priùs impugnari, vt ex eo penderemus. Cogitauit has etiam nectere moras ex militum mendacio, ex principum taciturnitate, & cautela, ex testibus suis, qui erant vel mulieres, quæ minùs idoneæ ad testandum per leges habebantur; vel discipuli, qui quoniā stupere viderentur Christi resurrectionem, aut nimis citò credidisse, aut mētitos se quoq; esse videri potuissent, vt sic non tam citò crederetur sanè extitisse. Ac vbi Spiritus sanctus datus est, tunc etiam persecutores sui in testes facti sunt: & postquam plus quàm quingentis fratribus (teste Apostolo) visus est, & non omnibus, sed testibus præordinatis à Deo apparere voluit: quia scilicet hominū testimonio Deus non indiget, neque ad seruandum, neq; ad damnādum, alia, quàm propria cuiuspiam vtetur conscientia.

1. Cor. 15.

Act. 10.

Quare diuulgatum apud Iudæos fuerit, quod discipuli Domini...

Diuulgatum est ergo verbum hoc, & fama de corpore furto sublato sparsa est, vt omninò futiles testes haberentur resurrectionis; quo fides nostra non esset polita

... eius corpus ... o sublatu ... iisset.

1 Cor. 2.

in sapientia hominum, sed in virtute Dei; & cùm suspecta haberentur omnia; diuina tamen virtus, & inspiratio homines ad crucifixum, & suscitatum trahens negari non posset. Sed quid cogitârunt tunc Principes Sacerdotum, & Seniores? nunquid aliquis extimuit eorum, ac inquit: Quid scimus an hic sit Messias, quo interfecto ciuitas, & templum sint vastanda, teste Daniele? an hic sit ille, de quo Esaias: *Quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eũ*: Et, *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*. Et ideo ipse iustificat suos, cæteros in dispersionem abire facit, de qua Zacharias. Quid item ipsi Principes postquàm per multos dies nihil de resurrectione audierunt, suspicati sunt? an putarunt sese à militibus deceptos, & crediderunt ab eis Domini Iesu corpus discipulis fuisse venditũ, & posteà etiam ab ipsis Principibus artificiosè pecuniam extorsisse? Nam ante quinquagesimum diem de Christi resurrectione nihil publicè prædicatum fuit, sed fama erat eum à discipulis sublatum. Voluit Dominus vt hoc post quinquaginta dies maiori Spiritu fidẽ resurrectionis efficeret. Et ait Matth. *Vsque in hodiernum diem*; quem tamen constat post duodecimum annum scripsisse à Christi ascensione, vt quidam opinantur, vel octauo anno, vt testatur Theophylact. Ac vide ingenium Principum, qui populum mendacijs alere, ac retinere consueuerunt.

Daniel. 9.
Esai 53.
Ibidem.
Zachar. 13.
Matth. 26.
Theophyl. in c. 1. Mat. init.

Cur Principes Sacerdotum fidem non habuerint militibus quin potiùs eos subornârunt.

Dices; Cur Principes fidem non habuerunt militibus, sed potiùs eos mendacij ministros facere curauerunt; Respondemus, Principes Sacerdotum animos militũ tentasse, vt si viderent eos accepta pecunia paratos mentiri, non eis crederent, sed putarent eos pecunia corruptos credere ipsum surrexisse, aut corpus vendidisse discipulis crederent. Si autem constanter affirmarent se suscitatum credere, nec vlla pecunia adducerentur ad mentiendum, tunc eos deterrerent, quòd Romano imperio non expediret credere ipsum suscitatum; ac proinde poterant comminari se illos fraudatæ custodiæ accusaturos. Nunc autem data pecunia dissipât famam, quæ nec ipsis esset dedecore, nec imperio periculosa: nam dicere poterant venisse discipulos, & ipsis dormientibus furatos esse corpus Iesu, & quod id ipsi vel ab alijs acceperint; vel strepitu expergefacti non potuerint corpus recipere, cùm pars discipulorum sese ipsis opponeret, pars altera corpus asportaret. Sed qua causa quæso, discipuli vellent corpus eius auferre? an vt se ipsos vltrò deciperent? an vt alios in suam ipsorum ruinam traherent? Nam quis crediturus esset, si non vidisset rediuiuum, quem certissimè nouerat mortuum, nisi in discipulis virtus illius viuentis reluceret? Sed volebant, dicis, corpus furari, quia ab ipso acceperant potestatem mortuos suscitandi, & ita eum volebant à mortuis suscitare. Verùm equidem si talis ex illo in eis superetat, & non erat cum ipso extincta; magnus erat, & dignus, qui pro Messia reciperetur. Dicent Iudæi; Nos libenter recepissemus eum tanquàm Messiam, nisi se fecisset æqualem Deo: quo nomine crucifigi curauimus, & custodiri sepulcrum, vt periculum faciamus an fauorem Dei haberet contra mortem ei ob hanc blasphemiam illatam. Nam si ipse Deus in hoc fauet, vt eum resuscitet, & discipulos eius potestate signorum illustret, indicium erit manifestum, ipsum esse Deo æqualem. Si ergo discipuli eius, qui æqualem Deo credunt, signa edunt in nomine eius, recipiendus etiam erit vt Deo æqualis, vt cui ipse Deus in hoc non contradixerit, sed fauerit: qui Deus nonnisi miraculis apud Israëlitas fidem inuenerit. Sed iam missos faciamus hos nebulones, quorum technæ detectæ in eorum capita reciderunt. Profectò Iustinus Martyr in Dialogo qui inscribitur Tryphonis, testatur, Iudæos Christo suscitato à mortuis non solùm non credidisse, sed eximijs electis viris per totum orbem terrarũ emissis admonuisse Iudæos, impiam & iniquam hæresim à Iesu suscitatam esse, cùm esset seductor, & eius corpus clàm noctu à discipulis sublatum. Et Hieronymus in Esaiam ex Eusebio scribit, Iudæos in vniuersam Iudæam, & Syriam misisse literas, ne passio Christi reciperetur: & totum orbem eiusmodi blasphemiæ disseminatione impleuisse. Adde Oecumenium in Prolegominis in epist. ad Romanos: *Priusquam*, inquit, *Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec soli ipsi, sed & omnes qui vbique locorum agebant. Verùm vnde id manifestum est? Inuenimus in veterum commentarijs, quod Sacerdotes, & Scribæ, ac seniores, qui Hierosolyma inhabitabãt, exaratas literas ad omnes nationes transmiserant Iudæis, vbicunque terrarum dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes, tanquàm à Deo alienam, atque epistolis admonebant, ne illam susciperent. Hoc ipsum certè videtur Esaias propheta significare, qua sic habet: Væ terræ nauium alæ, trans flumina Aethiopiæ: (ὦ ἀποστέλλων) qui mittit per mare obsides, ac literas papyraceas super aquam. His significat quod vltra AEthiopum quoque regiones, & nouissimos terræ fines, sonus malitiæ eorum qui Iudæã inhabitabant,*

Ioan 5.
Iustin. Martyr tom. 2.
Hieronym. lib. 5 in Esai in c. 18. tom 5.
Oecumen.

Esaiæ de literis Hierosolymitarum ad Iudæos per orbem dispersos, ne Christi resuscitati Euangelium reciperent, vaticinium.

Esa 18. iuxta Septuaginta.

per quadam veluti allata nauigia processerit; & illorum Apostoli literas papyraceas deferentes, super aquas nauigantes, mareq; transeuntes, vbique terrarum discurrebant, sermonem qui de Saluatore nostro erat, calumniantes. Hęc Oecumenius.

De apparitionibus Petro, & Iacobo, ac Iosepho factis agitur.
1. Cor. 15.

Iam dicamus nonnihil de apparitionibus factis Petro, Iacobo, ac Iosepho: & in primis aduerte, quòd vt inter mulieres primò apparuit innocentissimę Matri suę, deinde alijs fœminis, quæ peccati non fuerant expertes, vt Magdalenæ, & alijs: ita inter viros primùm Petro qui negauerat, deinde Iacobo Iusto, & deinde eũtibus duobus in Emmaus, & sub vesperam decem Apostolis, & post octauam diem Apostolis eisdem cum B. Thoma. De prima illa Petro exhibita meminit apertè Paulus in priori ad Corinth. & Lucas cap. vlt. & hæc inter eas, quæ viris factæ sunt, creditur esse prima, vt annotauit Chrysostomus: Tùm quia Paulus primam illam inter alias recenset, tùm quia Lucas scribit, quòd quando redierunt duo illi discipuli Hierosolymam ex Emmaunte, discipuli dicebant: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Fuit ergo facta in die ipsa resurrectionis; etsi non constat de hora, nisi quòd præcesserit illam discipulis Emmauntem pergentibus præstitam. Apparuisse autem creditur, dum solus fide concepta de resurrectione Christi viso sepulcro redibat, admirans quod factum fuerat. Vbi ergo Dominum Iesum vidit, procidit in faciem suam in terram, & veniam quòd pluries eum negasset, cum lacrymis postulauit: quam Dominus benignè contulit, solatusque est eum, & iussit vt confirmaret fratres suos. Dominus autem Petro apparuit; vt quemadmodum prior eum esse Christum, ita etiam eum suscitatum primus prædicaret. Deinde, vt mentem eius corroboraret, & qui timore mortis eum negauerat, ac turpiter deciderat, per spem visa resurrectione Christi resurgeret, ac remissione peccatorum percepta minimè desperaret. Quartò, vt exemplo suo institueret, quomodo Petrus suis subditis peccantibus, ac pœnitentiam agētibus se accōmodare deberet; nempè mitem, ac tractabilem, ac potestate clauium in remittendis peccatis vtentem. Denique, vt Chrysostomus rectè docet, non omnibus apparuit simul, vt semina iaceret quædam fidei: qui prius enim vidit, planeque certus fuit, rem cæteris nuntiauit. Deinde fama vulgata eum qui audiuit, in ingentem tanti miraculi constituit expectationem, & fidei ab ipso conspectu post secuturæ viam præstruxit. Itaque nec omnibus principio visus est, nec pluribus simul, sed vni modò, & ei principi & fide maximè digno. Hæc ille in epistolam ad Corinthios priorem. Proinde rectè argumentabantur Apostoli: Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni: quia huius autoritas primas tenebat inter Apostolos, plus fidei inter discipulos, quàm sermo mulieris habebat. Et quādo veritas apparuit Simoni, vel Simonis successori, hoc est, Papæ, tunc omnes illud ipsum credere cogimur; quodcunque ille sua sententia definitiua credendum decreuerit.

Chrysost. ho 38. in priorem ad Corinth. paullo post med. tom. 4.
Luc. 24.

Petro Dominus quando apparuerit, & cur Petri pœnitentia, & Christi clementia.
Matth. 26.

Luc. 22.
Matth. 16.

Chrysost. loco supradicto.

Quando Iacobo Dominus apparuerit.
1 Cor. 15.
Aug. lib. 3 de consensu Euang. c. 25 to. 4
B. Thom. in c. 15 1 ad Cor. lectio 1 6.
Ioan 20.

Dicendum secundò de apparitione Iacobi, cuius meminit Paulus in eam epistolam ad Corinthios. Et licèt postremo loco describat eius visionem; tamen vt Augustinus testatur libro de consensu Euangelistarum, & Thomas in Commentarijs super Paulum, primo die resurrectionis fuit exhibita, sicut etiam illa Petri. Quia cùm singulariter dicatur facta Petro, altera singulariter Iacobo; & Christus illo die serò, hoc est, vna Sabbatorũ apparuerit decem Apostolis absente Thoma, oportet asserere hanc Iacobo soli, & alteram Petro soli apparitiones factas præcessisse illam decem Apostolis exhibitam. Deinde habemus testimonium Euāgelij secundùm Hebræos, quo frequenter vtitur Origenes, & Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi ait: *Euangelium quoque quod appellatur secundùm Hebræos, & à me nuper in Græcum, Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert. Dominus autem cùm dedisset sindonem seruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Rursusque post paullulùm: *Afferte, ait Dominus, mensam, & panem. Statimq; additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus.* Hæc ibi, vbi vides communionem, sub altera tātùm specie panis. Vides etiam desiderium iustorum, quod est omne bonum, à Domino impleri. Et cùm extiterint duo Iacobi, alter frater Ioānis, alter verò dictus Iustus, & frater Domini, Alphæique filius; hic per excellentiam dicitur Iacobus; & propterea hanc visionem Domini illi credimus factam. Tertiò de Iosepho ab Arimathia, viro iusto, qui Dominum in horto suo sepeliuit, testatur Euangelium Nazarenorum, quod cùm Iudæi eadem vespera, qua Dominum sepeliuit, eum in quodam cubiculo clauso, ac sigillato reclusissent, alligantes

Orig. Euangelio sæpe vtitur Hebræorũ teste Hieronymo
Hieron. to.

Nicodemi de Iacobo Apostolo fratre Domini traditio.

Prou. 11.
Desiderium iustorum, omne bonum.

Quomodo Iosepho Arimathiæo Dominus apparuerit.
Euangelium Nazaræorũ.

gantes eum primùm ad columnam in ipso carcere, & cogitassent post Sabbatum eum occidere; ecce statim in ipsa resurrectionis die suspensa domo à quatuor Angelis Dominus ad eum introiuit, eique latus aperuit, atque illum verbis consolatus est, faciem eius extersit, & osculum dedit: ac deinde saluis sigillis eum educens, ac liberãs, in domum suam, quam habebat in ciuitate Arimathææ ipsum adduxit. Huius etiam rei meminit beatus Anselmus in libro de passione. Quæ cùm beneficium contineat Iosepho exhibitum, & in nullo Scripturæ Euangelicæ repugnet, non video quomodo hæc apparitio non sit piè recipienda, atque amplectenda: in qua sanè quàm sit magnificus, ac potens obsequiorum sibi impensorum remunerator Iesus Christus, planè ostenditur. Quare gnauiter studijs pietatis, & charitatis officijs incumbamus, non ignorantes nos manere pretiosam gloriæ coronam, quam reddet vnicuiq; nostrum benignus ille Redemptor, ac iustus iudex Iesus Christus, cui cũ Patre, & Spiritu sancto detur omnis gloria, potestas, & imperium, Amen.

Mira Christi benignitas.

B. Anselm.

2. Timoth. 2.

TRACTATVS XIV.

De apparitione Domini Iesu discipulis duobus in castellum euntibus exhibita, in illa verba Lucæ: *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent*, & reliq. Luc. vlt.

IN Primis annotandum venit solũ Marcum & Lucam huius meminisse apparitionis. Sed Marcus quidem breuissimè. Sic enim ait: *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Et ipsi euntes nuntiauerunt cæteris; nec illis crediderunt*. Sic ille. Lucas verò fusiori oratione totam huius apparitionis rationem recenset: quemadmodum apparitionem factam soli Mariæ Magdalenę, Marcus paucis perstrinxit verbis, quam Ioannes multis verbis est persecutus. Quod verò eadem illa Marci, & Lucæ sit, ostendit, quòd essent duo ex discipulis, quod irent in villam, quam Marcus Græcè ἀγρὸν vocat, Lucas verò κώμην, quam plerunque interpres vertit castellum, sicut ἀγρὸν villam. Ostendit etiam id, quod in alia forma, seu habitu apparuit: nam & hic dicitur, quòd tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent. Denique & illud quod ait: *Et illi euntes nuntiauerunt cæteris: nec illis crediderunt*. Nam & hi apud Lucam narrantur è castello protinùs in Hierosolymam rediisse, & annuntiasse Dominum sibi ipsis visum in via. Porrò vnum solum obstare videtur, quòd Marcus ait, discipulos illis duobus non credidisse: cùm Lucas commemoret, discipulos congregatos dixisse duobus illis, *Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Ob hanc autem apparentem dissonantiam Euthymius in Marcum, & Osiander hæreticus existimârunt alios fuisse duos illos discipulos, de quibus Marcus, ab illis, quorum meminit Lucas. Sed cùm hæc sit leuissima coniectura, & in totalijs sibi cõsonent Euangelistæ, dicendum est cum Augustino libro de cõsensu Euangelistarum, aliquos fuisse inter discipulos, qui non crediderunt, vt Thomas, & aliqui, qui eum nõviderant, & necdum credebant, alios verò qui viderant, vt Petrus, & Iacobus: qui illis fidẽ præstabant, & hi dixerunt illud: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: & Matthæus scribit, ex discipulis quosdam credidisse, quosdam verò dubitasse, cùm se illis præbuit vidẽdum in Galilæa. Iam ad literam explicãdam accedamus.

Marc vlt.

Ex quibus intelligi valeat quam Marcus, & Lucas describant historiam de duobus discipulis euntibus in

Emmaus quibus Dom[illegible] apparuit in v[illegible] dumque esse.

Obiectio diluitur.

Euthy ca. 84. in Marc

Osiander homo hæreticus

Aug lib. 3 de cõsensu Euang. ca. 25. tom. 4

Et ecce duo ex illi. Aduerbium, Ecce, indicat statim post annuntiationem Angelorum ad mulieres, & earundem ad Apostolos, accidisse præsentẽ historiam: quæ profectò noua est, iocunda, & admirabilis, scituque, atque auditu dignissima, cùm in ea Christus singularem suam aduersus discipulos charitatem, qua dispersas ouiculas suas congregabat, indicauerit. Quod igitur ait Euangelista, Duo ex illis, intellige discipulis Domini: quia præcedit quod annuntiauerat vndecim, & cæteris omnibus. Et intellige istos discipulos se ad iter accinxisse post primam renuntiationem mulierum factam ad Apostolos; non autem post secundam, quoniam ex verbis, quibus Dominum sunt allocuti, commemorant mulieres quasdam ante lucem fuisse ad monumentum: & non inuento corpore Christi rediisse dicentes, se Angelos vidisse, qui eum dicerent viuere; non autem mulieres recẽsent se Dominum ipsum vidisse, quod maius erat, & maximè referebat recensere. Videntur ergo isti primam audiuisse mulie-

Christi pastoris vigilantia, cura, atque custodia ouium suarum.

Quis fuerit ille alter ex

potuit: quamplurima autem eorum, quæ scripsit in Euangelio, ab his, qui viderunt, accepit. Quod autem non se computet inter verbi ministros, hoc dandum est humilitati eius, qui vel illum honorificum titulum solis Apostolis tribuere voluit, vel se indignum putabat inter septuaginta duos computare, qui à Domino defecerat verbo illo de carne, & sanguine suo scandalizatus. Tertiò obijci posset, quod cùm Paulus in priori ad Corinthios enumerat apparitiones Christi viris exhibitas, quòd Lucæ apparuerit, qui eius fuit indiuiduus peregrinationis comes, & de quo honorificam plerumq; facit mentionem, nunquàm dixit; quam verisimile est non prætermissurum, si vera extitisset. Sed si hæc ratio solida esset, cōuinceret nec Cleophæ apparuisse; cui tamen esse visum, tradit Euāgelium. Imò nec etiā Iosepho ab Arimathæa, quia eius etiam non meminit Paulus: & tamen illa insignis fuit Christi ostensio, etiamsi in Euangelio non contineatur. Ac de his hactenùs.

Cur [illegible] Euangelista [illegible] inter verbi ministros Lucas Euangelista nō computet.

III argum.
1.Cor 15.
2.Cor.8.

Ibant autem, ait, *duo ex illis*. Non exprimitur causa, propter quam irent, an videlicet missi ab alijs discipulis: quia missi fuerant bini, vt Christus olim illos mittebat. Verisimilius tamen est, quòd abirent propter metum Iudæorum, vt latitarent, ne in illorum capita cuderetur faba, maximè mortuo iam Christo, & tempore tentationis oportet conferre, & inuicem vniri, ne solus, & vnus pereas, vt Iudas. Vnde legimus: *Melius est duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Erant prætereà duo, id est, diuersi, non vniti, vel vniformes: nam ciciderant ab vnitate fidei, & integritate mentis. Denique duo erant, in typum duorum populòrum, qui hoc tantum mysterium post longam disceptationem, ac vacillationem certissima fide complexi sunt. Ibant autem, & ignorabant quòd erant in vero Sabbato, in quo quietem agere oportebat, & ipsa die Dominica, quā fecit Dominus, orto iam Sole Christo, ipsaque die tertia nondum expleta: quod certè magnum erat dedecus, cùm vidissent Lazarum quatriduanum à Christo suscitatum.

Luc.10.
Quare discipuli hi duo in Emmaus pergerent.
Matth.17.
Ecclesiast 4
Hi duo discipuli quid figurarent.
Psalm.117.
Ioan 11.

In castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Iam admonuimus Græcā dictionem κώμην propriè significare pagum, sed interpretē nostrum solitum vertere castellum: quemadmodum in eo loco: *Ite in pagum, qui cōtra vos est*, quod interpres dixit, *Ite in castellum*. Erat autem Emmaus villa, cum ante fuisset vrbs insignis inter omnes Palestinæ vrbes, eisq; iuxta Sochot in valle Terebynthi, vbi Dauid peremit Goliath gigantem. Eratque Emmaus sita inter Ioppe & Ierosolymam. Dicitur autem Emmaus à Iosepho Ammaus, & interpretatur, Aquæ calidæ. Erat enim ibi fons sanandis corporum vitijs. Et hoc castrum à Romanis durante obsidione Hierosolymitana dirutum est, posteà verò sub M. Aurelio Antonino, vt ait Beda, instauratum, ac dictum est Nicopolis. Plinius lib. naturalis historiæ inter tetrarchias Iudææ Emmaunta recenset. Hieronymus libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, commemorat, Iulium Africanum, cuius de temporibus extant quinque volumina sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione vrbis Emmaus suscepisse: quæ posteà Nicopolis appellata est. Idem quoque in Epitaphio Paulæ ita scribit: *Repetitoq; itinere Nicopolim, quæ priùs Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleopha domum in Ecclesiam dedicauit.* Historia quoque tripartita: *Est itaque*, ait, *ciuitas Palestinæ Nicopolis nomine; hanc cùm adhuc vicus esset, Emmaus sacer Euangeliorum liber appellat. Quam Romani post vastationem Hierosolymorum, Iudaicamq; victoriam, Nicopolim ex euentu vtique victoriæ vocauerunt. Ante hanc vrbem in triuio, vbi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquàm ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo morbi hominum abluuntur, & alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur. Quod vt ita contingat, traditur ex quodam itinere visum esse Christum apud fontem cum discipulis suis, & lauisse pedes, ex quo aqua facta est diuersarum curatrix passionum.* Hæc illi. Meminit & Iosephus huius ciuitatis, nam lib. 7. Antiquitatum: *Emmaus, inquit, cremata est Vari iussu, in vindictam cæsorum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus.* Et libro 18. *Non longè apud Emmauntem vicum sunt aquæ calidæ.* Et libro de bello Iudaico: *Ammaus autem*, inquit, *si quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur. Ibi enim euismodi fons est, sanandis corporum vitijs idoneus.* Ex his dictis Iosephi accepit Hieronymus, & Historia Tripartita, quod scribunt de illa ciuitate. Quod autem ait interpretari aquas calidas, illud veritatem habet, si Emmaus scribatur cum prima litera Chet: nam Cham, calidum significat; & ita significabit vel calidas aquas, vel calidum consilium. Si autem prima litera sit Aleph, interpretari potest, Terror consilij, ab Emah. Si verò deducatur ab Em, vel Am, verti potest,

Marc.11.

Emmaus villa vrbs fuisset, & quid significet
1.Reg.17.
Ioseph lib. 18. Antiq c 2 & lib 4. de bello Iudaic. c.1.
Beda in Luc. c. 24 tom. 5.
Plin. li 5 c.14.
Hierony. to. 1. Iul. Afric.
Hiero. tom. 1.
Luc. 24.
Hist. Eccl. tripar. li. 6. c. 24.
Emmaus cur postea Nicopolim Romani appellant.
Emmaus fons olim vnde salutaris.
Ioseph lib. 17. Antiq. c. 16.
Idem lib. 18. cap. 4
Idem lib. 4. de bel Iud. cap. 1. prope initium
Hierony. vbi sup. Hist. tripar. ibidem.
Emmaus quomodo scribatur Hebraicè.

matris

Santes Pagninus. matris augentis consilium, vt docet Santes Pagninus. Certè Euãgelium Syriacum neque cum Chot, neque cum Aleph, sed cum Hayn scribere solet עמאוס· Quòd si haberemus primum librum Machabæorũ Hebraicum, vt Hieronymus illum Hebraicè conscriptum testatur, statim constaret, quibus literis scribatur: nam 1. Machab. 3. & 4. eius fit mentio, prope quam Machabæi obtinuerunt victoriam contra Lysiam. Et inflectitur, vt Cerasus Cerasuntis, & Cerasuntos, & Trapesus Trapesuntis, & Trapesuntos; ita Emmaus. Quanquàm Plinius & Hieronymus secundæ declinationis forma inflectant: quemadmodũ in libro Machabæorum Emmaum sit indeclinabile: quod admonuimus, ne quis putet loca esse diuersa. Distabat verò ab Ierusalem per stadia sexaginta. Plinius docet stadium continere 125. passus. Et dicitur σταδιον à stando, quoniam Græci, vt feruntur, autore Hercule viarum spatia mensurabant. Est igitur stadium octaua pars milliarij, quare sexaginta stadia septem millia passuum conficiunt cum quadringentis passibus, quæ vix medium milliare conficiunt. Quod benè spatium itineris, vt ait Beda, congruit ijs, qui de morte, ac sepultura Saluatoris certi, dubij de resurrectione gradiebantur. Nam resurrectionem, quæ post septimam Sabbati facta est, octauo numero cõcinere quis ambiget, Hæc ille. Quod si per sexaginta stadia distabat ab Hierusalẽ, falsum est quod ait Iosephus, distare Emmauntem ab Hierosalem per stadia triginta. *Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant*, nimirum circa Christum: ita enim illa animos eorum occupauerant, vt de alijs rebus verba facere non liceret, quàm de his ipsis, vtpotè de passione, & sepultura eius, de signis in morte, & mulieribus quæ viderant Angelos. Et confabulatio in peregrinatione, ad laboris tædium leuandum vtilis existit. Deinde de eo loquebantur instar amantiũ, qui quos amant, cogitant sæpè, atque de illis somniant, & ex abundantia cordis os loquitur. Nec tãtùm amabant, sed etiam dubitabant, ideo inuicem cõferebant: quia vt ait Salomon, ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.

Hiero. in præfat. in 1. Reg. 10. 4.

Plin dicto loco

Plin. libr. 2. c. 9 init

Stadium quot passibus constet, teste Plinio.

Quid sit stadium, & vnde dictum sit.

Beda in Luc. tom 5.

Quid quòd stadijs sexaginta distare Emmaus ab Hierusalem dicatur, teste Beda.

Ioseph. lib. 7 ca. 26. de Bell Iud in fine

Error Iosephi per Euangelicam corrigitur veritatem.

Amantiũ proprium quid.

Matth. 12.

Prouerb. 27.

Et factum est dum fabularentur, et secum quærerent. Fabula, sermo est, & rumor populi, siue res passim diuulgata, etiamsi vera sit: à fando dicta. Vnde Hieronymus Ruffinũ, qui calumniatus erat eum, quòd dixisset, Belis, & draconis fabulas, illas historias, quæ in Daniele continentur, tuetur dictum suum, & ostendit Latinè non minùs falsa, quàm vera fabulas dici. Plautus verò verbo fabulandi de communi sermone frequenter vtitur: & Iuuenalis dicit:

Fabula quid, & vnde dicta sit.

Hiero. lib 2. aduers. Ruffin, in fin. tom. 2

Daniel. 14.

Ruffin. lib. in Hierony.

Plautus.

Iuuen. Satyr. 1 sub finem.

It noua nec tristis per cunctas fabula cœnas.

Alioqui fabula, est rerum magnarum, & incredibilium narratio cum admiratione citra fidẽ. Græcæ voci μῦθος, quæ prope fabulam significat, idem accidit: nam interdum pro vero sermone accipi cõsueuit, siue pro oratione: vnde apud Homerum lib. ἑπτά. Iliados, μῦθον ἀγασσάμενοι. id est, orationem admirantes. Et Plato lib. 6. de legibus μῦθον μυθεῖσθαι pro sermone vero vsurpat. Græcum verbum hìc habet ὁμιλεῖν, vnde deducitur homilia: & ad euitandam vocis fabulandi ambiguitatem, verti poterat. Et factũ est, dum colloquerentur. Quid verò colloquerẽtur, & secum quærerent, Euangelista non exprimit: verisimile tamen est, eos cũ formidine, & animi angustia dixisse, actum esse de Iesu, eumq́; aut ipsos decepisse, aut ipsum deceptum fuisse. Putare quidem se resurrecturum, vt, sicut alios, sic etiam se ipsum à mortuis excitaret: sed nihil actum esse, quòd esset tertia, & iam quidem alta dies, necdum tamen apparuisset: nõ autem fieri verisimile, vt mulieribus potiùs quàm ipsis apparere voluerit, si verè surrexisset. Prætereà quis honor esse poterat tam malè affectum resurgere? nemo enim se quæretur tam despectum. Itaque licèt ipse esset Messias, expectabat aliud tempus, quo scilicet ea ignominia ex animis hominũ decederet.

Homerus

Plato.

Homelia vnde sit dicta.

Quibus de rebus secũ quærerent, & colloquerentur duo discedentes in Emmaus.

Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Ecce quod dici solet, Lupus est in fabula. Et cogitur Iesus à tribulatione nobis laborantibus adesse, sicut Apostolis laborantibus in remigando adfuit. Hinc Propheta ait: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, &c. forsitan aqua absorbuisset nos.* Cogitur quoque à promissione sua: *Vbi sunt*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ*: & quod tunc secundùm præsentiam corporalem præstitit, nunquàm non facit secundùm spiritum. Cogitur denique à colloquio spirituali interesse colloquentibus: *Propè est*, inquit, *Dominus omnibus inuocantibus eum*, sic omnibus de se colloquentibus. Est enim familiaris de Christo sermo, musica quædam suauis Christi aures demulcens, & instar candelæ fumantis, quæ trahit lumen ipsum ad se: ita sermo sanctus & spiritualis Christum, vt simile trahitur à simili. Et obserua veritatem corporis Christi suscitati, quia appropinquans ibat cum illis, quasi obuius quidam tertius pere-

Nobis quando adsit Iesus.

Matth. 8. & 14

Psal 123.

Matth. 18

Psal 144.

Familiaris de Christo sermo cui rei similis sit.

Christi corporis resuscitati quomodo mouetur.

peregrinus, ac viator, qui illos esset præcedentes assecutus. Non enim Dominus instat spiritus rapidè, sed per interualla, quod proprium est humanorum corporum, mouetur. Etsi enim infirmitate, & corruptione esset per resurrectionem liberatus; non tamen substantia, & corporis humani proprietatibus: quia glorificatione non substantia, & natura, sed naturæ defectus, atque imbecillitas absorbetur. Felices, quibus se Christus in via socium adiungit: quia errare, periclitarive minimè poterunt, cùm Christus sit via, & veritas, & vita.

Corpori glorioso quid deperest à forma super indocta

Ioan 14.

Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Dicenda sunt duo: primùm qui oculi, & quomodo tenebantur; deinde ad quid tenebantur, ne eum agnoscerent? Ad primum dicimus, triplici ratione potuisse teneri illorum oculos externos: videlicet aut immutato externo obiecto aut minimè in se mutato, imprimebat aiam speciē ab ea, quā imprimere solebat naturaliter, aut medio ipso cernēdi permutato, aut organo luminum externorum infecto. Possunt etiam spirituales animi nostri oculi sua peculiari ratione alligari ne videat, aut vt aliter videant. Hic igitur primùm de obiecto mutato nihil contigit, quia idem ipse Christus immutatus erat, vt ostendit, quando aperuit oculos eorum, & permisit se videri. Ideo quod dicitur à B. Marco: *Ostensus est in alia effigie,* siue forma; hoc est, quia Christus non imprimebat in discipulis suam, sed alienam effigiem, aliumque habitum, & vestitum à cōsueto, ac pristino alienum, & vocis suæ sonum diuersum à proprio & natiuo. Quę sententia probabilis videtur, & conformis verbis beati Marci: & illud erat oculos teneri, secūdùm Lucam. Secundum verò quod ad medium spectat, minimè hic fuit: quia sic sæpè ludificantur oculi nostri, vt cùm remum in aqua positum fractum esse iudicamus, denariusque in aquam iniectus, & à longinquo cōspectus multò maior cernitur, quàm sit, & annulus aureus in vase cystallino inclusus, apparet multò maior, quā reuera existat, eò quòd media, per quæ spectātur, sint crassiora. Hic autem modus hic esse nō potuit. Superest tertius modus de oculis, vel externis, quorum organa aliquo humore infecta rem aliter apparere efficiūt, quam sit: & dicitur Græcis ἀορασία, quæ visus priuatio dici potest. Hac autem sæpè vtuntur magi, seu circulatores, admirabilia, & ferè incredibilia publicis spectaculis exhibentes, quæ mira manuum celeritate, oculorumque infectione interdum peragunt.

Qua ratione oculi discipulorum tenebantur, ne Christum agnoscerent.

Triplex modus immutandi visum.

Marc 16.

Illud Marci de Christo: Ostēsus est in alia effigie: quomodo accipiendum sit.

Vel de internis mentis oculis, vt ait Caietan[9], est sermo, quia de illis loquitur, quos posteà testatur fuisse apertos. Constat autem nō externos, sed internos fuisse apertos, quibus Iesus agnoscitur: nō enim clausis oculis ibant per viam. Diciturque Græcè ἀκρισία. id est, iudicij priuatio: sicut Petrus eductus de custodia per Angelum nō ratiocinabatur quòd verè ambulasset, sed existimabat se visum videre. Simile est in hominibus, qui cogitabundi, & valdè ad aliquid meditandum intenti, nō discernunt multa, quæ in oculos eorum incurrunt, atq; ita facultas cognoscēdi interior, quæ comprehendit intelligentiam, & internos sensus, non impediebatur aliarū rerum apprehensione, sed tantummodò ne eum agnoscerēt, vt ait Euthymius. In eum modum olim Sodomæ ciues ἀορασίαις, siue ἀκρισίαις, vitio ab Angelis percussi ostiū domus Lot nunquam inuenire potuerunt. Et prætor Mediolanēsis, qui Ambrosio ad se accedenti præcludi ostium mandauit, nec illi pulsanti fores aperiri voluit, cū ab Imperatore post paucos dies iussus esset comprehendi, illeq; in templū tanquam ad asylum cōfugeret, in meridie nunquam tēpli ostiū inuenire potuit apertum: vt Paulinus in vita eius testis est. Simili ratione serui, siue satrunculi missi à Rege Syriæ Benadab, vt caperēt Helisæum, eum sibi occurrentē non agnouerunt, sed percussos cęcitate introduxit in ciuitatem Samariæ. Iesus quoque in Euangelio percutiens cæcitate Iudæos: & transiens per medium illorū ibat. Ita ergo aorisia, siue acrisia, non est defectus virtutis passiuæ, vel medij, per quod cernimus, sed sensus alligatio, vt in somno contingit, vel impedimentū iudicij? Quod ergo dicitur à Marco in alia effigie apparuisse, intellige secundùm existimationem discipulorum, non secundùm rei veritatē: non enim in corpore Christi fuit vlla vel coloris, vel lineamentorum propriorum mutatio, vt existimauit Theophylactus, & Beda, ad id inclinare videtur Augustinus in Epistola ad Paulinum; sed impedimentum fuit in ipsis oculis, qui alligati tenebātur per abstractionem immutationis oculorum secundùm omnem dispositionem corporis Christi. Ipse tamen Augustinus, magis probat contrariam sententiam propter verba Lucę, quę apertè significāt, oculos discipulorum fuisse impeditos ne Iesum cognoscerēt, quia subdit, in fractione panis eos fuisse apertos, ablato scilicet impedimento quo tenebantur. Hieronymus tamen in Epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, vtrumque factum

Caiet. ientaculo.9.

Euthym c 82 in Luc. in fin.

Gene. 19.

Paulinus Episcopus.

4. Reg 6.

Luc. 4.

Theophyl in Luc. vlt c.

Beda.

Aug. epist 59. in solu[illegible]cta. ua quæstionis to. 2.

Idem lib. 3. de Cons. Euang. c. 25. tom. 4.

ctũ putat, & mutata corporis forma Christum apparuisse, & impeditos simul fuisse discipulorum oculos, ne in ea forma Christum agnoscerent. Et quod dixit Caietanus, de oculis internis esse sermonem, quia non ibant oculis clausis per viam: debile est, & non multum cogit. Quandoquidem ex Augustino satis constare potest, quomodo oculi eorum externi tenebatur per impedimentũ dictũ, & quomodo sint aperti illo ablato. A quo autem detinerentur eorum oculi, non exprimit Euangelista: sed intellige à Christo Domino ad tempus, vel à dæmone, Christo tamen permittente: vt testis est Augustinus lib. de Consensu Euãgelistarum: sed primum est probabilius.

Caiet. loco citato.

Aug. ibidem.

A quo detinerentur oculi discipulorum ne Dominum cognoscerent. *Aug. ibidem.*

Ad secundum autem respõdemus, Dominũ voluisse ita apparere honestis de causis. Primò, quia Christus suscitatus nõ tam oculis corporis, & rationibus humanis, quàm fide, & Scripturis agnoscitur. Deinde, quia corpus dotib' gloriæ decoratum, nõnisi quando vult, & quomodo, & à quibus vult, videtur: eaq; ratione non tam humana eius cõuersatio ostenditur, quàm diuina, ac cœlestis. Tertiò, vt, quanta sit sensuum omnium imbecillitas, nobis innotescat, vt nec oculi, nec aures suo officio perfungi valeãt, nisi quatenùs illis assiduè suggeritur è cœlo facultas. Membra quidem nostra suis dotibus à natura sunt prædita, sed quò melius constet precario nobis esse cõcessa, in manu sua eorum vsum retinuit: vt hoc ipsum quod oculi nostri vident, & aures audiunt, in quotidianis beneficijs ponendum sit. Quartò, vt vulnus suum quasi ignoto peregrino detegentes, cõuenientiora, magisque salutaria medicamenta Christo optimo medico reciperent. Quintò, quo se eis extra talem ostẽderet, quæ erat in corde apud illos. Vnde Gregorius in Homilia: *Hoc egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi nam q. apud semetipsos intus. & amabant, & dubitabant. Eis autem Dominus foris, præsens aderat; & qui esset, non ostendebat. Di ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitãtibus cognitionis sua speciem abscondit.* Sextò, vt postquam diu esset occultatus, atque abditus, posteà cognitus dulcius saperet: vt fecit cùm aperti sunt oculi eorũ. Septimò tenebantur oculi eorum vt Scripturarum interpretationem sine sensuum perturbatione perciperent, ac sic ad fidem ducerentur, quæ oculos aperit, sine qua oculi tenentur, ne Dominum agnoscant. Considera hoc loco mirabilem Christi virtutem: Cùm gestabat corpus mortale in terra, transformatus est coram discipulis suis in monte, & splenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix: nunc postquàm assumpsit per resurrectionem corpus glorificatum, seipsum conspectui discipulorum offert, vt humilem, & è vulgo peregrinum, vt eius potentiam confiteamur, qui potuit & in carne mortali formam immortalem; & in immortali vita formam mortalem assumere.

Ad quid tenerentur oculi eorum ne Dominum cognoscerent.

Greg. ho. 23 in Euãg. to. 2.

Virtus fidei, & Christi admirabilis.

Matth. 17.

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? siue vt Græcè dicitur, σκυθρωποί, id est, vultu tetrico & subtristi, tristitiamq; præseferente. Quemadmodum in alia specie se Dominus discipulis obtulit ob certas causas, ita ob easdem interrogat quasi ignarus, qui tamen omnia nouerat, vt ex eorum responsione occasionem captaret eos instruendi, ac solandi. It ambulabant continuè, cùm deberẽt stare, cùm essent in vero Sabbato: erantque vultu subtristi, cùm essent in die quam fecit Dominus, in qua exultandum erat, & lætandum. Solaque tristitiæ caussa nostræ deberet esse Christi absentia. Quandoque autem, imò sæpè Iesus per seipsum animam alloquitur, vel per alios suos ministros, siue per morbos & flagella, iuxta illud Apostoli: *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mũdo damnemur:* nec tamen à nobis agnoscitur, sed aut aëri, aut fato, aut humori, aut homini quod Dei est, tribuimus: & quod deterius est, cognoscentes eum, nõ obedimus, ab affectuũ nostrorum cupiditatibus ligati.

Iesus cur æger ... hos duos ... los quod ... bat.

Psal. 117.

Iesus interdum ... vti alloqu... animam.

1. Cor. 11.

Cleophas ... de ...

Et respondens vnus cui nomen Cleophas. Hic Græcè dicitur Κλεόπας: videtur esse Galilæus, vel potiùs, vt ait Hieronymus, Emmauntinus, & ab eo creditur cognominata Maria Cleophę, de qua Ioannes mentionẽ facit. Quamquam nonnulli aliquid discriminis annotarũt: nam Clepohas ille apud Ioannem scribitur cum ω. & cum accentu circumflexo in vltima syllaba Κλωπᾶς; hic verò cum omicron, & accentu in penultima Κλεόπας; vt videantur esse distinctæ personæ. Interpretatur autem Cleopas, increpans ore, eò quòd diligeret corde, quem ore increpabat Iesum: Græcè enim significat, Omnimodam gloriam. Et significat eos, qui non suscipiunt Christi improperium, in quo est sola vera gloria, sed mista cum pudore, & confusione, nec possunt dicere: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Hieron. in Epist. Pau'æ matris nõ ... gò à principio

Cleopas quid sonet. *Ioan. 19.*

Galat. 6.

Dixit ei; Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Hic in primis explicatur forma, quam in genere ostendit Marcus, dicendo quòd visus

Quẽadmodum peregrin...

Specie Christus iis duobus discipulis apparuerit.

visus est in alia effigie euntibus in villam: declaratur enim quòd fuerit forma peregrini, vel aduenæ: non quòd lineaméta faciei Iesu, aut color sint immutata, sed quòd tantùm in alia forma discipulis apparebat. Lineamenta siquidem, & colores Christi secundùm aliquid sui immutabant, secundùm vero partem aliquã non immutabãt; & ita species in sensu recepta non repræsentabat faciem Iesu qualis erat, sed qualé illa præseferebat species. Etenim vt in potestate Christi situm erat, quòd corpus eius non immutaret visum, quatenus lucidum erat; ita in manu eius positum erat immutare secundùm aliquam partem. Simile dicendũ de aliena voce: nam vox Christi nõ est cognita à discipulis, nõ alia de causa, nisi quia auditum discipulorum nõ immutabat secundùm modum proferendi Christo Domino consuetum, nec iuxta suauitatem loquendi solitam, & accentus sibi familiares.

Cur illi etiam vocem Christi non agnouerint.

Quamquam hoc potuerit etiam alio modo contingere, quòd scilicet Christus non suo sit visus more consueto, sed alio, sicut poterat, ne agnosceretur. Cognouit autem Cleophas ex voce, & ex habitu quòd Iesus Iudæus esset. Improperat non quòd solus ipse diuersaretur Ierosolymis, sed quòd solus ignoraret quæ omnibus ibi deuersantibus nota erant. Et increpando ait, vt interpretatur Euthymius: *Tu solus ex omnibus qui Ierosolymis habitant, diuersaris in Ierusalem ignorans quæ in ea facta sunt his diebus?* Potest auté hoc legi affirmatiuè: id est: Tu solus es peregrinus, qui hæc minimè cognoueris. Possunt & melius legi interroganter, vt sit sensus: An ideo hospes es, & aduena, vt ignores quæ in Ierusalem facta sunt his diebus? Vel; Te solum latuit, quod per hos dies Ierosolymis gestum est? Vel: Tu solus hospes es Ierosolymitanus ignorãs ea, quæ nemo quantumuis aduena ignorauit? Obserua, hic nomen peregrini, vel verbum Græcum παροικεῖν, quo vtitur Lucas, dupliciter posse accipi, vel scilicet propriè, vel metaphoricè. Nam dicitur per metaphorã peregrinari quis in domo sua, vel in ciuitate, qui ea ignorat, quæ in ciuitate sua gerũtur vel domo. Hinc Cic. de Offic. *Hospitem esse in rebus vrbanis dedecus est; peregrinari in patria turpe.* Et in oratione pro Milone: *An verò, iudices, vos soli ignoratis? vos hospites in hac vrbe versamini? vestræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur?* Et ad Atticum: *Illud etiã te rogo* τὸν παρόντα κατάστασιν τυπώδης, *ne istuc hospes veniam.* Propriè autem accipitur pro eo, qui peregrè à patria sua profectus, in alijs locis versatur vt aduena. Quod si propriè accipiatur, erit sensus: Tam nota

Euthym. c. 89 in Luc. antiq.

Varia lectio huius loci: Tu solus peregrinus es, &c.

De voce peregrini.

Cic. lib. 1. de Offic.
Idem.

Idem lib. 4. epi. ad Attic. epist. 12.

sunt hęc, vt omnes aduenę & peregrini scire potuerint, licet sua tantùm agere debeant, & non aliena negotia scrutari. Refert enim Cicero ex Platone, peregrinum in aliena Republica curiosum esse non oportere. Quia etiam peregrinorum maximè referebat ista mysteria scire; tùm quia peregrinis nõnulla iniuria facta fuerat, Iesum innocentem peregrinum Ierosolymis crucifigendo; tum quia soliti erant peregrini, & aduenæ conuenire in magnis solennitatibus ad prædicationem Iesu, vt constat de Gentilibus apud Ioan. Nõ est ergo sensus, quòd ipse solus peregrinaretur Ierosolymis, cùm plerique ex varijs mundi nationibus conuenissent ad Pascha, sed quòd alij peregrini nouissent ibi gesta, & iste solus illa ignoraret. Etsi ergo non asseratur hoc loco apparuisse in forma peregrini; non sunt tamẽ facilè cõtemnenda, quę hic multi Patres pie de peregrino Christo philosophantur. Quorũ vt nos gustum aliquẽ prębeamus, expẽde singula verba. Tu, inquit, pronomen secũdæ personæ, sicut Ego primæ, & ille tertiæ, secundùm illud: *Ego hodie genui te*; &: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis.* ¶ *Solus*: quia solus est in Patre Verbum, solus in cœlo sine matre, solus in terra sine patre: solus natura filius, reliqui omnes adoptione. Adiungit; *Peregrinus in Ierusalem.* Hoc est, vt sic loqui liceat, in diuina essentia, ac beata visione: quia solus inter personas diuinas factus est homo, vt possit dicere: *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei*, & iterum: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Solus quoque, quod ad animã eius spectat, cùm ciuis esset cęli, & comprehensor: erat tamen simul viator, & peregrinus à cœlesti Ierusalem. Tertiò, solus erat peregrinus, quod ad eius attinet conceptionem, quia de Spiritu sancto sine virili semine conceptus, quod nouum est, & peregrinũ in humana cõceptione. Quartò, solus peregrinus quantum ad naturam humanam, quia suo matre sine peccato Adæ erat, quod omnes incurrũt. Quintò, adde peregrinum fuisse in natiuitate: quia natus est orbis dñs, peregrinante matre in via, ac diuersorio, integráq; atq; incorrupta matre relicta. Sextò, peregrinus quoq; in doctrina fuit quam admirabantur omnes, & in operibus signorum verè peregrinis, atq; omni admiratione dignis. Septimò, passionis instantis suæ tempore à suis omnibus est derelictus, & vt peregrinus eiectus à colonis dicentibus; *Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem:* moriendi quoque pro nobis opus peregrinũ fecit,

Idem lib. 1. de Offic.
Plato lib. 14. de Legibus.

Ioan. 12.
Refellitur sensus hoium verborum: Tu solus peregrinus es, &c.

Singula hæc verba ponderantur e sensu Patrum.
Psal. 2.
Ioan. 16.
Solus.

Peregrinus in Ierusalem.

Psal. 38.
Ierem. 14.

Matth. 1.
Esai. 7.

Luc. 2.

Matth. 13.
Ioan. 7.
Matth. 26.

Supr. 21.

Esai. 28
Luc. 23.
vt testatur Esaias. Octauò, vt aduena & peregrinus iacere voluit in alieno sepulchro. Nonò, resurrexit tāquàm peregrinus; quia ignota prorsus erat, & insolita ad immortalitatem resurrectio. Decimò, cùm suscitatus esset corpore, & animo beatus, eique
Actor. 1.
deberetur cœlum, tanquàm peregrinus quadraginta diebus conuersatus est in terra post suam resurrectionem. Vndecimò, carnem suam in cœlum euexit, & ad dexteram Patris collocauit tanquam peregrinam & aduenam: quia carni, quæ terra est, nonnisi terræ locus conueniebat. Duodecimò, tanquam peregrinus in Eucharistia se nobis in hac via accommodauit ad viaticum peregrinorum transeuntium ex hoc
Psal 103.
mundo ad Patrem, & nauigāntium per hoc mare magnum, & spatiosum manibus, quibus est instar panis nautici. Postremò, actu
Luc. 9.
est peregrinus non habens vbi caput reclinet: & affectu, quia nihil de nostro tulit, sed vt nudus venit, nudus quoque est in nobis peccatoribus tanquam in Ierusalem, id est, carnis pacem quærentibus, qui Christum vix agnoscimus, atq; in eum impingimus:
Apoc. 3.
quorum ad corda Christus vt peregrinus pulsat vt sibi aperiatur. Vult etiam in Sanctis & iustis suis velut peregrinus agere, dū illos facit Hebræos, ac celebrare pascha, ac transire de virtute in virtutem, ac de contemplatione in actionem, deque præsenti in futuram vitam. Erat etiam in horum discipulorū animis peregrinus, à quibus nōdum erat resurrectio credita, ac eius diuinitas. Et sicut peregrinus in hospitio non diu manet, ita Christus in mentibus Christianorum (qui Eucharistiam in Pascha recipiunt) cogitur nostro vitio à nobis peregrinari, dum illi malam cœnam paramus, ac durum sternimus lectum.

Et non cognouisti quę facta sunt in illa his diebus.
Subdit iam textus: *Et non cognouisti quæ facta sunt in illa, his diebus?* Cùm tamen ipse solus sua nouerit. Verè autem non cognouit, tùm quia eorum malitiam non proba-
Psal. 68.
uit, tùm quia quæ non rapuit, exoluit: *Con-*
Psal. 34.
gregata sunt, inquit, *super me flagella, & ignorauit*, scilicet illorū causam. Tertiò, quia videtur dissimulare, & nō cognoscere quòd Principes eū vendunt, & crucifigunt, quan
Christi sapientia, bonitas.
do non punit peccata, quæ fiunt in anima, vel in Ecclesia sua. *Quibus ille dixit: Quæ:* Interrogat quæ nouit, tùm vt vulnus detegatur & curari queat: quia quod ignorat medicina, non sanat; tùm vt insinuet, quòd cū
Ioan. 16.
mulier peperit nō meminit pressuræ propter gaudiū, quia nat⁹ est homo in mundū. *Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo, & omni populo.* Egregium sanè de Christo testimo-

Quale hoc testimonium de Iesu: Qui fuit vir Propheta, potens opere & sermone coram Deo, & omni populo.
nium, quāquam ab imperfecta fide profectum, quia non solùm præclarè de illo sentiunt, prout dignū erat eius maiestate: confitentur Iesum quē nesciebāt saluasse mundum per crucem, & Nazarenum, quē ignorabāt per resurrectionem refloruisse: & virum vocant, id est, hominem etiā ratione vtentem à conceptione, secundùm illud:
Ierem. 31.
Fœmina circumdabit virum, & qui non tātùm fuit, sed est per corpus suscitatum vir fortis, atq; erit: Deitatem, quā tot signis comprobauerat, non fatentur. Vocant Prophetam, id est, amicum Deo, atque sanctum, qui & præterita Prophetarum oracula exposuerit, futura sibi, & Ecclesiæ suæ prænuntiauerit. Vocant potentem in opere, propter signa admiranda; potētem sermone, quòd eius sermo non esset eneruis, ac mollis, sed ardens, & efficax, non cassus aut vanus, verùm cum factis ipsis coniunctus, vt milites ad eum capiendū missi dicerent:
Ioan. 7.
Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Vide ordinem, Potens, inquiunt, primum opere, deinde sermone: quia bona verba vim habēt à sancta vita, & per officia virtutum peruenitur ad bonā doctri-
Sapient. 1.
nam: quoniam in maleuolam animam nō introibit sapiētia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, secūdùm illud Prophetę:
Psal 118.
Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.
Optimus concionator quis.
Et licèt bonus sit, qui verbo prædicat; maior tamen est, qui facto concionatur, at maximus, qui vtrumque præstare valet:
Matth. 5.
nā qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Addunt rursus:
Finis benè operandi, & prędicandi qualis esse debeat.
Coram Deo, & omni populo. Docent finē benè operandi, & benè prædicandi, qualis esse debet; nimirū vt sola Dei gloria illustranda quæratur, non propria, vt fit ab hypocritis, & vt publica vtilitas priuatæ, ac propriæ, & alterius prçferatur. Prius etiam coram Deo, quàm coram populo: quia qui Deo placet, securè potest placere & populo, quia non curat placere proximo nisi in bonū ad ædificationem, vt docet Aposto-
Rom. 15.
lus. At qui interdum hominibus placet, non semper Deo placet, prçsertim cùm di-
Galat. 1.
cat Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*, & Prophera: *Quoniam Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent.*
Psal 52.
Videtur autem in his paucis verbis descripta vita boni Episcopi, siue pastoris, qui a-
Episcopalis muneris breuis descriptio.
nimabus præficitur gubernandis. Nam in primis debet esse vir & animo & virtute,
Esai. 65.
non puer quærens mollia, & puerilia: quia Maledictus puer centum annorum; non senex elanguidus, & imbecillus. Secundò sit Propheta, non tantùm præuidens, sed & prædicens Dei voluntatem, æternæ glo-

riæ

riæ remunerationem prænuntians,& iudicium futurum, & gehennæ supplicia, ac peccata, vt caueantur, prophetans. Tertiò sit potens opere,& tanta vitæ sanctitate,vt iram Dei contra populum conceptam de-
Exod. 32. tineat, vt Moyses. Sic quoque potens sermone, ne inter illos censeatur, de quibus
Esa. 56. Propheta; *Canes muti non valentes latrare.*
Ingeniū mercenariorum. Sit postremò in vtroque potens corā Deo,
Ioan. 10. vt eius zelo,& siti gloriæ suæ vtatur,vt tam ad prædicandum, quàm ad operandū permoueatur.Sit etiam in vtroque efficax coram populo,vt eius magis vtilitatem,& salutem,quàm propria emolumenta, atque compendia spectet:ad quæ respicere,nonnisi mercenariorum est.

Cur Principes Iudæorum tradiderint neci Christum. *Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes,& Principes nostri in damnationem mortis,& crucifixerunt eum.* Pergit bonus Cleophas historiam passionis Domini ipsi Christo e-
Matth. 27. narrare. Et ait, Principes,& summos Sacerdotes tradidisse Iesum, nimirùm ex inui-
Principum pestes quæ. dia,auaritia,atque ambitione; nam solent hæ pestes Principes inuadere:& culpam in Pilatum minimè conijciunt,qui Christum nonnisi inuitus damnauit; nec in milites,
Luc. 23. qui ignoranter mandata superioris executi sunt:nec in populum Iudæorum, quia ille ex parte affectus Christo erat, & ex parte subornatus fuit à Principibus, vt mortem
Matth. 27. Iesu,& Barabbę absolutionem peteret;denique si quid in illis peccati fuit,id in Principes referendum est.

Nos autem sperabamus quia ipse esset redem-
Quem Iudæi Messiam redemptorem expectarent. *pturus Israel.* Detegit Cleophas proprium, ac communis sui vulnus: non enim nisi Messiam à populi Romani dominio ac tyrannidę liberantem expectabat: quemadmodum & populus Germanię à nouis Prophetis Luthero ac discipulis eius delusus Principum suorum iugum prætextu Euangelij excutere voluit: pro eaque libertate quam sibi somniabat, prælio decertans, canente classicum Luthero, fœdè, ac miserabiliter profligatus est,& plusquam centum millia in illis congressibus desiderata sunt. Hie-
Hieronymi ... illusam Ferrariensis promissa vanissima. ronymus quoque Ferratiensis, nescio quo spiritu ductus,temporales quasdam felicitates, ac prosperitates Florentino populo promittebat: verùm illas illa ciuitas nunquam accepit, neq; acceptura quidem est, cùm tempus ab eo pręscriptū videatur iam diu elapsum. Sed isti omnes cognoscunt
1 Cor. 5. Messiam secundùm carnem tantùm, sicut
Galat. 1. olim Apostolus, cùm esset Iudæus, & pro lege zelaret. Dicendo autem Sperabamus,
Nos autem sperabamus. ostendunt se à fide, & spe resurrectionis Christi excidisse, putantes corpus asportatum,vt mulieres dixerunt post transactum tridui terminum; vel nolebant quicquam fateri quòd resurrectioni Christi faueret, ob Iudæorum metum, penes quos à peregrino illo se posse accusari suspicabantur.

Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Dies tertia,inquit,à quo promissa est resurrectio,sed nō erat elapsa, vel completa: neq; est promissa resurrectionis detectio omnibus nisi in Galilæa: nec Matth. 19.
fuit expressa hora diei tertię, quando resur & 20.
geret,cui appareret.Et quanquam promissio resurrectionis detegendæ,in Galilæa sit facta,& à Christo viuente, & ab Angelis, qui mulieribus Euangelizarūt,vt Matthæus,& Marcus testantur: debebat tamen eo- Matt. vlt.
dem die tertio quo resurrexit apparere, vt verum ostenderet esse verbum suum, quò resurrexit tertia die.

Sequitur: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum. Et non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere: & abierunt quidam ex nostris ad monumentum,& ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt; ipsum verò non inuenerunt.* Hæc perspicua sunt:tantùm aduerte,Petrum,& Io- Petrus & Ioannes soli de Apostolis fuerunt ... resurrectionem Domini ... Discipulis in duobus ... [illegible]
annem esse eos, qui auditis mulieribus cucurrerunt ad monumentum. Et quāquàm Lucas suprà meminerit solius Petri, modo tamen in plurali ait, Quidam ex nostris, vt adiungat Ioannem. Vides itaque iam testimonium ferre de resurrectione non tantùm Angelos,& mulieres,& custodes Christi hostes, sed etiam viros; vt propterea digni redditi sint hi discipuli acri, sed salutari Christi obiurgatiuncula. Deinde obserua quod ait, Mulieres quædam ex nostris terruerunt nos: nam quia Christianæ erāt, tantò magis dignæ fide. Est autem vtrumque extremum,& sanè vitiosum,& omnia, & nihil mulieribus credere:& seruanda est Apostolica regula: *Prophetias nolite spernere.* Colos. 5.
Omnia autem probate: quod bonum est, tenete. Ioan. 5.
Maximè cùm vsque modo non tātùm Pater,sed & dæmon operetur. Æquitatisque diuinæ fuit, vt quia viri fuerunt increduli, superentur à mulieribus: & quæ plus de Quid est quod mulieres ante quàm viri crediderunt Dominum à mortuis resurrexisse.
Christi morte, cui interfuêre, degustarūt, priores quoque existant in resurrectione. Diuinæ quoque sapientiæ fuit,vt quæ prædicaturæ non erant Euangelium, citius crederent:at viri, qui per vniuersum orbem erant destinandi ad propagandum Euangelium,debuerūt tardiùs accedere ad credendū;vt qui nonnisi post longam hæsitationem,fidem tādem, re magis explorata, atque comperta habuerunt,resurrectionis veritatem acrius tuerētur, & pro ea in mētibus hominum imprimenda decertarent.

Mulieres illæ Dominicæ resurrectionis annuntiatrices Apostolis, Christianas mulieres quid doceant. *Matth. 27. Luc. 24.*

Debuerunt autẽ mulieres religiosę, ac pietati deditæ viros terrore profanos, & à vitijs ad virtutes, & ab incredulitate ad fidẽ traducere: quemadmodũ Pilati vxor territa ab Angelo proprium quoque virum terruit. Quamquam mulieres istæ proponentes verbum prædicationis, parùm, aut nihil profecerint: quia visa sunt verba earum sicut deliramentum, & non crediderunt eis. Vbi vides quale sit ingenium nostrum: si fabula enarretur, obuijs vlnis amplectimur illam, vt obnoxij sumus mendacio; vbi autem de veritate agitur, tardi sumus, & surdi, timemusque temeritatis periculum. Sed si fidelis mulier admoneat fugienda esse vitia, amplectendas virtutes, ac domũ peccatorum sordibus emundandam, audienda est à marito, & à filijs, quemadmodum Deus præcepit Abrahę, vt audiret vocem vxoris suæ Saræ: maximè vbi tollenda sunt scandala, peccandiq; occasiones amputandæ, quò magis expeditè obsequium valeamus impendere Iesu Christo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto vitam agit immortalem, & æternam, omnibus bonis refertissimam, in perpetuis æternitatibus. Amen.

Quænam mulier audienda, fideque dignissima.

Gene. 21.

TRACTATVS XV.

In illa verba: *Et ipse dixit ad eos, O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Propheta? Nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suã? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quò ibant: & ipse se finxit lõgius ire, &c.* Lucæ 24.

QVONIAM hæc apparitio facta discipulis Emmauntem pergẽtibus, prolixiore oratione describitur à Luca, superiore tractatu eam expedire, atque absoluere non licuit; nobis proinde danda opera est, vt in præsenti eam perficiamus. Hactenùs cũ discipuli, qui facto recedendi à Ierusalem, & verbis suis satis testabantur, quòd sine vlla fide, vel spe Apostolorum congregationem desererent, & redirent ad vomitum, animorum suorum plagas aperuerunt: accedit iam medicus Iesus, qui tãtisper non passus est se cognosci, sed velut doctior quidam discipulus Iesu obiurgat illorum tarditatem, dicendo: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus in quibus locuti sunt Prophetæ.* Quibus in verbis Christus propriè contumeliosus non fuit, quia neq; iniuria afficiendi animo vocabat stultos, & tardos, sed ex charitate iuuandi, fraterneq; eos admonendi. Nam si voces virum bonum aliquem, siue iustum, siue sanctũ, siue illuminatum, siue discipulum Christi, vt Iudæi cęcum natum vocauerunt dicentes, Tu discipulus illius sis, animo conuitiandi, proculdubiò contumelia est. Si verò appelles fatuum, insanum, stultum corrigendi animo, ex amore, ad iniuriam vel contemptum nõ spectat. Cuius rei in promptu est ratio: quia Deus non tam verba, quàm animos pensitat, & non potest arbor bona malos, aut mala bonos fructus producere. Hinc Paulus insensatos vocat Galatas non solùm sine peccato, sed etiam cum merito, & Christus hos discipulos stultos, & tardos ad credendum, vt hac obiurgatione attentiores sibi ad ea, quæ dicturus est, efficiat. Et profectò, vt ait Salomon, Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Vocat autem stultos, ac tardos corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, vt expendit Theophylact. quòd crederent ex parte quædam ad mortem, & passionem spectantia, alia verò ad resurrectionem attinentia non crederent. Atque in hoc Hæreticus à Catholico distinguitur, quod ille credit quę vult, hic verò omnibus plenè ac penitùs credit. Et phrasi Hebræa dixit, credere in omnibus, sicut credere in nomine eius, pro credere omnibus, vel omnia: nam facilè his quæ de gloria, & maiestate prædixerunt Prophetæ, fidem habebant; difficiles autem erant ad intelligendũ quæ de eius humilitate, & passione vaticinati erant. Vnde subdit: *Nonne hæc oportuit pati Christũ, &c.* Vocat autem stultos, Græcè ἀνοήτους, id est, insensatos, & sine mente, & parum dociles ad intelligendas Scripturas, quòd credentes, & profitentes Iesum esse Prophetam, illi nõ crederent, cùm illud Angeli, & mulieres, & Apostoli duo testarentur. Est autem stultitię species, diuina humano captu velle metiri: tarditas ex affectus duritia nascitur: & qui stulti, & tardi sunt ad credendum Prophetis, promptuli esse solent, & faciles ad credendum pseudoprophetis. Nos etiam tardi sumus ad cognoscenda Dei beneficia, donec illa amiserimus. Obserua quoque ingenij bonitatem, & patiẽtiam discipulorum horum iniurias has ab incognito peregrino perferentium: idcirco tandem meruerunt audire, & resurrectio-

Stultos & tardos corde ad credendum hos duos discipulos quare Christus appellauerit.

Ioan. 9.

Matth. 7.

Galat. 3.

Prou. 27.

Expenditur id: In omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.

Hæreticus à Catholico quid differat.

Hi duo discipuli vt stulti erant, & tardi corde ad credendum.

Tarditas cordis vnde proficiscatur.

Vnde illi meruerint audire resurrectionis veritatem.

rectioris apprehendere veritatem. ¶ *Nonne hæc oportuit pati Christum.* Quasi diceret;Nihil noui gestum est in Christo, quòd Prophetæ ante non prædixerint: nam vaticinati sunt eum per mortem vitam instauraturum, per crucis ignominiam allaturum regnum suum, & per malorum tolerãtiam intraturum in gloriam illam suam nunquam intermorituram, quæ non inanibus stemmatis, vel vanis nobilitatis titulis, aut opibus,magnificentia, fastuve consistit,vt humana gloria. Oportuit autem, posito peccato,ac præuiso,quo sine,morte,ac sanguine Christi non opus erat, sicut nec medicina necessaria est sanis & benè habentibus; posita etiam salute nostra nonnisi via iustitiæ comparanda, ratione que saluandi præstantissima; positis quoque diuinis oraculis, & vaticinijs, quæ illum ad delicta nostra extinguenda, & exemplum nobis ad imitandum proponendum illum moriturum prædixerunt, illum pati oportebat. Sic ergo illum tam dura, vilia ac ignominiosa oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam distinctam à mundi gloria: nam vt hæc opibus, & armis acquiritur,ita illa Christi nonnisi mundi, & gloriæ eius contemptu: quia sequitur fugientes gloria,& fugit illam insequentes, vt de vmbra dici solet. Suam etiam vocauit, quia duplici iure illam possidebat, altero filiationis naturalis, altero belli,& militiæ, vt alterum sibi seruans, alterum nobis, quo ipse non egebat,impertiret. Quanquam & nos duplici titulo gloriam illam habeamus: nam si filij sumus;& hæredes, & prætereà quia certantes legitimè, & hostes deuincentes, digni sumus corona.

Quomodo oportuerit pati Christum.

Matth. 9.

Qua ratione paretur mũdi gloria.

Gloriam suam Christus duplici iure habuit.

Rom. 8.

Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. O ter beatos CHRISTI discipulos, quibus datum est veras Christi audire & reddere voces, iuxta illud Prophetæ: *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Nam vt radius rectus lumen,& calorem adfert, cùm reflexus tantùm lucem communicet; ita quasi radium reflexum suscipit, qui per homines eruditur: at qui per ipsum Dominum instituitur,non tantùm percipit lucem,sed & amoris ardorem concipit. Docebat ergo non minus intus, quàm extra, alliciebatque auditores suos,inflammabatq; eos, atq; quocumque vellet, rapiebat;illi autem intenti animo, & suspensi detinebantur. Bone Deus,quàm fuit illis breue iter,quàm lento gradu procedebant. Et fortè cogitabant in corde suo: Quam similis est iste peregrinus magistro nostro in doctrina, in dulci vocis modulatione, in argumentorum efficacia:suspendit enim,rapit, atque transformat animos nostros. Sed alius atque diuersus ab eo est, quia peregrini habitum & faciem gestat. Impletum est in illis quod prouerbium habet: Comes facũdus in via, pro vehiculo est.Sed quorsum B.Lucas,cui diuino munere concessum fuit huic diuino Christi interesse sermoni, non scripsit locos ex Scripturis, quos Christus protulit,& explicauit? quia id mirificè nos consolari,ac recreare poterat.Id tamen respondemus diuina CHRISTI sapientia, vt illa non proderentur, effectum esse: præsertim qui nouerit Apostolos, seu Euangelistas, nonnisi Christo dictante, & Spiritu sancto inspirante scripsisse. Et probabile est hæc eadem Dominum multò meliùs Apostolis tradidisse: non enim voluit, Apostolos Scripturas sacras ab illis duobus discipulis addiscere.Erat autem nobis conducibiliùs ne scriberentur: tùm vt diligenter Scripturas perscrutaremur nos, ac vt in illis meditandis, ac penetrandis intellectum exerceremus; tùm vt labore inuenta nostro dulcius saperent, ac propter collationis laborem, atque inuestigationem maiori afficerent voluptate, tùm quia Christus Apostolis erat sensum aperturus, vt intelligerent Scripturas; ac proinde quæ illi primò tradiderunt,à Spiritu sancto omnem veritatem docente, & manente nobiscum in æternum, profecta sunt; tùm denique, quoniam volebat votis nos ac precibus ipsum Doctorem Christum pulsare, qui dat omnibus sapientiam se postulantibus, & non improperat. His ergo de causis consultissimum fuit illa silentio supprimi. Nec propterea tamen illa docta Christi interpretatio perijt, sed traditione viua per manus ad nos vsque peruenit: etsi non integra, per partes tamen, ac frusta ad nos peruenisse credenda est. Cùm autem multorum ingenia,pro fide,& sapientia quisque sua in hac CHRISTI concione explicanda desudauerint: dicam & ego quoque quod pro mea tenuitate, ac paupertate sentio. Philosophatus est Dominus maximè de his quæ ad mortem, & resurrectionem eius spectabant. Siquidem inquit: Nonne hæc oportuit pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriam suam? Et Spiritus Christi,teste B. Petro, prænuntiat eas quæ in Christo sunt passiones,& posteriores glorias. Incepit ergo à Moyse, id est,à Scriptura eius: nam Moyses primus fuit, qui de ipso & apertè scripsit ad literam,& subobscurè in mystico sensu. Vnde asseruit ipse: *Si crederetis Moysi, crederetis*

Psalm. 93.

Aliter homo aliter docet hominum Deus.

Comes facundus in via, pro vehiculo est.

Quare B. Lucas,si diuino huic sermoni diuinitus interfuit, locos Scripturarum a Domino edissertos non percensuerit.

Ioann. 16.
Supr. 14.

Iacob 1.

Quęnam Scripturæ illæ fuerint,quas in Emmaus discipulis pergentibus Dominus enarrauit,explicauitque.

1. Petr. 1.

1. locus.

Ioann. 5.

forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Ac fortassis explicuit, quomodo ex Adam dormiente, & soporato formata est Eua de latere suo, id est, Ecclesia de Christo mortuo, qui post somnum euigilans, id est, resurgens dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: id est, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Et tunc Sponsus permisit se à sponsa contrectari, cùm dixit: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Deinde in eiusdem Moysi scriptis proclamatæ fuerunt inter semen serpentis, & semen mulieris inimicitiæ. Semen serpentis, sunt Iudæi increduli, ac homicidæ, quibus Dominus dixit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Semen singulariter mulieris, & non viri, est Christus: nam etsi ex semine Abrahę secundùm carnem dicatur Christus progenitus; hoc non est nisi ratione matris, cuius solius fructus est Christus, semen illud, in quo benedicēdæ sunt omnes Gentes. Hoc autem semen, quasi granum frumenti mortuum, multum fructum attulit, quando in multitudine credentium resurrexit. Tertiò exposuit, quid significaret quod Cain præualuit in Abel fratrem suum in Agro; nimirum Iudæos extra ciuitatem Christum suffixisse: sed pro Abel, id est, luctu, suffectus est Seth, id est, resurrectio. Quartò declarabat, qua ratione Noë ebrius dormiuit, & nudus irrisus est à Cham patre Chanaan. Nam Christus in tabernaculo Crucis nudatus, & acerbis contumelijs punctus est à Iudæis: sed post somnum euigilans, resurrectionem Christi adumbrauit, atque Iudæorum abiectionem, seruitutem, & maledictionem in Iudæos, tanquam in alterum Cham vaticinatus est. Quintò explanauit, quomodo post aquarum diluuium requieuerit arca in montibus Armeniæ. Nam post diluuium passionum Christi humanitati, quæ est vera sanctificationis, & liberationis arca, requies per resurrectionem danda erat: siquidem non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quemadmodum nec alij salui facti sunt, quàm qui arcam erant ingressi. De hac autem requie scripsit Dauid: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Sextò, declarauit & illud, quod non solum liberatus est Isaac de manu Ismaelis ludentis, sed etiam de patris sui gladio volentis eum immolare, pro quo arietem hætentem inter vepres sacrificauit, & Isaac viuus redijt de monte: ita Christi tantùm humanitas, quæ sentibus, spinisque coronata erat quasi aries, immolata Deo est; diuinitatis autem virtute passionis ac mortis minimè capacis, quasi Isaac tertio die viua redijt. Ac vt olim Deus liberaturus de Ægypto Israelitas ex rubo locutus est; ita Dei Filius vsque ad humanitatem sentibus coronatam descendit, vt nos de vera Ægypto peccati, ac diaboli, tanquam veri Pharaonis tyrannide, eriperet. Septimò aperiebat, qua ratione Iacob Patriarcha de manu Esau affligentis euaserit; & posteà cum turmis duabus in Mesopotamiam redierit: Christi resurrectionem præfigurans. Octauò, mysterium Ioseph, quod peccato consentire noluerit, in carcerem reclusi edisserebat: & quomodo tonsis crinibus, & vestimento ornatus eductus est de carcere, atque Dominus Ægypti constitutus: quemadmodùm Iesus de carcere mortis, & inferni liberatus est, vt de se ipso dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Nonò, Moysen interpretabatur proiectum in aquas, & morti expositum: qui tamen posteà à filia Pharaonis educatus, & Dominus, & Princeps Ægypti factus est: & populum Dei ex AEgypto eduxit. Eadem ratione Dominus Iesus primum quidem reprobatus est, & ad mortem damnatus: sed eductus est de aquis passionum, & factus princeps ad educendos sanctos Patres de Limbo. Sicut ergo Mosen, & Prophetas reprobarunt, & posteà mortuos receperunt, quia illorum libros, quos primò occiderunt, accipiunt vt canonicos: multò magis oportebat per hæc Christum pergere, & maiora etiam pati, vt maior illis omnibus habeatur. Sed dices, Iudæos non recipere scripta de Iesu. Imò maximè veri Iudæi, qui ad Christum sunt conuersi, recipiunt, carnales verò minimè, quia sic scriptum erat hos excæcandos, ac reprobandos. At boni Iudæi maximè Scripturarum testimonia accipiunt; & idcircò cōfirmantur in fide Christi, quòd alij eam non recipiant, quia portant iram Dei super se in testimonium nobis. Decimò elucidabat, quomodo Samson portas vrbis in qua clausus, captiuusque putabatur, media nocte secum asportauit, & suo illo typico prouerbio: *De comedenti exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, mortem Messiæ non esse permansuram significauit. Quia etsi mors omnia edat, & cōsumat, cibus tamen vitæ Iesus de edente per resurrectionem exiuit: & ipse qui dulcedo est nostra, de forti egressa est, quia non obstante dæmone, tandem ad vitam excitatus est. Vndecimò enarrabat, Dauidem olim obsessum à Saulis lictoribus in domo per fene-

stram

Marginalia (left): *Genes. 2.* — *Matt. vlt.* — *Luc. vlt.* — II. locus. — *Genes. 3.* Semen serpentis, de quo liber Genesis, quos denotat. *Ioan. 8.* *Rom. 1.* Qua ratione Christus sit semen Abrahæ. *Gen. 12. & 26.* *Ioann. 12.* — III. locus. *Genes. 4.* *Hebr. 13.* — Abel quid. Seth quid. *Genes. 5.* *Infr. 9.* IV. locus. *Matt. 27.* — V. locus. *Gen. 8.* — *Actor. 4.* — *1. Petr. 3.* *Gen. 6.* — *Psalm. 131.* VI. locus. — *Genes. 25.* *Supr. 22.* — Aries hærens inter vepres pro Isaac Deo immolatus, quid mysticè.

Marginalia (right): *Exod. 3.* — VII. locus. *Genes. 27.* *Inf. 32.* — VIII. locus. *Infr. 39.* — *Infr. 41.* *Ibid.* — *Matt. vlt.* IX. locus. *Exod. 2.* — *Infr. 14.* — Qui Iudæi vaticinia prophetarum de Iesu recipiant. *Esai. 6.* — X. locus. *Iudic. 16.* — *Sup. 14.* — XI. locus. *1. Reg. 19.*

ſtram euaſiſſe, & illuſis cuſtodibus ſeruatum fuiſſe ad regnum. Qua ratione Meſſias de ſepulchro munito, & à cuſtodibus vallato illis illuſis ad regnandum in cœlo, & in terra eſt reſeruatus.

XII.locus. Iob 1 & ſequ. Inf. 42

Duodecimò, Iob percuſſo, & ad mortem oppreſſo per Satanam, gratia Dei non defuit, ſed virtute eius ad ſanitatem rediјt, ac duplicia ei bona ſua ſunt reſtituta. Ita IESV percuſſo datum eſt corpus immortale, & glorioſum, & omnia ſua cum fœnore reſtituta: quia ſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Ioan.12. XIII locus. 3 Reg 17. 4. Reg. 4.

Decimotertiò, Helias, atq; Heliſæus prophetæ filios viduæ Sarepthanæ, & Sunamitidis ad vitam reuocarunt, in typum magni Prophetæ Meſſiæ, qui ſe ipſum matri viduæ conſolandæ reddidit.

XIV locus. Iona 2. Ibid. Matt. 12. & 16. Ioan.3. Luc.24.

Decimoquartò, Ionas propheta à ceto eſt abſorptus, poſt triduum verò viuus ad littus eiectus eſt, vt prædicaret Niniuitis pœnitentiam: Ita Dominus Ieſus à morte erat primo abſorbendus, verùm poſt triduum ad vitã excitandus, vt mitteret Apoſtolos, qui prædicarent in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.

XV locus. Ierem. 37.

Decimoquintò, Ieremias proiectus eſt in puteum profundum, vt vitam ibi miſerè clauderet ſuam: ſed poſteà Dei beneficio, & gratia erutus eum præfigurauit, qui dixit per Prophetam:

Pſalm.87.

Poſuerunt me in lacu inferiori; in tenebroſis, & in vmbra mortis; & tamẽ Dei gratia rediuiuus emerſit.

XVI locus. Dan. 14. Ibid.

Decimoſextò, Daniel miſſus eſt in leonum lacum, vt ab eis ederetur fame confectis: verum ille poſt aliquot dies magno ſtupore Regis qui eum coniecerat, viuus inde eſt eductus, vniuerſis eius inimicis ad leones proiectis. Non ſecùs accidit Domino Ieſu, qui dæmonum potentiam quaſi leonum confregit, atque illis reniten tibus magna cum orbis admiratione viuus productus eſt, datis hoſtibus ſuis in ditionem dęmonum.

XVII.locus. Eſther 4. Inf.6. & ſeq.

Decimoſeptimò enucleabat, quomodo Mardochæus poſt luctum, ſaccumque quo erat indutus, exaltatus eſt in Regia Aſſueri, ſuſpenſo Aman in patibulo, quod ipſe ei præparauerat: ita Dominus poſt crucem, ac mortem exaltatus eſt dextera Dei, & ſublimis effectus, ita vt dixerit:

Matt. vlt.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: ſuaque cruce per vniuerſum orbem adorata, dæmones, ac Iudæos qui eius extiterunt autores, diuexat, atque excruciat.

XVIII.locus. Zachar.3.

Decimooctauò, Ieſus Sacerdos magnus exutus eſt ſordidis veſtibus, & indutus mutatorijs, qui tamen fuit ſicut torris erutus de igne tribulationis: in figuram veri Ieſu, qui per mortem exuit ſordidas mortalitatis veſtes, & indutus eſt pretioſis mutatorijs immortalitatis, quando induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.

Pſalm.92. XIX.locus. 1. Par. 11.

Decimononò: Banaias olim ſub Dauide, tempore niuis deſcendit in ciſternam, ac leoni ibidem inuento intulit mortem, ac viuus prodiјt: in quo indicauit Dominum in infernum deſcenſurum, ac vires Satanæ debilitaturum, ac viuum inde proditurum.

XX.locus. 4.Reg.25. 1 Eſd. & ſeq.

Vigeſimò, templum Domini à Chaldæis deuaſtatum, atque deſtructum, poſteà tamen diuina ope reædificatum eſt: quod proculdubio myſterium Chriſti cõtinebat, de quo Dominus:

Ioann.2.

Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, & à Zacharia de Ieſu prædictum erat:

Zachar. 6.

Ecce vir Oriens nomen eius: & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipſe extruet templum Domino, & reliqua. Chriſtus ſiquidem templum corporis ſui ab Spiritu ſancto ſolubile ędificatum, ipſe per reſurrectionem indiſſolubile conſtruxit: templum quoque Eccleſiæ extruit Domino, vt pax ſit inter duos populos, ex quibus conſtat.

XXI.locus. Gen 8.

Vigeſimoprimò, de columba egreſſa olim arcam Noe, quæ cum ramo pacis rediјt ad veſperam: quia anima ſancta Meſſiæ ad arcam rediјt corporis ſui, atque in ore protulit ramum oliuæ, cùm dixit:

Ioann. 20.

Pax vobis.

XXII.locus. Nume. 17. Epiph. Virga Aaron tegerminans quid ſignificet, teſte Epiphanio.

Vigeſimoſecundò, Virga Aaron, quæ ſicca refloruit, vt teſtatur Epiphanius in Ancoratu, ſignificat carnem Chriſti ſupra omnem naturæ facultatem ſuſcitatam, de qua Propheta cecinit:

Pſalm.27.

Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.

XXIII locus. Pſalm.117.

Vigeſimotertiò, lapis reprobatus ab ædificantibus, hoc eſt, Sacerdotibus, Senioribus, & Phariſæis, poſitus eſt in caput anguli, vt coniungat non tantùm animam corpori, ſed etiam Angelos hominibus, & omnes hos cum Deo reconciliet.

XXIV.locus. Pſalm. 120. Nume.12. Ioan..3. & 8.

Vigeſimoquartò ac poſtremò, in hac reſurrectione aquila renouata eſt à iuuentute: ſerpens exaltatus in cruce, ablata priori pelle reiuueneſcit: phœnix extincta reſuſcitatur ad vitam: vermis Indicus, qui & bombyx dicitur, in vitam poſt mortem redit: ceruus cornua amiſſa reſumit.

Luc. 2. Inf 7.

Et ſi quid ex Nouo Teſtamento produci poſſet, puer Ieſus amiſſus, inuentus eſt poſt triduum glorioſus in templo: ac vt viduæ Euangelicæ in ciuitate Naim filius redditus eſt, ita Matri Virgini filius Ieſus ſuſcitatus. His ergo, & huiuſmodi ſermonibus diſcipuli intenti mirabantur, dicentes, Quis eſt hic, cui in promptu ſunt omnes Scripturæ? cui vita, & mors, geſtaq; omnia Chriſti ſunt comperta? nunquam hunc inter diſcipulos eius vidimus, & tamen nihil illum fugit.

Et

Hist. Trip. li. 6. cap. 42. *Ioann. 14.* Quomodo Christus finxerit se longius ire.

Et appropinquauerunt castello quò ibant. In loco, quem vocat Triuium historia Tripartita, antequam ingrederentur Emmauntem. *Et ipse se finxit longius ire.* Quia non videtur Christo, qui veritas est, conuenire fictio, & simulatio, quòd hæc ad mẽdacium pertineant; ideò ex hoc loco quidam defensionem mendacij susceperunt, dicentes non omne mendacium peccatum esse: vt docuit Augustinus libro contra mendacium ad Consentium. Sed notãdum, quòd duplex est fictio, altera mala ad decipiendum, vel se, vel alios, quomodo hypocritæ sanctitatem fingunt, vt sancti appareant, & virtutis laudem venentur. Est alia bona atque vtilis ad docendum aliquid, teste ibidem Augustino, & libro Quæstionum Euangel. prope finem, vbi docet, hanc fictionem non pertinere ad mendacium, & fallaciam, quemadmodùm sine mendacio Dominus parabolas finxit docendæ alicuius veritatis gratia, non ad decipiendum. Talis est fictio cùm puero petẽti gladium, vbi mater illum abscondens, respondet non esse in mensa: & magister interrogans ea, quæ benè nouit discipulum didicisse, fingit se ignorare, vt periculum eius doctrinæ coram alijs faciat. Sine peccato ergo, vel mendacio fingit se longiùs ire, quia volebat sui discessus modum celare: longiùs quippe profectum nemo negabit, quia tunc segregatus ab hominum consortio fuit. Fictione ergo hac, discipulos non fefellit suos, verùm paulisper tenuit suspensos, donec maturum esset tempus prodendi se ipsum. Quòd si mendacium est, teste Augustino, falsa vocis significatio cum voluntate fallendi: vbi abest fallendi voluntas, ibi abest & mendacium, vt cùm quis aliquid dicit, quod in sensu quem cõcipit, verum est; falsum tamen in sensu, quem alius concipiet, modò dicat verba ambigua animo non fallendi alium, sed tantùm gratia occultandi ei vtiliter ad tempus veritatem aliquam. Simili quoque ratione fictio in facto vitiosa non est, sed bona, & salutaris, qua quis quippiam facit, ex quo nouit alium falsam existimationem concepturum propter bonum aliquod: vt Paulus simulauit se legis obseruatorem, cùm Timotheum circumcidit, & factus est Iudæis tanquam Iudæus, & ijs qui sub lege erant, quasi sub lege esset. Nouerat enim Paulus seruando legalia, Iudæos existimaturos ipsum legi subditum: non tamen eos fefellit, quia non eo animo seruauit legalia, sed vt suam illis ad tempus occultans sententiam, Iudæos à Christo non alienaret. Ita hic Dominus finxit se longius ire, motus, & gestum abire volentis præ se ferens; vt ea ratione excitaret eos ad rogandum vt secum maneret illa nocte, sicut & fecit. Voluit ergo Dominus hac sua fictione docere nos nonnulla. Primùm quòd reuera Christus non egebat cibo corporeo, cùm corpus spirituale, & gloriosum haberet; cibi, potionisve minimè indigum. Deinde quòd longè erat à cordibus eorum, qui eum non agnoscebant, sed putabant peregrinum aliquem. Tertiò voluit dare occasionem se inuitandi, & tacitè prouocauit ad desiderium, & sitim suæ præsentiæ, & vultus sui agnoscendi. Hinc apud Marcum apparuit Christus, & videbatur phantasma esse, & volebat præterire eos. Ita finxit, vt ab eis rogaretur, vt intraret in nauim. Similiter hic, cùm prius induisset formam peregrini, nunc quoque formam ostendit volentis ab eis recedere. Illudque contendebat ab eis exculpere, vt flagitantes ipsum penes se manere, impetrarent: vnde aliquo modo videtur profecisse eius oratio apud eos. Tales multas legimus in Scripturis fictiones. Simulabat olim Dominus corã Iacob Patriarcha se lõgius abiturum, cùm diceret: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Verùm detinetur à Iacob dicente, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Simulabat coram Moyse abiturum se longius ab Israelitis, ac dicebat: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam*: sed precibus Moysi retinetur, ita vt reconcilietur Israeli. Fingebat Christus se abiturum à muliere Chananæa, dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*: sed per fidem ac prudentiam muliérculæ retinetur. Quare etsi Christus sit inuictus, & omnipotens, fide tamen, & precibus nostris, ac promissionibus suis alligari se sinit, ac retineri.

Aug. li. cõtra mendac. c. 13. to. 4. Fictio duplex est.

Aug. ib. & li. 2. qq. Euan. q. 51. eod. tom.

Exemplum fictionis longè à mendacio.

Idem lib. 1. de mendacio, ad Consentium, c. 3 eodem. Mendacium quid secũdum Augustinum.

Fictio quę minimè vitiosa, imò bona etiã atq; salutaris.

Actor. 16.

1. Cor. 9.

Christus fingens se lõgius ire, nos docuit.

Marc. 6.

Gene. 32.

Ibid.

Exod. 32.

Matth. 15.

Et coëgerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Quoniam non poterant auelli, obsecrant, & obtestantur, precibusque improbis recusantem compellunt, & fortè etiam pallio detinebant, vt tantisper apud ipsos diuersaretur, Dominum appellantes, etsi illa vox nec in Græcis sit codicibus, nec in Latinis correctioribus: non quòd adhuc cognoscerent esse IESVM, sed quòd admirabili doctrina & conuersatione cognoscerent eum non vulgarem esse viatorem. Dicebant ergo; Domine, præbuisti te nobis benignum viæ comitem, præbe te nobis iocundum hospitem: cur te committis longiori itineri? Iam appetit vespera, & sol vergit ad Occasum.

Hi duo discipuli cur Domino coëgerint apud ipsos vt maneret.

Oderint qui lucem ac tenebras. Quare Iesus velit rogari, vt id faciat, quod se alioqui libenter facit. *Actor. 20.*

sum. Meritò noctem oderunt, qui amant Iesum, qui lux est. Amat autem Iesus rogari, & cogi; rogari quidem, vt id faciat, quòd libenter facit; vt dignis donet, ac promerentibus; cogi verò, vt nos doceat beneficium proximo etiam ingerendum esse, & obtrudendum: quia beatiùs est magis dare quàm accipere. Vult cogi Christus, & cogitur à nostra tribulatione, cogitur & à nostra humili precatione: Non est, inquit, qui inuocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat te. Abraham, & Loth cogebant hospites vt ad se diuerterent: pauci autem sunt, qui cùm Christum sumunt in Eucharistia, illum detineant, vel in pauperibus misericordiam postulantem. Et vide quomodo inuitant ad cœnam se increpantem. Verè autem dicunt, quoniam aduesperascit; veruntamen ignorant quæ dicunt. Verè enim sine Iesu aduesperascit nobis, qui dies est, & lux mundi. Venit etiam vespere tentationis, ac tribulationis: recedit quoque Quadragesimæ lumen in verbo Dei situm, & instant post Pascha tenebræ Satanæ. Dicunt inclinatam esse diē: quia Sol vsque ad meridiem ascendit; post meridiem verò incipit vergere in Occasum; ideò dicitur post meridiem inclinari dies. Nam alioqui eodem die agnito Christo regressi sunt in Ierusalem, & septem millia passuum intra duas horas, etiamsi quis lentè ambulet animi gratia, confici possunt.

Esai. 64. *Genes. 18.* *Infr. 19.*

Expenditur illud quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. *Ioann. 8.*

Hospitium Iesu quam vtile, atq; salutare.

Et intrauit cum illis. Gaudet vinci Christus, & libentius ingressus est, quàm illi reciperent, & maiora illis largiturus, quàm ab eis accepturus: quanquam suum nudum recipere, nihil aliud sit, quàm dare. Iam nouum quod ibi accidit, describit Euangelista. *Et factum est; dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Quatuor IESV actiones describit Euangelista. Prima est, accipere panem. Secunda, benedicere, illum scilicet sanctificando, & gratias Patri more solito agendo. Tertia, frangere panem in partes. Quarta, porrigere illis panem fractum, ac distributum. Et ita Christus non tantùm in vita, sed etiam suscitatus inter discipulos ministrum agit. ¶ *Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.* Non est cogitandum, quòd cæcis, & clausis oculis ambulauerint ab Ierosolyma Emmauntem vsque, sed quòd in fractione panis agnouerunt, ablato oculorum impedimento, quo antè videre, vel agnoscere non potuerunt. Vnde sequitur: Et cognouerunt eum, quod est quasi interpretatio apertionis oculorum: quemadmodùm superius cùm dixit, Oculi eorum tenebantur, explicauit quomodo tenerentur, dicendo, ne eum agnoscerent. Siquidem oculi primorum parentum dicūtur in Scriptura aperti, non quod antea cæci essent, & priuati luminibus, sed oculi eorum aperti sunt ad cognoscendum peccatum, & pœnam eius, hoc est, nuditatē: vnde textus ait: Cùm cognouissent se esse nudos, &c. hic autem horum oculi aperti sunt, vt agnoscatur Christus, & Euāgelium, quod natura cognosci non poterat. Sicut ergo olim aperti sunt oculi ad esum vetiti fructus suadente serpente, vt viderent nuditatem suam, & fraudem dæmonis: ita nunc aperiuntur ad esum cibi præcepti à serpente exaltato in Cruce, vt agnoscatur CHRISTVS, & salus per eius resurrectionem inuecta.

Viuus, & à mortuis rediuiuus Rex cœli, & terræ Christus ministrauit nobis.

Quemadmodum aperti sint oculi discipulorum cognito Domino ipsis euanescente.

Genes. 3. Qua ratione primorum parentum oculi sint aperti.

Ioan. 6. *Supr. 5. & 8.*

Quæ fuerit autem ista fractio panis, in qua cognitus est Christus, haud est facilè expedire, cùm variæ proferantur à Patribus sententiæ. Quidam enim censent, perinde esse frangere panem more Hebræo, atque conuiuari, quare in Actis dicitur: *Frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis*: & Esaias: *Frange*, inquit, *esurienti panem tuum, & egenos, vagosq; induc in domum tuam.* Nam talibus promittitur in præmium Dei cognitio, de qua subdit Propheta; *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Sed profectò si verum amamus, Christus hic est exceptus conuiuio, non excepit; & idcircò licèt frangere panem in hospites, & peregrinos, sanctum sit, & gratum Deo opus, propter hospitalitatem, & charitatem; ipse tamen non recepit, sed receptus est à Cleopha. Non negamus tamen, quòd Christus in hospitalitate, & operibus charitatis cognoscatur, & interdum magis quàm in colloquio, & Scripturis, vt docent Gregorius & Augustinus. Quod verò Lucas tanquam medicus circumcursauerit infirmos visitando per ciuitatem illam, vt colligeret pecuniam aliquam, qua honorificentius Christum tractaret: ridiculum prorsus est, atque à nebulonibus risus caussa excitandi excogitatum; cùm constet, Cleopham ipsum fuisse Emmauntinum, vt Hieronymus testatur, & Dominum in domum suam recepe-rit: quæ posteà in templum Christi erecta fuit. Sunt secundò alij, qui exponant per fractionem panis, consuetam Domino panis diuidundi rationem, qua manibus suis miraculo quasi cultro panis scindebatur; ita vt ne mica quidem in terram excideret: ex quo solito frangendi modo agnouerunt eum

Quænam hæc fractio panis fuerit, in qua agnitus est Christus. I. Opinio.

Actor. 2. *Esai. 58.*

In operibus pijs sæpè agnoscitur Christus.

Greg. ho. 23. in Euan. to. 2. *Aug. serm. 1. fer. 2. Pascha, to. 10.*

Quorundam vanissimum de Luca commentum reijcitur.

Hier. in epitaph. Paulæ, ante med. tom. 2.

II. Opinio, quæ etiam refellitur.

eum esse Iesum. Atque huius sententiæ est Caietanus, ac B. Thomas, atque alij plerique. Sed duo sunt, quæ huic sententiæ repugnare videntur. Primum est, quia multi alij in Scripturis dicuntur panem frangere, qui tamen simile non ediderunt miraculum, vt Ierosolymitani, de quibus in Actis, & Corinthij, de quibus in priori ad Corinthios, & Paulus, vt in Actis dicitur: nec tamen illis tribuimus signum ita incidendi panem manibus, ac si gladio vterentur. Non ergo vis verbi illud significat. Deinde nec verisimile fit, vt viri quidam docti tradunt, & inter alios Vbertinus de Casalijs, Christum tali signo incidendi panem vsum fuisse: tùm quia nullibi id Scriptura asserit, tùm quia non erat solitus Dominus edere signa, nisi vtilitate, vel necessitate exigente: non intelligo autem quorsum, aut quo fructu tam frequenter insolitatum CHRISTVS patraret miraculum. Tertiò rectiùs, & sacris literis congruentius interpretantur dictam panis fractionem de Sacramento Eucharistiæ: tùm quia simpliciter dicitur fractio panis apud eundem Lucam in Actibus, vbi inquit: *Quòd erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*: id est, fract: panis, & Κοινωνίας voce, qua ibi vtitur Lucas, Eucharistia à Dionysio vocatur. Sed Paulus apertius: *Panis*, inquit, *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Tùm secundò, quia omnia peracta in die cœnæ Domini hic habentur. Accepit enim panem, benedixit, fregit, ac porrexit: tantummodo desunt illa verba, *Hoc est corpus meum*, quia hęc non erant necessaria; vel quia supplenda sunt ex verbis cœnæ Dominicæ, & quia dicitur quod benedixit proferendo aliqua verba; vel quia secundùm Innocentium III. non illis verbis, sed virtute interiori, atque alijs verbis consecrauit. Et licèt expressa sint in cœna Dominica: hoc fuit, quia illis verbis non debebamus consecrare. Tertiò, quia quoties Dominus dicitur benedicere in Euangelio pani, semper sequitur aliquod signum, vel multiplicationis, vel sanctificationis, & consecrationis, vt in cœna: sed hic multiplicatio non fuit, superest igitur vt fuerit consecratio. Tùm quartò, quia ita sentiunt Patres hunc locum disserentes, vt Chrysostomus in Matthæum, Theophylact. ac Titus Bostrenus citatus in catena à Beat. Thoma super Lucam, Augustinus in libro de Consensu Euangelistarum, & in Canonicam Ioannis, Beda libro Commentariorum in Lucam, & Petrus Damianus libro de Diuinis officijs, atque alij plerique.

Caiet. in Luc. B. Thom. in 3. sent. dist. 21. qu. 4. ad 1.
Actor. 2. 1. Cor. 10. Actor. 20.
Vbertin. de Casalijs, li. 4. ca. 29.
Signa quando Christus edebat.
II. opinio, quam sequitur autor.
Actor. 2.
Diony. de Eccles. hierarch. 1 Corin. 10.
Matt. 26. Innoc. III. Ioan 6. Matth. 14.
Chrys. ho. 17. in Matt. to 2. Theoph in Luc. 24. Tit. Bostren. ibid. Aug. libr. 3. de consen. ca. 25. to. 4. Idē tract. 2. in Canon. Ioan. tom 9. Et ser. 1. feria 2. Pascha. to 10. Beda Lib. 6. in Luc c. 96. in fine. tom 5. Petr. Damia.

Postremò, ex ipso effectu colligitur, qui fuit Iesum spiritaliter cognoscere, vt ponderant Augustinus, & Theophylactus: at talis cognitio proprius est effectus Sacramenti Eucharistiæ, non communis panis. Quæ verò in oppositum objciuntur, friuola sunt, & parui momenti: videlicet quod illi essent increduli, ac diffidentes, & quòd in peccato communicassent: quia per obiurgationem, & sermonem Christi idoneè erant iam contriti, operante Spiritu sancto in ipsis cordis ardorem. Nec obstat, quòd non præmissa confessione communicassent: quia nec in cœna Apostoli præmiserunt confessionem: nec ab istis, vel illis potuit exigi, cùm necdum esset à Domino instituta, quam nocte illa, qua apparuit decem Apostolis congregatis, constituit, atque præcepit, cùm dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &cat.* Nec tertiò euincit, quòd Apostoli communicassent seipsos, ac proprijs manibus: quia etiam Apostoli in cœna proprijs manibus communicarunt, & per nonnulla secula ille mos communicandi viguit: donec abrogatus est posteà. Nec quartò conuincit, illos nesciuisse esse communionem, quod cœnæ Dominicę non interfuerint, nisi tantùm duodecim: quia potuerunt ab Apostolis illud didicisse: & in ipsa fractione illuminati sunt oculi eorum, vt sacrum panem agnoscentes reuereter sumerent: quemadmodùm etiam Apostolis, neque cogitantibus, neque expectantibus data est Eucharistia in cœna. Nec quintò obstat, quod finita cœna Dominus Apostolos communicauit, hic verò in principio: quia hic principium finis erat, quoniam statim euanuit. Et vt ait Petrus Damianus in sermone de cœna Domini, habemus, Dominum instituisse communionem sub vtraque specie, quæ aliquando in Ecclesia fuit visitata, & rursus communionem sub altera tantùm, quæ modò competit laicis, vt vtriusque à Christo habeamus exemplum. Nec potest quis euadere per figurā Synecdoches, qua ponitur pars pro toto: quia hic locum habere non potest, cùm in fractione ipsa panis sit agnitus, & euanuerit. Denique non obstat verbum Domini: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Quia iam CHRISTVS suscitatus in regno erat, & illa nocte comedit partem piscis assi, & fauum mellis. Et hactenus de hoc loco, quia alibi philosophati sumus.

Aug. ibid. Teoph. ibid. Quæ in contrarium objciuntur, rationes diluuntur.
II. Ratio. Luc. 22.
Ioann. 20. III. Ratio.
Vetus in Ecclesia ritus communicandi. IV. Ratio.
Matt. 26.
V. Ratio.
Pet. Dam.
VI. Ratio.
VII. Ratio. Matt. 26.
Luc. vlt.
Lib. 9.

Sequitur: *Et ipse euanuit ex oculis eorum.* Id est, subduxit per dotem subtilitatis, cor-

poris

Euanescere ...

poris sui delectabili é præsen iam. Verbum, euanuit, Græcè dicitur disparuit: recté tamen dicitur Latinè euanescere, quod ex oculis, cùm minus cogitamus, subtrahitur. Hinc Plinius: *Verè, inquit, pectines limaces, hirundines eodem tempore euanescunt*; & Cicero de Claris oratoribus: *Isq; & orationes reliquit quæ iam euanuerunt*. Euanuit autem Dominus, quòd humana fragilitas rediuiui corporis maiestatem non ferat; ac vt ostenderet corpus suscitatum non egere corporeo, & sensibili cibo; atque vt assuescerent carere corporis conspectu, quod mox foret abducendum; item vt subtracta præsentia, cito redirent ad annuntiandum Apostolis, sicut ob eam caussam à Magdalena voluit tangi, ac detineri. Adhæc vt illum iuxta spiritum diligerent, qui etsi subtraxit præsentiam carnis, mansit tamen in anima, quæ oculis fidei ipsum magis cernit, quàm oculis corporis: vnde olim tenebantur eorum oculi, quia non credebant. Tunc ergo verè cognoscitur Dominus, quando euanescit, id est, quando apprehenditur immensus, & incomprehensus; nostro verò vitio euanescit nobis Dominus, quando plus hæremus dono, quàm donanti: sæpéque accepto pane prosperitatis à quibusdam non cognoscitur nisi cùm vrget fames, vt à filio iuniori profecto in regionem longinquam.

Plin. li. 9. c. 51.
M. Tullius.
Ex oculis discipulorum quare Christus euanuerit.
Ioan. 20.
Luc. 24.
Dominus quando verè cognoscatur idemq; oculis se nostris quando subtrahat, ac euanescat.
Luc. 15.

Et dixerunt ad inuicem, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? In nobis, inquiunt, non extra nos. Effectus quippe bonæ prædicationis est, habere cor ardens intus, vel per contritionem de peccatis, vel per virtutis, æternæque vitæ desiderium. Et isti boni viri post abitum Iesu, non cessabant de eo cõfabulari, ac dicebant, Quî factum est, vt tam serò eum agnosceremus? somnus occupauerat animos nostros, caligoq; oppresserat oculos. Sanè verba Iesu efficiebant, vrebant animum, ac rapiebant, aculeosque, atque stimulos relinquebant. Et si, dum loquitur in via Dominus, ita ardet cor, quid erit in patria? *Et surgentes, eadem hora regressi sunt in Hierusalē.* Alas sumẽtes amoris, & impatientes præ gaudio, facta est illis ex vespera dies, eademque hora surgentes, sed non peruenientes, quò huiusce tanti gaudij cæteros redderent participes, mutuaque collatione confirmaretur fides. Sic enim Dominus inter homines sua dona cupit propagari, vt mutuis officijs inter ipsos gliscat charitas, crescantque merita quæ remuneret. Aiebant isti Christi discipuli, vt illi leprosi, qui erant in porta Samariæ, Hæc dies boni nuntij est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare vsque mane, sceleris arguemur: quare nec prioris itineris fatigatio, nec viæ prolixitas, nec noctis obscuritas eos retardauit.

Effectus bonæ prædicationis.
Vis verborum Iesu.
Horum discipulorum charitas in fratres.
Qua lege, diuina nobis dona concedantur.
4. Reg. 7.

¶ *Et inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant.* Discesserat Iudas, qui interruperat sacrum numerum duodenarium: & his non diuisis, aut separatis, bona fit annuntiatio. Verisimile est, cùm illi peruenerunt ex Emmaunte, inuenisse vndecim Apostolos, inter quos Thomas erat vnus: tamen cùm ille quæ dicebantur, non crederet, aliqua vrgente caussa, ante Domini ad illos clausis ianuis aduentum discessit; vt non mireris, si in ea apparitione abfuerit Thomas. Quanquam dici quoq; possit, vndecim inuentos fuisse à discipulis redeuntibus ex Emmaunte: quia post suspendium Iudę hoc erat peculiare Apostolorum nomen, ita vt maior eorum numerus explicaretur hoc nomine Vndecim, etiamsi vnus, aut alter abesset, aut etiamsi alij cum illis essent. *Dicentes, Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Verbum, dicentes, accusatiui casus est, Græcè λέγοντας, scilicet Apostolos, non ipsi peregrini. Et ita pia peregrinorũ sedulitas promeruit audire quod apparuit Simoni, vt & ipsi qui venerant alios confirmare, confirmarentur. *Quia surrexit* (inquiunt) *Dominus verè, & apparuit Simoni.* Et, pro Quia accipitur. Est enim firmum argumentum veritatis aliquid asserere Petri successorem, vt cæteri ei fidem habeant, eiusq; consectentur sententiam. Ad Petri, & in Petro omnium pœnitentium peccatorum cõsolationem, suæque gratiæ commendationem spectat, quòd primùm Petro inter Apostolos visus est, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia: ideò etiam & Petro peculiariter missæ sunt mulieres annuntiare Christi resurrectionem. Discamus igitur horum discipulorum exemplo, acceptorum beneficiorũ memores esse: tractemus de Iesu, & sic cogemus illum ad nos venire. Disseramus de Sacris literis, si volumus igne diuini Spiritus incalescere. Vtamur diuinis Sacramentis, vt discedat tristitia, atque tentatio; vt robur tribuatur redeundi in cœlestem Hierusalem, vnde exulamus, vbi Christus nunquam amplius euanescet. Hæreamus bonis, fugiamus prauas societates horum exemplo, vt perpetua præsentia frui contingat IESV Christi Domini nostri, qui cum Patre, & Spiritu sancto sempiterna potitur gloria, laude, & honore in cunctis seculis, Amen.

Quomodo dicatur ... Apostolis ... I. solutio.
Ioan. 20.
II. solutio.
Meritum hospitalitatis.
Cur Christus post resurrectionem apparuerit Simoni.
Rom. 5.
Discipulorum Christi documenta.

TRACTATVS XVI.

De apparitione Domini Iesu facta in ipsa die Resurrectionis ad decem Apostolos congregatos, in illa verba: *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis: ego sum nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut me videtis habere. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes, &c.* Luc. 24. Ioan. 20.

HÆc est postrema ostensio earum, quas Dominus primo die suscitatus exhibuit, & describitur à Luca, & à Ioanne Euangelista, legiturque tertio die Paschæ, atque in octaua: quę est eadem cum prima, quia etsi diuersi Euangelistæ eā describant, vna tamen, & eadem est, quanquam quasdam peculiares eius circumstantias enarrer quisque. Ideò nos vtriusque textum complexi illam exponemus: illud præmittentes, Ioannem etsi non ignoraret hanc apparationem descriptam esse à Luca, tamen illam quodammodò coactum fuisse repetere, vt suppleret visionem factam Thomæ post octo dies, quàm prætermiserunt cæteri. Præcedunt autem apud Ioannem hæc pauca verba: *Quum ergo sero esset die illo vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum; Venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Vbi in primis habemus, in ipso die resurrectionis hāc ostensionem perfectam, quia dicitur fuisse vna Sabbatorum sub vesperam, sicut vna Sabbatorum valde mane venit Maria Magdalenæ ad monumentum. Secundò obserua, quod serò erat, summo mane surrexerant, & toto die erant in mœrore, & dubitatione Apostoli. Et apparuit serò, tùm quia homines interdiu vagantur, & discurrunt, nocte verò conueniunt; & ita serò poterat commodius pluribus apparere. Tùm vt securiùs eius præsentia Apostoli possent perfrui: non enim homines noctu interpellantur ita, ac interdiu: Tùm vt quando minus putarent se visuros Dominum, tunc

Cur Ioannes hanc Domini apparitionem commemoret.

Quando Dominus discipulis apparuit, ostendens eis manus, & latus; & cur serò.

Ioan. 20.

ille adesset. Quare si moram fecerit, ait Propheta, expecta illum: quia veniens veniet, & nō tardabit. Ante noctem ergo venit, ne maiori tristitia absorberentur oues suæ; tùm quia crebris nuntijs mulierum, quæ Angelos viderunt, & ipsum Christum, & apparitione facta Simoni, & euntibus discipulis Emmauntem iam corda Apostolorum ad credendam Christi resurrectionem excitarat, atque præparauerat. Sic enim solet plerunque Dominus facere: etsi enim nos statim à malis præsentibus non liberat, interim tamen non parua beneficia præstat, & multa exempla eorum qui tentati sunt, & de tētatione à Domino sint clemente liberati, proponit. Denique serò apparuit, non mane, aut meridie discipulis omnibus, quia in fine seculorum, & vltima ætate, hoc est sexta, mundo apparuit, & in fine mundi iudex iterum apparebit, clausis etiam foribus, vt Christus docuit, melius orare poterant, vt Christus, & Spiritus sanctus venirent ad eos. Tertiò fores erant clausæ propter metum Iudæorum. Timebāt Apostoli, quia Iudæi in Christum mortuum sæuiebant: nam illis imputabant furtum corporis de sepulcro. Et quoniam nōdum cor eorum obsignatum erat Spiritu sancto, quo adueniente, non solùm aperiunt fores, sed etiam ora sua; & corda, & Christum publicè, & intrepidè prædicant, etiam obsistentibus Sacerdotum Principibus, & templi magistratibus, non metuentes, aut minas, aut flagella, aut mortem, de quibus: *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic ergo natura nostra sola trepidat: vel ad sonitum folij; sed Spiritus sancti gratia, charitateque vestita foras mittit timorem. Quartò sermonem habebant inter se de Christo suscitato, vt testatus Lucas, & probabant testimonio Simonis qui viderat, & discipulorum ex Emmaunte redeuntium, nolebantque quenquam alienum his illorum interesse sermonibus. Quintò subdit; *Vbi erant congregati:* Apostoli; qui in Domini passione dispersi sunt, iuxta illud; *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*, in resurrectione congregantur: quia melius est duos esse simul, quàm vnum, nam frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & vbi concordia, & amor, ibi est Christus, sicut promisit, dicens: *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Venit Iesus, & stetit in medio. Hoc ita explicat Lucas: *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, ex i-*

Abac. 2

Quo consilio Christus non statim vt vellemus, nos liberet malis, quæ sustinemus.

Matth 6.

Infra 28.

Effectus Spiritus sancti. Act 2.

Infra 4.

Ibid.

Natura nostra imbecillitas

1 Ioan. 4.

Luc. 24.

Matth. 26

Zachar 13.

Ecclesiast. 4.

Prouerb. 18.

Matth. 18.

Vbi amor, & concordia ibi Christus est.

ti, existimabant se spiritum videre, &c. Venit autem Christus, & stetit in medio per dotem subtilitatis fores penetrando, quemadmodùm matris vterum, & saxum monumenti penetrauerat, cœlumq; penetraturus erat. Et nihil mirum, corpus fores clausas posse intrare: nam si ignis corpus in vapores soluit, multò magis anima Deo iuncta id potest agere, & multò magis Deus valet extenuare in nebulam per subtiliorem vaporem, & penetrare, & rursus cogere: nam quid est aliud corpus, quàm vnio multarũ formarum in vna materia? Et hoc dictum sit verbi gratia: quoniam Deus hoc, & maiora potest facere alio modo sibi noto. Voluit autem ingredi ad illos ianuis clausis, tùm vt facto ipso doceret de regno Dei, corpore scilicet beato, & glorificato, ac dubitantes in fide tanti articuli confirmaret, & vt ostenderet clauso monumento se potuisse exire. Quod mulieribus aperuit Angelus, vt etiam indicet se posse cœlos conscendere, atque illos penetrare, qui tamen ei nisi metaphoricè non sunt aperti; ad fidem quoque nobis faciendam, quòd possit manere in Eucharistia; ac doceat quod qui ex obedientia Patris crucem est amplexus, propterea fores cœnaculi, imò omnia sibi glorificato obediunt. Mira est autem durities Anabaptistarum, dicentium reseratas fuisse illi fores per aliquem, humanoq; more ingressum: quia aliàs (inquit) esset dare corpori glorioso, quod est proprium spiritus. Sed quid ni donet infinitus Deus corpori sui, qui etiam Petrum seruum è carcere obserato eduxit? & olim Habacuc cum prandio per Angelum fecit in lacum leonum clausum, & obsignatum intrare? Epiphanius contra Aëtianos, videtur interpretari verbum illud: *Et fores essent clausæ*; de portis ciuitatis, de quibus accipit illud, *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem Domini, venerunt in sanctam Ciuitatem.* Sed si de illis portis est sermo, & non de foribus habitaculi, in quo manebant Apostoli, non fuisset tanta admiratio discipulorum: & potuisset ingredi super mœnia, nõ penetrando portas, aut muros ciuitatis. Quare probabilior multò est sensus cõmunis de foribus cœnaculi, in quod se recipiebant Apostoli, de quo quidem cœnaculo fit mentio Actuum 1. Ingressus ergo ianuis clausis non est visus aduenire, sed subitò substitit inter eos, quomodo solent Angeli apparere, qui cùm volunt, sunt conspicui, & subitò, dum libet, euanescunt: declarans ea ratione se ad vitam diuinam, & spiritualem reuixisse, & ne propterea spiritus aliquis, vel vanum spectrum esse putaretur, varijs argumentis se eundem esse qui prius declarauit. Obserua tertiò, Dominum à resurrectione sua stetisse semper: quia corporis gloriosi situs naturalis hic est, cùm non sit tanta grauitate corpus ponderosum, vt defatigari valeat. Quòd autem dicitur ad dexteram Patris sedere; metaphoricum est, ad tantæ maiestatis gloriam declarandam. Atque ob hanc causam à Pascha ad Pentecosten stantes oramus ex constitutione Ecclesiæ, & præscripto Concilij Nicæni, vt facto ipso resurrectionem Domini repræsentemus. Et Christus ad ianuam non pulsauit, vt ait Euthym. ne discipuli perturbarentur, sed clausis illis introiuit: nec aduenientem, sed stantem, ac præsentem viderunt, quẽadmodum in Eucharistia fide scimus Christum adesse re ipsa præsentẽ: quo modo autem venerit, prorsus nescimus, atque in hac ipsa ignorantia gloriamur: non enim nostrum est diuinæ potentiæ vires comprehendere, sed eius verbis integram fidem habere. Porrò Dominus post resurrectionem stetit, liber à culpæ nostræ pondere, quo se in cruce exonerauerat soluendo debita peccatorum nostrorum. Stetit etiã liber à pœna peccati, qua olim ieiunio, & pondere crucis incuruatus fuit portans super humeros ouem errantem, & tãquam Samaritanus, qui vulneratum illum, & semiuiuum imposuit super iumentum suum. Ad hæc stetit tanquam paratus ad opem & auxilium ferendum nobis, qui adhuc eius causa cum hostibus colluctamur. Ita enim Stephanus pro eius gloria decertans, Iesum vidit in cœlo stantem. Stetit denique Iesus facta primùm salute in seipso, & in se resurgente, & glorificato ostensa, quæ alijs paulatim vsque ad diem iudicij detegitur. Et quanquam Dominus esset iam in termino gloriæ suæ quod attinet ad animam & ad corpus; adhuc tamẽ vt viator stabat accinctus ad penitùs perficiendam viam suam, quantùm attinet ad locum cœli Empyrei, quo nondum peruenerat, etsi eò post 40. dies esset ascensurus. Quartò obserua, stetisse illum in medio discipulorum suorum, nõ in medio hæreticorum, vel infidelium: tùm quia est media in diuinis persona, in medio annorũ conceptus, in medio duorũ animalium in lucem editus, iuxta lectionem 70. Interp. in Habacuc, vbi dicitur: *In medio duorum animalium cognosceris*: In medio templi fuit præsentatus, vt eiusmodi mysterium cernens Propheta dixerit: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* In medio Doctorum inuentus est à paren-

Vis dotis subtilitatis.

Corpus propriè quid sit.

Quare Christus ad discipulos sit ingressus ianuis clausis.

Philip. 2.

Contra Anabaptistas, Christum neququam ianuis clausis, sed apertis, humanoque more ingressum dogmatizantes.

Act. 12.

Daniel. 14.

Epiphan. in hæresi 75. in fin.

Quomodò Christus sit ingressus ad Apostolos ianuis clausis.

A resurrectione Christus cur semper stare dicatur, & quid, Christum ad dexteram Patris sedere.

A Pascha vsq; ad octauas Pentecostes cur stantes oremus.

Concil. Nice. can. 20.

Euthym. c. 18. in Ioan.

Ianuas cur minimè pulsauerit Christus, teste Euthymio.

Luc 15.

Supra 10.

Act. 7.

Act. 1.

Cur steterit Iesus in medio discipulorum.

Habacuc 3.

Luc 2.

Supra 22.

Psal 73.

Matth. 27.

Ibidem.
Ephes. 2.

parentibus, audiens illos, & interrogans: In medio erat Apostolorum sicut qui ministrat; vt verus mediator operatus est salutem in medio terræ: in meridie sublatus est in crucem, & in medio latronum pependit, vt tolleret medium inimicitiarum parietem, siue quæ erant inter nos & Deum, siue quæ erant inter Iudæos & Gentiles. Propterea post resurrectionem quoque in medio discipulorum: inprimis, vt omnibus se ex æquo videndum præberet: quia omnes lineæ à centro, quod est medium circuli, ad circumferentiam ductæ sunt æquales, vt omnes certos huius articuli redderet,

Quomodo Christus esset in medio discipulorum.

atq; in eo confirmaret. Erat enim Iesus in medio discipulorum, perinde ac Sol in medio cœlorum ad illuminandum, vt pater in medio filiorum, ad eos sua præsentia consolandũ; vt magister in medio discipulorum, ad erudiendum; vt cor in medio corporis viuificandum, vt lignum vitæ positum in medio paradisi ad pascendum;

Genes. 2.

vt Imperator inter milites meticulosos ad eos confirmandum, & animandum; sicut gallina pullorum suorum in medio ad eos sub alis charitatis protegendum; vt lapis angularis ad connectendos duos parietes, homines videlicet, & Angelos, siue Iudæos & Gentiles, siue iustos & peccatores, siue per resurrectionem ad vniendam corpori animam.

Cur Dominus medium semper locum tenuerit.
1. Tim. 2.
Prouer. 23.
Ezech 36.

Voluit autem Dominus tantoperè medium locum tenere: tùm vt ostenderet se esse verum mediatorem Dei & hominum, ac mundi reconciliatorem; tùm quia amat medium nostri, hoc est, cor ipsum, quod sibi dari petit, & in quo ponit spiritum suum: *Spiritum meum*, inquit, *ponã in medio vestri*; aufert etiam de medio nostri peccati catenam, & pro ea restituit auream fidei, spei, & charitatis torquem, atque ita mutat Deo cor superbum, vt Propheta dicat: *Humiliatio tua in medio tui*:

Michea 6.

tùm quo indicet media virtutum diligere, odisse extrema vitiorum, quæ diligunt peccatores, de quibus Regius Propheta asserit: *In circuitu impij ambulant*, & Poëta quidam egregius:

Psal. 10.
Horat. lib. 1. serm. satyr. 2. idem lib. 1 ep. 6. init.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Cùm virtus sit medium vitiorum, & vtrinque reductum; pij verò iuxta præceptum Domini, non declinant neque ad dexterã, neq; ad sinistram. Tùm vt doceret quòd in medio nostri habitare velit, secundùm illam Prophetæ vocem; *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui*; & Domini promissionem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*

Zachar. 2.
Deut. 17.
Matth 28.

Olim Num. 2. præscripsit modum castrametãdi, ita vt tabernaculum in quo Deus habitabat, haberet tres tribus ad Orientem, totidem ad Occidentem, tres itidem ad Aquilonem, & tres ad Meridiem, ita vt Dominus æquè ab omnibus distaret: & dum stat in medio, ostendit se Deo, qui olim in tabernaculo habitabat, & castramentationem alludit. Denique instruere nos voluit se vndique simpliciter spectabilem, & imitabilem esse, in quem omnium hominum, imò omnium seculorum oculi debeant præcipuè intendi, vt exempla virtutum omnium sibi ducant: *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & Propheta: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Matth. 11.
Psal. 122.
Dei ministri quatenus imitandi.

In reliquos verò Dei ministros oculi nostri ad imitandum non sunt conijciendi, nisi quatenus illi Christum imitantur, vt apertissimè docuit Apostolus: *Imitatores*, inquit, *mei estote sicut & ego Christi sum.*

Genes. 8.
Quatenus Dominus salutauerit, dicens Pax vobis.

Et dixit eis; Pax vobis. Salutatio est Christo familiaris. Rediit igitur post aquas diluuij ad vesperam columba cum ramo oliuæ virentibus folijs ad arcam. Sic ergo salutat, primò obseruans præceptum olim à se datum Apostolis: *Intrantes*, inquit, *in domum, salutate eam dicentes; Pax huic domui.* Dede quod legauerat moriturus; Pacem relinquo vobis, nũc attulit, & impleuit, quia in cruce illam patiens fecit: nam, teste Apostolo, pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quę in terris, siue quæ in cęlis sunt.

Matth 10.
Ioan 14.
Coloss. 1.

Olim Christus natus, per Angelos publicam fecit in terra pacem hominibus bonæ voluntatis. Quoniam, vt exponit Chrysostomus, tota redemptoris in carne dispensatio, mundi est reconciliatio.

Luc. 2
Chrysost. ho.

Hinc Christus, Princeps pacis nuncupatur, & Apostoli, ministri Euangelij pacis, id est, applicantes pacem à Christo factam in cruce hominibus per verbum, & Sacramentum: quare à Paulo dicuntur habere verbum, & ministerium reconciliationis.

Esai. 9.
Apostoli ministri Euangelij pacis cur dicti.
2. Cor. 5.

Adhæc omnia in passione fuerunt perturbata, & ad indignationem contra vniuersi orbis conditorem, & Dominum crucifigentes prouocata. Sol siquidem obscuratus est, terra contremuit, saxa scissa sunt, velum templi diruptum, monumenta aperta, per fugam dispersi erant Apostoli, abiurauerat ter Dominum Petrus, mulieres fleuerant, ac eum lamentatæ fuerant, magnaque in vniuersis mũdi hominibus in emissione Spiritus Domini extiterat commotio, atque perturbatio: verùm omnia Christus per sanguinem suũ effusum, ac resurrectionem pacificauit, atq; tranquillauit.

Matth 27.
Supra 26.
Ibidem.
Luc 23.
Ibidem.

Sed bonis Apostolis pacem offert primùm, dicens, *Pax vobis*, id est, Remissa sunt peccata vestra, non est quòd

Pax propriè quid.

de me

de me amplius timeatis, quoniam omnia bona mea communia vobis per me sunt. Adhæc pax propriè est,cùm aut desiderata assecuti sumus,aut certa in spe ea assequendi versamur. Apostoli tunc & propter mulierum verba, & renuntiationē custodum, & turbationem Iudæorum maximè erant perturbati, ac scire percupiebant, an verè resurrexisset Dominus. Hæc igitur horum prima pax est, vt Dominum intelligerent resurrexisse, atque quò ipsius spe confisi metu soluerentur, vnde pacem haberent, quam suis Iesus semper offert, & quam ante mortem dederat eo modo quo mundus dare non potest. Mundus enim offensus irritatur,& pacem frangit; Iesus verò & relictis à suis, & negatus, & pro illo qui nunquam resurgeret, habitus,non irritatur,sed pacem tenet, & reddit eam his,à quibus iā discesserat. Sic igitur salut...do insinuauit Christus, quòd sine articulo huius fidei non potest vera pax possideri, quia metus mortis excuti nequit, qui maximè deprimit hominem,ac pauidum reddit:at resurrectionis Christi persuasione, nostra etiam statuitur resurrectio, & omnis timor adimitur. Hæc autem Christi pax, pacem inprimis complectitur ad Deum, pacem deinde cum proximis habendam, & vt Apostolus ait: *Quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes, etiam cum inimicis, & nos ipsos odio prosequentibus*; adeò vt Propheta dixerit: *Inquire pacem,& persequere eam*,quasi à te declinantem, & opera dæmonis fugientem. Tantum hæc pax bellum continet,& quidem irreconciliabile in dæmones, & in peccata. Subdit Lucas: *Ego sum,nolite timere.* In Græcis codicibus,quæ modò habentur, vacant hæc verba, tamen non vitiant sensum,& cōsona sunt his quę habentur apud Marcum,quando Dominus nauigantibus Apostolis,& periclitantibus apparuit. Eandem lectionem agnoscunt Ambrosius libro de Patriarcha Ioseph,& Augustinus libro de Consensu Euangelistarum; & fortè interpres noster emendatiorem habuit codicem, & veriorem lectionem. Ego sum, inquit,ille, quem vox ipsa dicit, ac sonat: ego sum pax vobis, & ego sum, qui deleo iniquitates propter me. Hoc verbo, Ego sum, Iudæi olim ceciderunt retrorsum, hostesq; nostri,id est, peccata, atq: dæmones cadere deberent. Videturq; esse nomē proprium Christi, qui dixit: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro,* &; *Antequam Abraham fieret,ego sum*; ac rursus: *Cùm exaltaueritis Filium hominis,tunc cognoscetis quia ego sum.* Maximè post resurrectionem,vbi esse viuum, & firmum assumpsit, atque inuariabile: & perinde est dicere: *Ego sum*,ac dicere,*Ego viuo*. Bernardus sermone de Triplici misericordia verbum Prophetæ Ezechielis, *Viuo ego, dicit Dominus*,expendens,ait: *Quātum mihi videtur,vox Christi resurgentis est ista. Ac si dicat, Velit nolit Iudæus,viuo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo vt fructuosa sit mors mea,& copiosa per eam redemptio.* Hæc ille. Sequitur apud Lucam: *Conturbati verò,& conterriti, existimabant se spiritum videre.* Nequaquam hoc contradicit verbo Ioannis dicētis de hac eadem apparitione: Gauisi sunt discipuli viso Domino: quia dici potest cū B. Ambrosio, quòd primò sunt territi; deinde postquam Dominus allocutos est eos, ac se esse testificatus,lætati sunt,atq; gauisi. Quidam etiam ex illis qui iam viderant, vt Petrus & Iacobus, & qui redierant ex Emmaunte,non sunt turbati:secùs reliqui,qui nondum viderant:maximè verò de subitaneo ingressu ianuis clausis sunt perturbati, & tantæ rei nouitate, maximè cùm Dominus appareret in veste candida,sicut angeli apparuerant. Malum porrò nostrum est, quòd nos timemus autorem gratiæ, pacis, ac gaudij Christum; at à nobis ipsis,ex quibus originem sumit culpa,&pœna,nequaquam metuimus. Quòd existimarent se spiritum videre, exponunt Glossa Ordinaria Augustini,atque Beda, non de cacodæmone,sed de spiritu,quem Dominus emisit in cruce, & qui phantastico corpore assumpto apparebat, vt cùm, teste Marco, Dominum putauerunt phantasma esse: Pythonissa spiritum Samuelis eduxit ab inferis. Putabant siquidem spiritus defunctorum obambulare in terra, vt dici communiter solet; vel Angelum credebant, vt Petro pulsantę ad ostium, dicebant esse Angelum eius.

Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra. Volens eorum turbationem sedare,& fidem erigere, diuinitatis suæ præbet indicium, dum cogitatiónum se declarat agnitorem: Ego Dominus, inquit,scrutans cor,& probans renes. Scribit in hunc locum Augustinus, atque eum secutus Beda: *Ascendunt de carne & sanguine cogitationes, non descendunt de Patre luminum. Omne enim datum optimum,et omne donum perfectum desursum est,descendens à Patre luminum.* Sic ille. Ostendit igitur Christus se Deum esse,qui & corda,& cogitationes hominū, & vnde sint, videt. Nam via naturali à sensibus notitiam capimus per ascensum,& in his potest esse deceptio, & dubitatio, & timor, dum ex eis syllogizamus: melius autem est habere scientiam per descensum à Deo,

Marginalia (left): *Ioan.14.* — Fidei resurrectionis virtus. — Pax Christi duplicem pacem continet. — *Rom.12.* — *Psal.33.* — *Marc.6.* — *Ambr.lib. de Patriarch. Ioseph ca 12. to 4.* — *Aug.lib.de cōsen Euang.c. vlt.tom.4.* — *Ioan.18.* — *Ioan 8. Ibidem. Ibidem.*

Marginalia (right): *Bernardus.* — *Ezech.18.* — *Psal.129.* — Quomodo verum sit secundū Lucā, conturbatos discipulos, atque conterritos viso Domino,cum eos Ioannes scribat fuisse gauisos. — *B.Ambr lib. 10.in Luc.to 5.* — *Matth 28. Marc. 16.* — *Gloss Ordin. Beda lib.6. in Luc.cap.97. initio, tom.5. Ioan 19. Marc 6. 1.Reg.28.* — *Act.12.* — Quo argumento Christo Deum se esse discipulis ostendat. — *Ierem 17. Psal.7.* — *Aug serm. 2. in feria 3.Pascha,& in ordi.145 circa mediū,to 10. Beda ibid. Iacob.1.* — Naturalis hominis scientiæ quæ à sensibus,ab ea quæ à Deo descēdit discrimen.

Deo, & in ea falli non contingit, & ex tali scientia nascitur stabilitas, & confirmatio. Ostendit se etiam verum Salomonem corda pacantem, patremq; implentem sua: cum quo de nulla re alia oporteat turbari, & quo desuper influẽte terrenas oporteat deprimi cogitationes.

Christi veri Salomonis propitud.

Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hac dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Ioannes dicit: *Et cùm hac dixisset, ostendit eis manus, & latus.* Ioannes ergo addidit latus, suppressis pedibus, quos Lucas expressit. Magno igitur diuinæ prouidentiæ cõsilio Dominus vulnerum cicatrices suorum asseruauit, non quòd eas delere nõ valuerit, vt calumniantur Gentiles, sed per dispensationem quandam; tùm vt eas Patri ostenderet, essentq; velut certissima obedientiæ suæ, & charitatis erga illum signacula, & nostræ redemptionis apertissima testimonia. Ostẽdit etiam illas nobis: Primò, vt certos redderet Apostolos de eodem corpore suscitato; & hæreticos confutaret dogmatizantes, vel Christum à mortuis sine corpore surrexisse, vel in corpore alieno. Deinde vt nobis essent splendida ornamenta, ac trophęa victoriæ de peccato ac morte cõparatæ. Tertiò, vt essent venerãda nostræ causæ patrocinia: illis enim vt scuto nos debemus protegi in morte, & in quouis periculo imminenti. Quartò, vt essent firmissima nostræ spei, ac fiduciæ impetrãdi quæcunq; à Deo pignora. Quintò, vt essent nostri amoris æterna incitamenta. Sextò, vt essent horrori impijs atq; sempiterno incendio: quia illi visis plagis vruntur: vnde dicent montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Cùm his eisdem signaculis redituum Dominũ in die iudicij affirmat Ignat. epist. ad Smyrnenses, allegans verbum Angeli: *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum;* & illud Prophetæ Zachariæ: *Aspicient*, inquit, *ad me quem confixerunt.* Cyprianus quoq; serm. de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis, in fine: *Semper reseruata*, inquit, *in corpore plagæ, salutis humanæ exigant pretium, & obedientia donatiuum requirant.* Cyrillus in Ioannem, tradit Dominum reseruasse cicatrices ad fidem discipulorum cõfirmandam, negat tamen in martyribus permansuras. Quod tamen affirmat August. lib. de Ciuit. Dei, vbi docet, ad gloriam & triumphum ablata omni fœditate, permansuras. Et certè non est dubium in Christo remansisse, & cum eis ad iudicãdum rediturum. Et quod

Septem rationes cur Christus vulnerum suorum cicatrices retinuit, ac nobis ostendit.

Apocal. 6. Luc 23.

Ignat. ep. 10. sub initium Act. 1.

Zachar. 12. Ioan 19. Cyprianus.

Cyrill. li. 12. in Ioã c. 58. propè init. tom. 1. Aug li. 22 de ciuit Dei, ca. 20. tom. 5.

Quòd in martyribus permansuræ sint vulnerum cicatrices.

illi est ornamento & decori, non potest esse fœdum, aut turpe in sanctis eius martyribus. Et si Marius nudato corpore indicauit populo Romano vulnera, quæ pro tuenda Romana Republica acceperat, quàm erit gloriosum Christi militibus, qui legitimè, & gloriosè pro Christi nomine decertãrũt, periandẽ in Domino gloriari, & vulnerum signa ad æternã memoriam reseruare? Idem Cyrill. super illum locum Esaiæ: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c.* asserit, Dominum in cœlum conscendisse ostendentem signa passionis, atq; inde natam Angelorum admirationem nondum sciẽtium mysterium œconomiæ. Theodoritus verò asseuerat non ignorasse illos mysterium aduẽtus à principio, sed mirari potiùs ad nostram doctrinam, quòd voluerit Deus per seipsum soluere, quod nos ob nostra debebamus peccata. August. epistol. ad Deo gratias pulchrè respondet pagani cuiusdam calumnijs, qui hinc calumniabatur futuram nostram resurrectionem: *Sciat sanè*, inquit, *qui has proposuit quæstiones, Christum post resurrectionem cicatrices non vulnera demonstrasse dubitantibus, propter quos etiam cibum, ac potum sumere voluit, non semel, sed sæpiùs, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi nõ solide, sed imaginaliter apparere,* & reliq. Postremò, vt ostendat, nostras plagas, & mortes pretiosas coram Domino existere, æternoq; prẽmio remunerandas. Quòd si obijcias, vulnera, vel cicatrices solitas esse corpora defœdare, ac dehonestare: Respõdeo, verum esse, si naturam, & præsentem mundi statum spectes; at si Dei tribunal, & oculos beatorum consideres, eiusmodi cicatrices splendidissimæ sunt, atq; pretiosę gemmæ, quæ vestem diruptam exornant, aut vt micantes stellæ, quæ maximos ipsos decorant cœlos. Videte ergo manus, & pedes, quia ego ipse sum. Id est, ille idem, qui mortuus fui, non alius: & mors eius non fecit, vt meum esse diuinum veterasceret, plagęque tales ex charitate pro talibus susceptæ verè Filium Dei infinita potentia, immensaq. sapientia, atque inexcogitabili amore præditum ostendunt. Videte ergo manus meas, latus ac pedes meos: quòd perinde est ac si dixisset, Cernite meæ charitatis immensitatem, spectate meorũ operum, gressuumq; pro vobis factorum meritum.

Cyril. lib. 5 to. 5. commen in Esai. c. 63. ...

Theodo. in 63 c. Esaiæ, to. 1

Aug. epist. 49 in solu. prima quæstionu propè fin. to. 2.

Psal. 115.

Martyrum cicatrices quales in cœlo appatebunt.

Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Non videtur idonea hæc probatio verborum Domini: tũ quia Angeli, ac dæmones assumere possunt corpora solida; quæ tangãtur. Deinde si firma est probatio, cur non etiã alios articulos per sensum tactꝰ cõprobauit. Adhæc pro-

Expenditur Domini verbum. Videte manus meas, latus, & pedes &c.

Quam idonea Christus recte onem ... ... baret, probe se pa... discipulis.

Producitur ex Ambrosio & Gregorio illa celebris sententia: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Præterea Christi ratio infirmari potest, illa scilicet: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: quia anima informans corpus, habet corpus ipsum, quod habet carnem & ossa. Dicendum est ad primum ex B. Thomæ doctrina, quòd licèt Angeli ac dæmones possint corpora solida assumere, quæ visum facilè fallant, non tamen corpora omnes vitæ actiones habentia; quia opus artis non potest omninò operi naturæ simile reddi, & temporis progressu percipitur deceptio per tactum. Quare Christus meritò se exhibet spectandum, ac palpandum, quasi tactus sit certissimum, & euidentissimum veri corporis argumentum. Itaque tribus præcipuis sensibus, visu nempè, auditu, atq; tactu se præbuit cognoscendum. Hinc dilectus discipulus summa cum veritatis possessæ cognitione dicebat: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Ad secundum dicendum, esse quosdam articulos de diuinitate, qui ad sensum probari nequeunt, sed vel per miracula, vel per sacrarum literarum testimonia; sicut probati sunt; quidam tamē spectabant ad humanitatem diuinitati coniunctam, atque isti omnes ad sensum sunt probati. Verùm quoniam passio & ascensio in se ipsis visa sunt, nō autem resurrectio; ideo signa resurrectionis ad sensum visus & tactus oportuit exhiberi. Quod opus non fuit facere de corpore Lazari, vel filij viduæ, quia eorum cadauera erāt præsentia, & Christus publicè coram omnibus suscitauit. Ad tertium dicendum, mentem & sensum Ambrosij esse, ac Gregorij, quòd fides non assentitur alicui propter argumenta, sed propter veritatem primam reuelantem; quod non tollit quin induci valeant argumenta, quæ fidei semel susceptæ adminiculentur, quemadmodum Apostoli ad credendum, signis & apparitionibus ad ipsos factis inducti sunt. Ad postremum respondemus, nec spiritum, nec animā habere carnem & ossa, quæ sint suæ naturæ, cùm naturam habeant spiritualem, & corporum vtraque sint expertia. Et vt ait Lucretius, qui Poëta simul fuit, & Philosophus:

Tangere enim, & tangi, nisi corpus nulla potest res.

Ex hoc loco Anastas. in Epist. ad Epict. reprehendit eos hæreticos, qui aiebant, Verbum immersum fuisse carni: non enim inquit, Sicut me videtis esse; sed, Sicut me videtis habere. Imitemur igitur Christum, vt fructum resurrectionis percipiamus. Stetit ille, vt & tu stes, & videas ne cadas. Stetit Iesus, vt tu sis saluus, aliorumque optes, & opereris salutē, vt Paulus, qui omnibus omnia fit, vt omnes faciat saluos. Stetit in medio, vt sis in medio tu quoque, virtutesque quæ in medio sunt, excolas, ac consecteris, habitesq; in corde tuo, alijsque te ipsum proponas in exemplum ad imitandum, neq; ad angulos platearum velut hypocritæ confugias. Sit etiam quisq; Episcopus, qui Vicarius Christi quoquomodo est in terris, in medio sui gregis per assiduam residentiam, in medio quoque virtutis, vt possit esse exemplo ad imitandū: quia Ecclesia magis est nata ab exemplo bonorum operum, quàm à verbis. In medio item, vt non declinet ad extrema per vitium acceptionis personarum, nec propter sanguinē, aut ministerium impensum, munera ve, aut aliam humanam rationem vnum alteri præferat in promotione ad Ecclesiasticas dignitates, nisi vbi ratio maioris literaturæ, aut sanctioris vitæ exigat. In medio denique omnes abusus reformans Ecclesiæ, memor sit sapientis illius dicti Gregorij Magni: *Ante paratior sum mori, quàm B. Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare.* Minus sapiens videtur illa vox Ezechiæ: *Sit tantùm pax & veritas in diebus meis*; cùm Seneca eleganter dixerit: *Paucis natus est, qui populum suæ tantùm ætatis cogitat*: & Cicero lib. de Amicitia circa medium: *Mihi, inquit, non minori curæ est, qualis Respublica post mortem meam futura sit, quàm qualis hodiè sit.* Exemplo quoque Apostolorum simus ianuis clausis per diligētem sensuum nostrorum custodiam, simusque concordes, & per charitatē coniuncti: habeamus pacem ad Deum, & ad omnes, quātum in nobis est: spectemus Christi vulnera, quæ ipse nobis demonstrat: incipiamusque à manibus, id est, operibus charitatis, ac beneficijs, quæ in nos contulit. progrediamur ad pedes, id est, ad sancta salutis nostræ desideria: inde descendamus ad latus diuinitatis vel charitatis infinitæ, cùm dona, quæ charitatem testantur, finita sint: nec tantùm contenti simus hæc speculari, sed tangamus, palpemusq; Christi vulnera, gustando, ac videndo quàm suauis ac dulcis est Dominus Iesus Christus, nō tam in donis suis, quàm ipse in seipso, cui cum Patre, & Spiritu sancto est omnis gloria, potestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

Ambrosius. Greg. ho 26. in Euang. in princip. to 2. — *B Thom. in 3. dist. 21.* — Angeli, ac dæmones qualia corpora assumant. — *1. Ioan. 1.* — Cur Dominus reliquos Fidei articulos, velut hunc resurrectionis suæ articulum sensu tactus non probauerit. — *Ioan 11. Luc. 7* — Dictum illud: Ambrosij, & Gregorij: Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, quē sensum habeat. — Quomodo verum sit spiritū carnem & ossa non habere. — *Lucret. lib. 1.* — *Athanas. to. 1 sub initium.*

Documenta Christi resurgentis. *1. Cor 10. 1. Cor. 9.* — *Matth. 6. & 23.* — Ecclesia potissimum va de sit orta, atq; dependeat. — Memorabile dictum Gregorij de seipso. *Greg libr 7. Registri, epist. 1. 10. 4.* — *4. Reg 20.* *Seneca epist. 80.* *Cicero.* — Apostolorum documenta. — *Rom. 5. Infra 12.* — *Psal. 38.*

TRACTATVS XVII.

In illa verba: *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum,* & reliq. Luc. 24.

CVM Dominus firmissimo sensu tactus resurrectionis veritatem suæ cõprobasset, videretque adhuc quosdam esse inter illos, qui nec tunc planè crederent esse illud idem corpus, quod viderant cruci suffixum, ac mortuum, sed veluti ebrietate quadam tenerentur illorum animi, quæ non sinebat fidem ad particularia applicari, ita vt nec oculis, nec manibus fiderent suis (timemus enim credere, quod vehementer optamus verum esse, dubitãtes, ne nos in falsum gaudiũ conijciamus, quo mox simus expoliandi) Iesus tamẽ illorum infirmitati mederi nõ dedignatur, ne quid nobis diffidentiæ resideret. Quod igitur hactenùs tribus præcipuis sensibus, visus, auditus, atq; tactus cõfirmauerat, modò ad sensum gustatus & odoratus nititur comprobare *Habetis, inquit, hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.* Ad literam hic cibus piscatoribus magis erat familiaris, & pauperibus facilè parabilis: & fortassis panem non habebant, quia expressisset illum Euangelista, si habuissent, sicut aliàs solet. Ad mysterium quoque significandum magis spectabat, vt abesset panis. Nititur itaque Dominus ex omnibus vitalibus virtutibus fidem facere suæ resurrectionis, quarum vna est comedere: quia, vt dici solet, mortui non edunt, sed ipsi potiùs vermium fiunt esca. Hinc Dominus puellæ suscitatæ à mortuis cibum dari iussit ad edendum, in testimonium quòd verè viueret: & Lazarus suscitatus à mortuis, erat vnus ex discumbentibus cum Domino. Nec contentus est Christi amor, si pro nobis in creaturis exercet opera naturæ, imò etiam opera supra naturam facere voluit. Nam cùm ipse esset innocentissimus, & omnis peccati expers, præter naturam tamen innocentię pati decreuit, ac mori. Et cùm spirituale, & gloriosum corpus gestaret, edere tamen voluit, ac bibere. Sed obijcies; Sat scio per

Quid ferè timeamus credere.

Cui discipuli obtulerint Domino piscẽ assum, & fauũ mellis, non autem panem.

Prouerbium.

Marc 5.

Ioan. 11.
Infra 12.

Vis amoris Christi erga nos.

manducationem illam nõ satis humanitatem veram comprobari: quia etiam Angeli, qui ad Abraham, & ad Loth diuerterunt, comedisse leguntur, nec tamen solidis cõstabant corporibus, aut veri homines erãt. Quemadmodum Raphaël missus ad Tobiam, etiamsi edisset, bibissetque, dixit tamen: Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Quibus verbis insinuat se non verè comedisse, nec bibisse. Dicendum est ad hoc, manducationem in Angelis nõ esse assumptam ad ostendendum se vera habere corpora, vel veram & naturalem nutriendi facultatem, quam nõ habent: nec propterea vt indicarent verũ corpus, edebant, quemadmodum Christus manducauit in argumentum veræ humanitatis. Porrò Christi manducatio non erat vitæ sustinendæ necessaria, vt hæresis Cerinthi, & Mahometi docet: quæ carnales voluptates in cibo, & potu, ac Venere sitas in futura beatitudine somniant. Vt omittam quod ipsum edere, miseria quædam est, ac labor, nec sapit cibus nisi post famem, & stomachum latrantem. Curiosa autem quæstio est, si cibus erat concoctus, quale inde alimentum contraxit corpus mortale Christi. Sed iam diximus, Christum non fuisse necessitate adactum ad cibum sumendum, vt sedaret famem, sed vt liberam facultatem, & potestatem ostẽderet edendi, & ita comprobaret verum corpus. Curiosum quoque est, quid factum sit de excrementis: cùm Christus ore cibum sumeret, & in stomachum traijceret, & pro suo arbitrio, qui omnia ex nihilo condidit, illum vel in nihilum redigeret, vel in elementa, ex quibus erat cõpactus, resolueret, vel in primam materiam, siue in quicquid ei libuisset, qui vniuersorum est Dominus. Ante mortem verò quod edebat, conuertebat in proprium sanguinem, atque carnem. Vnde Gregorius Nazianzenus in Dialogo cum Basilio habito: *Sicut Sol omnem humorem subiectum consumit, sic Angeli illi Abrahæ consumebant cibos appositos, nihil in naturam; Dominus autem tanquàm ignis omnem materiam accipiens in cinerem redegit, relinquens cuique proprietatem, solum autem oleum consumit.* Et beatus Augustinus libro de ciuitate Dei: *Non enim potestas, inquit, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferretur. Vnde & spiritalia erunt: non quia corpora esse desistent; sed quia spiritu viuificante subsistent.* Et epistola ad Deo gratias: *Futuræ, ait, resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.* Et paullò antè dixit: *Aliter*

An Christus per hoc quod comedit, suæ resurrectionem sat comprobauerit.

Genes. 18.
Infra 19.
Tob. 12.

Cerinthus, ac Mahometus impij illi supremam felicitatem vbi constituant.

Aliter Angeli tres v. si Abrahæ comederunt, aliter Christus resuscitatus.

Greg. Nazia.
Gen. 18.

Aug. lib. 22. de ciuit. Dei. c. 22. tom. 5.

Idem epist. 49. tom. 2

enim absorbet terra aquam sitiens, aliter Solis radius candens: Illa indulgentia, iste potentia. Sic ille.

Quare Christus piscis assi, & faui mellis reliquias discipulis porrexerit.

Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Vt vel sic intelligerent, quòd non deluserat eorum oculos cibum edendo phantasticum, sed verum, & corporalem, quod ex reliquijs experimento discere poterant. Et quod ait, fauum mellis, Græce dicitur de apiario fauo, ad differentiam fauorum cæterorum animalium: nam & alia animalia fauos suos condunt. Sed de Citriito obtulerunt frustum faui mellis ex opere apum. Et mel calidum, antidotum est piscis humidi & phlegmatici: ideo Terra promissionis dicebatur lacte & melle manare, & pueris dabatur edendum butyrum cum melle: hinc illud: *Butyrum & mel comedet.* Iuxta mysticum autẽ intellectum, Christus comedit fauum mellis, partemq́; piscis assi: quia diuinitatem, & gloriam resurgentis comprehendit, & partem humanitatis assæ crucis tribulatione, seu charitate sua quasi igne à peccatis desiccatæ. Nobis autem largitur reliquias; hoc est, partem spiritus sui ad se cognoscendum, naturamq́ue nostram melle diuinitatis condiuit, cibumq́ue olim abominabilem, & insipidum per peccatum, Deo gratum per sua dona reddidit. Dederunt etiam fauum mellis, & partem piscis assi, id est, confessionem, ac fidem diuinitatis, fidem quoque humanitatis eius per crucem extinctę, in qua ipse vt verus agnus Paschæ assatus est. Olim edebant agnum cum lactucis amaris, modò piscem assum cum fauo mellis, id est, tribulationis cũ dulcedine Christi pro nobis afflicti, cùm olim omnes consolationes temporales in agno repræsentatæ suam amaritudinem haberent, nec satiarent. Dedit quoque nobis reliquias: quia debemus ferre crucem cum Christo, quod est edere piscem assum, si volumus de melle diuinitatis, ac resurrectionis gustare. Atque ita habes probationem resurrectionis à sensu gustatus. Ac vt argumentum ex quinto sensu odoratus præstaret; quidam sanctus meditatur, Christum insufflando in Apostolos eadem nocte, ac dicendo: *Accipite Spiritum sanctum,* suauissimo quodam, ac fragrantissimo odore eos repleuisse; vt possent dicere: *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Nam si cetus esuriens, vt B. Thomas in Iob testis est, emittit de faucibus odorem, quo allecti pisces ad eum conueniunt, vt eos deuoret: ita Christi sensibili quodam odoris lenocinio Apostolos pellicere ad se voluit, quò eos sibi magis posset incorporare, & ipsi posteà possent dicere: Christi bonus odor sumus Deo.

Num. 16.

Matth. 1. & Esai. 7.

Spiritalis intelligentia eius manducationis Christi, & porrectionis.

Exod. 12.

Consolationes temporales olim in agno repræsentatæ.

Christi argumentum suæ resurrectionis ab odoratu, iuxta B. Vincentium.

S. Vincen. ser. ser. 2. Pascha.

Ioan. 20.

Cant. 1.

Ceti propriũ. B. Thom. in c. 40. Iob. lect. 3.

2. Cor. 2.

Quare Christus veritatem resurrectionis testimonio Scripturarum confirmet, ac roboret.

Sequitur apud Lucam. *Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia,* &c. Postquàm omnibus illorum sensibus fecit satis, quò se non phantasma, sed illum ipsum, quem anteà viuum agnouerant, comprobaret, redit ad sacras Scripturas, quarum erat sacrosancta autoritas; quibus etiamsi omnes sensus reclamarent, plus esset standum. Glossa ordinaria Augustini ex libro de consensu Euangelistarum desumpta ita habet: *Omnes ambages aufert: visus est: tactus est: manducauit: & ne in aliquo sensu humanos ludificasse videretur, mittit manus ad Scripturas; vt etsi magicis artibus videatur potuisse quod voluit, sicut dicunt Pagani, saltem videant prophetare non potuisse, antequàm natus sit.* Hæc ille doctè, atq; acutè. Et in primis ait, Hæc sunt verba, id est facta, more Hebraico, sicut illud: *Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, &c.* Res siquidem dum dicuntur, fiunt verba: verbaque dum efficiuntur, euadunt res res ipsæ. Hęc ergo sunt verba, id est, perfecta verborum, quæ prædixi vobis ante mortem, executio, vt omninò scire possitis, quis ego sim Dominus, & quantus Propheta: quasi dicat, Mirari non oportet ob ea quæ sunt facta, quia nescit mentiri sacra Scriptura cœlestis Spiritus afflatu prodita. Ego etiam Prophetarum vertex fallere nõ potui, qui hæc quoque apud vos non semel vaticinatus sum. Et subdit: *Cùm adhuc essem vobiscum:* id est: Cùm mihi etiam vobiscum communis esset vita mortalis, & cùm agerem mortalis inter mortales, quomodo nunc non sum vobiscum? Videtis ergo, mea dicta cõsentire cum his, quæ prænuntiata sunt à Prophetis, euentusq́ue ipsarum rerum cum verbis meis, atque Prophetis congruentes: idcirco nõ est quòd vllo ambiguo, aut hæsitatione resurrectionis meæ teneamini.

Gloss. ordin. in Luc.

Aug. lib. 3. de consen. Euangelist. tom. 4.

Verba Hebręis facta significant, & quare.

Luc. 2.

Scripturarum veritas.

Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis, de me. Hæc sunt illa verba prædicta. Porrò, quę scripta sunt de Christo, quædam ex sola Dei voluntate pendebant, vt incarnatio eius, & ascensio; quædam autem ex hominum voluntate, vt passio: de vtrisq; autem inquit, necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt. Verùm vox, Necesse, relata ad ea, quæ ex diuina pendebant voluntate, solùm significat necessitatem immutabilitatis voluntatis Dei; relata verò ad ea, quæ pendebant ex hominum voluntate, significat necessitatem solùm consequentem, ex suppositione præscientiæ, & prædictio-

Qua ratione necesse fuerit omnia, quæ prædicta de Christo erant, in ipso impleri.

nis

nis Dei, quæ nullo modo violat humani arbitrij libertatem, vt fusiùs Theologi disputant.

Quænam scripta de Messia necessariùm sint effectum habitura.

Et addit: *Omnia quæ scripta sunt.* Non solùm præterita, & præsentia, sed & quæ futura sunt omnia: vt ascensio in cœlum, missio Spiritus sancti, Ecclesiæ gubernatio, & aduentus ad iudicium, quia iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege. Rursus ait: *Omnia quæ scripta sunt*: siue ad literam prædicant res Messiæ futuras, atque illas præmittant, siue in figuris rituum, & sacrificiorum, siue in factis aliorum magnorum virorum adumbrentur, atque obuelentur: nam his omnibus modis Messiæ præclara gesta scripta fuerunt. Et ait: Quæ scripta sunt de me: qui sum argumentum omnis Scripturæ, quæ quoquo modo aut de me est, aut ad me per creaturas tendit. Rectéq; dixit, impleri: quia confirmatio nascitur ex prædictione, vt vagina ablato gladio ligneo, & apposito vero, ac ferreo maximè impletur. Et in tres partes secat vniuersas Scripturas, in legē, Prophetas, & Psalmos: sicut Hebræi, autore Hieronymo, diuidunt eas in Thora, id est, legem, & Nebijm, id est, Prophetas, & Cherubim, id est, agiographa, inter quæ & Psalmi Dauidis connumerantur: Non quòd Moyses non fuerit Propheta, & quidē magnus, vt Scriptura eū vocat: non quòd Dauid etiā non fuerit insignis, & Regius Propheta; sed quia Pētateuchus scriptus per Mosem legislatorem, distinctus sit à cæteris Prophetarum libris. Liber quoque Psalmorum ab alijs Prophetis, tum maioribus, tum minoribus secernitur. Alibi tamen Dominus vniuersam Scripturam complectitur sub nomine legis, & Prophetarum, vt in Matthæo constat, quòd videlicet sub Prophetis & Psalmos comprehendat: quos hîc peculiariter Dominus expressit, quòd plurima Messiæ mysteria apertiùs cōtinerent. Et vt lex propter autoritatem iubendi attribuitur Patri, ita Prophetia propter perspicacitatem intelligendi Filio; Psalmorum verò liber, propter suauitatem orādi, sancto tribuitur Spiritui, qui ferè cæteris apertiùs non tantùm mortem, & resurrectionem, sed etiam vniuersa Messiæ mysteria, atque minutas eorum circunstantias vnus complectitur. Cuius rei vt gustum aliquem præbeam, vide in primis de generatione Verbi æterna esse dictum: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*: de æqualitate eius cum Patre: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: de incarnatione: *Descendet sicut pluuia in vellus; & sicut stillicidia stillantia super terram*: de natiuitate: *Homo natus est in ea; & ipse fundauit eam Altissimus*: de adoratione Magorum: *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent*: De præsentatione in templo: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*: de Baptismo: *Vox Domini super aquas; Deus maiestatis intonuit*: de victoria tentatoris: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*: de prædicatione salutari: *Diffusa est gratia in labijs tuis; proptereà benedixit te Deus in æternum*: de lege noua per eum ferenda: *Lex Domini immaculata, conuertens animas*, &c. de sermone eius parabolico: *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio*: de eius ieiunio: *Operui in ieiunio animam meam; & factum est in opprobrium mihi*: de paupertate, & mendicitate: *Ego autem mendicus sum, & pauper. Dominus solicitus est mihi*: de potentissimis eius miraculis verbo tantùm factis: *Misit verbum suum, & sanauit eos; & eripuit eos de interitionibus eorum*: de zelo, quo eiecit vendentes & ementes: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*: de Christi innocentia: *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabā*: de reprobatione Scribarum, & Pharisæorum: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: de introitu in die Palmarum: *O Domine saluum me fac, ô Domine benè prospera re: Benedictus qui venit in nomine Domini*: de laudibus à pueris exhibitis illa die: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos; vt destruas inimicum & vltorem*: de proditione Iudæ: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*: de amissa Apostolatus dignitate: *Episcopatum eius accipiat alter*: de instauratione Eucharistiæ: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec*: de consilio Herodis, Pilati, & Iudæorum contra Christum: *Quare fremuerunt Gentes; & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*: de fuga Apostolorum: *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi*: de falsis testibus productis: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabant interrogabant de me*: de iniusta flagellatione: *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*: de aceti potatione: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*: De Christi silentio: *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*: de vulneribus manuum, ac pedum: *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea*: de vestium diuisione, ac sortitione: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: de dereli-

Margin notes (left): *Matth. 5.* — Ea cur Christus dixerit implenda. — *Hieronymus* Hebræi Scripturas vti diuidant, teste Hieronymo. *Exod. 11.* — Quare Christus legem, & Psalmos à Prophetis separauerit. — *Matth. 7. 11. & 22.* — Lex, Prophetia, & Psalmi diuinis vti personis respondeant. — Quàm clarè, atque distinctè de vniuersis Christi mysterijs Dauid fecerit vaticinatus. *Psal. 2. Psal. 109. Psal. 71. Psal. 68.*

Margin notes (right): *Psal. 71. Matth. 2. Luc. 2. Psal. 47. Matth. 3. Psal. 28. Psal. 90. Matth. 24. Psal. 44. Psal. 18. Psalm. 77. Matth. 13. Psal. 68. Matth. 4. Psal. 39. Psal. 106. Ioan. 2. Psalm. 68. Psal. 108. Psal. 117. Matth. 21. Ibidem. Psal. 117. Matth. 21. Psal. 8. Ioan. 13. Psal. 40. Psal. 108. Actor. 1. Psal. 109. Matth. 26. Psal. 2. Psal. 87. Matth. 26. Ibidem. Psal. 34. Ioan. 19. Psalm. 34. Psal. 68. Matth. 27. Ibidem. Psal. 37. Psal. 21. Ibidem. Matth. 27.*

Psal 21. Matth. 27. Ibidem. Psal. 21. Luc 23. Psalm 30. Psalm 87. Psal 16. Psal 87. Psal 3. Psal 92. Psal 106. Ibidem. Matth vlt. Psal 71. Ibidem. Psal 95. Ibidem. Ibidem. Ephes 4. Psal 103. Act 2. Psal. 18. Rom 10. Psal 21. Psalm 87. Psal 2. Psal 58. Ibidem. Psal 96. Psal 71. Psal 49.

derelictione in cruce: *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?* de irrisionibus, quibus eum pungebant in cruce: *Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum:* de commendatione Spiritus in manus Domini: *In manus tuas commendo spiritum meum:* de sepultura: *Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebris, & in vmbra mortis:* de incorruptione sepulcri: *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* de dominio in inferno: *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber:* de resurrectione: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi:* de gloria resurgentis: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se:* de eductione Patrum ex limbo: *Contriuit portas æreas; & vectes ferreos confregit,* & iterum, *Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis; & vincula eorum dirupit*: de potestate data Christo in resurrectione in cœlo, & in terra: *Et dominabitur à mari vsque ad mare; & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*: de qualitate regni Christi: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*: de ignominia crucis conuersa in eius gloriam: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*: de ascensionis mysterio: *Ascendit super cœlum cœli ad Orientem*: de præda sanctorum Patrum in cœlum aduecta: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus*: de missione Spiritus sancti in Apostolos: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ*: de Apostolorum in vniuersum orbem destinatione ad prædicandum Euangelium: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: de Ecclesia regenita per Baptismum: *Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus*: de excæcatione Iudæorum: *Obscurentur oculi eorum, ne videant; & dorsum eorum semper incurua*: de vocatione Gentium: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: de Iudæorum dispersione per vniuersum orbem: *Disperge illos in virtute tua; & depone eos protector meus Domine*: de conuersione reliquiarum Israëi: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes; & circuibunt ciuitatem*: de igne conflagrationis præcedente iudicium: *Ignis ante ipsum præcedet; & inflammabit in circuitu inimicos eius*: De aduentu Christi ad iudicium: *Deus iudicium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio*: & iterum; *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit*: Facilè fuisset hunc sermonem magis locupletare, sed non iudicaui operæpretium: tantum admoneo, partim quæ dicta sunt, ad literam propheticè prædicta, partim mysticè producta. Facilè quoque fuisset hoc idem ostendere in Prophetarum libris, in quibus etiam Domini gesta continentur, siue propriè, siue in alijs historijs adumbrata: sed ne prolixior sim, consultò prætermitto.

Sacræ scripturæ quo sint intelligendæ spiritu.

Quoniam verò sacræ literæ non alio spiritu sunt intelligendæ, quàm eo ipso quo sunt dictatæ, qui est spiritu Iesu: hoc eodem spiritu corda eorum penetrante subitò instructi sunt Apostoli, quia sequitur: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Et per sensum, & mentem non intelligas sensum Scripturæ, sed sensum & mentem hominis. Vnde dicitur, διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν; hoc est, aperuit illorum mentem. Manifestè se Christus Deum prodidit, quia hoc diuinum opus est donare piscatoribus, vt Prophetarum intelligerent Scripturas: & hoc statim sine vlla mora maius est, quàm Salomonem vna nocte sapientem reddere: quia ille in his, quæ naturæ sunt, edoctus fuit; hi verò in diuinis, & quæ supra naturam sunt. Expende verbum illud, Tunc, scilicet gustato, ac cognito Christo: alia est enim cognitio sacrarum literarum, quam quis habet ex aliorum lectione, & quæ est veluti canis insequens alios canes post prædam currentes; alia verò, quæ ex gustu & cognitione Dei habetur, & quæ non est absimilis cani leporem visum & odoratum consectanti. Hinc dicebant Samaritani, qui priori modo Christum nouerant, & posteà per se ipsos promeruerunt agnoscere: Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi. Tûc etiam maximè post resurrectionem, in qua clauditur incarnationis mysterium, atque passionis, & reliqua tempore vitæ suæ peracta. Hinc etiam apparet causa, cur verbum crucis fuerit ab eis absconditum, nondum enim eis aperuerat sensum; vt intelligerent Scripturas, aut verba sua, quæ scriptis non sunt, aut authoritate, aut veritate inferiora. Hinc in Deuteronomio alia lex, & aliud fœdus videbatur, postquàm dedit cor ad intelligendum, quàm prius videretur; cùm tamen eisdē verbis pronuntiatum fuerit. Hinc quoque secundò apparet, quòd Scriptura in multis sit obscura: quia loquitur filijs, ne alieni irrumpant. Quòd si in ea multa operta, & clara inueniantur; humanum tamen ingenium, & scientia ad illa sine spiritu Dei nō potest attingere, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est

Luc vlt. Quo sensum Dominus aperuerit Apostolis, vt intelligerent Scripturas.

4 Reg. 3. Apostolorum cum Salomone comparatio.

Duplex cognitio spiritualis, & qualis vtraque sit.

Ioan. 4.

Luc. 18. Cur verbum crucis ab oculis discipulorum fuerit absconditum.

Deut. 29.

Exod. 19.

Obscuritatis Scripturarum quæ causa sit.

1 Cor. 2.

est mi, & non potest intelligere, nisi Deus reuelet, qui pro sua sapientia potiùs simplicibus, & humilibus reuelat, quam superbis: *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: at Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Quia ergo scientia inflat, & illa erat per Christum in quibusdam deijcienda; propterea teste Apostolo, pauci nobiles, & sapientes, & potentes ad Euangelium vocati sunt. Confitendum tamen est, quòd scientiæ liberales, & multarum rerum peritia, atque eloquentiæ studium ad ea, quæ spiritu perceperis, facilè explicanda, & alijs tradenda conducibilia existant. Obserua quoque tres esse hominum ordines. Primus est eorum, quibus Scripturæ à Doctoribus aperiuntur: at quia non habent spiritum, quo Scripturæ sunt conditæ, mendici sunt, & potiùs est eis aperta memoria. Secundus eorum, quibus tantùm intellectus aperitur, vt sunt interdum peccatores, qui de Scripturis subtiliter disserunt, qui de verbis vitæ disputando, vt quidam dixit antiquus, mortis lucra sectantur. Tertius eorum est, quibus propter diuinę sapientię vnionem euidentior videtur sensus. Deteguntque hoc loco. Scripturas ex se esse tanquàm clarissimum Solem, sed causa cur non illuminent hominum sensus, in eo posita est, quia in tenebris homines versantur, clauéq; Dauidis, quæ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, hoc est, Christo, sunt destituti, intellectuśque sui sensum ad humana apertum, & ad diuina habent clausum, vt Iudæi, de quibus testatur Apostolus, quòd vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: sed Christus aperit, vt extendatur ad diuina, & per lumē ipsius particeps fiat æternitatis. Mens autem est magis intensè apperta, aut extensè, pro ratione temporis, aut loci, aut necessitatis, aut libertatis diuinæ: nam dignus est agnus, qui occisus est, aperire librum, & soluere septem signacula eius: & qui hîc dignatur aperire mentem, vt intelligamus Scripturas, in vita æterna aperiet cum sensu, vt intueamur aptissimam veritatem, id est, Verbum æternum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. *Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Hierosolyma.* Sensus est: quoniam sic scriptum est, & consequenter oportebat euenire, id est, illam rationem, ordinem, ac modum seruari, qui seruatus est: sic erat præuisum, & prouisum; & ideo in Scriptura, quæ partem prudentiæ, ac prouidentiæ Dei declarat, continentum. Quamobrem cùm Euangelistæ plerumque dicere solent: Vt impleretur quod dictum est per Prophetam, argumentatio est à posteriori: quia fideles viatores, & needum videntes in Verbo rerum ideas, decreuit Deus per Scripturarum Canones gubernari: quemadmodum qui Grammaticæ dat operam, per regulas Don[ati] ad tempus regitur, donec perfectè illam [sci]entiam consequatur, atque ex Cicerone, & classicis autoribus linguæ Latinæ facultatem addiscat, Donati præceptionem penitùs oblitus. Ac discipuli quidem Christi, sicut & hodiè faciunt Iudæi, ad Scripturas tantùm, quæ erant de gloria Messiæ, spectabant, & non ad eas, quæ de Christi cruce, & ignominia verba faciebant. Et cùm ea quæ ad gloriam faciunt, æterna sint: necessariò consequens est, vt ea quæ ad afflictionem pertinebant, tanquàm temporaria priùs implerentur: ita & nobis dictum intelligamus, quæ scripta sunt de gloria nostra: quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt, & ea etiam, per quæ omninò penetratur, & perrumpitur ad gloriam, id est, ignominiosa, laboriosaque. Subdit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Vt intelligas cessationem sacrificiorum legis, & abrogationem veteris expiationis peccatorum ex Christi scientia, & voluntate profectam: & quod attinet ad iustificationem, & remissionem peccatorum, satis esse pœnitentiam in Christo sine lege, & cæremonijs. Et coniungit hæc duo, eo quòd pœnitentia opus sit humanum, non sine Dei gratia; remissio verò peccatorum solius Dei opus est. Verùm pœnitentia sine peccatorum remissione nihil valet: & remissio peccatorum sine pœnitentia dari adultis minimè consueuit. Et significatur, pœnitentiam prædicari oportere in nomine Christi præuiam ad remissionem peccatorum, quam operatur Christus: sicut piscis assus præcedit ipsum mel, vt ponderat Eusebius in Catena aurea beati Thomæ. Ita ergo passio, & resurrectio Christo fructum edidit nobis morientibus primùm peccato, & ad vitam gratiæ resurgentibus. Addidit, *In nomine eius*. Hoc est, pœnitentia, & remissio peccatorum prædicetur ad gloriam, & nomen Christi illustrandum: quilibet etiam alteri remittat offensas propter gloriam nominis Christi, qui illud præcepit. Vel in nomine eius, id est, in eius persona prædicetur, vt Paulus ait: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; & rursus, *Num & ego*

quod

Marginalia (left): Matth. 11. — Iacob 4. — 1. Cor 8. — Supra 1. — Quare pauci nobiles, & sapientes, ac potentes ad Euangelium vocati sint. — Hominum ordo triplex. — Apocal 3. — Iudæorum cæcitas. — 2. Cor 3. — Apoc 5. — Coloss. 2.

Marginalia (right): Cur Deus ... Scripturis nunc doceat & instituat. — Documentum. — Vnde cessatio sacrificiorum legis & abrogatio veteris expiationis peccatorum [...]. Cur pœnitentia & remissio peccatorum hic Christus meminerit. — Eusebij Emiseni ponderatio. — Quid sit in nomine Christi prædicari pœnitentiam. — Luc 6. — Matth. 5. — II. sensus. — 2. Cor 5. — Ibidem.

III. sensus. Esai. 53. 1. Pet. 2. Matth. 4.

quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi. Tertius sensus est: In nomine eius, hoc est, ob eius exemplum, qui cùm peccatum non fecerit, egit tamen ipse primus, & prædicauit pœnitentiam, & peccanti humiliato parcit. Nam ad omnis peccati absolutione in impetrandam peccator se Christi pallio defendit: ipse etiam Dominus autoritate remittit sicut Sacerdos verbi, aut Sacramenti ministerio. Et subiungit: *In omnes gentes.* Quod mysterium est à seculis absconditum, gentes videlicet esse promissionum Dei participes: & non tantùm in gẽtes, sed in omnes, quia pro omnibus vulneratus est, qui diues est in omnes, qui inuocant illum. *Incipientibus ab Hierosolyma.* Intellige prædicationem inchoandam ab Apostolis ab Hierosolyma. Et verbum, Incipientibus, regitur à verbo prædicari, vt videlicet fructus incipiat, vbi primum seminatum est granum; & quia multa quę erant prædicationis materia, in ea ciuitate sunt gesta; & quia illi populo promissiones Euangelicæ primùm factæ erant; & vt doceatur peculiariter passus pro crucifixoribus, & ne possint Iudæi calumniari, quòd ad Gentes priùs diuerterit, quàm ad eos; & vt impleantur promissa de Gentibũ in Christum ingressu; & vt illi cum certa fiducia ingrederentur, videntes quòd etiam hostibus, qui ipsum cruci suffixerant, pepercerit. Quatuor autem refert fuisse à Prophetis prædicta, & ob id necessaria. Primum, eius passio, de qua Esaias: secundum, resurrectio, quæ fuit in typo Ionæ adumbrata: tertium, quòd in nomine eius esset prædicanda pœnitentia, & peccatorum remissio: *Parùm est*, inquit, *vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Quartum erat, hanc prædicationem exordiendam ab Hierusalem, quod prædixerant Esaias, & Michæas: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et in ciuitate sua cœpit Christus primus prædicare pœnitentiam, & dicere, *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et post pœnitentiam à se in cruce peractam, iterum illam iubet prædicari per Apostolos, vt habes ex hoc loco, & in Actis Apostolicis.

Quodnam mysterium à seculis absconditum, secundum Apostolum. Ephes. 3. Rom. 10.

Quare Christus prædicationem ab Hierosolyma inchoandam præcepit.

Quatuor præ dixerunt Prophetæ de Christo, ob idque necessario implenda. Esai. 53. & seq. Ioan. 2 & seq. Matth 12. & 16. Esai. 49. Isai 2. Micha 4. Matth 4. Act. 2 & 5.

Vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto. Id est, Hæc à vobis tanta virtute sint prædicanda, quasi testes oculati omnium extiteritis: quia quod quisque nouit, & sensibus hausit, vehementiùs prædicat, secundùm illud: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Consultò autem elegit tam paucos, ac tales, id est, Galilæos, idiotas, & magna ex parte rerum humanarum ignaros; vt ea ratione magis splendesceret virtus Christi, gloriaque crucis eius magis corusçaret. Et videntur hæc conferenda ad diem Ascensionis, in qua dixit: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: & ideo verbum præsens, Estis, capitur pro futuro, Eritis, vt dicitur Actor. 1. *Et conuescens, præcipit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, Quam audistis (inquit) per os meum.* Quæ videntur his quæ habentur hîc, esse consona: nam sequitur: *Et ego mittam promissum Patris mei in vos.* Et hæc aptè quadrant his quæ præmisit de missione illorum ad prædicandum, & testificandum: quemadmodum missurus Rex ad bellum milites, inermes nequaquàm mittit, sed munitos, ac benè armatos. Et est sensus: Ne fortè dicatis; Pauci sumus, idiotæ, & infirmi: quomodo tantum munus aggrediemur? Respondet: Ego mittam in vos Spiritum sanctum à Patre meo, per Ioëlem prædictum. Subdit: *Vos autem sedete in ciuitate.* Id est; Antequàm testimonium dare de me auspicemini, sedete quieti, quoadusque veniat Spiritus sanctus, qui tantis vos donis repleat, vt virtus diuina sit vobis tanquàm indumentum quoddam: quoniam exteriùs apparebit tãquàm vestimentum quoddam tegens naturalem ignorantiam, & impolitæ linguæ ruditatem. Adhæc splendebit foris in varietate linguarum, & dæmonum expulsione, in sanitatum operatione, signorumque multitudine: ita vt non sitis vos qui loquimini, qui prædicatis, qui dæmonia pellitis, qui sanitates operamini, vel signa editis, sed spiritus Patris vestri; qui in vobis, & per vos cuncta hæc operabitur. Rectéque ponderat Gregorius: *Nisi sancti Spiritus vnctio interius doceat, frustrà prædicator exteriùs laborat.* Nec est aliena à Propheticis literis hæc phrasis induendi aliquem virtute ex alto. Nam Iudic. 6. habetur; *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.* Pro quibus Septuaginta interpretati sunt καὶ Πνεῦμα Θεοῦ ἐνεδυνάμωσε τὸν Γεδεών: hoc est, Spiritus Domini fortificauit Gedeonem. Eadem verba, quæ de Gedeone dicta sunt, habentur 1. Paralip. 12. de Amasai Principe, & 2. Paralip. 24. de Zacharia Sacerdote filio Ioiadæ. Et certè mirum esse non debet eos, qui per Baptismum induerunt Dominum nostrum Iesum Christum, & nouum hominẽ, indui quoque eiusdem

Ioan. 3.

Quare Christus viles piscatores, & idiotas ad prędicandum elegerit. Act. 1.

Ibidem.

Actor. 1.

Quales miserit Apostolos ad prædicandum Christus.

Ioel 2. & Act. 2.

Quid illud: Donec induamini virtute ex alto.

Matth. 10.

Gregor. Vnctio sancti Spiritus quàm prędicatori necessaria.

Effectus Spiritus sancti. Gal. 4.

Christi Spiritum, qui eloquentiam, & linguarum notitiam præstat, quia scientiam habet vocis: signa operatur, quia digitus Dei est: patientiam, & sufferentiam in aduersis suggerit, quia spiritus lenitatis est: consolatur in tribulationibus, quia Paracletus est: veraces & sapientes reddit, quia spiritus est veritatis, & sapientiæ: infirmos denique, ac imbecillos roborat, quia virtus Altissimi est. Expende verbum: *Sedete in ciuitate.* Vniti, & congregati propter imbecillitatem vestram. Nam imperfectos simul esse, vt mutuam sibi inuicem operam præstarent, maximè conueniebat: verùm vbi sunt virtute diuina muniti, atque ex alto induti, dispersit eos Spiritus sanctus: quemadmodum grana dum seruntur, sparguntur, vt plus fructificent.

Sapient. 2.

Luc. 11.

Ioan. 16.

Luc. 1.

Cur sedere Apostoli debuerint in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto.

Sed obijcies fortassis; Quomodò Christus dicit: *Ego mittam promissum Patris mei in vos,* de futuro; cùm tunc dederit Spiritum sanctum insufflando in eos? Sed hoc facilè soluitur; datum tunc Spiritum sanctum sub specie flatus occulta, & illis paucis ad fructum remittendi peccata; posteà verò publicè, & abundanter, & omnibus in forma linguarum ignearum, ad prædicationem, & testificationem Euangelij. Ex quo saluberrimum percipere possunt prædicatores documentum; ne se videlicet muneri prædicandi exponant, antequàm agnoscant se Spiritus sancti donis refertos. Quãquàm si obedientia aliter præscribat, pertinaciter non est reluctandum, sed certi esse debemus, Christum, & Spiritum sanctum esse nobiscum: maximè si ea prædicamus, & docemus, quæ ipsemet docuit: quandoquidem disseminando verbum Dei, nihil aliud facimus quàm quòd eorum qui nos audiunt, interiorem Dei inspirationem adiuuamus, vt faciant quod intus inspirantur. Illi namque vera nos docere inspirantur; ac ad ea, quæ prædicamus, opera præstanda impelluntur. Nos quoque nostro facto inspirationem nostram sequimur, qua iubemur superiorum mandatis impulsi alios docere, & ab ea inspiratione, atque doctrina fructum desideratum expectare, quò illustretur gloria Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto æternis gaudijs, ac felicitate perfruitur in cunctis seculis. Amen.

Quomodo Christus Apostolis pollicetur se daturũ Spiritum sanctum, cum tamen tunc dederit insufflando in eos? Ioan. 20. Act. 2.

Prædicandi munus quando aggrediendum.

(∴)

TRACTATVS XVIII.

In quo disseritur de institutione cõfessionis, in illa verba: *Dixit ergo eis iterum Iesus, Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit: & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

HÆc Verba illa eadem nocte, qua Dominus Iesus Apostolis apparuit, dicta sunt; & ob eam causam à Ioanne repetita est illa apparitio Apostolis sub vesperam diei facta, vt non tantùm adiungeret quæ alij omiserant de Thoma absente, & post octo dies eius gratia ad illum cum Apostolis coniunctum reuerso, sed vt etiam suppleret hanc Sacramenti absolutionis institutionem, quæ magnifica est in se ipsa, nobis verò maximè salutaris, & de qua post diuturnam tot seculorum præscriptionem nostræ tempestatis hæretici bellum nobis indixerunt, ac litem grauissimam intenderunt. Vt autem nos huius controuersiæ perplexos, atque implicitos sinus, ac nodos faciliùs expediremus, consultò in hunc tractatum illos explicandos seruauimus. In primis igitur obserua, salutationem illam, Pax vobis, fuisse à Domino replicatam: quia nobis sua morte pacem gratiæ, & gloriæ, pacem item animæ & corporis comparauit. Donauit etiam geminam pacem, internam Deo, & externam cum fratribus. Ac subdit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Post resurrectionis suæ veritatem confirmatam, suam illis functionem, & officium iniungit: quasi diceret; Ego perfunctus legatione mea, redeo ad Patrem, à quo missus sum in mundum; ita & ego mitto vos, vt legatione Euangelica perfungamini. Id est, Proptereà dixi, Pax vobis; quia & ego ex obedientia Patris mortem sustinens, pacem feci vobis, & per vos mitto pacem toti mundo. Hinc Paulus ait: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Et paulò superiùs dixerat: *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, hoc est, Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ, quorum administratio ad Apostolos spectat, & per illa homines Deo reconciliantur, atque in eius gratiam redeunt, & amicitiam. Sicut ergo misit

Cur Ioannes Euangelista huius ... repetierit ... sub vesperam ... el Apostolis facta meminerit.

Quare ... Apostolis ... Pax vobis.

Quid est ... misit me Pater, & ego mitto vos.

2. Cor. 5.

Ministerium reconciliationis, ... Apostolis ...

misit me Pater, vt pacem facerem, & annunciarem, ita ego mitto vos, vt pacem verbo annuntietis, illamque cum alijs intermedijs Sacramentis perficiatis. Vt ministros enim Euangelij pacis vos mitto, de quibus Propheta pronuntiat: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*: post pacem enim, id est, reconciliationem cum Deo, promittunt bona æternæ vitæ. Affert igitur acceptantibus Euangelium pacem, sicut recusantibus, bellum indicit, æternæque gehennæ supplicia interminatur. Daturque his verbis autoritas prædicandi, & pretiosas Christi diuitias dispensandi, hoc est, remissionem peccatorum, gratiam, & iustitiam. Et sicut me misit Pater, vt Euangelium ministrarem vsque ad sanguinis profusionem, atque plagarum impressionem, ita & ego mitto vos huius Euangelij disseminandi gratia; vt & propter illud, si contingat, carceres, flagella, vulnera, & mortem ipsam sustineatis. Et dicendo, Mitto vos, suam autoritatem, & diuinitatem declarauit, ostendens se Patri æqualem in mittendo: Apostolorum item excellentiam denotat, dum illos in delegato sibi officio pares facit, & traditæ olim sibi potestatis vicarios, & cum plena autoritate alios mittendi, & remittendi peccata; perinde atque Reges suis legatis plenam autoritatem tradere solent, promittentes se ratum habituros, quicquid illi prudenter suo egerint nomine. Sed quia hæc potestas, & gratia spiritualis est, & non potest hominibus competere, nisi ex dono Spiritus sancti; ideo prius illis Spiritum sanctum largitur in sensibili signo Spiritus ipsi conuenienti, scilicet inspiratione, & insufflatione, de qua ait Textus, *Et cùm hæc dixisset, insufflauit*. Dixerat suprà Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.* Vt primùm igitur gloriam ex resurrectione est consecutus, mox cœpit Spiritum suis sensibiliter impertiri, copiosiùs largiturus, cùm perfectam per ascensionem, & sessionem ad Patris dexteram adeptus est gloriam.

Hæc cùm dixisset, insufflauit: & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Vt olim Sacerdotes noua cæremonia creati sunt, id est, lotione, & vnctione, vt in Exodo habetur, ita Christus insufflatione, hoc est, communicatione sui Spiritus in flatu significati, ad facultatem remittendi peccata, Sacerdotes nouos promouit, sicut in cœna ad offerendi sacrificij potestatem iam creauerat, ac designauerat. Ac vt olim Deus insufflauit spiraculum vitæ, vt fieret homo in animam viuentem, ita idem insufflat animam peccato mortuam, vt viuat per Spiritum sanctum. De hac autem insufflandi cæremonia, qua ad pellenda, ac dissoluenda peccata significatur potestas, de qua loqui videtur Esaias, cùm ait: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*: nam vt vento delentur nubes, ita potestate per insufflationem data Apostolis remittuntur peccata. Et Nahũ Propheta: *Et nũc*, inquit, *conteram virgam eius* (scilicet Asserij) *de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.* Et subdit: *Ecce super montes pedes Euangelizantis, & annuntiãtis pacem*, de qua cùm Christus instituit Sacramentum, dixit, *Pax vobis*. Et paulò post de Cyro, qui typus est Christi, subiungit: *Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem.* Vbi Septuaginta interpretes habẽt: *Ascendit qui insufflat in faciem tuam, eruens de tribulatione*, id est, ex vinculis prædictis, & captiuitate. Insufflabant olim exorcistæ in faciem energumeni, & Deus per Ezechielem ait: Ecce ego intromittam in vos (hoc est, in ossa arida) spiritũ, & viuetis: hoc est, insufflabo in vos spiritum vitæ ad resurrectionem: ita in Apostolos insufflauit ad resurrectionem primã spiritus. Cyril. in commentarijs super verba Nahum Prophetæ: *Hoc est*, inquit, *insufflandi genus sumptum ex consuetudine Hebræorum non scripta, sed tradita, sicut scindere vestes in blasphemijs, quod Paulus, & Barnabas in Lycaonia, & Cayphas fecerunt: ita consuetudo erat quibusdam sibi vendicare, quasi insufflando in faciem ægrotantis morbum depelleret. Ex qua consuetudine sumpsit Propheta hoc exemplum: quod fuit typus Christi, qui insufflauit in faciem discipulorum, significans curationem ægritudinis spiritualis*, Theodoritus quoque in eadem verba Prophetæ eandem insufflationem Domini accommodat. Etsi autem potuisset Dominus Spiritum sanctum inuisibiliter Apostolis sine insufflatione dilargiri: voluit tamen pro sua sapientia illam adhibere flatus cæremoniam, vt se Deum ostenderet, qui olim insufflauit in Adam, & quia Sacramentum instituebat nouum constans verbo, & elemento, & quia vento, siue flatu rectè adumbratur Spiritus sanctus: vt enim ille sub aspectum non cadit, effectus tamen operatur, qui in oculos incurrunt; ita Spiritus sanctus in homine delitescit, per effectus tamen doni linguarum, vel prophetiæ, vel sermonis sapientiæ, vel futurorum prædictionis se prodit. Adhæc, vt indicaret patientiæ vim, & efficaciam in communicandis Dei charismatibus: tam facilè enim, ac expeditè id facere vellet, ac si ore suo flaret, quod constat cuiq; esse animãti promptum. Indicauit etiam flatu illo

Margin notes (left): Esai. 52. & Rom. 10. — Christi autoritas, Apostolorumq. dignitas quanta. — Ioan 7. — Quare Christus Apostolis insufflando dederit Spiritum sanctum. Exod. 29 & seq. Vnctus mos creandi Sacerdotes. Matth. 26. Gen. 2.

Margin notes (right): Esai 44. Qu. dicit: Deleui & nubem peccata tua. — Nahum 1. — Cyrus Rex Christi typus. Infra 2. — Septuaginta interpret. — Ezech. 37. — Cyrillus in Nahum. Hoc genus insufflandi apud Hebræos vnde descenderit. Act. 14. Matth. 26. — Theodor. in Nahum pa. 1. — In flatu Spiritus sanctus à Domino cur datus. — Genes. 2.

Cyrill lib. 12. in Ioan. c. 36. initio, tom. 1. Aug. trac. 119 in Ioan. to 9. Eccles. 8.

Spiritum sanctum à se procedere, vt docent Patres Cyrill. & Augustin. scribentes in Ioannem. Ac vt flatu ignis accenditur, & nutritur in ligno, & ignis extinguitur, vt in candela; ita illa potestate per flatum data extinguitur ignis peccati, de quo: *Ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*: & ignis charitatis, quem Iesus venit mittere in terram, nutritur. Et si verò hæc potestas remittendi peccata non minus sit Patris, & Filij, quàm Spiritus sancti: quia tamen ex mera Dei gratia, & dono donatur, idcircò adscribitur Spiritui sancto, vt Marius Victorinus lib. de Trinitate indicat. Præterea moris est hominibus beneficentia, & liberalitate illustribus, & diuitias nuper comparatas largè cum charis profundere, atque in amicos partem earum conferre: etsi igitur Christus spiritum futuræ resurrectionis acquisierit, nondum tamen placuit alicui illum communicare, sed in diem iudicij communicadum suis seruauit. Spiritum tamen primæ resurrectionis libenter impertitus est, vt eo à morte peccati ad vitam gratiæ resurgere possint, de quo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Et Euangelium, & Sacramenta administraturis datur Spiritus sanctus, sine quo Christi mysteria nec intelligi, siue credi possent: nec rectè sine illo, qui lingua est spiritualis, explicari, atque alijs proponi possunt. Nec tantùm illis datur potestas prædicandi Euangelium, vt sacramenta administrandi, sed etiam peculiariter Sacramentum instituitur reconciliationis, in quo Sacerdotes præmissa pœnitentiam agentium confessione, tanquàm ministri Dei absoluunt: at verò Deus ratum habet, quicquid ab eis claue non errante decernitur. Et vt modò sacramenta elemento perficiuntur, & verbo, ita Christus cæremoniæ flatus adiunxit verbum: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Pulchrè autē Dominus in die Paschæ post resurrectionem hoc Sacramentum instituit: non solùm vt intelligamus illos rectè Pascha celebrare, qui à peccatis mundantur; verùm etiam vt intelligant peccatores qui volunt per Sacerdotes absolui, oportere esse prius à morte excitatos peccati per virtutē contritionis extincti, aut saltem ita esse per pœnitentiam talem, etsi minùs perfectam, (quam Theologi attritionem vocant) dispositos, ac præparatos, vt salubriter, & cum fructu absolutionem valeant recipere. Est enim hoc Sacramentum instar iudicij cuiusdam institutum. Et quoniam iudicium requirit cognitionem causæ, & confessionem ipsius rei, & iustam pœnæ inflictionem; propterea præmisit, *Accipite Spiritum sanctum*. Sicut enim princeps reos nondum humiliatos, & necdum vitæ melioris emendationem concipientes minimè absoluit, nec pro absolutis habet: ita Deus non quoslibet pro libidine Sacerdotis absoluentis admittit ad reconciliationem, nisi eos, qui vitam priorem detestātes, nouum sanctioris vitæ propositum induant. Quare vt intelligerēt Sacerdotes hoc tantum donum prouidenter esse dispensandum, non ad hominum, sed Dei voluntatem; *Quorum remiseritis peccata*, præmisit, *Accipite Spiritum sanctum*: vt rectè annotauit Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. Hic autem Spiritus sanctus datus est non ad eorum sanctificationem, quam iam habebāt, sed ad nouum charisma remittendi peccata, quod prius non habebant. Ita enim plerumq; capitur Spiritus sanctus: vt cùm sæpè in Actis dicitur descendere Spiritus sanctus in fideles ad conferendum donum linguarum, & in illis ad Christum illustrandum. Vnde Chrysostom. in Ioan. hæc edisserens verba: Non tamen (inquit) *quispiam erraret, si tunc eos potestatem quandam, & gratiam spiritualem accepisse diceret, non tamen vt mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent, sed vt peccata dimitterent: differentes enim sunt gratiæ spiritus: quare addidit: Quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt: ostendens, quòd virtutis genus largiatur*. Hæc ille, quæ nos necessariò amplecti cogimur: nam plerumque qui promouentur ad Sacerdotium, si indignè accedant, gratiam gratum facientem non accipiunt; quos nihilominùs charisma, siue potestatem remittendi peccata nemo negabit percipere, quæ ad gratias spectant gratis datas. Miratur autem sine causa Caluinus, quòd hæc potestas insit malis, ac reprobis hominibus. Sed miretur de prophetia à Deo data Balaam, Sauli, & Caiphæ: miretur de Apostolatu collato Iudæ, & alijs similibus. Quàm verò sublimis, & excellens hæc Sacerdotū Noui Testamenti potestas, & maior potestate legalium Sacerdotum, & secularium Principum, eleganter ostendit Chrysostomus lib. de Sacerdotio. Quomodo autem vera sit hæc sententia in Sacerdotibus, quos Episcopi eisdem verbis consecrant, dicentes: Quorum remiseritis; cùm tamen verè nō remittant, nisi etiam illis adiungatur potestas iurisdictionis: respondemus, Christū Apostolis ante illa verba dixisse: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; quibus verbis legati ad omnes gentes destinantur, datúrque illis amplissima iurisdictionis autoritas in omnes.

Left margin notes:

Luc. 12.

Potestas remittendi peccata cur Spiritui sancto attribuitur

Marius Vict. li. 3. de Trini.

Beneficorum hominum, ac liberalium ingenium.

Ephes. 5.

Spiritus sanctus quibus maximè sit necessarius.

His verbis Dominus, Accipite Spiritum sanctum, quam amplā Apostolis potestatem contulerit.

Quomodo nunc Sacramenta perficiantur.

Quare Christus die Paschæ post resurrectionem pœnitentiæ Sacramentum instituerit. Pascha ritè qui celebrent.

Iudicium tria exigit.

Right margin notes:

Simile.

Reconciliati[illegible] on[illegible] bene[illegible] Deus q[illegible] conferat

Cur h[illegible] verbis: Q[illegible] remiseritis peccata, &c. Dominus [illegible] misit: Accipite Spir[illegible] sanctum, [illegible] Dionysio

Dion[illegible] Ar[illegible] pag. de Eccl[illegible] Hier. c. 7. par 3. paullò p[illegible] medium

Act. 2. 8. & 10.

Chrys. [illegible] 8. in Ioan. tom. 3.

[illegible]

Num. 24.

[illegible]

Sacerd[illegible] noua [illegible] ganter, [illegible]

Chry[illegible] de Sa[illegible] tom. 3

Vt vera [illegible] hæc [illegible] in S[illegible] bus, q[illegible] scop[illegible] verba [illegible] crant, d[illegible] tes. Q[illegible] remis[illegible]

&c nisi ad om... potestas iurisdictionis.

omnes. Ideo quod sequitur, Quorum remiseritis, sensum facit inter eos, ad quos vos mitto: Quorum remiseritis. At cùm Sacerdotibus non dicantur ea verba, Et ego mitto vos: quæ sequuntur, etsi eodem sensu ad eos pertineant, quo dicta sunt ad Apostolos, absoluere tamen eorum verborum virtute non possunt, nisi cùm missi fuerint, hoc est, quibus Christi aliquibus præfecti fuerint. Et verbo, Remiseritis, ostendit, Sacerdotes absoluendo verè remittere peccata, & non tantùm ostendere remissa, & confitentem absolutum, & non tantùm peccatorum pœnas, vt quidam volunt, sed ipsas culpas, quæ præcipuè sunt peccata, ministerio suo absoluere, quanquàm Deus principaliter remittat. Et quia non dicitur quæ peccata, sed quorum peccata remiseritis: respiciendum esse voluit ad personas, non ad peccata: quia in quibusdam absolui possunt, vt remissibilia; in quibusdam non rectè accedentibus, sed ficto animo, vel sine proposito melioris vitæ retineri. At verò quoniam Satanas ægrè fert de animis hominum pelli: summo studio semper est conatus Sacramentum pœnitentiæ sepelire, & locos Scripturæ, qui illud statuunt, eludere, sed potissimùm eius loci splendore, ac veritatis pondere offensus miras euadendi technas per suos excogitauit, sed ita vt orthodoxa doctrina inuicta semper, atque illustris permanserit, atque de ipsius mendacijs contra eum insurgentibus gloriosum egerit triumphum. Siquidem ex his verbis non potuerunt hæretici multi ire inficias, quin Sacramentum nouum aliquod conditum sit à Christo, & necessaria sit peccatorum enumeratio in confessione apud Sacerdotem, potestasque absoluendi penes ministros Ecclesiæ existat. Fuerunt autem huius Sacramentalis cōfessionis veluti semina quædam, atque elementa præmissa in confessionibus, quas exegit Deus à mundi principio in lege sola naturæ, aut in illis quas exigebat durante statu legis Moysi, vel eius, quam præscribebat Ioannes Baptista tanquàm Christi etiam in illo Sacramento præcursor, de quibus libr. 4. locuti sumus. Deinde ex Nouo Testamento allegoriæ quædam producuntur, vt leprosorum, qui missi sunt ad Sacerdotes, & Lazari suscitati, quem Apostolis soluendum tradidit. Quibus persuadetur, confessionem peccati Sacerdoti esse faciendam. Nam figuris ad crucem vsque locus fuit, vt typi & vmbræ legis indicant, & status Noui Testamenti nondum perfectus exigit. Tertiò argumentum desumitur à promissione huius potestatis. Nam Petro dixit: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*: & ad Apostolos: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hæc autem potestas in genere communicata ita extenditur ad forum exterius, vt interius præcipuè includatur, in quo potiùs regnum Christi situ͂ est: nam ita dixit Dominus, *Regnum Dei intra vos est.* Si ergo Christus instituit alteram partem, & illam quidem magis præcipuam, nimirum formam, in qua posita est ligatio, & absolutio; instituit etiam & alteram partem, quæ locum materiæ sustinet, id est, peccatorum confessionem. Quod verò hi duo loci de hac ligandi & soluendi potestate Matth. 16. & 17. intelligendi sint; docent præter Hieronymum, Ambrosius libro de Pœnitentia, Augustinus in Psal. 66. & lib. quinquaginta Homiliarum, & Chrysostomus in illos duos Matthæi locos, & libro de Sacerdotio, & in eosdem Theophylactus, & Nicephorus epistola de potestate ligandi atque soluendi ad Theodosiu͂ monachum, & Leontius in vita Ioannis Misericordis. Quarto loco sumitur argumentum ex ipso præcepto, exhortatione, atque consuetudine. Præcipit enim frater Domini. *Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem, vt saluemini.* Exhortatur Dilectus discipulus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emendet nos ab omni iniquitate.* De praxi verò, siue consuetudine loquitur Lucas in Actis, cùm ait: *Multiq; credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.*

Sed de his tribus testimonijs opportuniùs alio loco dicemus; nunc quod instar, agamus, & locum propositum Ioannis, qui institutione͂ continet huius Sacramenti, diligentiùs excutiamus. Aut enim propositus locus nihil continet de Sacramento pœnitentiæ, aut aliquid: si aliquid, quod ad Sacramentum faciat, continet, vel illud est, quòd homo se debeat in genere peccatorem fateri, vel quòd in specie peccata enumerare debeat sua. Quòd si hoc vltimum obtineamus; rursus differendum est, num satis sit, solam infidelitatem, aut sola peccata publica, an reliqua omnia ab infidelitate, & quàm maximè secreta occultaque confiteri. Quòd si hoc euictum reliquerimus, planè Catholicè explicatus erit hic locus, atque expeditus, oraq; impudentium hæreticoru͂ obturata. Vt autem hæc, quæ paullò obscuriùs dicta sunt, explicationis luce perfundantur, fuerunt quidam ex

Expenditur illud verbum: Remiseritis.

Satanæ iniquitas, conatus.

Confessionis Sacramentalis semina, & allegoriæ.

Matth 3.

II argum. *Lib 4.* *Luc. 17.* *Matth 8.* *Ioan 11.*

III. argum.

Matth. 16. *Infra 18.*

Luc. 17.

Hieronym. in Matth. 16. & 17. *Amb. lib. 1 de pœnit. c. 6. to 2* *Aug lib 50. Homiliarum homil 49 & 50. cap 10 in fin & 16 tomo. 0.* *Chrysost. ho. 55 & 61. in Matth tom. 2* *Idem lib. 2. de Sacerd. tom 5* *Theophyl in Matth. 16. & 18* *Niceph.* *Leontius Episcopus.*

IV argum. *Iacob 5.* *1. Ioan. 1.* *Actor. 19.*

Quod hic locus Ioannis, Quorum remiseritis peccata, &c. de Sacramentali confessione necessario debeat intelligi ostenditur.

Huius loci: Quorum remiseritis peccata, variæ hæ-

Haereticorum interpretationes proponuntur, atque confutantur.

Prima interpretatio haereticorum Caluinistarum. Secunda Lutheranorum.

ex haereticis,& praesertim Caluinus in Antidoto,qui negarunt , vllo modo sermoné hîc esse de Sacramento poenitentiae,sed de praedicatione verbi Dei habéte secum Spiritum sanctum,quo soluitur fidelis,ligatur infidelis: nam Lutherani praedicatores absoluta cócione dicere soliti erant: Ego vos credéteṡ absoluo ab omnibus peccatis vestris. Alij verò,vt Lutherus ipse,admittunt, in his verbis absolutionem esse institutam, sed confessionem generalem satis esse ad obtinendam remissionem,etiamsi vtile esse iudicent quaedam in particulari enarrare. Est autem confessio generalis ; fateri in genere se peccatorem,atq; multa patrasse peccata,vt ostendit illa generalis confessio,quae sacrificio Missae praemittitur,nullũ tamen singulariter enumerando. *Tertia.* Tertiò admittunt alij , solum infidelitatis peccatum esse enarrandum , reliqua verò omnia silentio supprimenda. *Quarta.* Quartò volunt alij, peccata tantùm publica esse in confessione numeranda, ad secreta tamen,occultaque detegenda minime nos adstringi, sed illud in nostra potestate, ac libertate positũ esse. Haec sunt haereticorum subterfugia , quibus putãt se perbelle respódisse , & verbis Domini satisfecisse. Verum quam sint infirma ac parum solida,non erit difficile aequũ lectorem impugnationibus nostris intellectis diiudicare. *I. ratio.* Nam contra primum, nempe, hîc nihil de cófessione peccati tradi, his argumentis agimus. *Contra Caluinum, eiusq; sectatores hoc loco de Poenitentiae Sacramento negantes esse sermonem.* In primis quia apud sacras literas,& veteres Patres praedicare , & remittere peccata , distincta sunt munera, & nunquam praedicator dũ praedicat, soluit à peccatis ; neq; Sacerdos dum absoluit in foro poenitentiae,vnquã dicitur concionari,aut praedicare. *II. ratio. 2. Cor. 2.* Deinde Paulus absenté Corinthium incestuosum ab indicta absoluebat poena,quem prius ligãdo Satanae tradiderat, nec tamen quisquam absentibus, longeque à se positis concionari dicitur. *III. ratio. Matth. vlt.* Tertio, quemadmodum Christus cum inquit , *Euntes docete omnes gẽtes,baptizantes eos in nomine Patris, &c.* distinctũ tradidit praedicãdi ministeriũ ab illo baptismi ; ita cum dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* etiamsi maxime ad praedicandum illos destinauerit,distinctum iniunxit munus remittendi peccata, ab altero praedicãdi. *IV. ratio.* Quarto, Ioannis discipuli non essent distincti ab illis Christi, neq; laici à Sacerdotibus , si remittere peccata nó est aliud, quã annuntiare remissionem peccatorum: nam perinde Ioannes annuntiabat illum cum discipulis suis, atque Christus cum suis, ac proinde illam valent praestare laici docti atque Sacerdotes. *V. ratio.* Quinto, catechumenus nondũ baptizatus, atq; excommunicatus, admittuntur ad cócionem audiendam; qui tamen propterea absolui non dicitur , nec catechumenus potest esse remissionis Sacramentalis capax. *VI. ratio.* Sexto, pueri, ac fatui, atque in extremis positi si surditate laborarent, absolui non possent , quia praedicationis ob aurium defectum minime capaces existunt. *VII. ratio.* Septimo, plerunque contriti, ac iusti absolutione egent, qui tamé ob doctrinam eximiam opus non habent praedicatione. *VIII. ratio.* Octauo , idem esset absoluere , & ligare , si hoc est praedicare , verboque praedicationis proposito si vnus assentiret , alius vero dissentiret, cótingeret hoc absurdum, vt idem verbum esset sententia ligãs, & sententia absoluens. *IX. ratio.* Nono , si remittere est praedicare gratiam remissionis peccatorum credenti; & contra, retinere, est gratiã remissiónis incredulo negare , profectò absurdus est sensus: quia qui non credit, iam iudicatus est, vt ait Dominus , & Apostolus: *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* *Ioan. 3. 1. Cor. 5.* Decimo, Nouatianum est dogma, negare potestatem absoluẽdi esse in Ecclesia , aut inficiari Sacramentum Poenitentiae esse in illa, quod tam necessariũ est lapsis, quam baptisma nondum renatis. *X. ratio contra Nouatianos. Tertull. Cyprian. lib. 4. epist. 2. circa med. Amb. lib. ... Poeni. c. 1. ... Hist. Trip. ... 2. cap. 3.* Nouatiani enim nó negabant poenitẽtiam apud Deum, sed tantum apud Ecclesiae ministros : vt egregie docent Tertull. libr. de Pudicitia, Cyprianus epistola ad Antonianum, Ambrosius lib. de Poenitentia, & Historia Tripartita loquens de Acesio. *XI. ratio à Patrum tradit[i]one.* Postremo producitur Patrum traditio, quae in his verbis Sacramẽtum Poenitentiae agnouit institui , vt Chrysostomus in Ioannẽ super haec verba, & Ambrosius lib. de Poenit. & serm. de natali sanctorũ Apostolorum Petri, & Pauli. *Chrys. ho. 85. in Ioan. to. 3. Amb. lib. 1. de Poenit. c. 2. ... tom. 2. & ... 68. to. 3. ... Cypria. lib. ... epist. 6.* Cyprianus quoque ad Magnum probat ex his verbis eos solos posse baptizare, & remissionem peccatorum conferre, qui Spiritum sanctum habẽt: & iterũ ser. de lapsis, sicut & B. Augustinus in lib. quinquaginta. Homiliarum, & Hieronymus ad Hedibiã, vbi asserit quod Apostoli peculiariter receperunt Spiritum sanctum , vt peccata remitterent. *Idem. Aug. lib. 50. Homil. ho. ... 9 & 50. c. 10. & 16. tom. ... Hiero. ad Hedib. q. 9. prope finem tom. ... B. Cyril. lib. ... in Ioan. c. ... tom. 1. Theoph. in Ioan. Euthy. ibid. c. 4. 18. Greg. ho. 46. in Euang. ... Cypria. lib. ... epist. 3. Amb. lib. 1. Poenit. cap. ... Cyrillus ... tom. 2.* Nec non B. Cyrillus Commentariis in Ioannem , ac Theophylactus , atque Euthymius in eadem verba , & Gregorius super Euangelia eidem veritati attestantur. Praeterea Cyprianus in epist. ad Cornelium Papam, Ambrosius libro De Poenitentia , & Cyrill. loco praedicto, ac Rupertus Tuitiensis vno cósensu tradunt, eis verbis datam potestatem remittendi peccata, siue per baptismum, siue per poenitentiã. Et ante eos omnes Eutychianus epist.

ad

Rupert. Tuit. in Ioã lib. 14. Eutychianus. Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. C. 2 post naufragiũ de pœnit. dist. 1. Concil. Trid. sess. 14. c. 1. Cap. vt cõstitueretur, 50. dist. & infr. c. 8 in fin. & can. 3.

ad Episcopos Siciliæ de eadem potestate Apostolorum exponit. Denique ne huius rei vllus scrupulus remaneat, Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificatione, ita docet: *Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Rursus sess. 14. de doctrina huius Sacramenti ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retẽta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis iam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatum, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negentes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit, atque condemnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & reijciens, damnauit eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium annuntiandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.* Hæc ibi. Et inter Canones Pœnitentiæ, is, qui numero tertius est, anathema infligit omnibus secùs illa verba interpretantibus. Et Canone 7. anathema infligit in eos, qui confessionem tantùm esse vtilem tradunt ad erudiendum, & consolandum pœnitentem. Quia hæc confessio Pœnitentiæ Sacramentum tollit, & confessionem Euangelio propriam, id est, quæ fit ad obtinendam absolutionem peccatorum; illa autem quæ fit ob consilium, auxilium, & consolationem, communis est omni genti, & omni tempori, & non est propria Euangelij.

Aug. interpretatio Christi sententiæ: Quorum remiseritis, &c. huic loco minus cõgruens, atque consentanea.

Aug. tract. 119 in Ioan. propè finem, tom. 9. Rom. 5. Luc. 7

Quòd si Augustinus in Ioannem hæc Domini verba ita interpretatus est; *Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt eius participes, tenet; ideò postquam dixit: Accipite Spiritum sanctum; hoc continuò de peccatorum remissione, ac detentione subiecit.* Hæc ille: mirum esse non debet: quia Ecclesia remissionem peccatorum pro suis filijs impetrare solet: quemadmodùm mater adolescentem filium mortuum lacrymis suis prosequens, promeruit apud Christum, vt eum suscitaret. Etsi autem sensus verus & Catholicus sit, præstat tamẽ quòd sit sermo de Spiritu sancto, id est, de facultate remittendi, & retinẽdi peccata, quem

Altera eiusdẽ interpretatio his Domini verbis congruentior, & aptior.

Aug. lib. 50. Homil. hom. 50. tom. 10.

sensum Augustinus frequenter in alijs locis sequitur, maximè verò in lib. quinquaginta Homiliarum, vbi Homilia vltima ait: *Facti iudices, quorum est pro iustitia pugnare, & æquitatem seruare, & modica pœna magna peccata purgare.* Quòd si obijcias, prædicationi verbi Dei coniunctam esse promissionem remissionis peccatorum, quemadmodùm Dominus dixit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes,* & Apostolus ad Corinthios: *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* & iterum ad Timotheum: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, &c. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt,* & ad Romanos: *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, et saluos faciam aliquos ex illis.* Sed facilè est his respondere: quoniam vt istis locis, vbi est sermo de prędicatione, nequaquam excluditur Sacramentum Baptismi, quod institutum est pro ingredientibus in Christum, ita etiam neque Sacramentum Pœnitentię exclusum quouis modo intelligendum est, quod regenitis non minus est necessarium ad salutem, quam Baptismus nondum initiatis.

Luc. 24.

1. Cor. 4.

1. Tim. 4.

Rom. 11.

Sacramentum Baptismi ad quid institutum.

II. obiectio.

Secundò obijciunt, quòd vt Sacerdos in Baptismo non est iudex, nec sententiam pronunciat, ita etiam nec in Pœnitentia. Sed dicendum est, longè diuersam esse rationem. Nam infidelis nondum aqua tinctus foris est, & propterea in illis iudicium exerceri non potest, secundùm illud Apostolicum: *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* Ad hæc nemo dubitat, strictius esse Pœnitentiæ pactum, quàm illud Baptismi; nam in hoc aqua externa facilè tingimur, at in illo lacrymarum profluuio opus est; ob quam etiam causam Gregorius Nazianzen. vocat sacramentum Pœnitentiæ, laboriosum Baptismum.

1. Cor. 5. Pœnitentiæ & Baptismi discrimen.

Greg. Naz. oratio in sancta Epiphaniarũ lumina.

Aduersus eos qui asserunt, generalem confessionem satis esse ad salutem.

Quod secundo loco ab Hæreticis dicitur, quòd satis sit in genere se peccatorem confiteri: neque Christum his verbis peculiaré exigere peccatorum enumerationem, diligenter est confutandũ, ostendendumque singularium actuum reddendam rationem in confessione Sacerdoti Christi Vicario. Nam in primis illud constare potest ex confessionibus, quæ huius Sacramentalis nostræ typus ac figura extiterunt, in quibus ad particularia descẽdebatur peccata. Nam Adam & Eua coram Deo vetiti ligni comestionem confessi sunt; à Cain quoq; exigebat fratricidij confessionem; in lege quoq; præcipiebatur, vt quisq; cõfiteretur

I. argum.

Genes. 3. Infra 4. Leuit. 16. Infra 26. Num. 6.

peccatum suum, pro cuius varietate varia indicebatur mulcta, & hostiæ compensatio. Achan quoq; in libro Iosue, peccatum suum confessus dixit: *Verè ego peccaui Domino Deo Israël, & sic, & sic feci*: Ioanni etiam Baptistæ confitebantur peccata, & nō tantùm se esse peccatores. Cùm ergo peccata confiteri, confessionis opus existat, quod etiam Lutherani nō negant; nam aliàs crimina sua fateri in speciali non consulerent: si hanc perfectionem in antiquis Dominus exigebat, quibus tamen confitentibus non erat certa gratiæ promissio facta, haud dubium, quin illam exigat à viris Noui Testamenti, quos decet maior perfectio, quibusque confitentibus promittitur certa remissio. Deinde idem probatur ex adductis autoritatibus Euangelij, vbi præcipitur ministris, vt pœnitentes aut absoluant, aut ligent. & præsertim ex hoc Ioannis testimonio quod exposuimus, in quo datur facultas remittendi, vel retinendi peccata. Aut enim Dominus voluit his verbis declarare, vt ministri audita peculiari confessione, aut soluant, aut ligent, aut remittant, aut retineant crimina, quæ audierunt, quemadmodùm praxis Ecclesiæ habet: & ita euincimus quod volumus. Vnde Gregorius in Homilia super Euangelium illud: *Cùm sero esset factum, vna Sabbatorum*, rectè scribit: *Causæ ergo pensandæ sunt; & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur iudicis.* Hæc ille. Si autem Dominus id non voluit exprimere, sed generalem quandam cōfessionem tantùm requirebat, profectò multa in hunc sensum obijci possunt. Primum est, quòd frustrà additæ essent illæ particulæ, ligandi vel soluendi: cùm enim Sacerdos non cognoscat nisi in genere peccata, vel omnes essent ligandi, vel omnes essent absoluendi: cùm tamen Dominus contrarium insinuet, nimirùm quædam, & quorundam crimina retinenda, alia verò, & aliorum remittenda. Vt omittam, quòd esset secundùm faciem iudicare. Et quia vt dicitur in libro Prouerbiorum: *Qui quod nouit, loquitur, iudex iustitiæ est; profectò qui iudicat quæ ignorat, iniquitatis iudex est*. Et omnes in communi absoluère, esset sanctum dare canibus, & margaritas proijcere ante porcos, id est, in eos qui indigni & imparati ad accipienda dona Dei existunt. Et de Pseudoprophetis testatur Ezechiel: *Et violabant me*, inquit, *ad populum meū propter pugillum hordei, & fragmentū panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt*, (vel vt Hebræa litera manifestiùs habet: *Interficiebant animas mori non debentes: & eis, quas viuere non conuenit, promittebant vitam*) *mentientes populo meo credenti mendacijs*. Deinde absurdum esset, quòd frustra esset hîc data potestas ligandi, quam Doctores omnes confitentur, si non esset simul data in causa cognoscendi potestas, sine qua nemo valet benè vti priori potestate. Hinc in plurali dixit: *Et tibi dabo claues regni cælorum*; quia quisque Sacerdos præditus est claui cognitionis, & potestatis. Quare Ambrosius sermone de Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, clauem scientiæ tribuit Paulo, & illam potestatis Petro. Et Bernardus sermone in Cantica binas illas claues scientiæ, & potestatis agnoscit. Tertiò absurdum est, Christo illis verbis non exigente peculiarem peccatorum enumerationem, Ecclesiam perniciosè, & in multorum scandalum eam tanquam ad salutem necessariam à suis exegisse: in quo peccaret, ac talento sibi concesso abuteretur, dum potestatem sibi liberè concessam, vt absolueret omnes pœnitentes, qui in genere confiterētur noxas suas, restringeret tantùm ad eos, qui in particulari detegerent delicta sua, contra Domini voluntatem. Et cùm multi difficultate huius peculiaris confessionis, ab ea deterreantur, & generali illa se peccatores confitendi allicerentur ad Sacramentum, Ecclesia rea existeret salutis omnium illorum, qui libenter illam generalem amplecterentur, & ab illa abhorrerent particulari. Peccaret quoque in eos, qui singulares actiones fatentur, præsertim non indigentes consilio, aut doctrina Sacerdotis, quia curiosè, & sine fructu eorum singulares offensas requireret. Imò iniustè cogeret eos ad se sine causa diffamandum: & ministri ipsi illam exigētes, periculis se exponerent, aut incurrendi peccata quæ audiunt, vel ea alijs propalandi. Quorum neutrum modò contingit, quia vtrumque ex Christi institutione, & mandato dum fit, gratiam porrigit ad vtrunq; peccatū vitandum. Quartò, ex dicta positione sequeretur, omnes canonicas satisfactiones de medio esse tollendas, quia iuxta grauitatem peculiarium delictorum debent iniungi: at si quis in genere se denuntiet peccatorem, profectò de delicto ipso minimè constaret, nec illi imponere peculiarem pœnitentiam valeret quisquā. Quæ omnia falsa sunt, atq; absurda: & Canones ipsi ad peculiaria castiganda peccata in Ecclesiā inuecti sunt. Quintò, sanitati ipsius pœnitentis minimè esset pro-

Margin notes: Iosue 7. — Matth 3. — Ligum. Matth 16. Infra 28. — Greg. hom. 26 in Euāg. paulo ante mediū tom 2. — Ioan. 20. — Absolutio quando dicitur vera. — Si Christus in his verbis: Quorum remiseritis &c. generalem tantùm confessionem, nō particularem exigeret, quæ & quanta absurda sequerentur. — Primum absurdum. Prou. 12. — Matth. 7. — Ezech 13. — Secundum absurdum. — Matth 16. Petri & Pauli claues. Ambros. ser. 66. tom 3. — Bern. ser. 62 super Cant. paulo post med. — Quartum absurdum. — Ecclesia Canones ... inducti. Quintum absurdum.

prospectum. Cùm enim forum Pœnitentiæ medicinale sit, si infirmus non detegeret suorum vulnerum qualitatem, nec à præteritis delictis curationem acciperet, nec futura pro virili vitare à Sacerdote institueretur. Sextò summè dedecet diuinam sapientiam tale pactum instituisse, vt maior peccandi ansa arriperetur: nam cùm homines non ignorent se compelli ad crimina sua in specie confiteuda, & ad pœnitētiam pro eorum qualitate agēdam, adhuc tamē pro illorū infirmitate, sine malitia frequenter in peccata relabuntur. Sanè propensiùs ac licentiùs longè homines peccarent, & absq; vllo metus fræno in delicta prolaberentur sine vlla pœnitentiæ actione, tantummodò se peccatores accusando existimarent se pro venia cōsequenda satis præstitisse. Septimò, per illum sensum adimeretur pastoribus optima occasio agnoscendi vultum pecoris sui, atque illum sanandi, si oues non coguntur nisi in genere se peccatores accusare. Octauò, quia dimittere peccata sine præuia confessione, prærogatiua est potestatis excellentiæ Christi: quia solus sine Sacramento dimittit peccata, cū solus habeat eminenter clauem Dauid. Vt igitur nobis baptizatus non est nisi ille, qui tinctus est aqua; ita nec absolutus quisquā à suis delictis, nisi qui præmiserit apud Sacerdotem peccatorum suorum confessionem. Falsum est igitur, & vanum quod Melanchthon dixit, ideò non opus esse audire particularem confessionem; quia absolutio executio est alieni beneficij. Nam etsi ingenuè fateamur, absolutionem à peccatis beneficium esse Christi; ita tamen est dispensandum hoc beneficium, vt ipse Dominus præscripsit: *Fidelis*, inquit *seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; & rursus: *Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispēsatores vt fidelis quis inueniatur.* At fideliter non dispensat mysteria Dei nisi ille, qui pro ratione à Domino præscripta administrat illa. Alioqui posset quis remissionem peccatorum conferre Catechumeno, antequam eum baptizaret; vel illam conferre absque vlla forma Christi; cùm tamen neque infideli sit hoc Sacramentum administrandum, neque fideli nisi confitenti sua delicta in particulari, illaq; detestanti, & seruata forma à Christo ipso instituta. Et ita admittimus, absolutionem peccatorum beneficium esse Christi, vt non negemus esse quoddam tribunal, in quo Sacerdos partes iudicis agit, pœnitens verò personam sustinet rei. Quamobrē cum iudicio & ratione dispensandum est tale beneficium. Quare qui sentiunt secùs, contra veritatem ipsam, ac veterum Patrum traditionem agere videtur. Contra veritatem quidem, quia cū forum pœnitentiæ non sit politicum, aut externū, sed internum conscientiæ forum, & Sacerdos qui vices agit Christi, quantum humana ferre potest fragilitas, sese accommodare debeat diuino iudicio, hoc est, eum solū absoluere, vel ligare, quē ex Scripturis, aut certis Ecclesiæ regulis cognouerit à Deo ipso absolui, vel ligari, seu dignum absolutione, vel ligamine iudicari; vt ita quæ soluerit, vel ligauerit, rata habeantur in cœlis. Cùm igitur Deus in cœlo non absoluat nisi eū, qui peccata agnoscit sua ac detestatur, eaq; in futurum declinare proponit, & fiducia concepta de venia consequenda accedit: debet Sacerdos absoluens, vt se Deo coaptet, omnia hæc diligenter apud pœnitentē, qui ad se accedit, inuestigare. Et quia hæc nosse non potest nisi aut reuelatione, quam non habet, aut spontanea pœnitentis confessione, particularem illam Deus voluit à pœnitente obseruari, quò ea percepta agnoscat iudex, quam sententiam debeat pronuntiare. Deinde etiam illud est contra Patres, qui contrarium & senserunt, & scriptis prodiderunt. Ita enim Cypria. in serm. de Lapsis, & Antherus Pontifex Romanus epist. vnica ad Episcopos Bœtiæ, & Greg. super Euangelia in Octauis Paschæ, supra citatus, & Hierony. in comment. super Matthæum, tractans illud: *Tibi dabo claues regni cœlorum: Istum, inquit, locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio; vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuit. de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se Sacerdotibus; & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: Non quò Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat, vel soluit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt, & noxij, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.* Hæc ille. Quem locum eo consilio produximus, vt quoniā Lutherus eū detorquet, ac docet, nullo modo à Sacerdotibus peccata remitti posse, vel retineri; sed tantùm ostendi per Sacerdotem eos qui ligati sunt, aut soluti (vt in lege veteri circa leprosos faciebat Sacerdos) à calumnia vindicaremus. Nam ipsemet Hierony. satis se ipsum detegit; dixit enim, quòd Sacerdos pro officio suo,

Sextum absurdum.

Septimum absurdum.

Prouer. 27.

Octauum incommodum.

Christi prærogatiua singularis

Apoc 3.

De particulari confessione quid senserit impius Melanchthon.

Absolutionis beneficium quatenus sit dispensandum.

Matth. 24.

1. Cor. 4.

Mysteria Dei fideliter quis dispenset.

Lutherani hoc loco in Deum pariter atq; in Ecclesiam mendaces atque iniurij existunt.

Deus quem absoluat in cœlo.

Cypr. serm. 5. de Lapsis.

Antherus Papa.

Greg. hom. 26 in Euāg. to. 2.

Hierony. in c. Mat. 16. to. 9.

Apud Deum (ait Hierony.) non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur.

Luc 14.

Luc. 17.

est mi, & non potest intelligere, nisi Deus reuelet, qui pro sua sapientia potiùs simplicibus, & humilibus reuelat, quàm superbis: *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: at Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Quia ergo scientia inflat, & illa erat per Christum in quibusdam deijcienda; propterea teste Apostolo, pauci nobiles, & sapientes, & potentes ad Euangelium vocati sunt. Confitendum tamen est, quòd scientiæ liberales, & multarum rerum peritia, atque eloquentiæ studium ad ea, quæ spiritu perceperis, facilè explicanda, & alijs tradenda conducibilia existant. Obserua quoque tres esse hominum ordines. Primus est eorum, quibus Scripturæ à Doctoribus aperiuntur: at quia non habent spiritum, quo Scripturæ sunt conditæ, mendici sunt, & potiùs est eis aperta memoria. Secundus eorum, quibus tantùm intellectus aperitur, vt sunt interdum peccatores, qui de Scripturis subtiliter disserunt, qui de verbis vitæ disputando, vt quidam dixit antiquus, mortis lucra sectantur. Tertius eorum est, quibus propter diuinę sapientię vnionem euidentior videtur sensus. Detegitur que hoc loco, Scripturas ex se esse tanquàm clarissimum Solem, sed causa cur non illuminent hominum sensus, in eo posita est, quia in tenebris homines versantur, clauéq; Dauidis, quæ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, hoc est, Christo, sunt destituti, intellectuśque sui sensum ad humana apertum, & ad diuina habent clausum, vt Iudæi, de quibus testatur Apostolus, quòd vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: sed Christus aperit, vt extendatur ad diuina, & per lumē ipsius particeps fiat æternitatis. Mens autem est magis intensè aperta, aut extensè, pro ratione temporis, aut loci, aut necessitatis, aut libertatis diuinæ: nam dignus est agnus, qui occisus est, aperire librum, & soluere septem signacula eius: & qui hîc dignatur aperire mentem, vt intelligamus Scripturas, in vita æterna aperiet cum sensu, vt intueamur aptissimam veritatem, id est, Verbum æternum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. *Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Hierosolyma.* Sensus est: quoniam sic scriptum est, & consequenter oportebat euenire, id est, illam rationem, ordinem, ac modum seruari, qui seruatus est: sic erat præuisum, & prouisum; & ideo in Scriptura, quæ partem prudentiæ, ac prouidentiæ Dei declarat, contentum. Quamobrem cùm Euangelistæ plerumque dicere solent: Vt impleretur quod dictum est per Prophetam, argumentatio est à posteriori: quia fideles viatores, & needum videntes in Verbo rerum ideas, decreuit Deus per Scripturarum Canones gubernari: quemadmodum qui Grammaticæ dat operam, per regulas Donati ad tempus regitur, donec perfectè illam scientiam consequatur, atque ex Cicerone, & classicis autoribus linguæ Latinæ facultatem addiscat, Donati præceptionem penitùs oblitus. Ac discipuli quidem Christi, sicut & hodiè faciunt Iudæi, ad Scripturas tantùm, quæ erant de gloria Messiæ, spectabant, & non ad eas, quæ de Christi cruce, & ignominia verba faciebant. Et cùm ea quæ ad gloriam faciunt, æterna sint: necessariò consequens est, vt ea quæ ad afflictionem pertinebant, tanquàm temporaria priùs implerentur: ita & nobis dictum intelligamus, quæ scripta sunt de gloria nostra: quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt, & ea etiam, per quæ omninò penetratur, & perrumpitur ad gloriam, id est, ignominiosa, laboriosaque. Subdit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Vt intelligas cessationem sacrificiorum legis, & abrogationem veteris expiationis peccatorum ex Christi scientia, & voluntate profectam: & quod attinet ad iustificationem, & remissionem peccatorum, satis esse pœnitentiam in Christo sine lege, & cæremonijs. Et coniungit hæc duo, eo quòd pœnitentia opus sit humanum, non sine Dei gratia; remissio verò peccatorum solius Dei opus est. Verùm pœnitentia sine peccatorum remissione nihil valet: & remissio peccatorum sine pœnitentia dari adultis minimè consueuit. Et significatur, pœnitentiam prædicari oportere in nomine Christi præuiam ad remissionem peccatorum, quam operatur Christus: sicut piscis assus præcedit ipsum mel, vt ponderat Eusebius in Catena aurea beati Thomæ. Ita ergo passio, & resurrectio Christo fructum edidit nobis morientibus primùm peccato, & ad vitam gratiæ resurgentibus. Addidit, *In nomine eius.* Hoc est, pœnitentia, & remissio peccatorum prædicetur ad gloriam, & nomen Christi illustrandum: quilibet etiam alteri remittat offensas propter gloriam nominis Christi, qui illud præcepit. Vel in nomine eius, id est, in eius persona prædicetur, vt Paulus ait: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; & rursus, *Num & ego* quod

Matth. 11. Iacob 4. 1. Cor 8. Supra 1. Quare pauci nobiles, & sapientes, ac potentes ad Euangelium vocati sunt. Hominum ordo triplex. Apocal 3. Iudæorum cæcitas. 2. Cor. 3. Apoc 5. Coloss. 2.

Cur Deus credentes per Scripturas nunc doceat, & instituat. Documentū. Vnde cessatio sacrificiorum legis Mosaicæ, & abrogatio veteris expiationis peccatorum orta sit. Cur pœnitentiæ iuxta, & remissionis peccatorum hic Christus meminit. Eusebij Emisseni ponderatio. Quid sit in nomine Christi prædicari pœnitentiam. Luc 6. Matth. 5. II. sensus. 2. Cor. 5. Ibidem.

III. sensus.

quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi. Tertius sensus est: In nomine eius, hoc est, ob eius exemplum, qui cùm peccatum non fecerit, egit tamen ipse primus, & prædicauit pœnitentiam, & peccanti humiliato parcit. Nam ad omnis peccati absolutionem impetrandam peccator se Christi pallio defendit: ipse etiam Dominus autoritate remittit sicut Sacerdos verbi, aut Sacramenti ministerio. Et subiungit: *In omnes gentes.* Quod mysterium est à seculis absconditum, gentes videlicet esse promissionum Dei participes: & non tantùm in gẽtes, sed in omnes, quia pro omnibus vulneratus est, qui diues est in omnes, qui inuocant illum. *Incipientibus ab Hierosolyma.* Intellige prædicationem inchoandam ab Apostolis ab Hierosolyma. Et verbum, Incipientibus, regitur à verbo prædicari, vt videlicet fructus incipiat, vbi primum seminatum est granum; & quia multa quę erant prædicationis materia, in ea ciuitate sunt gesta; & quia illi populo promissiones Euangelicæ primùm factæ erant; & vt doceatur peculiariter passus pro crucifixoribus, & ne possint Iudæi calumniari, quòd ad Gentes priùs diuerterit, quàm ad eos; & vt impleantur promissa de Gentiliũ in Christum ingressu; & vt illi cum certa fiducia ingrederentur, videntes quòd etiam hostibus, qui ipsum cruci suffixerant, pepercerit. Quatuor autem refert fuisse à Prophetis prædicta, & ob id necessaria. Primum, eius passio, de qua Esaias: secundum, resurrectio, quæ fuit in typo Ionæ adumbrata: tertium, quòd in nomine eius esset prædicanda pœnitentia, & peccatorum remissio: *Parùm est*, inquit, *vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Quartum erat, hanc prædicationem exordiendam ab Hierusalem, quod prædixerant Esaias, & Michæas: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et in ciuitate sua cœpit Christus primùs prædicare pœnitentiam, & dicere, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et post pœnitentiam à se in cruce peractam, iterum illam iubet prædicari per Apostolos, vt habes ex hoc loco, & in Actis Apostolicis.

Esai.53. 1.Pet.2. Matth.4.

Quoddam mysterium à seculis absconditum, secundùm Apostolum. Ephes.3. Rom.10.

Quare Christus prædicationem ab Hierosolyma inchoandam præceperit.

Quatuor præ dixerunt Prophetę de Christo, ob idque necessario implenda. Esai.53. & seq. Ioan.2. & seq. Matth.12. & 16. Esai.49. Isai.2. Michæ 4. Matth.4. Act.2 & 5.

Vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto. Id est, Hæc à vobis tanta virtute sunt prædicanda, quasi testes oculati omnium extiteritis: quia quod quisque nouit, & sensibus hausit, vehementiùs prædicat, secundùm illud: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Consultò autem elegit tam paucos, ac tales, id est, Galilæos, idiotas, & magna ex parte rerum humanarum ignaros; vt ea ratione magis splendesceret virtus Christi, gloriaque crucis eius magis coruscaret. Et videntur hæc conferenda ad diem Ascensionis, in qua dixit: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: & ideo verbum præsens, Estis, capitur pro futuro, Eritis, vt dicitur Actor.1. *Et conuescens, præcipit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, Quam audistis* (inquit) *per os meum.* Quæ videntur his quæ habentur hîc, esse consona: nam sequitur: *Et ego mittam promissum Patris mei in vos.* Et hæc aptè quadrant his quæ præmisit de missione illorum ad prædicandum, & testificandum: quemadmodum missurus Rex ad bellum milites, inermes nequaquàm mittit, sed munitos, ac benè armatos. Et est sensus: Ne fortè dicatis; Pauci sumus, idiotæ, & infirmi: quomodo tantum munus aggrediemur? Respondet: Ego mittam in vos Spiritum sanctum à Patre meo, per Ioëlem prædictum. Subdit: *Vos autem sedete in ciuitate.* Id est; Antequàm testimonium dare de me auspicemini, sedete quieti, quoadusque veniat Spiritus sanctus, qui tantis vos donis repleat, vt virtus diuina sit vobis tanquàm indumentum quoddam: quoniam exteriùs apparebit tãquàm vestimentum quoddam tegens naturalem ignorantiam, & impolitæ linguæ ruditatem. Adhæc splendebit foris in varietate linguarum, & dæmonum expulsione, in sanitatum operatione, signorumque multitudine: ita vt non sitis vos qui loquimini, qui prædicatis, qui dæmonia pellitis, qui sanitates operamini, vel signa editis, sed spiritus Patris vestri, qui in vobis, & per vos cuncta hæc operabitur. Rectéque ponderat Gregorius: *Nisi sancti Spiritus vnctio interius doceat, frustrà prædicator exterius laborat.* Nec est aliena à Propheticis literis hæc phrasis induendi aliquem virtute ex alto. Nam Iudic.6. habetur; *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.* Pro quibus Septuaginta interpretati sunt καὶ Πνεῦμα Θεοῦ ἐνεδυνάμωσε τὸν Γεδεών: hoc est, Spiritus Domini fortificauit Gedeonem. Eadem verba, quæ de Gedeone dicta sunt, habentur 1. Paralip.12. de Amasai Principe, & 2. Paralip.24. de Zacharia Sacerdote filio Ioiadæ. Et certè mirum esse non debet eos, qui per Baptismum induerunt Dominum nostrum Iesum Christum, & nouum hominẽ, indui quoque eiusdem

Ioan.3.

Quare Christus viles piscatores, & idiotas ad prędicandum elegerit. Act.1.

Ibidem.

Actor.1.

Quales miserit Apostolos ad prædicandum Christus.

Ioel 2. & Act.2.

Quid illud: Donec induamini virtute ex alto.

Matth.10.

Gregor. Vnctio sancti Spiritus quàm prędicatori necessaria.

Effectus Spiritus sancti. Gal.4.

Christi Spiritum, qui eloquentiam, & linguarum notitiam præstat, quia scientiam habet vocis: signa operatur, quia digitus Dei est: patientiam, & sufferentiam in aduersis suggerit, quia spiritus lenitatis est: consolatur in tribulationibus, quia Paracletus est: veraces & sapientes reddit, quia spiritus est veritatis, & sapientiæ: infirmos denique, ac imbecillos roborat, quia virtus Altissimi est. Expende verbum: *Sedete in ciuitate.* Vniti, & congregati propter imbecillitatem vestram. Nam imperfectos simul esse, vt mutuam sibi inuicem operam præstarent, maximè conueniebat: verùm vbi sunt virtute diuina muniti, atque ex alto induti, dispersit eos Spiritus sanctus: quemadmodum grana dum seruntur, sparguntur, vt plus fructificent.

Sapient. 2. *Luc. 11.* *Ioan. 16.* *Luc. 1.* Cur sedere Apostoli debuerint in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto.

Sed obijcies fortassis; Quomodo Christus dicit: *Ego mittam promissum Patris mei in vos*, de futuro; cùm tunc dederit Spiritum sanctum insufflando in eos? Sed hoc facilè soluitur; datum tunc Spiritum sanctum sub specie flatus occulta, & illis paucis ad fructum remittendi peccata; posteà verò publicè, & abundanter, & omnibus in forma linguarum ignearum, ad prædicationem, & testificationem Euangelij. Ex quo saluberrimum percipere possunt prædicatores documentum; ne se videlicet muneri prædicandi exponant, antequàm agnoscant se Spiritus sancti donis refertos. Quanquàm si obedientia aliter præscribat, pertinaciter non est reluctandum, sed certi esse debemus, Christum, & Spiritum sanctum esse nobiscum: maximè si ea prædicamus, & docemus, quæ ipsemet docuit: quandoquidem disseminando verbum Dei, nihil aliud facimus quàm quòd eorum qui nos audiunt, interiorem Dei inspirationem adiuuamus, vt faciant quod intus inspirantur. Illi namque vera nos docere inspirantur; ac ad ea, quæ prædicamus, opera præstanda impelluntur. Nos quoque nostro facto inspirationem nostram sequimur, qua iubemur superiorum mandatis impulsi alios docere, & ab ea inspiratione, atque doctrina fructum desideratum expectare, quò illustretur gloria Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto æternis gaudijs, ac felicitate perfruitur in cunctis seculis. Amen.

Quomodo Christus Apostolis pollicetur se daturũ Spiritum sanctum, cum tamen tunc dederit insufflando in eos? *Ioan. 20.* *Act. 2.* Prædicandi munus quando aggrediendum.

(∴)

TRACTATVS XVIII.

In quo differitur de institutione cõfessionis, in illa verba: *Dixit ergo eis iterum Iesus, Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit: & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

HÆc Verba illa eadem nocte, qua Dominus Iesus Apostolis apparuit, dicta sunt; & ob eam causam à Ioanne repetita est illa apparitio Apostolis sub vesperam diei facta, vt non tantùm adiungeret quæ alij omiserant de Thoma absente, & post octo dies eius gratia ad illum eum Apostolis coniunctum reuerso, sed vt etiam suppleret hunc Sacramenti absolutionis institutionem, quæ magnifica est in se ipsa, nobis verò maximè salutaris, & de qua post diuturnam tot seculorum præscriptionem nostræ tempestatis hæretici bellum nobis indixerunt, ac litem grauissimam intenderunt. Vt autem nos huius controuersiæ perplexos, atque implicitos sinus, ac nodos faciliùs expediremus, consultò in hunc tractatum illos explicandos seruauimus. In primis igitur obserua, salutationem illam, Pax vobis, fuisse à Domino replicatam: quia nobis sua morte pacem gratiæ, & gloriæ, pacem item animæ & corporis comparauit. Donauit etiam geminam pacem, internam Deo, & externam cum fratribus. Ac subdit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Post resurrectionis suæ veritatem confirmatam, suam illis functionem, & officium iniungit: quasi diceret; Ego perfunctus legatione mea, redeo ad Patrem, à quo missus sum in mundum; ita & ego mitto vos, vt legatione Euangelica perfungamini. Id est, Propterea dixi, Pax vobis; quia & ego ex obedientia Patris mortem sustinens, pacem feci vobis, & per vos mitto pacem toti mundo. Hinc Paulus ait: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Et paulò superiùs dixerat: *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, hoc est, Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ, quorum administratio ad Apostolos spectat, & per illa homines Deo reconciliantur, atque in eius gratiam redeunt, & amicitiam. Sicut ergo

Cur Ioannes Euangelista huius surtum apparitionis sub vesperam diei Apostolis factæ meminerit. Quare Christus denuo Apostolis contestatus dixit: Pax vobis. Quid est: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *2. Cor. 5.* Ministerium reconciliationis, de quo Apostolus, quid.

misit

misit me Pater, vt facem facerem, & annuntiarem, ita ego mitto vos, vt pacem verbo annuntietis, illamque cum alijs intermedijs Sacramentis perficiatis. Vt ministros enim Euangelij pacis vos mitto, de quibus Propheta pronuntiat: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona:* post pacem enim, id est, reconciliationem cum Deo, promittunt bona æternæ vitæ. Affert igitur acceptantibus Euangelium pacem, sicut recusantibus, bellum indicit, æternæque gehennæ supplicia interminatur. Daturque his verbis autoritas prædicandi, & pretiosas Christi diuitias dispensandi, hoc est, remissionem peccatorum, gratiam, & iustitiam. Et sicut me misit Pater, vt Euangelium ministrarem vsque ad sanguinis profusionem, atque plagarum impressionem, ita & ego mitto vos huius Euangelij disseminandi gratia; vt & propter illud, si contingat, carceres, flagella, vulnera, & mortem ipsam sustineatis. Et dicendo, Mitto vos, suam autoritatem, & diuinitatem declarauit, ostendens se Patri æqualem in mittendo: Apostolorum item excellentiam denotat, dum illos in delegato sibi officio pares facit, & traditæ olim sibi potestatis vicarios, & cum plena autoritate alios mittendi, & remittendi peccata; perinde atque Reges suis legatis plenam autoritatem tradere solent, promittentes se ratum habituros, quicquid illi prudenter suo egerint nomine. Sed quia hæc potestas, & gratia spiritualis est, & non potest hominibus competere, nisi ex dono Spiritus sancti; ideo prius illis Spiritum sanctum largitur in sensibili signo Spiritus ipsi conuenienti, scilicet inspiratione, & insufflatione, de qua ait Textus, *Et cùm hæc dixisset, insufflauit.* Dixerat suprà Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.* Vt primùm igitur gloriam ex resurrectione est consecutus, mox cœpit Spiritum suis sensibiliter impertiri, copiosius largiturus, cùm perfectam per ascensionem, & sessionem ad Patris dexteram adeptus est gloriam.

Esai. 52. & Rom. 10.

Christi autoritas, Apostolorumq; dignitas quanta.

Ioan 7.

Hæc cùm dixisset, insufflauit: & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Vt olim Sacerdotes noua cæremonia creati sunt, id est, lotione, & vnctione, vt in Exodo habetur, ita Christus insufflatione, hoc est, communicatione sui Spiritus in flatu significati, ad facultatem remittendi peccata, Sacerdotes nouos promouit, sicut in cœna ad offerendi sacrificij potestatem iam creauerat, ac designauerat. Ac vt olim Deus insufflauit spiraculum vitæ, vt fieret homo in animam viuentem, ita idem insufflat animam peccato mortuam, vt viuat per Spiritum sanctum. De hac autem insufflandi cæremonia, qua ad pellenda, ac dissoluenda peccata significatur potestas, de qua loqui videtur Esaias, cùm ait: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua:* nam vt vento delentur nubes, ita potestate per insufflationem data Apostolis remittuntur peccata. Et Nahũ Propheta: *Et nũc,* inquit, *conteram virgam eius* (scilicet Asserij) *de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.* Et subdit: *Ecce super montes pedes Euangelizantis, & annuntiãtis pacem,* de qua cùm Christus instituit Sacramentum, dixit, *Pax vobis.* Et paulò post de Cyro, qui typus est Christi, subiungit: *Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem.* Vbi Septuaginta interpretes habẽt: *Ascendit qui insufflat in faciem tuam, eruens de tribulatione,* id est, ex vinculis prædictis, & captiuitate. Insufflabant olim exorcistæ in faciem energumeni, & Deus per Ezechielem ait: Ecce ego intromittam in vos (hoc est, in ossa arida) spiritũ, & viuetis: hoc est, insufflabo in vos spiritum vitæ ad resurrectionem: ita in Apostolos insufflauit ad resurrectionem primã spiritus. Cyril. in commentarijs super verba Nahum Prophetæ: *Hoc est,* inquit, *insufflandi genus sumptum ex consuetudine Hebræorum non scripta, sed tradita, sicut scindere vestes in blasphemijs, quod Paulus, & Barnabas in Lycaonia, & Caypha fecerunt: ita consuetudo erat quibusdam sibi vendicare, quasi insufflando in faciem ægrotantis morbum depelleret. Ex qua consuetudine sumpsit Propheta hoc exemplum: quod fuit typus Christi, qui insufflauit in faciem discipulorum, significans curationem ægritudinis spiritualis.* Theodoritus quoque in eadem verba Prophetæ eandem insufflationem Domini accommodat. Etsi autem potuisset Dominus Spiritum sanctum inuisibiliter Apostolis sine insufflatione dilargiri: voluit tamen pro sua sapientia illam adhibere flatus cæremoniam, vt se Deum ostenderet, qui olim insufflauit in Adam, & quia Sacramentum instituebat nouum constans verbo, & elemento, & quia vento, siue flatu rectè adumbratur Spiritus sanctus: vt enim ille sub aspectum non cadit, effectus tamen operatur, qui in oculos incurrunt; ita Spiritus sanctus in homine delitescit, per effectus tamen doni linguarum, vel prophetiæ, vel sermonis sapientiæ, vel futurorum prædictionis se prodit. Adhæc, vt indicaret patientiæ vim, & efficaciam in communicandis Dei charismatibus: tam facilè enim, ac expeditè id facere vellet, ac si ore suo flaret, quod constat cuiq; esse animãti promptum. Indicauit etiam flatu illo

Quare Christus Apostolis insufflando dederit Spiritum sanctum.
Exod. 29 & seq.
Ritus nouos creandi Sacerdotes.
Matth. 26.
Gen. 2.

Esai. 44.
Quidem: De leui & nubem peccata tua.
Nahum 1.
Cyrus Rex Christi typus.
Infra 2.
Septuaginta interpret. 2.
Ezech 37.
Cyrillus in Nahum.
Hoc genus insufflandi apud Hebræos vnde descenderit.
Act. 14.
Matth. 26.
Theodor. in Nahum pa. 1.
In flatu Spiritus sanctus à Domino cur datus.
Genes. 2.

Cyrill lib. 12. in Ioan. c. 36. initio, tom. 1. Aug. trac. 119 in Ioan. to 9. Eccleſ. 8.

Spiritum ſanctum à ſe procedere, vt docent Patres Cyrill. & Auguſtin. ſcribentes in Ioannem. Ac vt flatu ignis accenditur, & nutritur in ligno, & ignis extinguitur, vt in candela; ita illa poteſtate per flatum data extinguitur ignis peccati, de quo: *Ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*: & ignis charitatis, quem Ieſus venit mittere in terram, nutritur.

Luc. 12.

Poteſtas remittendi peccata cur Spiritui ſancto attribuitur

Marius Vict. li. 3. de Trini.

Beneficorum hominum, ac liberalium ingenium.

Et ſi verò hæc poteſtas remittendi peccata non minus ſit Patris, & Filij, quàm Spiritus ſancti: quia tamen ex mera Dei gratia, & dono donatur, idcircò adſcribitur Spiritui ſancto, vt Marius Victorinus lib. de Trinitate indicat. Præterea motis eſt hominibus beneficentia, & liberalitate illuſtribus, & diuitias nuper comparatas largè cum charis profundere, atque in amicos partem earum conferre: etſi igitur Chriſtus ſpiritum futuræ reſurrectionis acquiſierit, nondum tamen placuit alicui illum communicare, ſed in diem iudicij communicādum ſuis ſeruauit. Spiritum tamen primæ reſurrectionis libenter impertitus eſt, vt eo à morte peccati ad vitam gratiæ reſurgere poſſint, de quo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

Epheſ. 5.

Spiritus ſanctus quibus maxime ſit neceſſarius.

Et Euangelium, & Sacramenta adminiſtraturis datur Spiritus ſanctus, ſine quo Chriſti myſteria nec intelligi, ſiue credi poſſent: nec rectè ſine illo, qui lingua eſt ſpiritualis, explicari, atque alijs proponi poſſunt.

His verbis Dominus, Accipite Spiritum ſanctum, quam ampiā Apoſtolis poteſtatem contulerit.

Nec tantùm illis datur poteſtas prædicandi Euangelium; vt ſacramenta adminiſtrandi, ſed etiam peculiariter Sacramentum inſtituitur reconciliationis, in quo Sacerdotes præmiſſa pœnitentiam agentium confeſſione, tanquàm miniſtri Dei abſoluunt: at verò Deus ratum habet, quicquid ab eis claue non errante decernitur.

Quomodo nunc Sacramenta perficiantur.

Et vt modò ſacramenta elemento perficiuntur, & verbo, ita Chriſtus cæremoniæ flatus adiunxit verbum: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Quare Chriſtus die Paſchę poſt reſurrectionem pœnitentiæ Sacramentum inſtituerit Paſcha rite qui celebrent.

Pulchrè autē Dominus in die Paſchæ poſt reſurrectionem hoc Sacramentum inſtituit: non ſolùm vt intelligamus illos rectè Paſcha celebrare, qui à peccatis mundantur; verùm etiam vt intelligant peccatores qui volunt per Sacerdotes abſolui, oportere eſſe prius à morte excitatos peccati per virtutē contritionis extincti, aut ſaltem ita eſſe per pœnitentiam talem, etſi minùs perfectam, (quam Theologi attritionem vocant) diſpoſitos, ac præparatos, vt ſalubriter, & cum fructu abſolutionem valeant recipere.

Iudicium tria exigit.

Eſt enim hoc Sacramentum inſtar iudicij cuiuſdam inſtitutum. Et quoniam iudicium requirit cognitionem cauſæ, & confeſſionem ipſius rei, & iuſtam pœnæ inflictionem; propterea præmiſit, *Accipite Spiritum ſanctum.*

Simile.

Sicut enim princeps reos nondum humiliatos, & necdum vitæ melioris emendationem concipientes minimè abſoluit, nec pro abſolutis habet: ita Deus non quoslibet pro libidine Sacerdotis abſoluentis admittit ad reconciliationem, niſi eos, qui vitam priorem deteſtātes, nouum ſanctioris vitæ propoſitum induant.

Reconciliationis ben[illegible] Deus q[illegible] conferat. Cur h[illegible] verbis: Quorum remiſeritis peccata, &c. Dominus p[illegible] miſerit: Accipite Spir[illegible] ſanctum, [illegible] Dionyſio

Dionyſ. A[illegible] pag. de Eccl[illegible] Hier. c. 7. par. 3. paulo poſt medium

Actor. 2. 8. & 10.

Quare vt intelligerēt Sacerdotes hoc tantum donum prouidenter eſſe diſpenſandum, non ad hominum, ſed Dei voluntatem; *Quorum remiſeritis peccata*, præmiſit, *Accipite Spiritum ſanctum*: vt rectè annotauit Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. Hic autem Spiritus ſanctus datus eſt non ad eorum ſanctificationem, quam iam habebāt, ſed ad nonum chariſma remittendi peccata, quod prius non habebant. Ita enim plerumq; capitur Spiritus ſanctus: vt cùm ſæpè in Actis dicitur deſcendere Spiritus ſanctus in fideles ad conferendum donum linguarum, & in illis ad Chriſtum illuſtrandum.

Chryſoſt. ho. 81. in Ioan. tom 3.

Vnde Chryſoſtom. in Ioan. hæc ediſſerens verba: *Non tamen* (inquit) *quiſpiam erraret, ſi tunc eos poteſtatem quandam, & gratiam ſpiritualem accepiſſe diceret, non tamen vt mortuos ſuſcitarent, & virtutes oſtenderent, ſed vt peccata dimitterent: differentes enim ſunt gratiæ ſpiritus: quare addidit: Quorumcunque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt: oſtendens, quòd virtutis genus largiatur.* Hæc ille, quæ nos neceſſariò amplecti cogimur: nam plerumque qui promouentur ad Sacerdotium, ſi indignè accedant, gratiam gratum facientem non accipiunt; quos nihilominùs chariſma, ſiue poteſtatem remittendi peccata nemo negabit percipere, quæ ad gratias ſpectant gratis datas.

[illegible]

Num. 24. & seq. 1 Reg. [illegible] Ioan. 11.

Miratur autem ſine cauſa Caluinus, quòd hæc poteſtas inſit malis, ac reprobis hominibus. Sed miretur de prophetia à Deo data Balaam, Sauli, & Caiphæ: miretur de Apoſtolatu collato Iudæ, & alijs ſimilibus.

Sacerdotum noua l[illegible] dignitas, & excel[illegible]

Chryſ[illegible] de Sacerd[illegible] tom 3.

Quàm verò ſublimis, & excellens hæc Sacerdotū Noui Teſtamenti poteſtas, & maior poteſtate legalium Sacerdotum, & ſecularium Principum, eleganter oſtendit Chryſoſtomus lib. de Sacerdotio.

Vt vera ſit hæc [illegible] in Sacerd[illegible] bus, q[illegible] ſcop[illegible] verba [illegible] crant, dicentes, Q[illegible] remiſeritis.

Quomodo autem vera ſit hæc ſententia in Sacerdotibus, quos Epiſcopi eiſdem verbis conſecrant, dicentes: Quorum remiſeritis; cùm tamen verè nō remittant, niſi etiam illis adiungatur poteſtas iuriſdictionis: reſpondemus, Chriſtū Apoſtolis ante illa verba dixiſſe: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; quibus verbis legati ad omnes gentes deſtinantur, daturque illis ampliſſima iuriſdictionis autoritas in omnes.

omnes. Ideo quod sequitur, Quorum remiseritis, sensum facit inter eos, ad quos vos mitto: Quorum remiseritis. At cùm Sacerdotibus non dicantur ea verba, Et ego mitto vos: quæ sequuntur, etsi eodem sensu ad eos pertineant, quo dicta sunt ad Apostolos, absoluere tamen eorum verborum virtute non possunt, nisi cùm missi fuerint, hoc est, quibus Christi aliquibus præfecti fuerint. Et verbo, Remiseritis, ostendit, Sacerdotes absoluendo verè remittere peccata, & non tantùm ostendere remissa, & confitentem absolutum, & non tantùm peccatorum pœnas, vt quidam volunt, sed ipsas culpas, quæ præcipuè sunt peccata, ministerio suo absoluere, quanquàm Deus principaliter remittat. Et quia non dicitur quæ peccata, sed quorum peccata remiseritis: respiciendum esse voluit ad personas, non ad peccata: quia in quibusdam absolui possunt, vt remissibilia; in quibusdam non rectè accedentibus, sed ficto animo, vel sine proposito melioris vitæ retineri. At verò quoniam Satanas ægrè fert de animis hominum pelli: summo studio semper est conatus Sacramentum pœnitentiæ sepelire, & locos Scripturæ, qui illud statuunt, eludere, sed potissimùm eius loci splendore, ac veritatis pondere offensus miras euadendi technas per suos excogitauit, sed ita vt orthodoxa doctrina inuicta semper, atque illustris permanserit, atque de ipsius mendacijs contra eum insurgentibus gloriosum egerit triumphum. Siquidem ex his verbis non potuerunt hæretici multi ire inficias, quin Sacramentum nouum aliquod conditum sit à Christo, & necessaria sit peccatorum enumeratio in confessione apud Sacerdotem, potestasque absoluendi penes ministros Ecclesiæ existat. Fuerunt autem huius Sacramentalis cõfessionis veluti semina quædam, atque elementa præmissa in confessionibus, quas exegit Deus à mundi principio in lege sola naturæ, aut in illis quas exigebat durante statu legis Moysi, vel eius, quam præscribebat Ioannes Baptista tanquàm Christi etiam in illo Sacramento præcursor, de quibus libr. 4. locuti sumus. Deinde ex Nouo Testamento allegoriæ quædam producuntur, vt leprosorum, qui missi sunt ad Sacerdotes, & Lazari suscitati, quem Apostolis soluendum tradidit. Quibus persuadetur, confessionem peccati Sacerdoti esse faciendam. Nam figuris ad crucem vsque locus fuit, vt typi & vmbræ legis indicant, & status Noui Testamenti nondum perfectus exigit. Tertiò argumentum desumitur à promissione huius potestatis. Nam Petro dixit: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*: & ad Apostolos: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hæc autem potestas in genere communicata ita extenditur ad forum exterius, vt interius præcipuè includatur, in quo potiùs regnum Christi situ est: nam ita dixit Dominus, *Regnum Dei intra vos est.* Si ergo Christus instituit alteram partem, & illam quidem magis præcipuam, nimirum formam, in qua posita est ligatio, & absolutio; instituit etiam & alteram partem, quæ locum materiæ sustinet, id est, peccatorum confessionem. Quod verò hi duo loci de hac ligandi & soluendi potestate Matth. 16. & 17. intelligendi sint; docent præter Hieronymum, Ambrosius libro de Pœnitentia, Augustinus in Psal. 66. & lib. quinquaginta Homiliarum, & Chrysostomus in illos duos Matthæi locos, & libro de Sacerdotio, & in eosdem Theophylactus, & Nicephorus epistola de potestate ligandi atque soluendi ad Theodosiũ monachum, & Leontius in vita Ioannis Misericordis. Quarto loco sumitur argumentum ex ipso præcepto, exhortatione, atque consuetudine. Præcipit enim frater Domini. *Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem, vt saluemini.* Exhortatur Dilectus discipulus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emendet nos ab omni iniquitate.* De praxi verò, siue consuetudine loquitur Lucas in Actis, cùm ait: *Multiq; credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.*

Sed de his tribus testimonijs opportuniùs alio loco dicemus; nunc quod instat, agamus, & locum propositum Ioannis, qui institutionẽ continet huius Sacramenti, diligentiùs excutiamus. Aut enim propositus locus nihil continet de Sacramento pœnitentiæ, aut aliquid: si aliquid, quod ad Sacramentum faciat, continet, vel illud est, quòd homo se debeat in generẽ peccatorem fateri, vel quòd in specie peccata enumerare debeat sua. Quòd si hoc vltimum obtineamus; rursus disserendum est, num satis sit, solam infidelitatem, aut sola peccata publica, an reliqua omnia ab infidelitate, & quàm maximè secreta occultaque confiteri. Quòd si hoc euictum reliquerimus, planè Catholicè explicatus erit hic locus, atque expeditus, oraq; impudentium hæreticorũ obturata. Vt autem hæc, quæ paullò obscuriùs dicta sunt, explicationis luce perfundantur, fuerunt quidam

Marginalia (left): &c. nisi ad quos ... potestas iurisdictionis. — Expenditur illud verbum: Remiseritis. — Satanæ inuidia, conatus. — Confessionis Sacramentalis semina, & allegoriæ. — Matth. 3. — II argum. Lib. 4. Luc. 17. Matth. 8. Ioan. 11. — III argum.

Marginalia (right): Matth. 16. — Infra 18. — Luc. 17. — Hieronym. in Matth. 16. & 17. Amb. lib. 1 de pœnit. c. 6. 10 & Aug lib 50. Homiliarum homil. 49 & 50. cap. 10 in fin & 16 tomo. 10. Chrysost. ho. 55 & 61. in Matth. tom. 2. Idem lib. 2. de Sacerd. tom 5. Theophyl. in Matth. 16. & 18. Niceph. Leontius Episcopus. — IV argum. Iacob. 5. 1. Ioan. 1. Actor. 19. — Quod hic locus Ioannis, Quorum remiseritis peccata, &c. de Sacramentali confessione necessario debeat intelligi ostenditur. — Huius loci: Quorum remiseritis peccata, variæ hæ-

hæreticorum intelligentiæ, proponuntur, atque confutantur.

ex hæreticis, & præsertim Caluinus in Antidoto, qui negarunt, vllo modo sermoné hîc esse de Sacramento pœnitentiæ, sed de prædicatione verbi Dei habéte secum Spiritum sanctum, quo soluitur fidelis, ligatur infidelis: nam Lutherani prædicatores absolura cócione dicere soliti erant: Ego vos credétes absoluo ab omnibus peccatis vestris. Alij verò, vt Lutherus ipse, admittunt, in his verbis absolutionem esse institutam, sed confessionem generalem satis esse ad obtinendam remissionem, etiamsi vtile esse iudicent quædam in particulari enarrare. Est autem confessio generalis, fateri in genere se peccatorem, atq; multa patrasse peccata, vt ostendit illa generalis confessio, quæ sacrificio Missæ præmittitur, nullũ tamen singulariter enumerando. Tertiò admittunt alij; solum infidelitatis peccatum esse enarrandum, reliqua verò omnia silentio supprimenda. Quartò volunt alij, peccata tantùm publica esse in confessione numeranda, ad secreta tamen, occultaque detegenda minime nos adstringi, sed illud in nostra potestate, ac libertate positũ esse. Hæc sunt hæreticorum subterfugia, quib[9] putát se perbelle respódisse, & verbis Domini satisfecisse. Verum quam sint infirma ac parum solida, non erit difficile æquũ lectorem impugnationib[9] nostris intellectis diiudicare. Nam contra primum, nempe, hîc nihil de cófessione peccati tradi, his argumentis agimus. In primis quia apud sacras literas, & veteres Patres prædicare, & remittere peccata, distincta sunt munera, & nunquam prædicator dũ prædicat, soluit à peccatis; neq; Sacerdos dum absoluit in foro pœnitentiæ, vnquã dicitur concionari, aut prædicare. Deinde Paulus absenté Corinthium incestuosum ab indicta absoluebat pœna, quem prius ligãdo Satanæ tradiderat, nec tamen quisquam absentibus, longeque à se positis concionari dicitur. Tertio, quemadmodum Christus cum inquit, *Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* distinctũ tradidit prædicãdi ministeriũ ab illo baptismi; ita cum dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* etiamsi maxime ad prædicandum illos destinauerit, distinctum iniunxit munus remittendi peccata, ab altero prædicãdi. Quarto, Ioannis discipuli non essent distincti ab illis Christi, neq; laici à Sacerdotibus, si remittere peccata nó est aliud, quã annuntiare remissionem peccatorum: nam perinde Ioannes annuntiabat illum cum discipulis suis, atque Christus cum suis, ac proinde illam valent præstare laici docti

Prima interpretatio hæreticorum Caluinistarum.
Secunda Lutheranorum.
Tertia.
Quarta.
I ratio.
Contra Caluinum, eiusq; sectatores hoc loco de Pœnitentiæ Sacramento negantes esse sermonem.
II. ratio. 2. Cor. 2.
III ratio. Matth vlt.
IV. ratio.

atque Sacerdotes. Quinto, catechumenus nondũ baptizatus, atq; excommunicatus, admittuntur ad cócionem audiendam; qui tamen propterea absolui non dicitur, nec catechumenus potest esse remissionis Sacramentalis capax. Sexto, pueri, ac fatui, atque in extremis positi si surditate laborarent, absolui non possent, quia prædicationis ob aurium defectum minime capaces existunt. Septimo, plerunque contriti, ac iusti absolutione egent, qui tamé ob doctrinam eximiam opus non habent prædicatione. Octauo, idem esset absoluere, & ligare, si hoc est prædicare, verboque prædicationis proposito si vnus assentiret; alius vero dissentiret, cótingeret hoc absurdum, vt idem verbum esset sententia ligãs, & sententia absoluens. Nono, si remittere est prædicare gratiam remissionis peccatorum credenti; & contra, retinere, est gratiã rem missiõis incredulo negare; profecto absurdus est sensus: quia qui non credit, iam iudicatus est, vt ait Dominus, & Apostolus: *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* Decimo, Nouatianum est dogma, negare potestatem absoluẽdi esse in Ecclesia, aut inficiari Sacramentum Pœnitentiæ esse in illa, quod tam necessariũ est lapsis, quam baptisma nondum renatis. Nouatiani enim nó negabant pœnitẽtiam apud Deum, sed tantum apud Ecclesiæ ministros: vt egregie docent Tertull. libr. de Pudicitia, Cyprianus epistola ad Antonianum, Ambrosius lib. de Pœnitentia, & Historia Tripartita loquens de Acesio. Postremo producitur Patrum traditio, quæ in his verbis Sacramẽtum Pœnitentiæ agnouit institui, vt Chrysostomus in Ioannẽ super hęc verba, & Ambrosius lib. de Pœnit. & serm. de natali sanctorũ Apostolorum Petri, & Pauli. Cyprianus quoque ad Magnum probat ex his verbis eos solos posse baptizare, & remissionem peccatorum conferre, qui Spiritum sanctum habẽt: & iterũ ser. de lapsis, sicut & B. Augustinus in lib. quinquaginta Homiliarum, & Hieronymus ad Hedibiã, vbi asserit quod Apostoli peculiariter receperunt Spiritum sanctum, vt peccata remitterent. Nec non B. Cyrillus Commentariis in Ioannem, ac Theophylactus, atque Euthymius in eadem verba, & Gregorius super Euangelia eidem veritati attestantur. Præterea Cyprianus in epist. ad Cornelium Papam, Ambrosius libro De Pœnitentia, & Cyrill. loco prædicto, ac Rupertus Tuitiensis vno cósensu tradunt, eis verbis datam potestatem remittendi peccata, siue per baptismum, siue per pœnitentiã. Et ante eos omnes Eutychian[9] epist.

V ratio.
VI. ratio.
VII. ratio.
VIII. ratio.
IX. ratio.
Ioan 3.
1. Cor 5.
X ratio contra Nouatianos.
Tertull.
Cyprian. lib. 4 epist 2 circa med.
Amb lib 1 de Pœnit c. 1 10 &
Hist. Trip li. 2 cap 13.
XI ratio à Patrum traditione.
Chrys ho. 85. in Ioan 10
Amb. lib. 1 de Pœni c. 2. ms. tom. 2 & ser 08. to. 3. m...
Cypria lib. epist 6.
Idem
Aug lib. 50. Homil ho 49 & 50. c. 10. & 16. tom.
Hiero ad Hedib. q 9 fe finem tom
B Cyril li. 12 in Ioan. c. 56 tom. 1
Theoph. in Ioan. Euthy. ibid. ca. 18
Greg ho 40 in Euãg to. 2
Cypria lib. epist 3.
Amb lib. 1 de Pœnit cap
Cyrillus ... tom. 2.

ad

Rupert. Tuit. in Ioā lib. 14. Eutychianus. Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. C. 2 post naufrag. ii de pœnit. dist. 1. Concil. Trid. sess. 14. c. 1. Cap. ut cōstitueretur, 50. dist. & infr. c. 8. in fin. & can. 3.

ad Episcopos Siciliæ de eadem potestate Apostolorum exponit. Denique ne huius rei vllus scrupulus remaneat, Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificatione, ita docet: *Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Rursus sess. 14. de doctrina huius Sacramenti ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatum, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negentes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit, atque condemnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & reijciens, damnauit eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium annuntiandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.* Hæc ibi. Et inter Canones Pœnitentiæ, is, qui numero tertius est, anathema infligit omnibus secùs illa verba interpretantibus. Et Canone 7. anathema infligit in eos, qui confessionem tantùm esse vtilem tradunt ad erudiendum, & consolandum pœnitentem. Quia hæc confessio Pœnitentiæ Sacramentum tollit, & confessionem Euangelio propriam, id est, quæ fit ad obtinendam absolutionem peccatorum; illa autem quæ fit ob consilium, auxilium, & consolationem, communis est omni genti, & omni tempori, & non est propria Euangelij. Quòd si Augustinus in Ioannem hæc Domini verba ita interpretatus est; *Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt eius participes, tenet; ideò postquam dixit: Accipite Spiritum sanctum; hoc continuò de peccatorum remissione, ac detentione subiecit.* Hæc ille: mirum esse non debet: quia Ecclesia remissionem peccatorum pro suis filijs impetrare solet: quemadmodùm mater adolescentem filium mortuum lacrymis suis prosequens, promeruit apud Christum, vt eum suscitaret. Etsi autem sensus verus & Catholicus sit, præstat tamē quòd sit sermo de Spiritu sancto, id est, de facultate remittendi, & retinēdi peccata, quem

Aug. interpretatio Christi sententiæ: Quorum remiseritis, &c. huic loco minus cōgruens, atque consentanea.

Aug. tract. 119 in Ioan. propè finem, tom. 9. Rom. 5. Luc. 7

Altera eiusdē interpretatio his Domini verbis congruentior, & aptior.

sensum Augustinus frequenter in alijs locis sequitur, maximè verò in lib. quinquaginta Homiliarum, vbi Homilia vltima ait: *Facti iudices, quorum est pro iustitia pugnare, & æquitatem seruare, & modica pœna magna peccata purgare.* Quòd si obijcias, prædicationi verbi Dei coniunctam esse promissionem remissionis peccatorum, quemadmodùm Dominus dixit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remißionem peccatorum in omnes gentes,* & Apostolus ad Corinthios: *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* & iterum ad Timotheum: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, &c. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt,* & ad Romanos: *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, et saluos faciam aliquos ex illis.* Sed facilè est his respondere: quoniam vt istis locis, vbi est sermo de prędicatione, nequaquam excluditur Sacramentum Baptismi, quod institutum est pro ingredientibus in Christum, ita etiam neque Sacramentum Pœnitentię exclusum quouis modo intelligendum est, quod regenitis non minus est necessarium ad salutem, quam Baptismus nondum initiatis. Secundò obijciunt, quòd vt Sacerdos in Baptismo non est iudex, nec sententiam pronuntiat, ita etiam nec in Pœnitentia. Sed dicendum est, longè diuersam esse rationem. Nam infidelis nondum aqua tinctus foris est, & propterea in illis iudicium exerceri non potest, secundùm illud Apostolicum: *Quid mihi de his qui foris sunt, iudicare?* Adhæc nemo dubitat, strictius esse Pœnitentiæ pactum, quàm illud Baptismi; nam in hoc aqua externa facilè tingimur, at in illo lacrymarum profluuio opus est; ob quam etiam causam Gregorius Nazianzen. vocat sacramentum Pœnitentiæ, laboriosum Baptismum.

Aug. lib. 50. Homil. hom. 50. tom. 10.

Luc. 24.

1. Cor. 4.

1. Tim. 4.

Rom. 11.

Sacramentum Baptismi ad quid institutum.

II. obiectio.

1. Cor. 5.

Pœnitentiæ & Baptismi discrimen.

Greg. Naz. oratio in sancta Epiphaniarū lumina.

Quod secundo loco ab Hæreticis dicitur, quòd satis sit in genere se peccatorem confiteri: neque Christum his verbis peculiarē exigere peccatorum enumerationem, diligenter est confutandū, ostendendumque singularium actuum reddendam rationem in confessione Sacerdoti Christi Vicario. Nam in primis illud constare potest ex confessionibus, quæ huius Sacramentalis nostræ typus ac figura extiterunt, in quibus ad particularia descēdebatur peccata. Nam Adam & Eua coram Deo vetiti ligni comestionem confessi sunt; à Cain quoq; exigebat fratricidij confessionem; in lege quoq; præcipiebatur, vt quisq; cōfiteretur

Aduersus eos qui asserunt, generalem confessionem satis esse ad salutem.

Largum.

Genes. 3. Infra 4. Leuit. 16. Infra 26. Num. 6.

peccatum suum, pro cuius varietate varia indicebatur mulcta, & hostiæ compensatio. Achan quoq; in libro Iosue, peccatum suum confessus dixit: *Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic, & sic feci*: Ioanni etiam Baptistæ confitebantur peccata, & nō tantùm se esse peccatores. Cùm ergo peccata confiteri, confessionis opus existat, quod etiam Lutherani nō negant; nam aliàs crimina sua fateri in speciali non consulerent: si hanc perfectionem in antiquis Dominus exigebat, quibus tamen confitentibus non erat certa gratiæ promissio facta, haud dubium, quin illam exigat à viris Noui Testamenti, quos decet maior perfectio, quibusque confitentibus promittitur certa remissio. Deinde idem probatur ex adductis autoritatibus Euangelij, vbi præcipitur ministris, vt pœnitentes aut absoluant, aut ligent, & præsertim ex hoc Ioannis testimonio quod exposuimus, in quo datur facultas remittendi, vel retinendi peccata. Aut enim Dominus voluit his verbis declarare, vt ministri audita peculiari confessione, aut soluant, aut ligent, aut remittant, aut retineant crimina, quæ audierunt, quemadmodùm praxis Ecclesiæ habet: & ita euincimus quod volumus. Vnde Gregorius in Homilia super Euangelium illud: *Cùm sero esset factum, vna Sabbatorum*, rectè scribit: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoru sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur iudicii.* Hæc ille. Si autem Dominus id non voluit exprimere, sed generalem quandam cōfessionem tantùm requirebat, profectò multa in hunc sensum obijci possunt. Primum est, quòd frustrà additæ essent illæ particulæ, ligandi vel soluendi: cùm enim Sacerdos non cognoscat nisi in genere peccata, vel omnes essent ligandi, vel omnes essent absoluendi: cùm tamen Dominus contrarium insinuet, nimirùm quædam, & quorundam crimina retinenda, alia verò, & aliorum remittenda. Vt omittam, quòd esset secundùm faciem iudicare. Et quia vt dicitur in libro Prouerbiorum: *Qui quod nouit, loquitur, iudex iustitiæ est*; *profectò qui iudicat quæ ignorat, iniquitatis iudex est*. Et omnes in communi absoluere, esset sanctum dare canibus, & margaritas proijcere ante porcos, id est, in eos qui indigni & imparati ad accipienda dona Dei existunt. Et de Pseudoprophetis testatur Ezechiel: *Et violabant me*, inquit, *ad populum meū propter pugillum hordei, & fragmentū panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt*, (vel vt Hebræa litera manifestiùs habet: *Interficiebant animas mori non debentes: & eis, quas viuere non conuenit, promittebant vitam*) *mentientes populo meo credenti mendacijs*. Deinde absurdum esset, quòd frustra esset hîc data potestas ligandi, quam Doctores omnes confitentur, si non esset simul data in causa cognoscendi potestas, sine qua nemo valet benè vti priori potestate. Hinc in plurali dixit: *Et tibi dabo claues regni cœlorum*; quia quisque Sacerdos præditus est claui cognitionis, & potestatis. Quare Ambrosius sermone de Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, clauem scientiæ tribuit Paulo, & illam potestatis Petro. Et Bernardus sermone in Cantica binas illas claues sciētiæ, & potestatis agnoscit. Tertiò absurdum est, Christo illis verbis non exigente peculiarem peccatorum enumerationem, Ecclesiam perniciosè, & in multorum scandalum eam tanquam ad salutem necessariam à suis exegisse: in quo peccaret, ac talento sibi concesso abuteretur, dum potestatem sibi liberè concessam, vt absolueret omnes pœnitentes, qui in genere confiterētur noxas suas, restringeret tantùm ad eos, qui in particulari deregerent delicta sua, contra Domini voluntatem. Et cùm multi difficultate huius peculiaris confessionis, ab ea deterreantur, & generali illa se peccatores confitendi allicerentur ad Sacramentum, Ecclesia rea existeret salutis omnium illorum, qui libenter illam generalem amplecterentur, & ab illa abhorrerent particulari. Peccaret quoque in eos, qui singulares actiones fatentur, præsertim non indigentes consilio, aut doctrina Sacerdotis, quia curiosè, & sine fructu eorum singulares offensas requireret. Imò iniustè cogeret eos ad se sine causa diffamandum: & ministri ipsi illam exigētes, periculis se exponerent, aut incurrendi peccata quæ audiunt, vel ea alijs propalandi. Quorum neutrum modò contingit, quia vtrumque ex Christi institutione, & mandato dum fit, gratiam porrigit ad vtrunq; peccatū vitandum. Quartò, ex dicta positione sequeretur, omnes canonicas satisfactiones de medio esse tollendas, quia iuxta grauitatem peculiarium delictorum debent iniungi: at si quis in genere se denuntiet peccatorem, profectò de delicto ipso minimè constaret, nec illi imponere peculiarem pœnitentiam valeret quisquā. Quæ omnia falsa sunt, atq; absurda: & Canones ipsi ad peculiaria castiganda peccata in Ecclesiā inuecti sunt. Quintò, sanitati ipsius pœnitentis minimè esset pro-

Marginal notes (left): Iosue. 7. — Matth. 3. — II. argum. Matth. 16. Infra 18. — Greg. hom. 26 in Euāg paulò ante mediū tom. 2. — Ioan. 20. — Absolutio quando dicitur vera. — Si Christus in his verbis: Quorum remiseritis &c. generalem tantùm confessionem, nō particularem exigeret, quæ & quanta absurda sequerentur. — Primum absurdum. — Prou. 12. — Matth. 7. — Ezech. 13.

Marginal notes (right): Secundum absurdum. — Matth. 16. Petri & Pauli claues. — Ambros. ser. 66. tom. 3. — Bern. ser. 66 super Can. paulò post med. — Quartum absurdum. — Ecclesiastici Canones in Ecclesia cur inducti. — Quintum absurdum.

prospectum. Cùm enim forum Pœnitentiæ medicinale sit, si infirmus non detegeret suorum vulnerum qualitatem, nec à præteritis delictis curationem acciperet, nec futura pro virili vitare à Sacerdote institueretur. Sextò summè dedecet diuinam sapiētiam tale pactum instituisse, vt maior peccandi ansa arriperetur: nam cùm homines non ignorent se compelli ad crimina sua in specie confitenda, & ad pœnitētiam pro eorum qualitate agēdam, adhuc tamē pro illorū infirmitate, sine malitia frequenter in peccata relabuntur. Sanè propensiùs ac licentiùs longè homines peccarent, & absq; vllo metus frœno in delicta prolaberentur sine vlla pœnitentiæ actione, tantummodò se peccatores accusando existimarent se pro venia cōsequenda satis præstitisse. Septimò, per illum sensum adimeretur pastoribus optima occasio agnoscendi vultum pecoris sui, atque illum sanandi, si oues non coguntur nisi in genere se peccatores accusare. Octauò, quia dimittere peccata sine præuia confessione, prærogatiua est potestatis excellentiæ Christi: quia solus sine Sacramento dimittit peccata, cū solus habeat eminenter clauem Dauid. Vt igitur nobis baptizatus non est nisi ille, qui tinctus est aqua; ita nec absolutus quisquā à suis delictis, nisi qui præmiserit apud Sacerdotem peccatorum suorum confessionem. Falsum est igitur, & vanum quod Melanchthon dixit, ideò non opus esse audire particularem confessionem; quia absolutio executio est alieni beneficij. Nam etsi ingenuè fateamur, absolutionem à peccatis beneficium esse Christi; ita tamen est dispensandum hoc beneficium, vt ipse Dominus præscripsit: *Fidelis*, inquit, *seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; & rursus: *Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispēsatores vt fidelis quis inueniatur.* At fideliter non dispensat mysteria Dei nisi ille, qui pro ratione à Domino præscripta administrat illa. Alioqui posset quis remissionem peccatorum conferre Catechumeno, antequam eum baptizaret; vel illam conferre absque vlla forma Christi; cùm tamen neque infideli sit hoc Sacramentum administrandum, neque fideli nisi confitenti sua delicta in particulari, illaque detestanti, & seruata forma à Christo ipso instituta. Et ita admittimus, absolutionem peccatorum beneficium esse Christi, vt non negemus esse quoddam tribunal, in quo Sacerdos partes iudicis agit, pœnitens verò personam sustinet rei. Quamobrē cum iudicio & ratione dispensandum est tale beneficium. Quare qui sentiunt secùs, contra veritatem ipsam, ac veterum Patrum traditionem agere videtur. Contra veritatem quidem, quia cū forum pœnitentiæ non sit politicum, aut externū, sed internum conscientiæ forum, & Sacerdos qui vices agit Christi, quantum humana ferre potest fragilitas, sese accommodare debeat diuino iudicio, hoc est, eum solū absoluere, vel ligare, quē ex Scripturis, aut certis Ecclesiæ regulis cognouerit à Deo ipso absolui, vel ligari, seu dignum absolutione, vel ligamine iudicari; vt ita quæ soluerit, vel ligauerit, rata habeantur in cœlis. Cùm igitur Deus in cœlo non absoluat nisi eū, qui peccata agnoscit sua ac detestatur, eaq; in futurum declinare proponit, & fiducia concepta de venia consequenda accedit: debet Sacerdos absoluens, vt se Deo coaptet, omnia hæc diligenter apud pœnitentē, qui ad se accedit, inuestigare. Et quia hæc nosse non potest nisi aut reuelatione, quam non habet, aut spontanea pœnitentis confessione, particularem illam Deus voluit à pœnitente obseruari, quò ea percepta agnoscat iudex, quam sententiam debeat pronuntiare. Deinde etiam illud est contra Patres, qui contrarium & senserunt, & scriptis prodiderunt. Ita enim Cypria. in serm. de Lapsis, & Antherus Pontifex Romanus epist. vnica ad Episcopos Boëtiæ, & Greg. super Euangelia in Octauis Paschæ, supra citatus, & Hierony. in comment. super Matthæum, tractans illud: *Tibi dabo claues regni cœlorum*: *Istum, inquit, locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio; vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuit. de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se Sacerdotibus; & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: Non quò Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat, vel soluit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt, & noxij, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.* Hæc ille. Quem locum eo consilio produximus, vt quoniā Lutherus eū detorquet, ac docet, nullo modo à Sacerdotibus peccata remitti posse, vel retineri; sed tantùm ostendi per Sacerdotem eos qui ligati sunt, aut soluti (vt in lege veteri circa leprosos faciebat Sacerdos) à calumnia vindicaremus. Nam ipsemet Hierony. satis se ipsum detegit; dixit enim, quòd Sacerdos pro officio

suo,

Sextum absurdum.

Septimum absurdum.

Prouer. 27.

Octauum incommodum.

Christi prærogatiua singularis

Apoc 3.

De particulari confessione quid senserit impius Melanchthon.

Absolutionis beneficium quatenus sit dispensandum.

Matth. 24.

1. Cor. 4.

Mysteria Dei fideliter quis dispenset.

Lutheran. h[...] loco in Deu[...] pariter atq; [...] Ecclesiam [...] pij atque n[...] tarij existun[...]

Deus quem absoluat in cœlo.

Cypr. serm. [...] de Lapsis.

Antherus Papa.

Greg. hom. 2[...] in Euāg. to 2

Hierony. in c[...] Mat. 16. to. 9.

Apud Deum (ait Hierony.) non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur.

Luc 14.

Luc. 17.

est in, & non potest intelligere, nisi Deus reuelet, qui pro sua sapientia potiùs simplicibus, & humilibus reuelat, quàm superbis: *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: at Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Quia ergo scientia inflat, & illa erat per Christum in quibusdam deijcienda; propterea teste Apostolo, pauci nobiles, & sapientes, & potentes ad Euangelium vocati sunt. Confitendum tamen est, quòd scientiæ liberales, & multarum rerum peritia, atque eloquentiæ studium ad ea, quæ spiritu perceperis, facilè explicanda, & alijs tradenda conducibilia existant. Obserua quoque tres esse hominum ordines. Primus est eorum, quibus Scripturæ à Doctoribus aperiuntur: at quia non habent spiritum, quo Scripturæ sunt conditæ, mendici sunt, & potiùs est eis aperta memoria. Secundus eorum, quibus tantùm intellectus aperitur, vt sunt interdum peccatores, qui de Scripturis subtiliter disserunt, qui de verbis vitæ disputando, vt quidam dixit antiquus, mortis lucra sectantur. Tertius eorum est, quibus propter diuinę sapientię vnionem euidentior videtur sensus. Deregitur que hoc loco. Scripturas ex se esse tanquàm clarissimum Solem, sed causa cur non illuminent hominum sensus, in eo posita est, quia in tenebris homines versantur, claueq; Dauidis, quæ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, hoc est, Christo, sunt destituti, intellectusque sui sensum ad humana apertum, & ad diuina habent clausum, vt Iudæi, de quibus testatur Apostolus, quòd vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: sed Christus aperit, vt extendatur ad diuina, & per lumē ipsius particeps fiat æternitatis. Mens autem est magis intensè aperta, aut extensè, pro ratione temporis, aut loci, aut necessitatis, aut libertatis diuinæ: nam dignus est agnus, qui occisus est, aperire librum, & soluere septem signacula eius: & qui hic dignatur aperire mentem, vt intelligamus Scripturas, in vita æterna aperiet cum sensu, vt intueamur aptissimam veritatem, id est, Verbum æternum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. *Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Hierosolyma.* Sensus est: quoniam sic scriptum est, & consequenter oportebat euenire, id est, illam rationem, ordinem, ac modum seruari, qui seruatus est: sic erat præuisum, & prouisum; & ideo in Scriptura, quæ pattem prudentiæ, ac prouidentiæ Dei declarat, contentum. Quamobrem cùm Euangelistæ plerumque dicere solent: Vt impleretur quod dictum est per Prophetam, argumentatio est à posteriori: quia fideles viatores, & necdum videntes in Verbo rerum ideas, decreuit Deus per Scripturarum Canones gubernari: quemadmodum qui Grammaticæ dat operam, per regulas Donati ad tempus regitur, donec perfectè illam linguam consequatur, atque ex Cicerone, & classicis autoribus linguæ Latinæ facultatem addiscat, Donati præceptionem penitùs oblitus. Ac discipuli quidem Christi, sicut & hodiè faciunt Iudæi, ad Scripturas tantùm, quæ erant de gloria Messiæ, spectabant, & non ad eas, quæ de Christi cruce, & ignominia verba faciebant. Et cùm ea quæ ad gloriam faciunt, æterna sint: necessariò consequens est, vt ea quæ ad afflictionem pertinebant, tanquàm temporaria priùs implerentur: ita & nobis dictum intelligamus, quæ scripta sunt de gloria nostra: quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt, & ea etiam, per quæ omninò penetratur, & perrumpitur ad gloriam, id est, ignominiosa, laboriosaque. Subdit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Vt intelligas cessationem sacrificiorum legis, & abrogationem veteris expiationis peccatorum ex Christi scientia, & voluntate profectam: & quod attinet ad iustificationem, & remissionem peccatorum, satis esse pœnitentiam in Christo sine lege, & cæremonijs. Et coniungit hæc duo, eo quòd pœnitentia opus sit humanum, non sine Dei gratia; remissio verò peccatorum solius Dei opus est. Verùm pœnitentia sine peccatorum remissione nihil valet: & remissio peccatorum sine pœnitentia dari adultis minimè consueuit. Et significatur, pœnitentiam prædicari oportere in nomine Christi præuiam ad remissionem peccatorum, quam operatur Christus: sicut piscis assus præcedit ipsum mel, vt ponderat Eusebius in Catena aurea beati Thomæ. Ita ergo passio, & resurrectio Christo fructum edidit nobis morientibus primùm peccato, & ad vitam gratiæ resurgentibus. Addidit, *In nomine eius.* Hoc est, pœnitentia, & remissio peccatorum prædicetur ad gloriam, & nomen Christi illustrandum: quilibet etiam alteri remittat offensas propter gloriam nominis Christi, qui illud præcepit. Vel in nomine eius, id est, in eius persona prædicetur, vt Paulus ait: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; & rursus, *Nam & ego*

quod

Marginal notes (left): Matth. 11. — Iacob 4. — 1. Cor. 8. — Supra 1. — Quare pauci nobiles, & sapientes, ac potentes ad Euangelium vocati sint. — Hominum ordo triplex. — Apocal. 3. — Iudæorum cæcitas. — 2. Cor. 3. — Apoc. 5. — Coloss. 2.

Marginal notes (right): Cur Deus credentes per Scripturas nunc doceat & instituat. — Documentū. — Vnde cessatio sacrificiorum legis Mosaicæ, & abrogatio veteris expiationis peccatorum origo fit. Cur pœnitentia, & remissio peccatorum hic Christus memorat. — Eusebij Emisseni ponderatio. — Quid sit in nomine Christi prædicari pœnitentiam. Luc. 6. Matth. 5. — II. sensus. 2. Cor. 5. — Ibidem.

II. sensus. *quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi.* Tertius sensus est: In nomine eius, hoc est, ob eius exemplum, qui cùm peccatum non fecerit, egit tamen ipse primus, & prædicauit pœnitentiam, & peccanti humiliato parcit. Nam ad omnis peccati absolutionem impetrandam peccator se Christi pallio defendit: ipse etiam Dominus autoritate remittit sicut Sacerdos verbi, aut Sacramenti ministerio. Et subiungit: *In omnes gentes.* Quod mysterium est à seculis absconditum, gentes videlicet esse promissionum Dei participes: & non tantùm in gētes, sed in omnes, quia pro omnibus vulneratus est, qui diues est in omnes, qui inuocant illum. *Incipientibus ab Hierosolyma.* Intellige prædicationem inchoandam ab Apostolis ab Hierosolyma. Et verbum, Incipientibus, regitur à verbo prædicari, vt videlicet fructus incipiat, vbi primum seminatum est granum; & quia multa quę erant prædicationis materia, in ea ciuitate sunt gesta; & quia illi populo promissiones Euangelicæ primùm factæ erant; & vt doceatur peculiariter passus pro crucifixoribus, & ne possint Iudæi calumniari, quòd ad Gentes priùs diuerterit, quàm ad eos; & vt impleantur promissa de Gentiliū in Christum ingressu; & vt illi cum certa fiducia ingrederentur, videntes quòd etiam hostibus, qui ipsum cruci suffixerant, pepercerit. Quatuor autem refert fuisse à Prophetis prædicta, & ob id necessaria. Primum, eius passio, de qua Esaias: secundum, resurrectio, quæ fuit in typo Ionæ adumbrata: tertium, quòd in nomine eius esset prædicanda pœnitentia, & peccatorum remissio: *Parùm est*, inquit, *vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Quartum erat, hanc prædicationem exordiendam ab Hierusalem, quod prædixerant Esaias, & Michæas: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et in ciuitate sua cœpit Christus primus prædicare pœnitentiam, & dicere, *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cælorum.* Et post pœnitentiam à se in cruce peractam, iterum illam iubet prædicari per Apostolos, vt habes ex hoc loco, & in Actis Apostolicis.

Esai. 53. 1 Pet. 2. Matth. 4.

Quodnam mysterium à seculis absconditum, secundùm Apostolum. Ephes. 3. Rom. 10.

Quare Christus prædicationem ab Hierosolyma inchoandam præceperit.

Quatuor prædixerunt Prophetę de Christo, ob idque necessariò implenda. Esai. 53. & seq. Ioan. 2 & seq. Matth 12. & 16. Esai. 49. Isai 2. Micha 4. Matth. 4. Act. 2 & 5.

Vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto. Id est, Hæc à vobis tanta virtute sunt prædicanda, quasi testes oculati omnium extiteritis: quia quod quisque nouit, & sensibus hausit, vehementiùs prædicat, secundùm illud: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Consultò autem elegit tam paucos, ac tales, id est, Galilæos, idiotas, & magna ex parte rerum humanarum ignaros; vt ea ratione magis splendesceret virtus Christi, gloriaque crucis eius magis coruscaret. Et videntur hæc conferenda ad diem Ascensionis, in qua dixit: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: & ideo verbum præsens, Estis, capitur pro futuro, Eritis, vt dicitur Actor. 1. *Et conuescens, præcipit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, Quam audistis (inquit) per os meum.* Quæ videntur his quæ habentur hîc, esse consona: nam sequitur: *Et ego mittam promissum Patris mei in vos.* Et hæc aptè quadrant his quæ præmisit de missione illorum ad prædicandum, & testificandum: quemadmodum missurus Rex ad bellum milites, inermes nequaquàm mittit, sed munitos, ac benè armatos. Et est sensus: Ne fortè dicatis; Pauci sumus, idiotæ, & infirmi: quomodo tantum munus aggrediemur? Respondet: Ego mittam in vos Spiritum sanctum à Patre meo, per Ioëlem prædictum. Subdit: *Vos autem sedete in ciuitate.* Id est; Antequàm testimonium dare de me auspicemini, sedete quieti, quoadusque veniat Spiritus sanctus, qui tantis vos donis repleat, vt virtus diuina sit vobis tanquàm indumentum quoddam: quoniam exteriùs apparebit tāquàm vestimentum quoddam tegens naturalem ignorantiam, & impolitæ linguæ ruditatem. Adhæc splendebit foris in varietate linguarum, & dæmonum expulsione, in sanitatum operatione, signorumque multitudine: ita vt non sitis vos qui loquimini, qui prædicatis, qui dæmonia pellitis, qui sanitates operamini, vel signa editis, sed spiritus Patris vestri; qui in vobis, & per vos cuncta hæc operabitur. Rectéque ponderat Gregorius: *Nisi sancti Spiritus vnctio interius doceat, frustrà prædicator exteriùs laborat.* Nec est aliena à Propheticis literis hæc phrasis induendi aliquem virtute ex alto. Nam Iudic. 6. habetur; *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.* Pro quibus Septuaginta interpretati sunt καὶ Πνεῦμα Θεοῦ ἐνεδυνάμωσε τὸν Γεδεών: hoc est, Spiritus Domini fortificauit Gedeonem. Eadem verba, quæ de Gedeone dicta sunt, habentur 1. Paralip. 12. de Amasai Principe, & 2. Paralip. 24. de Zacharia Sacerdote filio Ioiadæ. Et certè mirum esse non debet eos, qui per Baptismum induerunt Dominum nostrum Iesum Christum, & nouum hominē, indui quoque eiusdem

Ioan. 3.

Quare Christus viles piscatores, & idiotas ad prędicandum elegerit. Act. 1.

Ibidem.

Actor. 1.

Quales miserit Apostolos ad prædicandum Christus.

Ioel 2. & Act. 2.

Quid illud: Donec induamini virtute ex alto.

Matth. 10.

Gregor. Vnctio sancti Spiritus quàm prędicatori necessaria.

Effectus Spiritus sancti. Gal. 3.

Sapient. 2. Christi Spiritum, qui eloquentiam, & linguarum notitiam præstat, quia scientiam habet vocis: signa operatur, quia digitus *Luc. 11.* Dei est: patientiam, & sufferentiam in aduersis suggerit, quia spiritus lenitatis est: consolatur in tribulationibus, quia Para- *Ioan. 16.* cletus est: veraces & sapientes reddit, quia spiritus est veritatis, & sapientiæ: infirmos denique, ac imbecillos roborat, quia vir- *Luc. 1.* tus Altissimi est. Expende verbum: *Sedete in ciuitate.* Vniti, & congregati propter imbecillitatem vestram. Nam imperfectos simul esse, vt mutuam sibi inuicem operam præstarent, maximè conueniebat: verùm vbi sunt virtute diuina muniti, atque ex alto induti, dispersit eos Spiritus sanctus: quemadmodum grana dum seruntur, spar guntur, vt plus fructificent.

Cur sedere Apostoli debuerint in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto.

Sed obijcies fortassis; Quomodò Christus dicit: *Ego mittam promissum Patris mei in vos*, de futuro; cùm tunc dederit Spiritum sanctum insufflando in eos? Sed hoc facilè soluitur; datum tunc Spiritum sanctum sub specie flatus occulta, & illis paucis ad fructum remittendi peccata; posteà verò publicè, & abundanter, & omnibus in forma linguarum ignearum, ad prædicationem, & testificationem Euangelij. Ex quo saluberrimum percipere possunt prædicatores documentum; ne se videlicet muneri prædicandi exponant, antequàm agnoscant se Spiritus sancti donis refertos. Quanquàm si obedientia aliter præscribat, pertinaciter non est reluctandum, sed certi esse debemus, Christum, & Spiritum sanctum esse nobiscum: maximè si ea prædicamus, & docemus, quæ ipsemet docuit: quandoquidem disseminando verbum Dei, nihil aliud facimus quàm quòd eorum qui nos audiunt, interiorem Dei inspirationem adiuuamus, vt faciant quod intus inspirantur. Illi namque vera nos docere inspirantur; ac ad ea, quæ prædicamus, opera præstanda impelluntur. Nos quoque nostro facto inspirationem nostram sequimur; qua iubemur superiorum mandatis impulsi alios docere, & ab ea inspiratione, atque doctrina fructum desideratum expectare, quò illustretur gloria Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto æternis gaudijs, ac felicitate perfruitur in cunctis seculis. Amen.

Quomodo Christus Apostolis pollicetur se daturũ Spiritum sanctum, cum tamen tunc dederit insufflando in eos? *Ioan. 20.* *Act. 2.*

Prædicandi munus quando aggrediendum.

(∴)

TRACTATVS XVIII.

In quo disseritur de institutione cõfessionis, in illa verba: *Dixit ergo eis iterum Iesus, Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit: & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

HÆc Verba illa eadem nocte, qua Dominus Iesus Apostolis apparuit, dicta sunt; & ob eam causam à Ioanne repetita est illa apparitio Apostolis sub vesperam diei facta, vt non tantùm adiungeret quæ alij omiserant de Thoma absente, & post octo dies eius gratia ad illum cum Apostolis conuenientium reuerso, sed vt etiam suppleret hanc Sacramenti absolutionis institutionem, quæ magnifica est in se ipsa, nobis verò maximè salutaris, & de qua post diuturnam tot seculorum præscriptionem nostræ tempestatis hæretici bellum nobis indixerunt, ac litem grauissimam intenderunt. Vt autem nos huius controuersiæ perplexos, atque implicitos sinus, ac nodos faciliùs expediremus, consultò in hunc tractatum illos explicandos seruauimus. In primis igitur obserua, salutationem illam, Pax vobis, fuisse à Domino replicatam: quia nobis sua morte pacem gratiæ, & gloriæ, pacem item animæ & corporis comparauit. Donauit etiam geminam pacem, internam Deo, & externam cum fratribus. Ac subdit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Post resurrectionis suæ veritatem confirmatam, suam illis functionem, & officium iniungit: quasi diceret; Ego perfunctus legatione mea, redeo ad Patrem, à quo missus sum in mundum; ita & ego mitto vos, vt legatione Euangelica perfungamini. Id est, Propterea dixi, Pax vobis; quia & ego ex obedientia Patris mortem sustinens, pacem feci vobis, & per vos mitto pacem toti mundo. Hinc Paulus ait: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Et paulò superiùs dixerat: *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, hoc est, Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ, quorum administratio ad Apostolos spectat, & per illa homines Deo reconciliantur, atque in eius gratiam redeunt, & amicitiam. Sicut ergo

Cur Ioannes Euangelista huius iustum apparitionem sub vesperam diei Apostolis factæ meminerit.

Quare Christus dederit Apostolis cum salutatione dicens: Pax vobis.

Quid est, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

2. Cor. 5.

Ministerium reconciliationis, de quo Apostolus ait.

misit me Pater, vt facem facerem, & annunciarem, ita ego mitto vos, vt pacem verbo annuntietis, illamque cum alijs intermedijs Sacramentis perficiatis. Vt ministros enim Euangelij pacis vos mitto, de quibus Propheta pronuntiat: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*: post pacem enim, id est, reconciliationem cum Deo, promittunt bona æternæ vitæ. Affert igitur acceptantibus Euangelium pacem, sicut recusantibus, bellum indicit, æternæque gehennæ supplicia interminatur. Daturque his verbis autoritas prædicandi, & pretiosas Christi diuitias dispensandi, hoc est, remissionem peccatorum, gratiam, & iustitiam. Et sicut me misit Pater, vt Euangelium ministrarem vsque ad sanguinis profusionem, atque plagarum impressionem, ita & ego mitto vos huius Euangelij disseminandi gratia; vt & propter illud, si contingat, carceres, flagella, vulnera, & mortem ipsam sustineatis. Et dicendo, Mitto vos, suam autoritatem, & diuinitatem declarauit, ostendens se Patri æqualem in mittendo: Apostolorum item excellentiam denotat, dum illos in delegato sibi officio pares facit, & traditæ olim sibi potestatis vicarios, & cum plena autoritate alios mittendi, & remittendi peccata; perinde atque Reges suis legatis plenam autoritatem tradere solent, promittentes se ratum habituros, quicquid illi prudenter suo egerint nomine. Sed quia hæc potestas, & gratia spiritualis est, & non potest hominibus competere, nisi ex dono Spiritus sancti; ideo prius illis Spiritum sanctum largitur in sensibili signo Spiritus ipsi conuenienti, scilicet inspiratione, & insufflatione, de qua ait Textus, *Et cùm hæc dixisset, insufflauit*. Dixerat suprà Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus*. Vt primùm igitur gloriam ex resurrectione est consecutus, mox cœpit Spiritum suis sensibiliter impertiri, copiosius largiturus, cùm perfectam per ascensionem, & sessionem ad Patris dexteram adeptus est gloriam.

[Margin: Esai. 52 & Rom. 10.]

[Margin: Christi autoritas, Apostolorumq; dignitas quanta.]

[Margin: Ioan. 7.]

Hæc cùm dixisset, insufflauit: & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Vt olim Sacerdotes noua cæremonia creati sunt, id est, lotione, & vnctione, vt in Exodo habetur, ita Christus insufflatione, hoc est, communicatione sui Spiritus in flatu significati, ad facultatem remittendi peccata, Sacerdotes nouos promouit, sicut in cœna ad offerendi sacrificij potestatem iam creauerat, ac designauerat. Ac vt olim Deus insufflauit spiraculum vitæ, vt fieret homo in animam viuentem, ita idem insufflat animam peccato mortuam, vt viuat per Spiritum sanctum. De hac autem insufflandi cæremonia, qua ad pellenda, ac dissoluenda peccata significatur potestas, de qua loqui videtur Esaias, cùm ait: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*: nam vt vento delentur nubes, ita potestate per insufflationem data Apostolis remittuntur peccata. Et Nahū Propheta: *Et nūc*, inquit, *conteram virgam eius* (scilicet Assyrij) *de dorso tuo, & vincula tua disrumpam*. Et subdit: *Ecce super montes pedes Euangelizantis, & annuntiātis pacem*, de qua cùm Christus instituit Sacramentum, dixit, *Pax vobis*. Et paulò post de Cyro, qui typus est Christi, subiungit: *Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem*. Vbi Septuaginta interpretes habēt: *Ascendit qui insufflat in faciem tuam, eruens de tribulatione*, id est, ex vinculis prædictis, & captiuitate. Insufflabant olim exorcistæ in faciem energumeni, & Deus per Ezechielem ait: Ecce ego intromittam in vos (hoc est, in ossa arida) spiritū, & viuetis: hoc est, insufflabo in vos spiritum vitæ ad resurrectionem: ita in Apostolos insufflauit ad resurrectionem primā spiritus. Cyril. in commentarijs super verba Nahum Prophetæ: *Hoc est*, inquit, *insufflandi genus sumptum ex consuetudine Hebræorum non scripta, sed tradita, sicut scindere vestes in blasphemijs, quod Paulus, & Barnabas in Lycaonia, & Cayphas fecerunt: ita consuetudo erat quibusdam sibi vendicare, quasi insufflando in faciem ægrotantis morbum depelleret. Ex qua consuetudine sumpsit Propheta hoc exemplum: quod fuit typus Christi, qui insufflauit in faciem discipulorum, significans curationem ægritudinis spiritualis*. Theodoritus quoque in eadem verba Prophetæ eandem insufflationem Domini accommodat. Etsi autem potuisset Dominus Spiritum sanctum inuisibiliter Apostolis sine insufflatione dilargiri: voluit tamen pro sua sapientia illam adhibere flatus cæremoniam, vt se Deum ostenderet, qui olim insufflauit in Adam, & quia Sacramentum instituebat nouum constans verbo, & elemento, & quia vento, siue flatu rectè adumbratur Spiritus sanctus: vt enim ille sub aspectum non cadit, effectus tamen operatur, qui in oculos incurrunt; ita Spiritus sanctus in homine delitescit, per effectus tamen doni linguarum, vel prophetiæ, vel sermonis sapientiæ, vel futurorum prædictionis se prodit. Adhæc, vt indicaret patientiæ vim, & efficaciam in communicandis Dei charismatibus: tam facilè enim, ac expeditè id facere vellet, ac si ore suo flaret, quod constat cuiq; esse animāti promptum. Indicauit etiam flatu illo

[Margin: Quare Christus Apostolis insufflando dederit Spiritum sanctum. Exod. 29 & seq. Vetus mos creandi Sacerdotes. Matth. 26. Gen. 2.]

[Margin: Esai. 44. Quid sit: Deleui & nubem peccata tua.]

[Margin: Nahum 1.]

[Margin: Cyrus Rex Christi typus. Infra 2.]

[Margin: Septuaginta interpret. s.]

[Margin: Ezech. 37.]

[Margin: Cyrillus in Nahum.]

[Margin: Hoc genus insufflandi apud Hebræos vnde descenderit.]

[Margin: Act. 14. Matth. 26.]

[Margin: Theodor. in Nahum pa. 1.]

[Margin: In flatu Spiritus sanctus à Domino cur datus.]

[Margin: Genes. 2.]

Spiritum sanctum à se procedere, vt docent Patres Cyrill.& Augustin. scribentes in Ioannem. Ac vt flatu ignis accenditur, & nutritur in ligno, & ignis extinguitur, vt in candela; ita illa potestate per flatum data extinguitur ignis peccati, de quo: *Ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*: & ignis charitatis, quem Iesus venit mittere in terram, nutritur. Et si verò hæc potestas remittendi peccata non minus sit Patris,& Filij, quàm Spiritus sancti: quia tamen ex mera Dei gratia, & dono donatur, idcircò adscribitur Spiritui sancto, vt Marius Victorinus lib. de Trinitate indicat. Præterea moris est hominibus beneficentia,& liberalitate illustribus,& diuitias nuper comparatas largè cum charis profundere, atque in amicos partem earum conferre: etsi igitur Christus spiritum futuræ resurrectionis acquisierit, nondum tamen placuit alicui illum communicare, sed in diem iudicij communicãdum suis seruauit. Spiritum tamen primæ resurrectionis libenter impertitus est, vt eo à morte peccati ad vitam gratiæ resurgere possint, de quo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Et Euangelium, & Sacramenta administraturis datur Spiritus sanctus, sine quo Christi mysteria nec intelligi, siue credi possent: nec rectè sine illo, qui lingua est spiritualis, explicari, atque alijs proponi possunt. Nec tantùm illis datur potestas prædicandi Euangelium, vt sacramenta administrandi, sed etiam peculiariter Sacramentum instituitur reconciliationis, in quo Sacerdotes præmissa pœnitentiam agentium confessione, tanquàm ministri Dei absoluunt: at verò Deus ratum habet, quicquid ab eis claue non errante decernitur. Et vt modò sacramenta elemento perficiuntur, & verbo, ita Christus cæremoniæ flatus adiunxit verbum: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Pulchrè autē Dominus in die Paschæ post resurrectionem hoc Sacramentum instituit: non solùm vt intelligamus illos rectè Pascha celebrare, qui à peccatis mundantur; verùm etiam vt intelligant peccatores qui volunt per Sacerdotes absolui, oportere esse prius à morte excitatos peccati per virtutē contritionis extincti, aut saltem ita esse per pœnitentiam talem, etsi minùs perfectam, (quam Theologi attritionem vocant) dispositos, ac præparatos, vt salubriter, & cum fructu absolutionem valeant recipere. Est enim hoc Sacramentum instar iudicij cuiusdam institutum. Et quoniam iudicium requirit cognitionem causæ, & confessionem ipsius rei, & iustam pœnæ inflictionem; propterea præmisit, *Accipite Spiritum sanctum*. Sicut enim princeps reos nondum humiliatos,& necdum vitæ melioris emendationem concipientes minimè absoluit, nec pro absolutis habet: ita Deus non quoslibet pro libidine Sacerdotis absoluentis admittit ad reconciliationem, nisi eos, qui vitam priorem detestãtes, nouum sanctioris vitæ propositum induant. Quare vt intelligerēt Sacerdotes hoc tantum donum prouidenter esse dispensandum, non ad hominum, sed Dei voluntatem; *Quorum remiseritis peccata*, præmisit, *Accipite Spiritum sanctum*: vt rectè annotauit Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. Hic autem Spiritus sanctus datus est non ad eorum sanctificationem, quam iam habebãt, sed ad nouum charisma remittendi peccata, quod prius non habebant. Ita enim plerumq; capitur Spiritus sanctus: vt cùm sæpè in Actis dicitur descendere Spiritus sanctus in fideles ad conferendum donum linguarum, & in illis ad Christum illustrandum. Vnde Chrysostom. in Ioan. hæc edisserens verba: *Non tamen* (inquit) *quispiam erraret, si tunc eos potestatem quandam, & gratiam spiritualem accepisse diceret, non tamen vt mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent, sed vt peccata dimitterent: differentes enim sunt gratiæ spiritus: quare addidit: Quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt: ostendens, quòd virtutis genus largiatur*. Hæc ille, quæ nos necessariò amplecti cogimur: nam plerumque qui promouentur ad Sacerdotium, si indignè accedant, gratiam gratum facientem non accipiunt; quos nihilominùs charisma, siue potestatem remittendi peccata nemo negabit percipere, quæ ad gratias spectant gratis datas. Miratur autem sine causa Caluinus, quòd hæc potestas insit malis, ac reprobis hominibus. Sed miretur de prophetia à Deo data Balaam, Sauli, & Caiphæ: miretur de Apostolatu collato Iudæ, & alijs similibus. Quàm verò sublimis, & excellens hæc Sacerdotū Noui Testamenti potestas,& maior potestate legalium Sacerdotum,& secularium Principum, eleganter ostendit Chrysostomus lib. de Sacerdotio. Quomodo autem vera sit hæc sententia in Sacerdotibus, quos Episcopi eisdem verbis consecrant, dicentes: Quorum remiseritis; cùm tamen verè nõ remittant, nisi etiam illis adiungatur potestas iurisdictionis: respondemus, Christũ Apostolis ante illa verba dixisse: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; quibus verbis legati ad omnes gentes destinantur, daturque illis amplissima iurisdictionis autoritas in omnes.

Cyrill lib. 12. in Ioan. c. 36. initio. tom 1. Aug. trac 119 in Ioan. to 9. Eccles. 8.

Luc. 12.

Potestas remittendi peccata cur Spiritui sancto attribuitur

Marius Vict. li. 5. de Trini.

Beneficorum hominum, ac liberalium ingenium.

Ephes. 5.

Spiritus sanctus quibus maximè sit necessarius.

His verbis Dominus, Accipite Spiritum sanctum, quam amplã Apostolis potestatem contulerit.

Quomodo nunc Sacramenta perficiantur.

Quare Christus die Paschę post resurrectionem pœnitentiæ Sacramentum instituerit Pascha eũe qui celebrent.

Iudicium tria exigit.

Simile.

Reconcili[illegible] ons benef[illegible] Deus q[illegible] confitet Cor[illegible] bis. Quorum remiseritis peccata,&c. Dominus p[illegible] misserit: Accipite Spiritum sanctum, [illegible] Dionysio *Dionys. A[illegible] pag. de Ecc[illegible] Hier. c. 7 pa[illegible] 3. paullo post medium*

Actor. 2 8 [illegible] 10.

Chrys[illegible] ho[illegible] 8[illegible] in Ioan. tom 3.

[illegible] *Num. 24. & eq[illegible] Reg[illegible] Ioan 11.* Sacerdo[illegible] noua l[illegible] gulias, [illegible] *Chrys[illegible] de Sacerdo[illegible] tom 3.* Vt vera s[illegible] hæc s[illegible] in Sace[illegible] bus, q[illegible] scop[illegible] verbo[illegible] cra[illegible] ter. Q[illegible] temisse[illegible]

&c nisi ad omnes. Ideo quod sequitur, Quorum remiseritis, sensum facit inter eos, ad quos vos mitto: Quorum remiseritis. At cùm Sacerdotibus non dicantur ea verba, Et ego mitto vos: quæ sequuntur, etsi eodem sensu ad eos pertineant, quo dicta sunt ad Apostolos, absoluere tamen eorum verborum virtute non possunt, nisi cùm missi fuerint, hoc est, quibus Christi aliquibus præfecti fuerint. Et verbo, Remiseritis, ostendit, Sacerdotes absoluendo verè remittere peccata, & non tantùm ostendere remissa, & confitentem absolutum, & non tantùm peccatorum pœnas, vt quidam volunt, sed ipsas culpas, quæ præcipuè sunt peccata, ministerio suo absoluere, quanquàm Deus principaliter remittat. Et quia non dicitur quæ peccata, sed quorum peccata remiseritis: respiciendum esse voluit ad personas, non ad peccata: quia in quibusdam absolui possunt, vt remissibilia; in quibusdam non rectè accedentibus, sed ficto animo, vel sine proposito melioris vitæ retineri. At verò quoniam Satanas ægrè fert de animis hominum pelli: summo studio semper est conatus Sacramentum pœnitentiæ sepelire, & locos Scripturæ, qui illud statuunt, eludere, sed potissimùm eius loci splendore, ac veritatis pondere offensus miras euadendi technas per suos excogitauit, sed ita vt orthodoxa doctrina inuicta semper, atque illustris permanserit, atque de ipsius mendacijs contra eum insurgentibus gloriosum egerit triumphum. Siquidem ex his verbis non potuerunt hæretici multi ite inficias, quin Sacramentum nouum aliquod conditum sit à Christo, & necessaria sit peccatorum enumeratio in confessione apud Sacerdotem, potestásque absoluendi penes ministros Ecclesiæ existat. Fuerunt autem huius Sacramentalis cõfessionis veluti semina quædam, atque elementa præmissa in confessionibus, quas exegit Deus à mundi principio in lege sola naturæ, aut in illis quas exigebat durante statu legis Moysi, vel eius, quam præscribebat Ioannes Baptista tanquàm Christi etiam in illo Sacramento præcursor, de quibus libr. 4. locuti sumus. Deinde ex Nouo Testamento allegoriæ quædam producuntur, vt leprosorum, qui missi sunt ad Sacerdotes, & Lazari suscitati, quem Apostolis soluendum tradidit. Quibus persuadetur, confessionem peccati Sacerdoti esse faciendam. Nam figuris ad crucem vsque locus fuit, vt typi & vmbræ legis indicant, & status Noui Testamenti nondum perfectus exigit. Tertiò argumentum desumitur à promissione huius potestatis. Nam Petro dixit: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis*: & ad Apostolos: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Hæc autem potestas in genere communicata ita extenditur ad forum exterius, vt interius præcipuè includatur, in quo potiùs regnum Christi sitũ est: nam ita dixit Dominus, *Regnum Dei intra vos est.* Si ergo Christus instituit alteram partem, & illam quidem magis præcipuam, nimirum formam, in qua posita est ligatio, & absolutio; instituit etiam & alteram partem, quæ locum materiæ sustinet, id est, peccatorum confessionem. Quod verò hi duo loci de hac ligandi & soluendi potestate Matth. 16. & 17. intelligendi sint; docent præter Hieronymum, Ambrosius libro de Pœnitentia, Augustinus in Psal. 66. & lib. quinquaginta Homiliarum, & Chrysostomus in illos duos Matthæi locos, & libro de Sacerdotio, & in eosdem Theophylactus, & Nicephorus epistola de potestate ligandi atque soluendi ad Theodosiũ monachum, & Leontius in vita Ioannis Misericordis. Quarto loco sumitur argumentum ex ipso præcepto, exhortatione, atque consuetudine. Præcipit enim frater Domini. *Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem, vt saluemini.* Exhortatur Dilectus discipulus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emendet nos ab omni iniquitate.* De praxi verò, siue consuetudine loquitur Lucas in Actis, cùm ait: *Multíq; credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.*

Sed de his tribus testimonijs opportuniùs alio loco dicemus; nunc quod instat, agamus, & locum propositum Ioannis, qui institutionẽ continet huius Sacramenti, diligentiùs excutiamus. Aut enim propositus locus nihil continet de Sacramento pœnitentiæ, aut aliquid: si aliquid, quod ad Sacramentum faciat, continet, vel illud est, quòd homo se debeat in genere peccatorem fateri, vel quòd in specie peccata enumerare debeat sua. Quòd si hoc vltimum obtineamus; rursus differendum est, num satis sit, solam infidelitatem, aut sola peccata publica, an reliqua omnia ab infidelitate, & quàm maximè secreta occultaque confiteri. Quòd si hoc euictum reliquerimus, planè Catholicè explicatus erit hic locus, atque expeditus, ora q; impudentium hæreticorũ obturata. Vt autem hæc, quæ paullò obscuriùs dicta sunt, explicationis luce perfundantur, fuerunt quidam

Marginalia (left): &c nisi ad omnes potestas iurisdictionis. — Expenditur illud verbum: Remiseritis. — Satanæ insidiæ, conatus. — Confessionis Sacramentalis semina, & allegoriæ. — Matth. 3. — II argum. Lib. 4. Luc. 17. Matth. 8. Ioan. 11. — III argum.

Marginalia (right): Matth. 16. — Infra 18. — Luc. 17. — Hieronym. in Matth. 16. & 17. Amb. Lib. 1 de pœnit. c. 6. 10 & Aug lib. 50. Homiliarum homil. 49 & 50. cap 10 in fin & 16 tomo. 0. Chrysost. ho. 55. & 61. in Matth tom. 2 Idem lib. 2. de Sacerd. tom 5 Theophyl in Matth. 16. & 18 Niceph. Leontius Episcopus. IV argum. Iacob. 5. 1. Ioan. 1. Actor. 19. — Quod hic locus Ioannis, Quorum remiseritis peccata, &c. de Sacramentali confessione necessariò debeat intelligi, ostenditur. — Huius loci: Quorum remiseritis peccata, variæ hæ-

Rupert. Tuit. in Ioã lib. 14. Eutychianus. Concil. Trid. sess 6 cap 14. C 2 post naufrag.ũ de pœnit. dist 1. Concil Trid. sess 14. c 1 Cap. ut cõstitueretur, 10. dist & infr. c. 8 in fin. & can. 3.

ad Episcopos Siciliæ de eadem potestate Apostolorum exponit. Denique ne huius rei vllus scrupulus remaneat, Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificatione, ita docet: *Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum rem seritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Rursus sess. 14. de doctrina huius Sacramenti ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retẽta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatum, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negentes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit, atque condemnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & reijciens, damnauit eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium annuntiandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.* Hæc ibi. Et inter Canones Pœnitentiæ, is, qui numero tertius est, anathema infligit omnibus secùs illa verba interpretantibus. Et Canone 7. anathema infligit in eos, qui confessionem tantùm esse vtilem tradunt ad erudiendum, & consolandum pœnitentem. Quia hæc confessio Pœnitentiæ Sacramentum tollit, & confessionem Euangelio propriam, id est, quæ fit ad obtinendam absolutionem peccatorum; illa autem quæ fit ob consilium, auxilium, & consolationem, communis est omni genti, & omni tempori, & non est propria Euangelij. Quòd si Augustinus in Ioannem hæc Domini verba ita interpretatus est; *Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt eius participes, tenet; ideò postquam dixit: Accipite Spiritum sanctum; hoc continuò de peccatorum remissione, ac detentione subiecit.* Hæc ille: mirum esse non debet: quia Ecclesia remissionem peccatorum pro suis filijs impetrare solet: quemadmodùm mater adolescentem filium mortuum lacrymis suis prosequens, promeruit apud Christum, vt eum suscitaret. Etsi autem sensus verus & Catholicus sit, præstat tamẽ quòd sit sermo de Spiritu sancto, id est, de facultate remittendi, & retinẽdi peccata, quem

Aug. interpretatio Christi sententiæ: Quorum remiseritis, &c. huic loco minus cõgruens, atque consentanea.

Aug tract. 119 in Ioan propè finem, tom. 9. Rom 5. Luc. 7

Altera eiusdẽ interpretatio his Domini verbis congruentior, & potior.

sensum Augustinus frequenter in alijs locis sequitur, maximè vero in lib. quinquaginta Homiliarum, vbi Homilia vltima ait: *Facti iudices, quorum est pro iustitia pugnare, & æquitatem seruare, & modica pœna magna peccata purgare.* Quòd si obijcias, prædicationi verbi Dei coniunctam esse promissionem remissionis peccatorum, quemadmodùm Dominus dixit: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes,* & Apostolus ad Corinthios: *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* & iterum ad Timotheum: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, &c. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt,* & ad Romanos: *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, et saluos faciam aliquos ex illis.* Sed facilè est his respondere: quoniam vt istis locis, vbi est sermo de prędicatione, nequaquam excluditur Sacramentum Baptismi, quod institutum est pro ingredientibus in Christum, ita etiam neque Sacramentum Pœnitentię exclusum quouis modo intelligendum est, quod regenitis non minus est necessarium ad salutem, quam Baptismus nondum initiatis. Secundò obijciunt, quòd vt Sacerdos in Baptismo non est iudex, nec sententiam pronuntiat, ita etiam nec in Pœnitentia. Sed dicendum est, longè diuersam esse rationem. Nam infidelis nondum aqua tinctus foris est, & propterea in illis iudicium exerceri non potest, secundùm illud Apostolicum: *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* Ad hæc nemo dubitat, strictius esse Pœnitentiæ pactum, quàm illud Baptismi; nam in hoc aqua externa facilè tingimur, at in illo lacrymarum profluuio opus est; ob quam etiam causam Gregorius Nazianzen. vocat sacramentum Pœnitentiæ, laboriosum Baptismum.

Aug. lib. 50. Homil hom. 50. tom. 10.

Luc. 24.

1. Cor. 4.

1. Tim. 4.

Rom. 11.

Sacramentum Baptismi ad quid institutum.

II. obiectio.

1. Cor 5.

Pœnitentiæ & Baptismi discrimen.

Greg. Naz. oratio in sancta Epiphaniarũ lumina.

Quod secundo loco ab Hæreticis dicitur, quòd satis sit in genere se peccatorem confiteri: neque Christum his verbis peculiarẽ exigere peccatorum enumerationem, diligenter est confutandũ, ostendendumque singularium actuum reddendam rationem in confessione Sacerdoti Christi Vicario. Nam in primis illud constare potest ex confessionibus, quæ huius Sacramentalis nostræ typus ac figura extiterunt, in quibus ad particularia descẽdebatur peccata. Nam Adam & Eua coram Deo vetiti ligni comestionem confessi sunt; à Cain quoq; exigebat fratricidij confessionem; in lege quoq; præcipiebatur, vt quisq; cõfiteretur

Aduersus eos qui asserunt, generalem confessionem satis esse ad salutem.

Largum.

Genes 3. Infra 4. Leuit. 16. Infra 20. Num. 6.

peccatum suum, pro cuius varietate varia indicebatur mulcta, & hostiæ compensatio. Achan quoq; in libro Iosue, peccatum suum confessus dixit: *Verè ego peccaui Domino Deo Israël, & sic, & sic feci*: Ioanni etiam Baptistæ confitebantur peccata, & nō tantùm se esse peccatores. Cùm ergo peccata confiteri, confessionis opus existat, quod etiam Lutherani nō negant; nam aliàs crimina sua fateri in speciali non consulerent: si hanc perfectionem in antiquis Dominus exigebat, quibus tamen confitentibus non erat certa gratiæ promissio facta, haud dubium, quin illam exigat à viris Noui Testamenti, quos decet maior perfectio, quibusque confitentibus promittitur certa remissio. Deinde idem probatur ex adductis autoritatibus Euangelij, vbi præcipitur ministris, vt pœnitentes aut absoluant, aut ligent, & præsertim ex hoc Ioannis testimonio quod exposuimus, in quo datur facultas remittendi, vel retinendi peccata. Aut enim Dominus voluit his verbis declarare, vt ministri audita peculiari confessione, aut soluant, aut ligent, aut remittant, aut retineant crimina, quæ audierunt, quemadmodùm praxis Ecclesiæ habet: & ita euincimus quod volumus. Vnde Gregorius in Homilia super Euangelium illud: *Cùm sero esset factum, vna Sabbatorum*, rectè scribit: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur iudicis.* Hæc ille. Si autem Dominus id non voluit exprimere, sed generalem quandam cōfessionem tantùm requirebat, profectò multa in hunc sensum obijci possunt. Primum est, quòd frustrà additæ essent illæ particulæ, ligandi vel soluendi: cùm enim Sacerdos non cognoscat nisi in genere peccata, vel omnes essent ligandi, vel omnes essent absoluendi: cùm tamen Dominus contrarium insinuet, nimirùm quædam, & quorundam crimina retinenda, alia verò, & aliorum remittenda. Vt omittam, quòd esset secundùm faciem iudicare. Et quia vt dicitur in libro Prouerbiorum: *Qui quod nouit, loquitur, iudex iustitiæ est; profectò qui iudicat quæ ignorat, iniquitatis iudex est.* Et omnes in communi absoluēre, esset sanctum dare canibus, & margaritas proijcere ante porcos, id est, in eos qui indigni & imparati ad accipienda dona Dei existunt. Et de Pseudoprophetis testatur Ezechiel: *Et violabant me*, inquit, *ad populum meū propter pugillum hordei, & fragmentū panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt*, (vel vt Hebræa litera manifestiùs habet: *Interficiebant animas mori non debentes: & eas, quas viuere non conuenit, promittebant vitam*) *mentientes populo meo credenti mendacijs.* Deinde absurdum esset, quòd frustra esset hîc data potestas ligandi, quam Doctores omnes confitentur, si non esset simul data in causa cognoscendi potestas, sine qua nemo valet benè vti priori potestate. Hinc in plurali dixit: *Et tibi dabo claues regni cœlorum*; quia quisque Sacerdos præditus est claui cognitionis, & potestatis. Quare Ambrosius sermone de Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, clauem scientiæ tribuit Paulo, & illam potestatis Petro. Et Bernardus sermone in Cantica binas illas claues scientiæ, & potestatis agnoscit. Tertiò absurdum est, Christo illis verbis non exigente peculiarem peccatorum enumerationem, Ecclesiam perniciosè, & in multorum scandalum eam tanquam ad salutem necessariam à suis exegisse: in quo peccaret, ac talento sibi concesso abuteretur, dum potestatem sibi liberè concessam, vt absolueret omnes pœnitentes, qui in genere confiterētur noxas suas, restringeret tantùm ad eos, qui in particulari detegerent delicta sua, contra Domini voluntatem. Et cùm multi difficultate huius peculiaris confessionis, ab ea deterreantur, & generali illa se peccatores confitendi allicerentur ad Sacramentum, Ecclesia rea existeret salutis omnium illorum, qui libenter illam generalem amplecterentur, & ab illa abhorrerent particulari. Peccaret quoque in eos, qui singulares actiones fatentur, præsertim non indigentes consilio, aut doctrina Sacerdotis, quia curiosè, & sine fructu eorum singulares offensas requireret. Imò iniustè cogeret eos ad se sine causa diffamandum: & ministri ipsi illam exigētes, periculis se exponerent, aut incurrendi peccata quæ audiunt, vel ea alijs propalandi. Quorum neutrum modò contingit, quia vtrumque ex Christi institutione, & mandato dum fit, gratiam porrigit ad vtrunq; peccatū vitandum. Quartò, ex dicta positione sequeretur, omnes canonicas satisfactiones de medio esse tollendas, quia iuxta grauitatem peculiarium delictorum debent iniungi: at si quis in genere se denuntiet peccatorem, profectò de delicto ipso minimè constaret, nec illi imponere peculiarem pœnitentiam valeret quisquā. Quæ omnia falsa sunt, atq; absurda: & Canones ipsi ad peculiaria castiganda peccata in Ecclesiā inuecti sunt. Quintò, sanitati ipsius pœnitentis minimè esset pro-

Iosue. 7. Matth. 3. Ilargum. Matth. 16. Infra 18. Greg. hom. 26 in Euāg. pauso ante mediū tom. 2. Ioan. 20. Absolutio quando dicitur vera. Si Christus in his verbis: Quorum remiseritis &c. generalem tantùm confessionem, nō particularem exigeret, quæ & quanta absurda sequerentur. Primum absurdum. Prou. 12. Matth. 7. Ezech. 13.

Secundum absurdum. Matth. 16. Petri & Pauli claues. Ambros. ser. 66. tom. 3. Bern. ser. 6? super Can. paulo post med. Quartum absurdum. Ecclesiastici Canones in Ecclesia cur inducti. Quintum absurdum.

prospectam. Cùm enim forum Pœnitentiæ medicinale sit, si infirmus non detegeret suorum vulnerum qualitatem, nec à præteritis delictis curationem acciperet, nec futura pro virili vitare à Sacerdote institueretur.

Sextum absurdum.

Sextò summè dedecet diuinam sapiētiam tale pactum instituisse, vt maior peccandi ansa arriperetur: nam cùm homines non ignorent se compelli ad crimina sua in specie confitenda, & ad pœnitētiam pro eorum qualitate agēdam, adhuc tamē pro illorū infirmitate, sine malitia frequenter in peccata relabuntur. Sanè propensiùs ac licentiùs longè homines peccarent, & absq; vllo metus fræno in delicta prolaberentur sine vlla pœnitentiæ actione, tantummodò se peccatores accusando existimarent se pro venia cōsequenda satis præstitisse.

Septimum absurdum.

Prouer. 27.

Septimò, per illum sensum adimeretur pastoribus optima occasio agnoscendi vultum pecoris sui, atque illum sanandi, si oues non coguntur nisi in genere se peccatores accusare.

Octauum incommodum.

Christi prærogatiua singularis.

Apoc 3.

Octauò, quia dimittere peccata sine præuia confessione, prærogatiua est potestatis excellentiæ Christi: quia solus sine Sacramento dimittit peccata, cū solus habeat eminenter clauem Dauid. Vt igitur nobis baptizatus non est nisi ille, qui tinctus est aqua; ita nec absolutus quisquā à suis delictis, nisi qui præmiserit apud Sacerdotem peccatorum suorum confessionem.

De particulari confessione quid senserit impius Melanchthon.

Falsum est igitur, & vanum quod Melanchthon dixit, ideò non opus esse audire particularem confessionem; quia absolutio executio est alieni beneficij.

Absolutionis beneficium quatenus sit dispensandum.

Matth. 24.

1. Cor. 4.

Nam etsi ingenuè fateamur, absolutionem à peccatis beneficium esse Christi; ita tamen est dispensandum hoc beneficium, vt ipse Dominus præscripsit: *Fidelis*, inquit *seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; & rursus: *Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispēsatores vt fidelis quis inueniatur.*

Mysteria Dei fideliter quis dispenset.

At fideliter non dispensat mysteria Dei nisi ille, qui pro ratione à Domino præscripta administrat illa. Alioqui posset quis remissionem peccatorum conferre Catechumeno, antequam eum baptizaret; vel illam conferre absque vlla forma Christi; cùm tamen neque infideli sit hoc Sacramentum administrandum, neque fideli nisi confitenti sua delicta in particulari, illaque detestanti, & seruata forma à Christo ipso instituta. Et ita admittimus, absolutionem peccatorum beneficium esse Christi, vt non negemus esse quoddam tribunal, in quo Sacerdos partes iudicis agit, pœnitens verò personam sustinet rei. Quamobrē cum iudicio & ratione dispensandum est tale beneficium.

Lutherani hoc loco in Deum pariter atq; in Ecclesiam impij atque iniurij existunt.

Quare qui sentiunt secùs, contra veritatem ipsam, ac veterum Patrum traditionem agere videtur. Contra veritatem quidem, quia cū forum pœnitentiæ non sit politicum, aut externū, sed internum conscientiæ forum, & Sacerdos qui vices agit Christi, quantum humana ferre potest fragilitas, sese accommodare debeat diuino iudicio, hoc est, eum solū absoluere, vel ligare, quē ex Scripturis, aut certis Ecclesiæ regulis cognouerit à Deo ipso absolui, vel ligari, seu dignum absolutione, vel ligamine iudicari; vt ita quæ soluerit, vel ligauerit, rata habeantur in cœlis.

Deus quem absoluat in cœlo.

Cùm igitur Deus in cœlo non absoluat nisi eū, qui peccata agnoscit sua ac detestatur, eaq; in futurum declinare proponit, & fiducia concepta de venia consequenda accedit: debet Sacerdos absoluens, vt se Deo coaptet, omnia hæc diligenter apud pœnitenté, qui ad se accedit, inuestigare. Et quia hæc nosse non potest nisi aut reuelatione, quam non habet, aut spontanea pœnitentis confessione, particularem illam Deus voluit à pœnitente obseruari, quò ea percepta agnoscat iudex, quam sententiam debeat pronuntiare.

Cypr. serm. 5. de Lapsis.

Antherus Papa.

Greg. hom. 26 in Euāg. to. 2.

Hierony. in c. Mat. 16. to. 9.

Deinde etiam illud est contra Patres, qui contrarium & senserunt, & scriptis prodiderunt. Ita enim Cypria. in serm. de Lapsis, & Antherus Pontifex Romanus epist. vnica ad Episcopos Bœticæ, & Greg. super Euangelia in Octauis Paschæ, supra citatus, & Hierony. in comment. super Matthæum, tractans illud: *Tibi dabo claues regni cœlorum*: *Istum*, inquit, *locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio; vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.*

Apud Deum (ait Hierony.) non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæritur.

Luc 14.

Luc. 17.

Legimus in Leuit. de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se Sacerdotibus; & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: Non quò Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat, vel soluit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt, & noxij, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus. Hæc ille. Quem locum eo consilio produximus, vt quoniā Lutherus eū detorquet, ac docet, nullo modo à Sacerdotibus peccata remitti posse, vel retineri; sed tantùm ostendi per Sacerdotem eos qui ligati sunt, aut soluti (vt in lege veteri circa leprosos faciebat Sacerdos) à calumnia vindicaremus. Nam ipsemet Hierony. satis se ipsum detegit; dixit enim, quòd Sacerdos pro officio suo,

ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, ſiue ſoluendus: non autem dicit; Scit qui ligatus ſit, quive ſolutus; ſicut prius de Sacerdote Veteris legis dixerat, eum diſcernere quis mundus, quiſve immundus eſſet: ergo aliquod diſcrimen poſuit inter Sacerdotem veterē diſcernentem de lepra, & Sacerdotem Euangelicum abſoluentem à peccato. Siquidem poſt inſpectionem & audientiam peccatorũ, nouit quis à ſe ſit abſoluendus, & quis ſit obſtinatus in malo, aut in propoſito redeundi ad vomitum, vt eos liget, vel retineat: nam ſi tales abſolueret, quantumlibet verba abſolutionis proferat Sacerdos, nunquam peccator erit abſolutus. Si autem rectam proferat ſententiam, ligando eos qui ligandi ſunt, & abſoluendo eos qui digni ſunt abſolutione, per ſequelam quandam oſtendit qui ſint mundi, & immundi, qui peccatores, qui iuſti, & ſancti. Deinde Nicephorus in epiſtola de poteſtate ligandi, atq; ſoluendi, ad Theodoſium monachũ: *Ligandi, inquit, ſoluendiq; prouincia Pontificibus ipſis à clementiſſimo Deo noſtro demandata eſt.* Siquidem ad Petrum ait: *Quæcunque ligaueris, ligata; & quæcunq; ſolueris, ſoluta erunt.* Vnde olim oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaq; illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Et Can. CII. in ſexta Synodo: *Oportet qui facultatem ligandi, & ſoluendi à Deo acceperunt, peccati facultatem ſpeculētur, & peccatorum promptitudinem ad remiſſionem, vt ſit remedium admoueant ægritudini aptum; ne ſi ſine peccato, ſiue diſcrimine ſtatuant, aberrent à ſalute ægrotantis.* Hæc ibi. Ex quibus teſtimonijs elicimus, vt certum & conſtitutum habuiſſe Patres omnes, hoc pœnitentiæ iudicium rectè & cum fructu adminiſtrari nō poſſe, niſi præcedente diligenti peccatorum enumeratione & accuſatione apud Sacerdotem, miniſtrum, ac Vicarium Domini Ieſu Chriſti, cui cũ Patre, & Spiritu ſancto vniuerſa creatura meritò famulatur, illum colit, ac veneratur per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Niceph. apud Micropresbyteron, mediũ in or. & inst. Matth 16.

TRACTATVS XIX.

De eiuſdem Sacramentalis confeſſionis inſtitutione, & præcepto, in illa eadem verba Domini: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ioan. 20.

CVM multa Hæreticorum inuenta ad obnubilãdum perſpicuum, atq; illuſtrem verborum Domini ſenſum, confutanda propoſuerimus: ne prolixiori oratione lectorem grauaremus, aut tædio afficeremus, modum ſuperiori tractatui imponendum eſſe cenſuimus; quare quæ ſuperſunt, præſenti loco explicanda ſeruauimus. Euicimus igitur, in prædictis Domini verbis peculiarem enarrationem delictorum in confeſſione faciendam, à Chriſto eſſe præſcriptam. Adhuc tamen hæretici vrgent, hanc peculiarem confeſſionem de incredulitatis vitio tãtùm eſſe faciendam, nō autem de reliquis: Bedæ teſtimonio decepti, qui hęreſim, infidelitatem, atq; ſchiſma nomine lepræ ſignificatam aſſeruit, ac illa tantùm Sacerdoti oſtendenda pro conſuetudine legis eſſe volunt. Sed hoc facilè eſt confutare: nam aut infidelitas eſt peccatum omne, aut eſt tantùm propria quædam peccati ſpecies, quæ fidem Deo debitam negat. Si primum; cùm non minus debeat in confeſſione detegi vna, quàm altera infidelitas, ſi omnem infidelitatem fatetur, fatebitur & omne peccatum. Atque ita euincimus omnia confitenda delicta, etiamſi ineptè, atq; imperitè omne peccatũ vocent infidelitatem. Si autem illo nomine propriè incredulitatis ſpeciem intelligant, qua Deo dicenti, aut promittenti fidem negamus, multa in huiuſmodi vanam opinionem occurrunt argumēta. Primum eſt, quia verba Euangelica generaliter habent: *Quodcunq; ligaueris, & quodcunq; ſolueris*, ſcilicet vinculum; deinde, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Qui autem facultatem tam amplam, ac generalem ad ſolam infidelitatis ſpeciem detorquent, priuilegium illud collatum Sacerdotibus profectò reſtringunt, eſſetque haud abſimile, ſi Imperator alicui concederet priuilegium omnes cauſſas tam fortunarum, quàm capitis in ciuitate ſua cognoſcendi, atque aliquis ex eius inimicis ſe opponeret, ac reſtringeret illam facultatem ad vnum tantùm genus cauſſarum, contenderetq; ampla verba priuilegij ab Imperatore ſic eſſe interpretanda. Secundò, quicunq; infidelitate laborat, ad Sacramētum minimè accedit: quicunque autem fidem habet Deo de huius Sacramenti ab ipſo inſtitutione, profectò Sacramento nō indigeret, & fruſtra illud Chriſtus inſtituiſſet, ac dixiſſet: *Quorum remiſeritis, & quorum retinueritis*, indicando quædam, & quorundam eſſe remittenda, alia verò aliorum eſſe retinenda. Tertiò, præter infidelitatem ſunt alia peccata, quæ non minus excludunt à regno Dei, quàm ipſa. Audi quid dicat Apoſtolus: *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes,*

Ad [illegible] *Beda.*

Duplex del[…]

Matth. 16.

I. argum.

Exemplum.

II. argum.

III. argum.

1. Cor. 6.

uiuentes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores; neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnũ Dei possidebunt. Ergo hæc peccata remedium aliquod habent, quo expientur: vnde Paulus absoluebat Corinthium fidelem, sed

1 Cor. 5.
IV. argum.

incestuosum. Quartò, fideles in peccatum relapsi hoc Sacramento minimè indigerent: quia fidelis vt talis est, non soluitur,

V. argum.

neque infidelis, quia non credit. Quintò Deus vnum peccatum sine alijs haud remittit, quia omnia delicta in auersione Dei sunt coniuncta: & tamen remitteret Deus quædam, & quædam retineret, si Sacerdos tantùm ab infidelitate absolueret, eiusque iudicium in absoluendo sequeretur, vt indicant illa verba: *Quacunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

VI. argum.

Sextò, in lege Naturæ, & Moysi alia multa peccata ab infidelitate homines cõfitebantur; idem ergo quoque fortiori ratione erit & in Euan-

VII argum.

gelio faciendum. Septimò, ingens quoque fuisset Ecclesiæ error, populum fidelem cogere ad omnia peccata confitenda, si Christus contentus erat criminis infidelitatis tantùm detectione: illosque ad se infamandum apud Sacerdotem, & Sacerdotes ad magno se periculo exponendum compulissent, vt argumentati sumus, cùm confessionem generalem impugnaremus.

VIII argum. ab vniuersali Patrum consensu, & Conciliorum definitione.
Conc. Latera.

Traditio denique veterum Patrum omnia peccata in confessione numeranda demonstrat, & prætereà Concilium Lateranense can 21. ex quo desumptum est caput illud celebre: *Omnis vtriusque sexus*: & Concilium Florentinum in doctrina de Sacramento Pœnitentiæ, cunctorum criminum exigit confessionem, quorum quis memo-

Conc. Tridẽt. sess. 14. can. 7.
Beda quo sensu dixerit: infidelitatis leprã tantum esse detegendam.

riam habet. Concilium quoque Tridentinum anathema infligit negantibus omnia peccata confitenda esse. Quod ergo Beda Presbyter in cap. 10. Lucæ asseruit infidelitatis lepram tantùm detegendam: intelligendum est de confessione publica præcipuè, & vt plurimùm; non autem quod voluerit asserere cætera delicta non esse secretò confitenda.

Contra illos, qui peculiarẽ de peccatis occultis confessionem negãt esse faciendam.
I. ostensio.

Iam quarto loco propositum impugnandum est: Non enim sat est confiteri peccata publica in canone cõtenta, nisi etiam occulta, adde, quod etiam illa, quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, quamuis sint occultissima, confitenda sunt. Namque id in primis euincimus ex

Matth. 16.

Domini verbis: *Quodcunque ligaueris, quodcunque solueris: Quorum remiseritis, quorum retinueritis:* Ergo non tantùm publica, sed etiam quæcunque vera sunt vincula, & vera sunt peccata. Aliàs Sacramẽtum pœnitentiæ ad forensem quandam iustificationem

Peccatorum omnium origo & fons.
Matth. 15.

spectaret: at verò ad interna corda mundanda magis tendit Euangelium: quia de corde proficiscuntur peccata omnia, vt dixit Dominus. Nam si tantùm externa delicta per absolutionem remitterentur, esset simul quis, & solutus quantum ad externa crimina, & ligatus quantum ad interna.

II. ostensio.

Deinde cùm Deus non soluat nisi quæ Sacerdos soluit: at Deus soluit secreta: ergo vt Sacerdos illa possit soluere, priùs debet cognoscere: quia per se non soluit iudex, nisi quæ nouit, & Sacerdos per accidens

III. ostensio

soluit quæ nescit. Tertiò, peccatum rationem peccati non habet ex eo quod publicum est, quia accidit illi, vt in aliorum noti-

Peccatum malitiam suam vnde contrahat.

tiam veniat, vel non veniat: & antequam innotescat, iam latrocinium occultum dignum est pœna: sed peccatum ex eo malitiam suam contrahit, quòd Deum & Ecclesiam offendit. Cùm igitur hoc habeat secretum delictum, vt nõ tantùm Deum, sed Ecclesiam lædat, eam mẽbro viuo priuans: quemadmodùm bonus fidelis secretò Ecclesiam plerunque iuuat; ergo ab eo absol-

Ecclesia quarè non iudicet de occultis.

ui potest ac debet. Et cùm dicitur, Ecclesiã non iudicare de occultis: non est ob defectum iuris, siue potestatis, sed probationis, quæ minimè est, vbi præmittitur confessio,

IV. ostensio.

Quartò, peccata occulta publicis sunt deteriora plerunque, nemo enim negauerit secretam prodendi patriam voluntatem, grauius esse delictum, quàm publicam aliquam fornicationem; aut secretum homicidium aliquod grauiùs esse simplici furto publico: cùm igitur secreta ab ingressu regni impediant crimina, aliqua ergo ratione expianda sunt: non Baptismo, quia non

V. ostensio.

repetitur: ergo Pœnitentia. Quintò, si tantùm publico de peccato, quatenus illud Ecclesiam offendit, confitendum esset, Ecclesia vt pars læsa absq; absolutione remitteret, sibique remittendo prodesset, non ei cui remittit: At hæc confessio etiam Paganorum est, & omni genti communis. Adhæc tametsi Ecclesia non læderetur (quæ tamen semper læditur) adhuc Sacerdos remitteret, non vt pars læsa, sed vt vica-

VI. ostensio.

rius offensi Christi. Sextò, in confessione secretorum delictorum inuenitur legitima materia, & forma, non minus quàm in publicorum confessione: ergo si in his est Sacramentum, erit in illis. Septi-

VII. ostensio.

mò, falsum prorsus est, solitam fieri absolutionem de peccatis in Canones admissis: quia Canones indies noui condebantur, & leges minimè communes caussas comprehendunt, sed ex eis est arbitrãdum Sacerdoti, vel ad superiorem pro consilio

accur-

VIII. ostensio.

accurrendum. Octauò, pœnitentia publica datur semel, & non datur Diaconis, aut Presbyteris, aut pueris, aut mulieribus: cùm igitur isti omnes non essent sine remedio, dicendum est per secretam confessionem absolutionis beneficium consecutos, aut illos sine remedio à Deo fuisse destitutos, quod bonitati diuinæ prouidentiæ aduersatur.

IX. ostensio. ab autoritate Patrum.

Postremò idem error aperta Patrum traditione confutatur. Nam Clemēs Romanus epistola ad Iacobum iubet peccata secreta, quæ in corde delitescunt, confiteri, & Cyprian. serm. 5. de Lapsis, Chrysostomus homil. 10. Operis imperfecti in Matthæum, & Leo Papa in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, Gregor. quoq; in Pastorali, necnon Paulinus in vita B. Ambrosij, Gregorius quoque, atque Innocentius III. contra Sacerdotes reuelantes confessionem, Canones condiderunt.

Clemens ep. 1.
Cypr. tom 2.
Leo Papa.
Greg in pastoral par. 2. c. 5. tom 1.
Paulinus Episcopus.

Secretam confessionem quę infirmare videantur, obiectiones diluuntur.

Sed obijcies; Non inuenitur in Veteri lege qui spōtè confiteretur secretum. Sed parum efficax est apud Dialecticos argumentum ex negatiua: & alia ratio nunc est, & alia tunc erat. Deinde obijciunt, non esse fori Ecclesiæ internum peccatum. Sed forum conscientiæ non est externum, sed internum: & ibi Sacerdos vices Dei agit, & quæcunque in illud forum fiunt, potest absoluere: quòd autem Ecclesia nō iudicet de occultis, non est ex defectu iuris, sed probationis: quæ nō deest in eum, qui confessus est. Dices; Occulta non præcipit Ecclesia: satis est diuinum esse præceptum de occultis confitendis, vt possit Ecclesia de iam patefactis iudicium ferre. Tertiò obijcies, secreta fide, & contritione occulta peccata remitti. Ac profectò nonnisi contactu fimbriæ, id est, Sacramenti Pœnitentiæ: etsi cū abest Sacerdos, fides, & cōtritio extinguere valeant peccata. Quartò, fomes tendit in duo vltima præcepta, & infiniti sunt primi motus illius, nec possunt pœnitentia deleri. Respondeo: quia fomes est inuoluntarius, & cùm adest fides, non est vllum peccatum habere illum: & actus deliberati in materia, quæ repugnat charitati, sunt in illa Dei præcepta, ac proinde cōfitendi, non primi motus, qui minimè sunt peccata. Omnium ergo peccatorum occurrentium, iuxta Ecclesiæ praxim, facienda est Sacerdoti patefactio, confessioque eiusmodi, quæ omnium peccatorum enumerationē continet, & quæ secretò fit apud Sacerdotem, institutio prorsus est diuina, ab eoque præcepta, atque mādata. Quorum vtrumque cum impudēter & sine ratione ab Hæreticis sit negatum, diligenter à nobis est ostendendum, atque confirmandum.

Cōfessionem iure esse diuini, ostend. iur.

Quòd ergo confessio sit institutio diuina, perspicuum est, tùm ex confessionibus exactis in iure Naturæ, ac lege Moysi, quas Deus ipse per sese instituit, tùm ex confessione, quam exigebat Ioannes, vt præcursor Domini: nam illam, sicut baptismum, non ex suo capite excogitauit, sed à Deo, à quo missus est, accepit. Ac quemadmodùm idem inquit Ioannes: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris, &c.* ita poterat quoque dicere; Qui misit me ad excipiendas criminum confessiones. Sed potentissimè ex hoc loco Ioan. 20. institutio illius stabilita est, & confirmata. Rationes etiam huic diuinæ institutioni maximè fauent.

Ioan. 1.

I. ratio.

Prima, quia eorum, quæ instituta ab Ecclesia sunt, temporis progressu potest produci decretum quo instituta sunt, vel sanè tempus indicari, in quo non fuerit eorum vsus: at de confessione etsi nonnulla existant decreta, quæ tempus, aut modum eius præscribant, omnia tamen apertè de ea, quantùm attinet ad ipsius substantiam, vt de re à Domino instituta loquuntur. Vnde nō tantùm eius mentionem fecerunt Augustinus, & Hieronymus, Chrysostomus, & Basilius, Origenes, Tertullianus, ac Cyprianus, sed etiam ipsi Apostolorum discipuli, nempè Clemens Petri successor, & discipulus, ad Iacobum fratrem Domini, & lib. Constitutionum Apostolicarum, & Dionysius Areopagita discipulus B. Pauli, ad Demophilum monachum.

Aug in Psal. 66 & alibi sæpe, tom 8.
Hieronym
Chrysost ho. 10. in Matth.
Basil in r. 31 sub initium.
Origenes.
Tertull lib de pœnitentia.
Cypr serm 5. de Lapsis
Clem. ibid & lib. 2 Constit Apost. cap. 9. & 23.
Dionys epist. 9 sub initiu.

II ratio, à difficultate præcepti confessionis.

Deinde nemo negauerit, confessionis onus molestum esse, & peracerbum; naturamque rebellem, ac sese excusantem à propalandis peccatis cum periculo læsionis & rerum, & famæ, & vitæ, si Sacerdos non seruaret secretum, valde premere, & augere: vel igitur Patres tam grande pondus hominibus imponere detrectassent, vel si imponere tandem voluissēt, non fuisset ita in vniuersum receptum; & tanto tempore in Ecclesia sine cōtradictione conseruatum. Constat enim in cæteris omnibus Ecclesiasticis decretis, atque sanctionibus multas fuisse lites, & controuersias, vt ostendit traditio cœlibatus Sacerdotum: signum igitur est persuasum fuisse semper omnibus fidelibus, iugum confessionis faciendæ non ab hominibus, sed à Christo ipso fuisse profectum, atque iniunctum.

III. Ratio.

Accedit tertia ratio, quia Ecclesia etsi possit consulere, vt fideles sapientioribus, ac magis expertis morbos detegerent suos, vt consilium ab eis caperent, & medelam, quemadmodùm olim in eremum, vel cœnobia se recipientes, tyrones suas senioribus

bus detegebant cogitationes, vt testatur Cassianus: non tamen Ecclesia posset id omnibus præcipere. Nam quandoque sunt nonnulli, qui illo non egent consilio, nec expedit, vt sua secreta aperiant: nec posset præcipere, vt occulta cordis crimina quisque confiteatur, de quibus Ecclesia non iudicat. Adhæc etsi daremus posse Ecclesiam id præcipere; non ita tamen vt confitenti, & audienti verba absolutionis promittere queat conferendam esse gratiam, & certam remissionem peccatorum, etiam nondum contrito: quoniam remissio delicti ex solo Dei pacto habetur, quia gratiam, & gloriam dabit Dominus. Nam vt concedamus Deum pactum fecisse se gratiam suã in omnes idoneè dispositos quouis tempore, & loco collaturum; vt tamen aliquam, licèt non omninò plenam haben ti dispositionem post cæremoniam confessionis, & absolutionis donet, præter illud generale pactum, opus fuit singulari, & peculiari Dei pacto illam se impertiturum promittentis. Vel igitur Deus hoc peculiare condidit pactum, & ita confessio institutio est diuina; Vel, si Deus hoc pactum non statuit, Ecclesia promittendo remissionem peccatorum, rem, quam conferre non potest, polliceretur, peccaretq; se dominam gratiæ simulando, superstitiosumque, ac falsum cultum institueret, non sine periculo animi, & corporis subditorum. Nam vt superstitiosè cõmitteret qui ignota Dei voluntate, promitteret vnicuique, etiam non satis ad gratiam obtinẽdam disposito, cuique manus suas lauanti, remissionem peccatorũ, eo quòd eiusmodi ablutio manuum, omni Dei pacto secluso, talem promissionem non habet: ita quoque grauiter erraret Ecclesia, si sine eiusdem Dei pacto confitenti peccata sua, & verba Sacerdotis audienti, remissionem peccatorum promitteret, cùm verba illa, aut confitentis peccatoris, aut absoluentis Sacerdotis, quòd quædam sint actiones mediæ per se & indifferentes, vim iustificandi non habeant.

Cassia. collat. 24. c. 1.

Psal. 83.

IV. Ratio.

Quartò, quæ sunt necessaria, & ad essentiam Sacramentorum spectant, communi Doctorum consensu, ac virtute rationis paullò ante dictæ, à solo Christo institui possunt, quia alius, quàm Dominus gratiam in perceptione Sacramenti nõ posset promittere: & ideò solus ipse est Sacramentorum institutor, & partium ipsarum essentialium, ex quibus constantur Sacramenta: quæ sunt materia, & forma. Cùm igitur pœnitentia, Sacramentum sit à Deo institutum, vt omnes consentiunt; partes igitur eius, id est, materia, & forma, diuina erunt Christi institutio. Ac de forma quidem constare potest ex eo, quòd Sixtus IIII. in bulla quadam damnauit Petri cuiusdam Osomensis articulos, inter quos vnus erat: *Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ est, non alicuius institutionis Noui, vel Veteris Testamenti.* De materia verò constat ex Concilio Florentino, in quo materia Sacramenti Pœnitentiæ, confessio particularis esse decernitur. Est igitur à Deo instituta confessio, & non priuatis Episcoporum constitutionibus, vt ridet Erasmus.

Sacramentorum institutor quis.

Sixtus IIII.

Concil. Flor. in bulla vnionis

De confessionis institutione Erasmus quid senserit.

V. Ratio.

Diuina Sacramẽta ad quid sint instituta.

Quintò, diuina Sacramẽta ad quosdam insignes gratiæ Dei fructus percipiendos, ac certos de illis percipientes reddendos constat esse instituta: quales sunt, renasci denuò, corroborari, & nutriri in Christo: tale quid est ægrotantem secundùm spiritum curari. Vt igitur ad tres illos priores fructus instituta illa tria Sacramenta, Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ; ita ad curationem animæ, & medicamentum eius conueniens fuit institui Sacramẽtum Pœnitentiæ, tanquam medicamẽtum quoddam. At exhiberi ægroto medicina non potuit, nisi agnoscatur morbus: non potest autem cognosci, nisi per confessionem detegatur. Dominus igitur cõsequenter instituit, atq; mandauit hanc detectionem, siue confessionem.

Ioan. 3.

Quinam sint fructus Sacramentorum.

VI. Ratio.

Sextò, si iuris diuini non esset confessio, esset aut iuris Naturæ, aut positiui. Ad ius Naturæ minimè spectat: quia illud ius vbique, & semper obligat, & ad ea, quæ supra naturam sunt, conferenda, qualis est gratia, non se extendit. Ad ius quoque positiuum nõ pertinet, quia omnia eius iuris decreta potest quidem Romanus Pontifex abrogare, si illi expedire videretur; hanc tamen potestatem abrogandi confessionem aut dispensandi, nemo ex Doctoribus con cederet. Adhęc, quoniam par in parem imperium non habet, lege illa non tenerẽtur Pontifices ad confessionem: quod tamen communi consensu inficiarentur Doctores. Superest igitur, vt confessio sit iuris diuini positiui, & ob id institutio diuina Christi, qui dixit: *Neque enim Pater iudicat quenquam; sed omne iudicium dedit Filio:* & infrà: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Igitur illi vt Domino confitendum est: sed cùm ille à nobis absit, & Sacerdotes in caussis peccatorum vicarios suos reliquerit, illorum est caussas peccatorum audire, ac definire, nostrum verò illos ad re. Postremò, in omni lege, & secta inuenitur qualiscunq; confessio ab eius secta le-

Cõfessionem, cum à Deo sit instituta, & iuris diuini, Pontifex summus abrogare minimè potest.

Iuris regula.

Ioan. 5.

VII. ratio, ac postrema.

Leuit. 16.

In omni lege, secta ve, confessionis peccatorum vsus aliquis fuit.

Plutarchus. Lacedæmoniorum pium institutum. *Idē in Apophtegmatis Laconicis.*

ctæ legislatore instituta. Nam Iudæi olim suam habebant confessionem à lege præscriptam: Saraceni quoque, qui legem Mahometi profitentur, suam quoque habent qualem qualem cōfessionem. Gentiles insuper confessione sua destituti non erant. Nam testatur Plutarchus in institutis Laconicis prope initium: *Si quis peccans,* inquit, *fuisset deprehensus, eum oportebat aram in vrbe quandam circumire, ac vituperationem in seipsum compositam cantare. Quod quidem nihil aliud erat, quàm seipsum increpare.* Rursus recenset morem fuisse apud eosdem, vt initiandus interrogaretur à Sacerdote de maximo peccato à se commisso: quod tamen Antalcidas quidam nolebat confiteri. Vnde subdit: *Antalcidas cùm in Samothracia initiaretur, à Sacerdote rogatus, quid grauissimum in vita perpetrasset: Si quid mihi, inquit, tale perpetratū est, dij ipsi sciunt.* Et de Lysandro post multa subiungit: *Eundem in Samothracia oraculum petentem, cùm Sacerdos iussisset dicere, quid deterrimū in vita fecisset, ipse quoque Sacerdotem interrogauit: Vtrùm iussu tuo, inquiens, an deorum hoc facere oportet? Ac illo dicente, Deorum: Tu igitur, inquit, mihi concede: at illis, si percunctentur, dicam.* Hæc ille. Ex quibus elicitur, quod dij ex eorum sensu, & nō homines, confessionem instituissent, ac Sacerdoti fieri exigerent: quamquam ille verecūdiæ metu plus quàm solidè Sacerdotis eluserit confessionem. Hanc cōfessionem non ignorauit Seneca, qui in lib. de Moribus scripsit: *Locum tenet innocentia proximum confessio. Vbi confessio, ibi remissio.* Et ad Lucillum: *Quare vitia sua nemo confitetur? Quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare vigilantis est: & vitia sua confiteri, sanitatis indicium est.* Hanc eandem agnouit Poëta, qui Myrrham impudicam quādam fœminam, ita introduxit loquentem:

Seneca ep 54. circa mediū. lib 7.

O si qua patetis
Numina confessis; meruit, nec triste recuso
Supplicium.

Ouid lib. 10. Metamorph. inter med. & finem.

Et post pauca subdit:

Numen confessis aliquod patet.

Indorum Sacerdotū quorundam prouinciæ Nicaraguæ propemodum Christiana confessiones audiendi ratio.

Quare & Indi Occidentales nostro seculo reperti, qui prouinciam dictam Nicaragua, incolebant, Sacerdotes suos habebant, qui omnes coniugia sectabantur, præter eos, qui peccatis aliorum audiendis destinati erant, qui pro ratione culpæ, modum quoq; satisfactionis imponebant: neque fas eis erat quouis modo confessionem reuelare. Omnibus ergo hominibus inditum est cōfessionem delicti cōducere ad placandum Deum. Cùm igitur suauiter Deus omnia disponens, pacta sua adiunxerit illis rebus, quibus sumus assueti, & per eas de fructu gratiæ suæ promisso faciliùs persuademur, atq; erudimur, vt videmus in externa ablutione baptismi significari internam, & in pane, & vino Eucharistiæ, quibus corpus nutrire assueuimus, pulchrè repræsentari spiritualem alimoniam: cōsequitur vt cum nos non aliter cum eo, cum quo inimicitias gessimus, in amicitiam redire consueuerimus, quàm alicuius mediatoris opera, qui pacem inuicem resarciat: ita voluit Deus, qui semper cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis, nos illi reconciliari medio Sacerdote, penes quem detegimus cordis nostri vulnera, vt illo tanquam sequestro, & mediatore Deo nos valeamus reconciliare: ac quò faciliùs nos alliceret, & inuitaret, certissimum gratiæ suæ dandæ actum adiunxit.

Sapient 8.

Ierem. 29.

Hæreticorum quibus contendunt, confessionem à Christo minime esse institutam, argumenta soluuntur.

I. argum. Non omnia quæ iuris diuini sunt, apertè in Sacris literis continentur.

Neq; obstant quæ in contrarium ab aduersarijs proponuntur. Primum, quia de eius institutione nullum verbum in Sacris literis; ergo vana esset traditio confessionis quasi diuina. Sed duplex vitium continet hæc argumentatio: primum est in antecedente: nam vt vidimus, expressis verbis à Christo instituta est confessio. Alterum vitium est in ipsa constitutione: quia nonnulla sunt iuris diuini, quæ in Scripturis apertè non inueniuntur. Quare absurdum est, vt, ad probādum aliquid esse à Christo institutum, solam Scripturam producere sit necesse, cùm præter illam sit ipsa Patrum non interrupta traditio, & præter eam vera, & inuicta ex fide ipsa deducta ratio: & quicquid altero horum trium persuasione euincitur, vt à Christo institutum habendū est. Deinde producunt in Euangelio remissionem peccatorum, absque confessione nonnullis concessam à Domino, vt paralytico per tegulas demisso, & languido ad piscinam, & Zachæo, & Petro, ac latroni, & peccatrici, atq; adulteræ. Respondemus, Confessionem nondum fuisse à Domino institutam vsque ad vesperam diei resurrectionis, in qua dixit: *Accipite Spiritum sanctū; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Adhæc Christus, Dominus erat Sacramentorum, & potestate excellentiæ fungebatur, vt posset fructum Sacramenti sine Sacramento conferre: & interdum votum confessionis conceptum, si abest qui excipiat confessionem, remissionem peccatorum parit. Tertiò, obijcitur Abbas Panor. & gloss. de Pœnit. dist. 5. qui aiunt confessionem esse iuris Naturæ. Sed dicendum est, illos in re Theologica definientes, falcem misisse in messem alienam; ac ob id cùm sine Scripturis, & Patribus loquantur, audiendos non esse: quemadmodùm nec Erasmus audiendus est, qui scribens in

II. argum.

Matth. 9. Ioan 5. Luc 19. Matth. 26. Luc 23. Supra 7. Ioan 8. Infra 20.

III argum. *Abb. Panor. Glos. de Pœn. dist. 5 c. 1.*

Leum

Leum quendam dixit, priuatam confessionem, priuato Episcoporum consensu introductam. Quòd si in gratiam quorundam, qui eius partes tuentur, aliquid respondere volumus, dicendum est, Confessionem, quod attinet ad certas quasdam minutas circumstãtias, & temporis, & modi, & ministri, & criminum quorundam reseruatorum, iuris esse Ecclesiastici, ac positiui: nam hæc planè possunt variari, & sæpè ab Ecclesia variata sunt, atque eò respexerunt prędicti, si Catholici fuerunt. Quẽadmodùm etiã & B. Bonauentura in quartò asseruit, confessionem institutã esse non à Christo, sed ab Apostolis. At confessionis ipsius secretæ substantia, quæ de peccatis post Baptismum perpetratis apud Sacerdotem fit, institutio prorsus est diuina, vt probatum est. Quartò obijcitur Nectarius Constantinopol. qui illam sustulisse scribitur ab hist. Tripart. quædam etiam sententiæ Chrysostomi, quibus hortatur nos ne crimen alteri prodamus. Verùm ad hoc argumentum inferiùs respondebimus commodiùs, vbi de necessitate confessionis disseremus. Quintò, Græci confessionem sustulerunt, illáq; amplius non vtuntur. Respondemus: satis esse antiquos Patres illam agnouisse, qualis fuit Origen. Chrysost. Basil. Cyrill. recentiores etiam illam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. amplexati sunt: cui duo Græci Patriarchæ astiterunt, atque ibi conditus fuit canon ille celebratus: *Omnis vtriusque sexus.* Ad hæc in Concilio Florentino, in quo recepti sunt Armeni, ac doctrina de Sacramentis, & maximè de confessione tradita, Eugenius Græcis obiecit: *Cur vestri Sacerdotes, & Pontifices non confitentur?* Non dixit, Cur aboleuistis confessionem? Et Græci, qui inter nos versantur, aut Venetijs, aut in Siciliá, præmittunt confessionem Eucharistiæ. Quòd si Græci ob amissam traditionem, & Scripturæ expositionem non vterentur confessione, proculdubio reuocanda esset, cùm sit Christi sanctio. Sextò, argumentantur quidam ratione sumpta ex abusibus, qui ex confessione fortè acciderunt. Hinc Erasmus libro de modo confitendi, plura incommoda, quam commoda confessionis artificiosè enarrat. Ex quibus inferunt, confessionem neque necessariam esse, neque à Christo institutam. Respondemus, libenter concedendo abusus quosdam irrepsisse in administratione huius Sacramenti; quos fortassis Hæretici suo indulgentes ingenio plus quàm res ipsa habeat, magnificant, vt ita opus Dei demoliantur. Negamus tamen consequentiam illam: quia etiam ex rebus à Deo sine controuersia institutis, sumit occasionem malitiæ humana prauitas. Quòd si ex eo quòd aliquod institutum abusus habet, continuò probaretur à Deo non esse, proculdubiò omnia diuina præcepta, atque consilia de medio tollenda essent. Sed abusus non per se ab institutis Dei proficiscuntur, sed illis nostra negligentia accidunt, & vigilantia pastorum possunt, quantùm humana patitur fragilitas, corrigi. Septimò arguunt: confessionem non esse onus leue, sed grauem sarcinam, & intolerabilem; cùm tamen Christus dicat: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Dicendum est, legem Christi in se leuem non esse, verùm diligenti tantùm: quare confessio, quæ iuris est diuini, innocenti non est grauis, quia ad eam non cogitur. Semel etiam lethaliter, aut pluries peccanti, sed contrito, grauis non est: imò nec infirmo, qui tantùm attritus est, quia per eam à peccato liberatur: nec pastori ipsi, qui pro munere suo pascere debet, difficilis existit, cum hac ratione addiscat agnoscere vultum pecoris sui, & rationem oues pascendi. Soli animo ficto accedenti molesta & acerba existit confessio. Neque mirum, si leuius tractatur de Baptismo: quia pœnitentiæ pactum durius est: & peius ciue bono reus offendens meretur tractari. Octauò, miratur Erasmus, quomodo tam pauci Apostoli tam multos Christianos in primitiua Ecclesia in confessione audire potuerint. Sed præter illos erant 72. discipuli; & pauci à principio erant Christiani; & feruente Christi sanguine sanctiorem ducebant vitã, vt non tantoperè, vti nos, confessionis remedio indigerent. Postremò asserunt: ante Concilium Lateranense nullã apud veteres Patres mentionem factam confessionis secretæ, sed publicæ tantùm pœnitentiæ. Respondemus, etiamsi hoc daremus, non sequi olim frequentem confessionem non fuisse. Nam de multis, quæ olim frequentia erant, quia non erant vocata in controuersiam, non habetur mentio apud Patres: quemadmodùm Hierony. epist. ad Euagr. clericum instituens, de modo sacrificandi, absoluendi, & Sacramenta administrandi non facit mentionem; nec Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, siue de officio Episcopi, de potestate dispensandi in iuramentis, & votis, quæ erant, etsi rariora, nõ meminit; nec de potestate condendi canones, aut suscipiendi apostatas. Qui verò hoc objiciunt, planè ostendunt se aut imperitos, qui veteres Patres non legerint, aut malitiosos, & mendaces, si legerint, & dicant nullam in-

Quo sensu iussus Canonici prudẽtes confessionem asserunt iuris esse Naturæ.

B. Bonauẽ. in 4 dist. 17. q. 3.

IV. argum.

Hist. Trip. lib. 9. cap. 35.
Chrysost.

V. argum.

Origenes
Chrysostom.
Basilius.
Cyrillus.

Conc. Floren.

VI. argu. quod est Erasmi.

Sacramentorum abusus vnde proficiscantur.

VII argum.

Matth 11.

Lex Christi quibus leuis sit, minimeq; laboriosa ac difficilis.

Prou. 27.

Grauis, & laboriosa quibus videatur confessio.

VIII. argum. Erasmi.

IX. argum.

B. Hieronym. tom. 2.

B. Chrysost. tom. 5.

Clemens Ro.
Dionys. Areopagita.
Cyprianus.

uenirì mentionem; cùm manifesta apud illos extent testimonia. Nec obstat: Erant pauci Sacerdotes, vt tot hominum confessionibus audiendis pares esse possent: quia Hieronymus, & Greg. Nazianz. de multitudine presbyterorum conqueruntur. Rarior quoq; erat confessio, & communio rara tempore Chrysostomi, vt ipse testatur in epistola ad Hebræos, & quia fideles sero baptizabantur, & minus peccabant: quare tam crebra confessio non erat opus.

Hieronymus. Greg. Nazia. Chrysost ho. 17. ad Hebr. 10. 4.

Cõfessionem tanquam saluti necessariam à Christo esse institutam ostenditur.

Superest iam postremo loco ostendere, Dominum illis verbis ita instituisse confessionem, non tanquam consilium, aut rem aliquam salutarem voluntati & arbitrio hominum relictam, sed vt præceptam, & ad salutem necessariam, vt remissio peccatorum, quę post Baptismum perpetrata sunt, sine absolutione, aut eius voto non possit constare. Et quoniam Lutherus obiecit, Pontifices Romanos ex consilio Christi præceptum, ac necessitatem confessionis inuexisse in Ecclesiam, ac coacta seruitia minus grata esse Deo, secũdùm illud Apostoli: *Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Propterea seriò, ac solidè cõtra hunc postremum errorem disserẽdum est. Pro cuius rei intelligentia præmittendũ est, posse contingere, vt propter circumstantias vel impotentiæ suæ, vel inopiæ cõfessoris, vel carentiæ conscientiæ mortiferi alicuius delicti possit quis remissionẽ peccatorũ sine Sacramentali confessione consequi. Sed quoniã Lutherus in vniuersum loquitur; hinc eius assertio hæretica est, ac propterea meritò reprobanda. Ac Scriptura quidẽ satis illud porrigere videtur. Nam primò illi typi, in quibus Dominus tanquã necessariam exigebat confessionem illam, vt de Adam, Cain, & confessione Leuitica, illud ostendunt: nam illæ à Deo sunt exactæ, ac præceptæ. Repugnat autem, confessionem pręceptam, figuram esse confessionis liberæ, ac voluntariæ, sicut repugnat figuram nobiliorem esse ipsa re præfigurata: nemo autem negauerit, vnam, & eandem actionem minus perfectam esse liberè impensam, quàm si ex præcepto Dei exhiberetur. Intelligo autem per actionem liberam, illam, quæ non est præcepta siue exacta; per præceptam verò, non eam, quæ inuitè offertur, & coactè, sed eam etiam, quæ liberè offertur ad vocem Dei præcipientis. Illud quoque probat ostensio leprosorum Sacerdotibus facta ex Domini præcepto, & illa, quam Ioannes exigebat, confessio: quia etsi de eius necessitate expressa non fiat mentio in Euangelio, tamen de baptis-

2. Cor. 9.

Aduersus errorem Lutheri, qui ait Romanos Pontifices ex consilio Christi pręceptum confessionis in Ecclesiam inuexisse.

A Scriptura. I locus. *Genes. 3. Infra 4. Leuit. 16. & 26. Num. 5.*

II. locus. *Matth. 8. Luc. 17. Matth. 3. Luc. 7.*

mo eius, de quo videtur esse eadem ratio, apertè dicitur Pharisæos spreuisse cõsilium Dei in semetipsos, non baptizatos baptismo Ioannis. Vel ergo baptismus Ioannis necessarius erat, aut saltem necessarij baptismi à Christo instituti typus. Idem erit igitur iudicium de confessione Ioannis, vt aut necessaria, aut necessariæ nostræ typus extiterit. Idem etiam ex allegoria lotionis pedum ostendi potest, quam Dominus, Ioanne teste, ante Eucharistiæ sumptionem & instituit, & facto præcepit: sicut post resurrectionem verbo constituit. Dixit enim postquam lauit pedes discipulorũ: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*, quod est secundùm Bedam: Cõfiteamur alterutrum peccata nostra: & rursus, *Nisi lauero te, non habebis partem meeum*, ac iterum: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*. Et hoc est mysterium, de quo ad Petrum dixit: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Quia ergo hanc solam confessionis ceremoniam Ecclesia ante communionem obseruat, vt eius praxis, & consuetudo indicat, & in illa fit peccatorum ablutio, & Sacerdos verbo absolutionis lauat fratres suos, & conseruos, illaque absolutio maximè necessaria est, maximeque charitatis, & humilitatis argumentum est, omninò credendum est hîc illam Dominum instituisse, ac præcepisse, seu eius præceptum, atque eius institutionem hoc facto adumbrasse. Vnde Bernard. serm. de ablutione pedum, per ablutionem pedum Sacramentum remissionis quotidianarum noxarum interpretatur. Et subdit: *Vis autem nosse quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende, quod Petro dictum est: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi, & Dei.* Hæc ille. Deinde, vt efficacius idem demonstremus, excutiamus verba Domini: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* His sanè verbis apertum est, ministris datam potestatem à Christo in caussis peccatorum iudicandi: ergo etiam data est cognitio caussæ, & facultas explorandi fidelium conscientiam, sine qua prior potestas non potest exerceri. Ad hanc autem consequitur, alijs præscriptam esse confessionem, vt Sacerdoti iudicanti pareat, alioqui frustra daretur eiusmodi potestas iudicandi, si alijs non incumberet necessitas confitendi: instituisset enim Dominus regnum sine Rege, & pastorem sine ouibus, quod esset fatuum. Iabolenus Iurisconsultus rectè docuit: *Cui data est iurisdictio, ea quoque concessa*

esse

III. locus. *Ioan. 13.*

Beda in Ioan tom. 5. Iacob. 5.

Bernard.

Iabolenus Iurisconsultus.

esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest. Quemadmodùm hoc ipso quòd Petro dicitur: Pasce oues meas, necessitas imposita ouibus videtur, vt pareant pastori. Quòd autem ad potestatem iudicandi collata necessariò consequatur facultas etiam cognoscendi caussas concessa, ex his confirmari potest. Quia is qui iudicat quæ nouit, iudex iustitiæ est, vt testatur Salomon, nulla quippè lex ignota iudicat: non Diuina, non Mosaica, non Humana. Non diuina quidem: hinc Deus ab Adam, Cain, & Sodomæ ciuibus exegit confessionem: *Descendam,* inquit, *& videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Non Mosaica: quia, vt dixit Nicodemus: *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* Non denique lex Humana Romanorum. Hinc Pilatus dixit; *Quàm accusationem affertis aduersus hominem hunc?* & Festus: *Non est,* inquit, *Romanis consuetudo donare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur.* Et Iob in lege Naturæ constitutus: *Caussam,* ille ait, *quam nesciebam, diligentissime inuestigabam.* Alioqui iudices, qui ignorata caussa pronuntiant, meritò possent verbis Iesu increpari: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate.* Adhæc Sacerdotes, medici sunt spirituales animorum, debent igitur morbos hominum cognoscere, antequam adhibeant pharmaca, ne fortuita, incertaque sit curatio. Nam vt rectè dixit B. Hieronymus in Ecclesiasten: *Quod ignorat medicina, non curet.* Idem quoque alia simili ratione comprobatur. Nam vt hæreticus esset, qui assereret, Christum non habere pulmonem, aut bilem, aut phlegma, etiamsi Scriptura nihil horum Christum habuisse expressè tradat: quia satis est quod Scriptura dicat hominem illum fuisse, vt hæreticus esse conuincatur, qui aliter affirmaret; atque hac ratione vsa est sexta Synodus ad probandum Christum duas habuisse voluntates, nimirùm quia Christus homo fuit, ac Deus: ita sanè, quoniam peccata nisi per Sacerdotes remitti non queunt; necessariò priùs constare debent per spontaneam rei confessionem, qui vult illa sibi remitti. Quòd si obijcias, institutum tantùm esse tribunal, vt volentes ad illud accedere, eorum causæ iudicentur: quemadmodùm alicui traditur potestas prælegendi aut Philosophiam, aut Theologiam, ijs tamen, qui sponte accedere voluerint auditoribus, idemque contingere in confessione; Dicendum est, non esse simile, quia iudicium omni peccanti necessarium est: frustraque esset collata potestas si iure nolentibus confiteri pateret alia ratio, & via remissionis, aut per fidem, aut per contritionem, aut alio modo: cumque confessio sit laboriosa, ac permolesta, nullus viam confessionis amplecteretur. Tertiò ex his quæ dixit Dominus: *Quorum retinueritis, retenta sunt*: quam per retentionem non solùm intelligunt Patres iudiciū, quo is, qui confessus est sua crimina, à Sacerdote, indignus absolutione habetur, sed etiā ipsum non remittere Sacerdotes etiam non auditum in foro pœnitentiæ, dicitur retentio: vt rectè interpretatur Richardus de S. Victore, lib. de potestate ligandi & soluendi: ita vt peccator hoc ipso quod non accedit ad Sacerdotem, aut peccata nō confitetur, eius crimina retinentur, quia no remittuntur. Simili ratione in foro exteriori iudex tamdiu retinet reum in carcere, quamdiu non dimittit liberum: vt rectè Leo Pontifex asseruerit, crimina non remitti nisi per supplicationem Sacerdotum, qui possunt peccatores per ianuam recōciliationis admittere. Cùm igitur eius qui non absoluitur, retineantur delicta, & ille, qui confessionem non facit, non absoluatur, profectò cōfessio ex his verbis ad remissionem peccati est necessaria. Verùm hæc ratio non est adeò firma, ac solida, vt autoribus istis videtur. Nam primò retinere non est idem quod non remittere, cùm retinere positiuum aliquid designet, cùm dicitur: *Quæcūque solueritis super terram: & quæcunque alligaueritis*: Sanè ligare non est idem quod non soluere. Deinde absolutè verum non est, peccatores non posse à Sacerdotibus obtinere peccatorum remissionem, nisi sua illis detegant per confessionem peccata. Nam & per Sacramentum Baptismi remittuntur peccata accedentibus etiam non confessis, vt exponit Cyrillus; & quibusdam per singularem, & efficacem de peccato contritionem post Baptismum ante confessionem, & absolutionem quandoq; remittuntur. Quartò idem probatur ex illis verbis: *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c.* gemina enim potestas & cognoscendi delicta, & iudicandi, exhibita est in illis verbis. At vt Augustinus rectè ratiocinatur, frustra datæ essent claues regni, si aliunde pateret via remissionis peccatorum, ac salutis. Quòd si percuncteris, quare Dominus qui baptismum in illa verborum forma indixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; non simili forma dixit: Nisi quis Sacerdoti confessus

Ioan. 21. — Prou. 12. — Genes. 3. — Infra 4. — Infra 18. — Ioan 7. — Infra 18. — Act 25. — Iob 29. — Ioan. 7. — Hier in c. 10. Eccl. circa med. — Quod ignorat medicina, non sanat, inquit Hieronymus. — VI. Synodus.

III. locus. — Richard de S. Victore lib. de potestate ligandi & soluen. c. 9. & 10. — Leo Papa epistola 91. — Matth. 18. — Cyrill lib. 12. in Ioan. ca. 56. tom. 1. — IV. locus. Matth. 16. — Aug. lib. 50. homiliar. ho. 49 tom. 10. — Ioan 3.

fessus fuerit peccata sua, in regnum Dei nō introibit. Dicendum est: Baptisma simpliciter magis esse necessarium, quia illo & infantes, & viri indigent: at confessione pueri non egent: tùm quia hoc ipso quod precipitur medico infirmos curare, imponitur necessitas ęgrotantibus illos adeunti, si nolunt perire: non est autem peccatori præceptum adire Sacerdotes, nisi necessitas eos cogat. Hæc enim imposita necessitas, quæ ex hoc loco, & similibus iuris diuini est, non est vt quisque confiteatur quotannis: nam hoc Ecclesiæ est præceptum, sed confitendi aut imminente morte, aut probabili, & magno periculo, aut proponente aliquo accedere ad communionem, sed ad aliam quamuis actionem, quæ necessariò in gratia est exercenda, vt nouum euitetur peccatum: nam in his, & quæ sunt huiusmodi, iure diuino quisque tenetur ad præmittendam confessionem. Quintò idē elicitur ex Actibus, cap. 19. vbi enarratur fidelium confessio, quasi consueta esset ab eis frequentari: at cùm bona consuetudo vim legis obtineat, necessaria proinde deducitur confessio. Sicut ex verbis fratris Domini: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, idem colligi potest. Non enim ibi Apostolus aliquod preceptum humanum promulgat, sed diuinum, quod à Christo accepit. Necessarium igitur elicitur præceptum confitendi ad remissionem peccatorum obtinendam, si sacras Scripturas consulimus.

Necessitas cō fessionis ad salutem, & quomodo intelligi debeat.

V. locus.

Consuetudo vim legis obtinet

Iacob. 5.

Quod etiam rationibus potest fulciri, inter quas prima sit: Quia ratio ipsa recta præscribit, vt quisque sibi beneficijs à Domino oblatis pro tempore vtatur; at magnificum est, ac necessarium beneficiū confessionis peccatorum, coniunctam habens eorundem remissionem; quiuis igitur, cui tantum donum agnoscere datum est, cogitur eo vti ad gratiam obtinendam, aut contemptor erit nō solùm doni à Deo oblati, sed etiam ipsius Dei offerentis. Deinde Sacramentum Baptismi ab eius promulgatione necessarium ad salutem omnibus Adæ filijs existit, quia est vnicum, & ordinarium remedium ad regenerationem: at Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex confessione, & absolutione constat, vnicum est antidotum, quo fidelis lapsus instauretur ad gratiam: ergo illi necessarium est confiteri, sicut alteri baptizari. Perspicuum est, etiam apud aduersarios, potestatem datam esse à Christo cognoscendi & absoluendi peccata ministris: sed huiusmodi potestas inanis prorsus esset, & euanida, frustraque exhibita fuisset, si alij ad ostendendum peccata non obligarentur: nam eis nolentibus confiteri, ac iure recusantibus, nunquam posset ad actum reduci, atque ita frustra esset. Dominus ergo hanc necessitatem confitendi alijs imposuit, ne cogeremur confiteri frustra datas esse claues Ecclesiæ ministris. Quarta ratio: Necessarium ad salutem esse constat, vt quisque æternā suam salutem & diligat, & curet: cùm igitur peccatum morbus sit lethalis, pœnitentia verò medicina salutaris existat ea ratione, ac necessitate, qua quisque astringitur curam gerere suæ salutis, ac diligere seipsum, eadem penitùs ad vtendum pœnitentiæ medicina astringitur, quæ secunda est tabula post naufragium. De qua audi Tertullian. lib. de Pœnitentia, verba Ezechielis ponderantem: *Pœnitentiam, inquit, malo quàm mortem. Ergo pœnitentia vita est, cùm preponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imò me minor, ego enim præstantiam in delictis meam agnosco) ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc de peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.* Hæc ille. Quæ vt rectius percipias, intellige innocentiam Adę tanquam nauem quandam fuisse, qua ad portum æternæ gloriæ tuti essemus vehendi: Ea autem per peccatum confracta, Baptismus primæ tabulæ similitudinem gerit, quia cùm post illum remaneat fomes, atque aliæ ærumnæ, & labores, nomē integrum nauis non meretur, sed tabulæ. Sed hac tabula adhuc amissa per peccata post Baptismum perpetrata, superest altera pœnitentiæ, quæ secunda dicitur, cùm in illa pœna temporalis, sicut in Baptismo minimè remittatur, & durius sit pactum pœnitentiæ, quàm Baptismi. Quinta ratio: Consuetudo ipsa si bona sit, vt naturæ, & omnium gentium sensus docet, vim habet legis: sed in Ecclesia semper fuit consuetudo remittendi, vt ex Patrum veterum testimonijs ostendi potest. Nam Dionysius Areopagita in epistola ad Demophilum monachum ita habet: *Tu verò, vt tuæ literæ indicant, procidentem Sacerdoti impium (vt ais) atque peccatorem; nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans calce abiecisti, ac repulisti; cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neq; exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare conuitijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitētem atq; impium iustificasset* Hęc ibi. Ex quibus elicimus peccatores ad Sacerdotes accurrisse, vt veniam consequerentur via absolutionis: alioqui non diceretur hic Sacerdos pœnitenté iustificasse: apparet etiā humilis & verecunda

Varijs rationibus ostenditur confessionis necessitas

I. ratio.

II. ratio.

IV. Ratio.

Tertullian.

Ezech. 33. & Suprà 8. Laus pœnitentiæ ex Tertulliano.

Adæ innocentia, nauis similitudinem gerit, prima tabula Baptismus, secunda pœnitentia.

V. Ratio.

Dionys. Areopag. ep. 8. longè à princ.

Clem. Rom. lib. 2. c. 19.

ratio confitendi peccata, quia procidebat Sacerdoti. Meminit quoq; Clemens Confessionis lib. de Apostolicis constitutionibus, loquens de recipiendo eo, qui ex Ecclesia eiectus fuerat, vt pœnitentiam ageret, cùm ait: *Tunc Episcope iubebis ingredi, & facta diligenti inquisitione, & percunctatione num pœniteat, dignusq; sit qui in Ecclesiam admittatur, absolute iudicio iciunio secundum peccati qualitatem, duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum.* Et infrà: *Dicat Episcopus ei qui peccauit: Conuertere tantùm, & ego pro te suscipiam mortem, vt Dominus pro nobis suscepit: Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Irenæus quoque de vxore Marci pseudoapostoli ab Apostolis conuersa scribit, quòd totum tempus vitæ suæ consummauerit in exomologesi, id est, confessione, & satisfactione. Idem quoque tradit, Cerdonem hæreticum sub Eleuthero Papa exomologesin fecisse. Basilius in regulis Breuioribus quærit, an qui peccata sua vult confiteri, debeat illa quibuscunque enarrare? Et respondet: *Necessarium est confiteri peccata ijs, quibus credita est mysteriorum dispensatio,* id est, Episcopis, & Sacerdotibus. Id quod ostendit eleganti similitudine passionum corporis & animi. *Similis est,* inquit, *ratio confitendi peccata, & ostendendæ ægritudinis corporis. Vt igitur ægritudines corporis non omnibus hominibus patefacimus, nec quibuslibet, sed peritis in earum curatione, & medicinis, sic confessio peccatorum fieri debet coram ijs qui curare possunt. Sicut scriptum est: Debemus nos qui potentes sumus, infirmitates infirmorum sustinere.* Hæc ille in sensu. Paulinus quoque in libro de vita beati Ambrosij de eo verba faciens paullò post medium, ita ait: *Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis, quàm accusatores apud homines.* Hæc ibi. Hanc verò consuetudinem Ecclesiæ de conseruando secreto confessionis, seruari præcipit B. Gregorius, vt habetur de pœnitentia distinct. 6. vbi dicitur: *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quòd ea confessus est non propinquis, non extraneis, neq; (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Idem etiam prohibetur in Concilio Lateranensi sub pœna relegationis perpetuæ in monasterium. Sexta ratio: Quia Ecclesia per sua præcepta fideles subditos obligat, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit. & qui vos spernit, me spernit:* Et, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus,* Cùm igitur Pontificum, & Conciliorum extent præcepta ad confessionem ineundam adstringentia, etiamsi iuris diuini non esset, adhuc tamen esset necessaria. Postrema ratio: Quia necessarium est vitare pericula peccati, siquidem qui amat periculum, in illo peribit. Constat autem pactum esse expressum de certa remissione confitenti peccata sua: at non est certa quouis modo dolenti, aut pœnitentiam agenti. Cùm igitur non sit compertum, verùm valdè dubium, an quis idoneè detestatus sit peccatum; certò autem sciat quòd etiam non idoneè nec perfectè contritus, ope autem Sacramenti pœnitentiæ consequatur remissionem peccatorum: fit, vt se periculo manifesto exponat, qui interna confessione, quę coram Deo fit, vel contritione contentus, negligit coram Sacerdote confiteri. Vnde Anastasius patriarcha Antiochenus in libro Variarum quæstionum ita habet: *Qui dicunt non esse confitendum homini similis nobis, audiant Dominum dicentem: Quæcunque alligaueris super terram, & Iacobum fratrem Domini: Confitemini alterutrum peccata vestra. Salutem operatur Dominus non solùm per Angelos, sed per Prophetas, nouissimis verò diebus per Apostolos, & discipulos, eorumq; successores, de quibus ait: Qui vos recipit, me recipit. Itaq; quamuis homo est qui audit confessionem; tamen Deus est, qui per eum conuertit, erudit, remittit. Sicut fecit Dauidi per Nathan; vnde dixit: Dixi, Confitebor aduersum me peccatum meum Domino; Domino enim confitebatur per Nathan, & à Domino conuertebatur per eundem. Vnde aiebat: Conuertant me qui timent te, & qui cognoscunt testimonia tua. Et, Castigabit me Dominus in misericordia, & arguet me. Sancti enim, ministri sunt Dei, & adiutores, ac dispensatores ad salutem eorum, qui volunt salui fieri: homo enim hominis est auxiliator ad pœnitentiam, & vt dixi, ministrat, erudit, arguit, castigat ad salutem, iuxta Apostolum, & Prophetam; Deus verò delet peccata confitentis, sicut ipse ait: Ego delens iniquitates tuas propter me.* Hactenùs ille. Proinde nemo conscientiæ testimonio confisus, aut interna confessione coram Deo nixus, negligat eius ministros, ad quos qui accedunt, ad eum, cuius locum tenent, euidenter accedere conuincuntur. Ille autem est Saluator mundi Iesus Christus Filius Dei cum Patre, & Spiritu sancto, omni honore, cultu, ac veneratione prosequendus in secula seculorum.

Amen.

Margin notes (left column): *Cap. 23.* — *Ioan. 10.* — *Irenæus lib. 1. c. 9. sub finem.* — *Idem lib. 3. c. 4. prope finem.* — *Basil. in regu. breu. interro. 229. tom. 2.* — *Rom. 15.* — *Paulin. Episc.* — S. Ambrosij in pœnitentes miseratio. — *De pœnitent. dist. 6. c. Sacerdos.* — Sacerdotis confessionem detegentis pœna quæ. — *Concil. Lateran. can. 21.* — VI. Ratio.

Margin notes (right column): *Luc. 10.* — *Matth. 18.* — VII. ratio, ac postrema. — *Ecclesiast. 3.* — *Anastas. patriarc. Antiochen.* — *Matth. 16.* — *Iacob. 5.* — *Ioan. 12.* — *2. Reg. 12.* — *Psal. 31.* — *Psal. 118.* — *Hebr. 12.* — *Ierem. 31.* — *Esai. 43.*

TRACTATVS XX.

In quo argumenta quæ ab hæreticis contra necessitatem confessionis fiunt, diluuntur.

HACTENVS dogmata duo verissima, atque omni acceptione digna circa Sacramentalem Confessionem comprobata reliquimus; nimirùm Confessionem secretam & iure diuino esse institutam, & omnibus tanquàm ad salutem necessariam, qui postquàm Baptismo initiati peccata perpetrârunt, à Domino commendatam fuisse, atque præceptam. Verùm in hanc postremam veritatē multa argumentorum tela hæreticorum nostri seculi phalanx iaculari conata est: sed talia profectò, quæ in illorum capita reciderunt, ac veritas Confessionis potiùs illustrata est, atque confirmata, quàm aut obscurata, aut debilitata. Horum verò quædam etsi in præcedentibus Tractatibus dissoluta sint, supersunt tamen alia nonnulla præsenti loco refutanda. Quorum primum est: quia sunt quædam, quæ indicant illam non esse necessariam, ex quo videtur quòd nec sit à Christo instituta. Nam si Christus eam ad fructum remissionis peccatorum instituisset, vtique necessariam constituisset. Quòd verò non sit necessaria; probatur ex Psalm. 31. vbi habetur: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ex quo apparet, quòd confessio, quę fit soli Deo, sufficiat ad accipiendam remissionem: vnde necessaria non erit Sacramentalis ista confessio. Respondemus; Dauidi non fuisse necessariam nostram Sacramentalem confessionem, quia nec tunc erat instituta. Confessio etiā, quæ eo tempore à lege exigebatur, non ad omnia peccata erat necessaria, sed ad quædam tantùm lege præscripta: & tunc non conferebat remissionem peccatorum ex pacto, quare remissio meritò confessioni, & contritioni internæ tribuebatur: quæ ex fide prodiens, etiam in lege naturæ iustificabat. Demus etiam, Dauidē fuisse tempore Noui Testamenti; ex eius verbis exclusio confessionis Sacramentalis nō haberetur: nam Domino confitetur, qui eius ministro confessionem facit, secundùm illud: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: vt superiùs ex verbis Anastasij Episcopi Antiocheni deduximus: Quāquàm etiam intelligendum esset, Dauidem in Nouo Testamento soli Deo crimina confessum sua, ac proinde remissionem consecutum, idque veritatem habet in vno, aut altero particulari, qui votum confessionis Sacramentalis suo tempore faciendæ, saltem implicitè concepisset: ex eo tamen minimè sequetur, quòd non sit Confessio Sacramentalis præmittenda ad remissionem habendam secūdùm legem communem. Deinde producunt eos, quos Christus absoluit, siue remisit peccata sine pręcedenti enumeratione peccatorum; vt sunt Publicanus, paralyticus, Zachæus, latro, Petrus, adultera, & peccatrix. Respondere possumus, hæc omnia esse extra propositum: quia etsi non fecerint confessionē, nihilominùs nunc Cōfessio est necessaria, & non tunc, quia nondum erat instituta, aut præcepta, vt nūc est, cùm illam die prima resurrectionis sub vesperam & instituerit, & mandauerit. Adhęc etsi tunc instituta fuisset, & præcepta; haud tamen enunceretur quòd tunc non esset lege ordinaria ad salutem necessaria, sed tantùm haberetur, quòd Christus Dominus nō esset Sacramentis alligatus, quin posset pro sua excellentiæ potestate quibusdam priuilegia concedere, etiam vigente ordinaria lege, vt prædictis concessisse videtur. Tertiò proferunt illi verba Ioannis excussa superiùs, in quibus de Confessione verbum nullum, sed tantùm tribuitur potestas absoluendi eos, qui ad absolutionem accipiendam accesserint. Sed hoc iam est dissolutum: hoc enim ipso quòd potestas datur, ex ipso ministris præcipitur vt illa vtantur, si frustrà non datur. Porrò lege charitatis, qua seipsos diligere adstringuntur, coguntur vti Dei talento in beneficium proximi, præsertim in re tam necessaria, quàm est remissio peccatorum; & consequenter præceptum est subditis, & peccatoribus, si indigeant remissione, per confessioné se illis vt subijciant, materiamq; præbeant, in quā illi exerceāt potestatem. Noluit autem Dominus expresse subditis ibi quicquam de Confessione pręcipere: quia, vt inquit Bernardus, sufficiebat infirmo ostendere medicum: quia si vult sanari, eum proculdubiò adibit. Rursus, vt ait Hugo de S. Victore; ne extorta, & inuita, sed potiùs spontanea, ac libera videretur nostra Confessio. Quartò arguunt ex Scripturis, vbi dicitur fides iustificare, vel contritio. De fide constat apud Paulum: de contritione liquet ab exemplo Publicani, & ab innumeris sententijs Scripturæ, quæ illi remissionem promittunt delictorum: vt illa Apostoli: *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur,* &; *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos,* &; *Cōuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiu-*

Marginal notes (left): Primum argumentum hæreticorum cōtra necessitatem confessionis Sacramentalis. — Quam solam lex Moysis peccati confessionem exigeret. — *Luc. 10.*

Marginal notes (right): II. argum. *Luc 18. Matth 9. Luc 19. Infra 23. Matth. 26. Ioan 8. Luc 7.* — III. argum. — *Matth 25.* — Quarè Christus ijs verbis, Quorum remiseritis peccata, &c. de confessione subditis nil expressè mandauit. *Bern lib. Medit. ca. 9. prefatio. Hugo de S. Victore lib. 2 de Sacram. par. 14. c. 1.* — IV argum. *Rom 5. Luc. 18. 2 Cor 7. Zachar 1. Ioel. 2.*

ieiunio, & in fletu, & in planctu, &c. quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? Respondemus ad primum de fide, falsum esse quòd sola fides iustificet: nunquàm enim fides excludit non solùm alias internas dispositiones ad iustitiam, sed nec Sacramentum: alioquin non opus esset Baptismo. Vt igitur fides Baptismum non excludit ad ingressum in Christum, ita nec post Baptismum fides excludit Sacramentum Pœnitentiæ ad reconciliationem eorum, qui prolapsi sunt. Ad secundū de contritione, dicendum, veram contritionem in voto habere confessionem, vbi est instituta, & promulgata. Quòd verò quisquam ante Confessionem sit à Deo absolutus, rarum est, & contingens, quòd in confessione à culpa non absoluatur, quia inuenitur absolutus. Alioquin enim quantum est ex parte Sacramenti, absolueretur: sicut etiam cōtingit, aliquem antequam Baptismo tingatur, iustificationis gratiam esse adeptum. Verùm hoc accidens est ad pactum Sacramenti: quod ex se iustitiam primam, siue gratiam impertiret, si eam non inueniret. Rariùs tamen accidit aliquem sine Sacramento Pœnitētiæ iustificari, quam sine Baptismo, quoniā in iustificatione lapsi post Baptismum angustior est porta: in qua etiam ille qui iam iustificatus accedit, adhuc absolui dici potest, scilicet quantum est ex parte Sacramenti, quia datur ei gratia, quæ in se continet absolutionem, si eam iam factam nō inueniret: quòd si eam factam inueniat, incrementum præstat iustitiæ: sicut ligatus potest etiam ampliùs ligari. Absoluitur quoq; à parte pœnæ temporalis peccato debitæ, non tantùm ob verecundiæ molestiam, sed etiam ob virtutem clauiū: alioqui contritus absolutionem expectare non deberet; perindeque esset si confiteretur laico, quia sic etiam posset verecundari illi detegendo sua peccata, atque confundi, Absoluitur etiam à debito confitendi. dum satisfacit præcepto Ecclesiæ de Confessione facienda. Iustus igitur, & iustificatus potest ob has omnes rationes in Sacramento Pœnitentiæ absolui. Quintò, obijciuntur Patres quidam eremi cultores, qui sine Confessione videntur multis annis vitam sanctam traduxisse. Respondemus, illos communiter habuisse Presbyteros, qui eos sacræ Eucharistiæ faciebant participes, & si opus erat, etiam absoluebant. Si autem non ita frequentabant Sacramentalē Confessionem, quod tamen nobis vsquequaq; certum non est: hoc erat, vel quia non vrgebat conscientia peccati mortiferi: nam leuia, & venialia quotidianis precibus, & lacrymis abluebant: vel quia non erat tanta Confessorum copia, vt frequentare possent Sacramenta, vel quia non erat positiuum Ecclesiæ præceptum ad hoc vel illud tempus coarctans; vel denique quia nonnulli ex eius peculiari Domini priuilegio dispensationem obtinebant, & in spiritu suscipiebant fructum Sacramenti Pœnitētiæ, sicut & Eucharistiæ: nam cùm spiritu Dei agerentur ad colendam eremum, eo ipso communicandi & confitendi lege ab Ecclesia præscripta interdum soluebantur: vnde & B. Benedictus in specu conclusus, nesciebat esse diem Paschæ. Sextò argumētantur ex Traditione Patrum, per quam triumphū de nobis agere posse sibi videntur, in qua producunt Origenem, Nectarium, Chrysostomum, Ambrosium, deniq; Gratianum, & Magistrum sentētiarum. Originem quidem in Leuiticū adducunt, dicentem peccata remitti Baptismo, martyrio, eleemosyna, iniuriæ remissione, conuersione peccatoris, copia charitatis, ac pœnitentia. Sed huic obiectioni facilè est respondere, quinq; posteriora, quæ Sacramenta non sunt, votum includere Baptismi, vel Pœnitētiæ. Baptismi quidem, in Catechumeno, vel ille sola eleemosyna sine Baptismo, vel eius voto saluaretur, quod est absurdū, pœnitentiæ verò, in fideli, sed post relapso, qui nisi concipiat votum Confessionis coram Sacerdote Dei edendæ, ad reconciliationē neutiquā admittitur. Quòd verò Origenes agnouerit necessitatē Confessionis; agnosce ex libro Periarchon: *Si quis non prius animæ suæ vitia, & peccatorum suorum cognouerit mala, ac proprij oris confessione prodiderit, purgari is, absoluiq; nō poterit.* Et idem in Psalmum 37. in illud: *Quoniam iniquitatem meam pronūtio: Pronuntiationem*, inquit, *iniquitatis, id est, confessionem peccati, frequētiùs diximus.* Et subiungit: *Hi qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecùs vrgentur, & propemodùm suffocantur phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodò circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam; vt ita demùm si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & cura-*

Fides quas res requirat, & includat.

Hominem iustificatū posse etiam in Sacramento Pœnitentiæ absolui.

V. argum. Quæ causa fuerit in sanctis eremi cultoribus priscis illis rarioris crebrioris criminum confessionis apud Sacerdotem.

Sextum argumentum ab autoritate Patrum.

Orig. hom. 2. in Leuit.

Idem lib. 4. Periarch. cap. 1. tom. 1.

Idem hom. 2. in Psal. 37. paulò post mediū, eodem tomo.

Cui Sacerdoti peccata confitenda, secundùm Originē. Rom. 12.

& curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius cõsilio procurandum est. Hæc ille. Deinde producunt Nectarium Constantinopolitanum Episcopum; qui, vt habetur in Historia Tripartita, referente Sozomeno, ob scandalum in populo ortum, ex eo quod matrona quædam, quæ Presbytero confessionibus audiendis præfecto erat confessa, à quodam Diacono qui ad Ecclesiam veniebat vt pœnitentiam expleret, cognita fuit, Confessionem ipsam abrogauit: hinc enim arguũt, illam non esse iuris diuini, nec à Christo præceptam, quoniam ille contra institutionem diuinam, aut præceptum Christi nihil potuisset mandare. Audi verba Sozomeni: *Quoniam omninò non peccare, diuinum, & vltra humanam naturam esse cognoscitur; peccantibus autem & pœnitentiam agentibus, & veniam Deus dari præcepit; qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus requirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur. Et ad hanc rem Presbyterum bonæ conuersationis, seruantemq; secretum, ac sapientem virum statuerunt: ad quem accedentes hi, qui deliquerant, delicta propria fatebantur. At ille secundùm vniuscuiusque culpam, indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in Occidentalibus seruatur Ecclesiis, & maximè apud Romam, vbi etiam locus est certus pœnitentium.* Et infrà: *Porrò Constantinopoli Presbyter super pœnitentes fuit vsque ad illud tempus, quo quædam mulier nobilissima, cùm peccata sua fuisset confessa, & ei à Presbytero fuisset præceptum vt ieiunaret, & Deo operibus supplicaret: cùm hoc obseruaret, crebriùs in Ecclesia cum Diacono se concubuisse confessa est. Hoc cùm populus cognouisset, sæuiebat in Sacerdotes, quasi per eos facta fuisset iniuria Ecclesiæ. Tum Nectarius Episcopus remouit diaconum sceleratum, & quibusdam suadentibus vt singulos ad communicandum iudicio conscientiæ suæ relinqueret, etiam Presbyterum nequaquàm super pœnitentes esse præcepit. Et ex illo antiquitatis cõsuetudo sublata est, cùm (vt arbitror) minora peccata pro pudore cõfessionis, & subtilitate examinantium patrarentur.* Hactenùs Sozomenus. Respondetur: argumentum hoc vel niti autoritati ipsius Sozomeni, vel Nectarij. Quod attinet ad Sozomenum, dici non potest eum sensisse sublatam fuisse confessionem: quia ipse idem refert, Acesium olim errasse, qui dicebat, non à Sacerdotibus; sed à solo Deo quærendam spem remissionis peccatorum. Hoc etiam loco, vbi ista de Diacono illo refert, Deum asserit confessionem occultam præcepisse, dum presbyterum seruantem secretum recenset fuisse, etiam si in loco publico fieret confessio: & rursus confessionem illam in Ecclesia Romana, & Occidentali magna Religione obseruari tradit, & olim Constantinopoli fuisse seruatam, atque illo ritu à Nectario sublato factum esse vt peccata crescerent, & multiplicarentur. Nihil igitur sinistrum Sozomenus de Confessione sensit. Quod si quisquã minus Catholicè sensisset, audiendus non esset: tum quia contra Scripturam, & Patres fuisset opinatus, tum etiam, quia vt tradit Gregorius, illius historia vt suspectæ fidei est habita ab Ecclesia Romana: nam lib. 6. Registri sic habet: *In historia autem Sozomeni, de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur, sed ipsam quoque historiam sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum Monsuestiæ nimium laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo, vt si quis istam historiam recipit, Synodo quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus, de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui verò hanc contradicere non valet, illam historiam necesse est vt repellat.* Hæc Gregorius. Non possunt igitur hæretici niti Sozomeno ob causas dictas. Videndum igitur, & examinãdum factum Nectarij, si accidit. Et certè illo etiam non possunt efficere, quod volunt. Primùm enim facilè dicere possumus illum errasse in facto hoc, præsertim cùm esset neophytus, & ex aula assumptus per Principem ad Episcopatum: ac deceptus fuit ab Alexandrino Presbytero, vt tradit Socrates. Nec verè abrogauit Confessionem, sed facto contra omnem rationem eius vsum sustulit. Ex quo non sequeretur, confessionem non esse, aut diuino iure institutam, aut necessariam: manifestum enim est, præcepta Dei iuris esse diuini, etiamsi multi illa trãsgrediantur. Eucharistiã insuper non est dubium à Christo fuisse institutam, vt etiam Lutherani docent, & tamen eius vsus à Sacramentarijs impiè est sublatus. Nõ est autem abrogata illius institutio: quia hoc nec Sacramentarij, nec totus infernus efficere potest, imò nec ipsa etiam Ecclesia, si vellet, posset auferre. Deinde Nectarius commendatur in octaua Synodo, nec ab aliquo graui autore in hoc facto reprehenditur. Et quoniam propensiores esse debemus ad excusandum facta Patrum, ac dicta potiùs, quàm ad accusandum: facillimè dici potest, ac verissimè, fieri posse, quicquid sit de re ipsa soli Deo comperta, vt ille summouendo Confessionem nõ peccauerit; & nihilominùs Confessionem esse iuris diuini. Quod vt magis explicemus, præmittẽdum est,

II. locus. Nectarius Constanti Episcopus. Hist. Trip. lib. 9. c. 35.

Omninò non peccare, diuinum.

Sozom. lib. 2. Hist. Trip. ca. 13. Acesij hæresis.

Greg. lib. 6. Regist. epist. 31 vel c. 191. circa med. to. 2. De historia Sozomeni quid senserit Magnus Gregorius.

Socrates lib. 5 Eccles. hist.

Matth. 26.

Octaua Syno. act. 4. ante med.

In Sacramentis inueniuntur duo.

est, in Confessione, sicut & in alijs Sacramentis, duo inueniri: alterum est ipsa institutio, & quæ ad essentiam Sacramenti spectat; alterum est, vsus Sacramentorũ, quantum attinet ad quasdam particulares circumstãtias modi, loci, ac temporis. Secundùm veritatem igitur, ac Patres primum tã in confessione, quàm cæteris Sacramentis est iuris diuini: alterum ad ius Ecclesiasticum spectat, ac positiuum: tale enim relictum est pastorum dispositioni, & arbitrio, qui sine peccato illud variare, ac mutare possunt, si Dei gloria exigat, subditorumque salus, & ædificatio, quæ in hoc cõsistit, vt homines vitent scandala, & virtutes amplectantur. Quod Augustinus epistola ad Ianuarium in hũc modum statuit: *Alia verò quæ per loca terrarum, regionesq; variãtur, sicuti est quod alij ieiunarent Sabbato; alij verò nõ: alij quotidiè communicant corpori, & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm, & Dominico, alibi tantùm Dominico. Et si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.* Hæc ille, non minùs prudenter, quàm doctè. Ex cuius verbis habemus quod volumus. Liquidum enim est, cõmunionem corporis esse à Domino institutam: Augustinus tamen docet ritum cõmunicandi, vel offerendi, variari, quantum attinet ad temporis circumstantiam. Ita igitur Nectarius etsi esset sanctissimus, nec ignoraret Sacramentum Pœnitentiæ institutum à Christo: quia tamen vsus positiua lege constabat, vt populi scandalum vitaret, ac sibi peccatum summè displicere indicaret, sanctissimè potuit non quidem vel definire, quòd confessio non fuerit instituta à Christo, vel abrogare eius institutionem, nec in perpetuum eius vsum tollere, quia hoc in ius diuinum fuisset, sed ad tempus vsum eius remouere, & ex Ecclesia illum, qui confessionibus, & pœnitentijs præerat, tollere, ad populi in Sacerdotes sæuientis furorem declinandum, vt testis est Sozomenus. Quemadmodum hodiè si causæ emergentes ita postularent, posset Pontifex Pœnitentiarios quos vocant, & quos in Ecclesijs Romanis constituit, amouere, sicut facto ipso in locis, quæ subijcit interdicto, vsu Sacramentorum laicos priuat, sicut & eos, quos excommunicationis

Aug epist. 118 c. 2. tom. 2.

Aurea S. Augustini sententia.

Sozom. loco dicto.

sententia percellit. Vides igitur, quàm nullum habeat scrupulum factum Nectarij? Quod si vitiosum extitit; nec tollit institutionem confessionis, nec est imitandum. Si autem iustum, nihilominùs non tollit institutionem: & quando similes causæ subessent, imitabile esset. Vnde Chrysostomus eius successor, siue quia cognouit nõ rectè esse factum, siue quia animaduertit cessasse causam, illam Nectarij suspẽsionem remouit, ritumque confitendi solitum introduxit. Nam si Sacerdotes non essent parati ad audiendam confessionem, frustrà ad illam faciendam cohortaretur fideles. Atq; hæc videtur solida solutio. Quæ vt perspicaciùs expendi valeat, subiungam verba non Sozomeni, sed Socratis in sua Historia Ecclesiastica: ita enim Socrates lib. 5. scribit: *Videbatur etiam illis temporibus abrogandos eos esse Presbyteros, qui pœnitentibus in Ecclesia deputati fuerant, idq; ob huiusmodi causam. Ab eo tempore, quo Nouatiani ab Ecclesia discesserant, quod cum illis, qui in persecutione Decij prolapsi fuerant, communicare nollent, Episcopi Ecclesiastico Canoni Presbyterum certum quendam pœnitentibus cõstitutum hoc adiecerant, vt qui post baptismum prolapsi essent, peccata sua coram illo confiterentur. Canon hic etiamnum in alijs hæresibus durat, soli homousiani, & illis in fide consentientes Nouatiani Presbyterum pœnitentiæ reiecerunt. Nouatiani quidem ne initio quidem adiectionem hanc receperant; qui verò Ecclesijs iam præsunt, quod diu seruauerunt sub Nectario Episcopo mutarunt, eo quòd tale quiddam Ecclesiæ acciderat. Mulier quædam nobilis Presbyterum pœnitentiæ accesserat, & ex parte peccata sua post Baptismum perpetrata confessa fuerat. Presbyter illi iniunxerat vt ieiunaret, ac frequenter oraret, vt vnà cum confessione opus etiam pœnitentia dignum ostendere posset. Mulier verò progressa, etiam aliud quoddam delictum suum confessa fuerat, nempè quòd Diaconus quidam Ecclesiæ cum ipsa concubuisset. Dictum hoc, diaconum quidem ex Ecclesia proijci fecit, nihilo tamen minùs multitudini turbas peperit. Indignabantur enim non solùm facti gratia, sed & propterea quòd facinus hoc blasphemiam, & ignominiam Ecclesiæ conciliasset. Cùm ob hanc rem sacris viris detraheretur; Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter genere Alexandrinus consilium Episcopo Nectario dedit, vt Presbyterum pœnitentiarum abrogaret, permitteretq; vt pro sua quisque conscientia ad communionem mysteriorum accederet, quòd hac sola ratione futurum esset, vt maledictis Ecclesia liberaretur. Hoc ego ex ipso Eudæmone auditum, huic scripturæ inserere non dubitaui. Sicut enim sæpiùs dixi, omnem diligentiam impendi, vt à singulis qui rerum gnari essent, quæ gesta essent, cognoscerem, & exactè inuestigarem, ne quid alienum à veritate scriberem.*

Nectarij successor Chrysostomus quam eius legem abrogauerit, de medioque sustulerit.

Socrates li. 5. Eccl. hist. c. 19

berem. Ego autem Eudæmoni primùm dicebam: An consilium tuum, ô Presbyter, Ecclesiæ profuerit, vel secus, Deus viderit. Video autem, dedisse te occasionem quòd peccata iam inuicē non redarguuntur, nec præceptum Apostoli seruatur: quo dicit: Neque communicetis operibus infrugiferis, ac tenebrarum, sed magis redarguite. Hæc ille. Ex cuius dictis primò habemus, Episcopos, vt Nouatianorum error confutaretur, constituisse, vt in Ecclesijs essent pœnitentijs præfecti Sacerdotes: non quòd tunc cœperit vel pœnitentia, vel confessorum institutio: sed quòd generaliter statuta sint stipendia ipsis pœnitentiæ præfectis Presbyteris. Sicut nuper in Tridentina Synodo decretum est, vt in quauis Ecclesia sit aliquis Presbyter idoneus qui audiendis confessionibus præsit, & alter qui interpretur sacras literas; quanquam modò pœnitentiarij, & interpretes Scripturarum esse non incipiant. Ex quo etiam compertum euadit, institutum hoc positiuum fuisse, ac proinde à Nectario tolli de medio potuisse: sicut professores ordinarij sacræ Theologiæ possent ab Ecclesia, si expediret, de medio tolli. Quòd autem positiuum illud fuerit, ex eo intelligitur: quod asserit, Nouatianos nec ab initio quidem hanc adiectionem suscepisse: non erat igitur ab ipso Christo instituta, sed ab Ecclesiarum Episcopis. Nec potest aliquo pacto institutio Cōfessionis intelligi: quia confessio ante Nouatianos erat, etsi illi pœnitentię pręfecti Sacerdotes, quorum facta est noua institutio, nō essent in vsu. Habemus secundò ex illa historia, vel literam esse corruptam, vel falsam in aliquo historiam: quia refert, eos, qui Consubstantiale credebant, non admisisse hanc institutionem. Quia enim ij sunt Catholici, si eam non admisissent, Episcopi, qui illam instituerunt, hæretici fuissent, non Catholici: nō esset etiam verum, maiores Nectarij illa vsos esse: quia hi homousion admittebant; ac proinde magis videtur corrupta litera, alioqui sibi ipsi pugnaret Socrates. Tertiò ex eadem historia vsus cōfessionis generalis, ad singularia quæq; ac indiuidua peccata descēdentis elicitur: siquidem refert, quòd singillatim mulier illa nobilis peccata confitebatur, quę fecerat post Baptismū. Quartò, quia Sozomenus, enarrat hunc Presbyterum, qui præerat confessioni, sapiētem virum, & secreti seruantem fuisse, colligimus, illum Sacerdotem confessionem sibi secretò factam reuelasse: vnde & ipse loco pulsus est, populusque noto peccato scandalizatus: vel si confessionem secretā non detexit, illi iniunxit, iuxta consilium Origenis, vt peccatum suum publicē detegeret: quod populus audiens offensus est valdè. Sed Nectarius consilio Eudęmonis acquiescens, Presbyterum audiēdis confessionibus designatum ademit: vsum tamen confessionis secretæ in vniuersum minimè abstulit, quia consuluit ei, vt vnicuiq; permitteret, prout ei sua dictaret conscientia, vt esset particeps Sacramentorum. Quod quidem valdè est aduertēdum: quia ex eo solùm videtur abstulisse confessionē faciendam apud deputatum Sacerdotem; reliquit autē eos eligere Sacerdotes, à quibus Sacramentum Pœnitentiæ suscipere vellent. Pręter dictam solutionem respondent alij, Nectarium confessionem occultam cum pœnitētia secreta minimè abstulisse, sed tantùm publicam pœnitentiam, quæ infligebatur pro peccatis occultis, secretoq; confessis. Nam quòd secreta fuisset confessio, etsi in loco publico, vt hodie fit, constiit superiùs ex Sozomeno, qui dixit, presbyterum illum, qui præerat confessionibus, secretum seruare debuisse. Et hactenùs de Nectario sit dictum. Tertiò producitur Chrysostomus in epistolam ad Hebræos, vbi ita habet: *Persuadeamus nobis peccasse nos, ne hoc sola lingua pronuntiet, sed etiam intima conscientia: nec tantùm nec peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Reuela Domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia,* & quę sequuntur. Idem in Psalmum 50. *Si confunderis alicui dicere, quia peccasti; dicito ea quotidiè in anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret. Dicito Deo, qui curat ea.* Similem habet sentētiam in alijs locis. Respōdemus, quòd cùm Chrysostomus simul cum alijs Catholicis Patribus institutionem confessionis Sacramentalis, non semel, sed pluries, & in varijs locis asseruerit; alij loci, in quibus aliud videtur asserere, ne alijs Patribus, aut sibi ipsi pugnare videatur, commodè interpretari debent. Cùm igitur Chrysostomus insignis esset concionator, ac se aptè accommodaret populo, in quo contingit, vt multi valdè sint infirmi, ita vt nolint se ipsos vincere, maximè eo loco, & tempore, quo præceptum Ecclesiæ positiuum non vigebat, fieri facilè potuit, vt talibus se attemperans, eorumque infirmitati consulens, contentus fuerit ab illis extorquere internam, quæ coram Deo fit, cōfessionem. Quia si illa rectè fieret, homo per eam salubriter compungeretur, ac de peccatis doleret: posteà tamen Spiritu sancto cōfirmatus, etiā sine concionatoris

[Marginal notes: *Ephes. 5.* — Expenditur Socratis testimonium de Nectario Episcopo Constantinopolitano. — *Concil. Trid. sess. 5. c. 2. init.* — *Orig. ho. 2. in Psal. 37. to. 1.* — Altera solutio. — *Sozomenus ubi supra.* — III locus. *Chrysost. hom. 31 ad Hebr. post med. to. 4.* — *Psal. 36.* — *Idem hom. in Psal. 50. circa med. tom. 5. prope finem.* — Cum Chrysostom. atque Patres de confessione sacramentali recte... concedantur, quomodo ... Chrysostomus concionator.]

Alter sensus. natoris opera se ipsum Sacerdoti proderet in confessione. Alter sensus est fortasse probabilior, qui ex historia ipsa pendet: quidam enim olim vel ex peccati odio, vel ex zelo prudentiæ sale parum condito, peccata secreta etiam publicè confitebantur: & quod consilio Sacerdotis id fieret, ex verbis Origenis suprà citatis comprobauimus. Orig. ibidem. Quòd verò etiam ex zelo quodam inordinato idem fieret, apertè ostendit Leo Pontifex in epistola ad vniuersos Episcopos per Campaniam, vbi illum detestatur morem, dicens: *Illam etiam contra Apostolicam regulam, præsumptionem, quam nuper agnoui, à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri, de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta possessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicari, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur; dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta reserare, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Hæc ille, apertè prædictum exprimens abusum. Simili profectò spiritu ductus Chrysostomus, publicam illam peccatorum confessionem dissuadet. Nec obstat, quòd dicat soli Deo fieri confessionem: quia soli Deo fit, quod coram eius ministro peragitur; cùm vicarius cum eo, cuius vices sustinet, numerum nõ faciat, quia vna est potestas, vnum officium, atque vnum tribunal. Quòd si dura videatur alicui hæc expositio, potest etiam tertiò dici: Non tantùm peccata publicabant sua ministris, sed fratribus parùm prudentibus, qui interdum, vt ait Chrysostomus, exprobrabant: quare hoc prohibet sanctus Pater. Et quia id faciebant, vt sese confunderent, ait, quòd quantum ad hunc fructum possunt Deo confiteri in sola conscientia, licèt ad absolutionem obtinendam non neget opus esse Sacerdote. Non ergo dico tibi confitearis homini, qui postea quasi alijs patefactum exprobrare possit; quia non potest exprobari; quod potest negari: potest autem negari quod testibus caret, quia in ore duorum, vel trium stabit omne verbum; non autem quod in ore vnius, qui in persona Domini secretò audiuit. Quod autem Chrysostomus alibi egregiè de confessionis necessitate, & institutione loquatur; lege homiliam 3 operis perfecti in Matthæum, & homil. 10, operis imperfecti (si tamen eius libri autor est Chrysostomus) & in principio Liturgiæ, & libro de Sacerdotio, vbi sic habet: *Multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltrò sibi ipsi persuadeant Sacerdotum curationibus sese submittere oportere: neque id solum, sed vt etiam curationis, ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Et post pauca: *Quocircà multa quidem opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, vt sic dicam, oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere possit.* Quartò, producitur Ambrosius in Lucam ita scribens: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quòd dixerit, inuenio quòd fleuerit. Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Hæc ille. Pro verbo, Satisfactionem, alij habent, Confessionem. Verùm ad hoc promptum est respondere, Petrum cõfessione Sacramentali minimè fuisse iustificatum, sicut nec latronem in cruce, cùm nondum esset instituta confessio: & licèt fuisset, ex priuilegio tamen Christi excellenti præditi potestate; vel vehementi ipsorum dispositione quidam ante ipsum Sacramentum iustificantur, cuius tamen votum in corde habent, vt diximus. Quòd verò Ambrosius agnouerit confessionis, & pœnitentiæ Sacramentum, multis in locis docet. Libro enim de paradiso ait: *Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum antè confessus.* Et in libro exhortationis ad pœnitentiam: *Non solùm post pœnitentiam ab istis (scilicet peccatis) intus homo obseruare se debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est; quia nescit si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata sua.* Producitur quoque ab hæreticis Gratianus, & Magister sententiarum. Gratianus quidem cap. Quamuis plenitudo, distin. 1. de pœnitentia, vbi propositis multis Doctorum testimonijs, an confessio obliget, nec ne, concludit: *Quibus autoritatibus, vel quibus rationum firmamentis vtraque sententia satisfactionis, & confessionis innititur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reseruatur. Vtraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Hæc ille. Nec mirum est, quia in alieno foro versabatur. Secùs frater eius Petrus Lombardus, qui in Quarto illam constituit, vt necessariam, & à Christo mandatam: quanquàm dissoluendo autoritatẽ Ambrosij, quæ loquitur de B. Petro, dixerit, eam illo tempore nondum institutam

Marginal notes: Leo Pap. epist. 80. cap. 2. — Fidelium quorundam illicita præsumptio à Leone damnata, atq; sublata. — Plenitudo fidei quę laudabilis. — De pœni. dist. 1. Quamuis plenitudo. — De pœni. dist. 1. Sufficit pœnitenti. — III. sensus. — Chrysost. ho. 2 in Psal. 50 circa medium. tom. 1. in fine. — Matth. 18. & Deut. 19. — Idem tom. 2. — Idem lib. 2 de Sacerdotio aliquantò ante medium. — IV. locus. Ambr. lib. 10. in Lucam de Petri proditione, &c. to. 5. — Luc. 22. — Idem lib. de Paradiso, c. 14 sub fin. to. 4. sub initiũ. Idem tom. 1. — V. locus. Gratianus. — Petr. Lomb. in 4. dist. 17.

tutam fuisse: ex quo aliqui errantes ansam acceperunt cogitandi, Magistrum negasse confessionem institutam esse à Christo. Quod postremò argumentantur, nullibi extare aliquod vestigium apud Patres de necessitate cõfessionis, apertè halluc nantur, ne dicam mentiuntur; cùm vbique in Scripturis Patrũ manifesta extent pro confessione testimonia, & apud Clementem Primum epistola ad Iacobum fratrem Domini, & libr. de Apostolicis constitutionibus; rursus apud Euaristum: *Presbyteri*, inquit, *de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconcilient, & infirmitates absoluant, & communicent.* Hæc ille. Vides in vsu fuisse tunc confessionem de occultis peccatis, & in vita, & in mortis articulo? Et apud Fabianum epistola ad Orientales, vbi habetur: *Illi verò qui illa peccata perpetrant, de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, valdè cauendi sunt, & ad emendationem, si voluntariè noluerint, compellendi: quia infamiæ maculis sunt aspersi, & in barathrum delabuntur, nisi eis Sacerdotali autoritate subuentum fuerit.* Et Pontianus epistola ad Felicem Suceribonum asserit per Sacerdotes peccata nobis donari, & peccatores Deo reconciliari. Rursus. Eutychianus Papa tractans illud Ioãnis: *Quorum remiseritis peccata*, asserit, peccatores, nisi recõciliati sint per satisfactionem Sacerdotum, ianuam illis cœlestem claudi. Adhæc 21. quæstione 1. Can. Prædicandum est, producitur alius in Canon, qui sic habet: Si quis perpetrato periurio, aut quolibet criminali peccato, timẽs pœnitentiam longam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est. Innocentius quoque Primus ad Decentium: *Cæterùm*, inquit, *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis; ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* Leo epistola ad Marcianum Augustum, & rursus epistola ad vniuersos Episcopos per Campaniam, & rursus ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum egregia profert de confessione testimonia; sicut Vigilius Epistola ad Eutherum, de his qui ab Arrianis iterum baptizantur, & Gregorius multis in locis, sed præcipuè Homelia in S. Paschæ, & in libro Pastoralis curæ. Et vt remissos faciam Pontifices Romanos, quis non ex veteribus Patribus & præclarè sensit, & apertè scripsit de confessione Sacramentali? Legat qui volet aut Dionysium Areopag. epistola ad Demophilum monachum; Tertullianum lib. de pœnitentia; Cyprianum serm. de lapsis, & epistola ad Presbyteros, & Diaconos; Origenem quoque in Psalmum 37. & libr. de principijs; Lactantium, atque Ambrosium in libr. de pœnitentia, & in multis alijs locis; Hilarium in Psal. 118. & 135. & in Matthæum Commentarijs; Hieronymum epistola ad Heliodorũ, & in cap. 12. Oseæ; & in 10. c. Ecclesiastis. Iam verò si Græcos alios Patres volunt consulere, legant Eusebium Cæsariensem libr. Eccles. Histor. quid dicat de Philippo Imperatore, qui nõ est permissus communicare mysterijs ab Episcopo loci, nisi confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret. Historia Tripartita de Dioscoro ita tradit: *Dioscorus quoque non ampliùs centum monachis præsidebat. Qui cùm presbyter esset, sacrificia faciens, omnem perfectionem adhibebat examinando, & diligenter dijudicando accedentes ad sacra mysteria; ita vt expiarent mentem, & mali cuiuspiam conscientiam non haberent.* Videant Basilium in Regulis breuioribus, & in Psalmum 32. ante medium; Gregorium quoque Nazianzenum oratione in sanctum Baptisma, vbi habet: *Quin ne dedigneris tuum prodere peccatum, cùm scias, quemadmodum Ioannes baptizabat, vt confusione præsenti futuram effugere pœnam: quandoquidem & illud pars quædam supplicij, quod ibi est, existit. Ostendensq; pariter quod peccatum odio habueris, cùm illud tanquam contumelia dignum traduxeris, & de eo triumphaueris.* Legat quoque Chrysostomum opere perfecto in Matthæum, vbi habet: *Tempus quidem confessionis æquè & lotis Baptismate, & illotis prosanisq; incumbit: his quidem vt post patentiæ criminum vulnera pœnitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur; illis verò, vt eam, quam post lauacrum cœleste conceperant, maculam diluentes, ac Dominicam mensam munda iam conscientia, securaq; conueniant. Absistamus igitur ab hac fluida, dissolutaq; vita. Nequeunt enim omninò, nequeunt aliquando in vnum, & confessionis lacrymæ, & corporis conuenire voluptas.* Adhæc consulat Cyrillum libr. in Leuiticum: *Est aliquod*, inquit, *in hoc mirabile secretum, quod iubet pronuntiare peccatum. Etenim cuiusuis generis pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus: si quid in occulto egerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accusator peccati est, & incentor. Ipse enim nunc nos vt peccemus instigat, ipse etiam cum peccauerimus, accusat. Si ergo præuentamus eum in hac vita, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri præuenimus, & accusatores efficimur. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris.*

Vltimum argumentum.

De necessitate confessionis quã frequens apud Patres mentio inuenitur.

Romani Pontifices.

Clem I. epist. 1 & lib 2 con stit. Apost.

Euarist Papa

Fabian. epist. 2. paulò post med.

Gal. 5.

Pontiani Pap. epist. 1. paulò ante medium

Eutych. Papa epist. 2. paulò ante mediũ.

Idem.

Innocent. I. epist. 1. c. 7.

Leo epist. 49.

Idem epist 80 cap 2.

Idem epist. 91. in fin

Cap. 3.

D. Greg. hom. 26 in Euang. & 2. & lib. Pastor cura. par. 2 c 5 tom 1.

Veteres Patres.

Dion. Areop. epist. 8. ante med.

Tertullian.

Cypria ser. 5. de lapsis, & lib 3 epist. 14.

Orig. ho. 2. in Psal 37. & lib. 4. Periarchon. cap. 1.

Lactan. lib 4. c 30. in fin & lib 6. cap. 24. ante med.

Ambr. tom.

Hilar. Can. c. 8. in Matth.

Hier. to. 1. in

Græci Patres

Euseb lib 6. Eccles. hist c. 25. tom. 2.

Hist Tripart. lib. 8. cap 1. circa med.

Basil. in Regu Breuio. interrogat. 229. tom 2.

Idem.

Greg Naziã orat. 3. in sanctũ Lauacrũ aliquãto post medium.

Matth. 3.

Chrysost. ho. 10 operis perfecti in Mat. aliquãto post med tom. 2.

Quæ nequeãt vnquã in vnũ conuenire.

Cyril. lib. 3 in Leuitic ante med. tom. 1.

Nequitiam diaboli inimici nostri quomodo præueniamus ad dictum, teste Cyrillo.

Esai. 43.

[illegible]. *Nonne euidenter [illegible]sterium, de quo tra[illegible] [illegible], cùm dicit, Dic tu prior, vt osten[illegible]da[illegible], qua præuenire illum debeas, quia para[illegible]tus est ad accusandum.* Adeat præterea Vi-

Victor lib. 2. hist. Vandal.

ctorem in Historia VVandalica, vbi habetur: *Quantæ & tunc multitudines de diuersis regionibus, & ciuitatibus ad visendos Martyres concurrerint, populorum testantur viæ, & semita agmina visentium nequaquàm capientes per verticem montium concurrentia. Turba fidelium inæstimabilis descendebat cereos manibus gestans, suosq; infantes vestigijs Martyrum proijciens, ita voce clamabat: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronam? qui hos baptizaturi sunt paruulos fonte aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiam? obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia dictum est: Quodcunque ligaueritis super terram, ligatum erit & in cælis: & quodcunque solueritis super terram, solutum erit & in cælis.*

Matth. 18.

Olympiodorus in Iob. 31.

Olimpiodorus quoque docet in illud Iobis: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam: si expaui ad multitudinem nimiam.* Vbi Septuaginta habent: *Si peccans inuitus celaui peccata mea; non enim verebar multitudinem vulgi, ne confiterer coram omnibus.* Quæ ille edisserens, sic habet: *Spontè nihil committebat, sic vita eius perfecta erat. Quia verò fieri non potest, vt homo non incidat in peccata inuitus; pœnitentia, & confessione culpam expiabat suam, nihil veritus illam hominibus confiteri. Itaque rectè factorum nullum testem adhibebat, peccatorum verò omnes adhibebat.* Hæc ille.

Iobi sanctitas, & perfectio vitæ.

Gloss. ordin. Iacob. 5.

Glossa ordinaria super illud Iacobi: *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei: Si ergo infirmi in peccatis sunt, & hoc presbytero confessi perfecto corde reliquerint, & emendare satagerint, dimittuntur eis. Neque enim sine confessione emendationis queunt peccata dimitti.*

Beda tom. 5. Iacob. 5.

Beda in illud Iacobi: *Confitemini alterutrum peccata vestra. In hac autem*, inquit, *sententia illa debet esse discretio, vt quotidiana, leuiaq; peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumq; quotidiana credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter, & quanto tempore iusserit, purificari curemus.*

Leuit. 14. & seq.

Bernard. lib. Medit. cap. 9. prope finem.

Bernardus libro Meditationum: *Sed dicis: Sufficit mihi soli Deo confiteri: quia Sacerdos sine eo à peccatis me absoluere non potest. Ad quod non ego, sed beatus Iacobus respondet, dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra. Conueniens namque valdè est, vt nos, qui peccando contumaces fuimus, pœnitendo supplices Sacerdotibus, & ministris eius simus, vt homo, qui ad gratiam conseruandam mediatore non eguit, tamen eam recuperare non nisi per mediatorem hominem possit.*

Iacob. 5.

Illud Apostoli Iacobi Confitemini alterutrum peccata vestra, rectè expendit Hugo de S. Victore.

Hugo etiam libro de Sacramentis: *Confitemini, inquit Apostolus, alterutrum peccata vestra, &c. Quid est alterutrum? alter alteri, homo homini. Non solum homo Deo, sicut verus ille confessor ait: Dixi, confitebor, &c. sed homini propter Deum. Plus enim facit qui seruo humiliatur propter dominum, quàm qui ipsi domino humiliatur. Propterea confitemini alterutrum peccata vestra. Quid est alterutrum? non tantùm vnusquisque vnicuique; sed alterutrum, hoc est, inter vos homines hominibus, oues pastoribus, subiecti prælatis, hi qui peccata habent, ijs, qui peccata dimittere potestatem habent.* Et infrà: *Quid est confitemini? vt saluemini; hoc est, non saluamini, nisi confiteamini.*

Hugo lib. 2. de Sacr. pa. 14. c. 1. circa med.

Psal. 31.

Iacob. 5.

Aug. epist. 80. circa med. 1. 4.

Denique Augustinus ad Honoratum Episcopum: *An non cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Idem libro quinquaginta Homiliarum, & libro de visitatione infirmorum: *Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, siue dedignantur ostendere se Sacerdotibus; quos tamen inter lepram & lepram discernere constituit Dominus. Sed nolo vt ipsa deceptus opinione, quatenus confunderis confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione: nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem.* Hactenùs Augustinus, qui quidem plerisque alijs in locis eandem affirmat veritatem.

Idem lib. 50. Homil. hom. 47. tom. 10.

Idem lib. 2. de visit. infir. mor. c. 4. to. 9. sub finem.

Deut. 17.

Sed satis iam, bone lector, testimoniorum multitudine te obrui, etsi quorundam tantùm locos assignauerim, non retulerim verba, ne paginas multas in re tam aperta, & multorum scriptorum autoritate euicta implerem. Tantummodò producam duos Canones sessionis 14. Concilij Tridentini, quod omnes has nouitates magno autoritatis suæ pondere iugulat, atque confutat.

Synod. Trid.

Canon igitur 6. sic habet: *Si quis negauerit, confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure diuino, aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum, ana-*

thema sit. Canon 7 est talis: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circunstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantùm esse vtilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim obseruatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle diuinæ misericordiæ ignoscendum; aut demùm non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.* Horum igitur Patrum fidem, ac doctrinæ vestigia consectantes, confessionis Sacramentalis opportuna, & necessaria remedia complectamur: quæ non aliunde virtutem suam nanciscuntur, quàm ab eius meritis, & sanguine, qui pro nobis mortuus est, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto dignus est omni honore, laude, atque cultu per cunctas æternitates. Amen.

TRACTATVS XXI.

In quo fructus, & vtilitates confessionis Sacramentalis enumerantur, propter quas est instituta.

Quibus præceptis Christus præmia soleret adiungere.

CLEMENTISSIMVS Dominus pro sua incomparabili sapientia, ac bonitate, cùm ad actiones arduas & planè heroicas nos inuitat, consueuit amplum, & magnificum præmium proponere, cuius adipiscendi cupiditate allecti, difficilia quæque, ac molesta sustinere non formidemus: hinc ad dilectionem inimicorum inuitans, quòd non ignoraret naturę nostrę permolestam esse, & acerbam, amplam proposuit remunerationem: *Vt sitis,* inquit, *filij Patris vestri, qui in cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Deinde cum Apostolos ad conuicia & maledicta pro se ferenda cohortaretur, multam mercedem in cœlis illis esse repositam demonstrauit. Rursus cùm ad omnia relinquenda propter se consectandum illis suaderet, dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Cùm igitur peccatorum enumeratio apud Sacerdotem perdifficilis existat, & acerbissima, & in ea præstanda vim sibi quisque facere debeat, naturæq; ie suæ

Matth. 5.

Ibidem.

Infra 19.

cupiditates, & propensiones expugnare: profectò nequaquàm dubitandum est, magna, ac pretiosa præmia eiusmodi arduæ actioni, ac sui ipsius victoriæ à Domino fuisse proposita, imò, quæ sua sapientia est, eb illa consequenda instituit confessionem. Porrò hæc præmia nihil aliud sunt, quàm fructus, & vtilitates confessionis, quæ & innumeræ, & incomprehensæ existunt: quibus conspectis facilè quisq; ad tantum remedium amplectendum persuaderi debet. Porrò hi confessionis fructus duplices existunt: & alij quidem generales sunt, alij verò speciales, qui ex quouis pœnitente eliciuntur. Primus igitur fructus sit diuinæ ostensio iustitiæ: quæ vt contraria contrarijs curare valeat, meritò exigit, vt qui superbè, & inuerecundè per peccatum à Deo recessit, secundùm illud Ecclesiastici: *Initium omnis peccati est superbia,* & illud Prophetæ, *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere,* non nisi humilitatem, & verecundiam indutus Deo reconcilietur. At hæc humilitas, & verecundia, maiora coram homine Deum repræsentante existunt: nam humilitas eo maior est, quo homo, coram quo vt vicario Christi humiliatur, minor est ipso Deo: verecundia quoque acrior: quia cùm nos sensibilia magis, quàm spiritalia capiamus, hinc fit vt plus homo erubescat de vulnere vel minimo in Deo accepto, quàm de maiori vulnere casu aliquo inflicto, propterea tantò maior est verecundia, quanto plus erubescimus hominis conspectum quàm Dei inuisibilis. Hoc autem inde proficiscitur, quia nos parte inferiori, hoc est, in carne calidi sumus, viui, ac proinde magis sensibiles: & superiori in parte, hoc est, in spiritu fragili, emortui, ac veluti sensus expertes existimus. Et hæc est illa confusio, de qua Salomon dixit: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducens peccatum est, nolle cōfiteri præ timore, aut verecundia, siue cùm à dicendo, aut faciendo quod ęquitas requirit, pudore retrahimur. At cōfusio adducens gloriam, & gratiā, est voluntaria, & spontanea suorum peccatorum detectio, quæ gloriam apud Deum conciliat, & gratiam eius assequitur. Adde etiam iustitiā Dei exigere, vt qui iniustitiam, ac mendacium peccati amplexus est, & voluptatem in peccato cepit, per cōtraria, hoc est, per nudam confessionem veritatis, perque dolorem, atque tristitiam reuocetur ad sanitatem. Non ignorauit Bernardus hanc rationem, qui libro Meditatio-

Confessionis in genere [illegible] fructus, [illegible] comm[illegible] recensentur.

Primus fructus ab [illegible] tione diuinæ iustitiæ.

Ecclesi. 10.

Ierem. 3.

Vnde verecundia pecca[illegible] in confessione [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Eccli. 4.

Confusio [illegible] duc[illegible] [illegible] [illegible] gloria[illegible] gratiam [illegible] [illegible] quæ sunt.

Bernard. lo[illegible] citato.

ditationum, vt superiùs produximus, illam indicauit. Secundus fructus in exigenda confessione est, ostensio diuinæ sapientiæ, quæ multifariàm in hoc Sacramento apparet, quoniã homo per homines, & per sensibilia facilè reducitur, quemadmodum in alijs Sacramẽtis sensibili aqua, quæ ad corporis sordes eluẽdas adhibetur, spiritalem animæ in Baptismo lotionem indicauit: in pane præterea, ac vino, quibus ali, ac nutriri consueuimus, Eucharistię Sacramentum ad spiritalem animæ alimoniam constituit: Confirmationis verò mysterium vnctione Chrismatis celebrari voluit, quod olim mos esset athletas ad luctam perungi: occurrente quoq; pace ciuili per iudices cum inimicis, reconciliari cum hostibus soliti sumus: ita sanè diuina sapiẽtia internæ conscientiæ paci cum Deo efficiẽdæ, Sacerdotes tanquàm reconciliatores, & pacis mediatores inter se, & homines cõstituit: Vnde Paulus dixit; *Dedit nobis ministerium recõciliationis.* Sunt etiam ordinarij iudices causarum spiritualium inter nos, & Deum constituti, mediciq; spirituales, quia per nobis consueta sanabiles sumus, & ad lucem acceptandam flexibiles: atque ita de gratia Dei certiores reddimur, quia virtutes, quas Theologi infusas vocant, occultè animis nostris illabuntur. Præterea diuinæ fuit artis, ac sapientiæ, vt, quia lingua instrumentum fuit ad peccandum, dum Eua dixit: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur; de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Nam cum excommunicato sermonem habebat, ac de Verbi Dei fide dubitauit, dum inquit, Ne fortè moriamur. Deinde actu lingua gustando de ligno vetito consummatum est peccatum, & confirmatum, cum se excusauit, ac dixit: *Serpens decepit me*: sapientiæ Dei consonum fuit, vt lingua fieret instrumentum salutis: vt ita lingua quæ fuerat vniuersitas iniquitatis, vt testatur frater Domini, fit etiam organum remissionis omnium delictorum, de qua Spiritus sanctus ait: *Lingua placabilis, lignum vitæ.* Nullã siquidem lingua magis placat Deum, quàm quæ accusat peccata sua coram Christi Vicario propter gratiam Dei promerendam. Ac quemadmodum Ecclesia canit: Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: ita quoq; idem de lingua cani possit: Qui salutem humani generis in lingua hominis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in lingua vincebat, in lingua quoque vinceretur. Sed hoc non virtute ipsius linguæ, aut opera, sed per Christum Dominũ nostrum. Præterea sapientia diuina est, quę hominem in salute animarum procurãda seruire facit, & quæ ita sociabilem continet, facitq; ad maius meritum sine experimento credere, confunditq; dęmones per externa signa, faciq; totum hominem atque adeò externa omnia sibi deseruire.

Secundus fructus à diuinæ sapientiæ argumento.

2. Cor. 5.

De diuina gratia quomodo certiores reddamur.

Genes. 3.

Ibidem.

Prou. 15. Lingua quæ magis Deum placet.

Proprium Diuinæ sapientiæ.

Tertius, & maximus fructus, demonstratio est diuinæ misericordiæ, quæ ita humiliato homini nouit parcere: atque in ea re legi naturæ fauere voluit, vt synderesis ipsa testatur. Nos enim rei, ac testes efficimur in causa peccati, imò etiam aduocati iuris rigorem exaggerando; denique iudices ac tortores, ad nos loco Dei damnandum, atque pro Christo torquendum, vt videmus in Niniuitis. Sed quoniam suspecti essemus in propria causa sententiam pronunciantes, tùm ob innatum ad nos ipsos amoris affectum, tùm ob ignorationem facti, iurisq;. multi siquidem putant non esse peccatum, quod est, vel esse quod non est, vt in his qui scrupulis laborant, fit manifestum: propterea datus est Sacerdos, qui cõfessionibus audiendis præsit, & qui leprã à lepra distinguere norit, & qui tanquàm iudex assistens Christi loco, ad rei absolutionem, & iustificationem spectat: quemadmodum iudex ciuilis postquàm delictum est cõfessum à reo, mortem intendit. Quamobrem Sacerdos, qui peccatorum ad se accedentium mortem spectat, dum illis non prudẽter medetur, Ægyptius est infantem natum in profluentem aquam proijciens ad interitum, non obstetrix accipiens ad vitã: & est veluti draco, qui stetit ante mulierẽ, vt puerum in lucem editũ deuoraret. Nec absimilis est volenti serpentem hominem circumdantem, ac cingẽtem lapidibus petere: nam vt lapides dum in serpẽtem proijcit, hominem ipsum lapidat; ad eum modum imperitus Sacerdos, vt peccata quasi serpẽte necem machinatur, interiorem hominem, ac nouum suffocat, & à benefactis remouet. Adhæc diuinæ clementiæ opus est, vt, quia secundus Domini aduentus imminet, in quo districtum erit, ac seuerũ de causis peccatorum iudicium, præcederet hoc particulare iudicium ante Sacerdotem pietatis, ac benignitatis plenissimum, de quo Apostolus: *Si nosmetipsos dijudicaremus; non vtique iudicaremur.* Quarta confessionis vtilitas est, diuinæ virtutis atq; potentiæ argumẽtum, quæ ita tangit peccatorem, atq; compungit, vt sese ipsum prodat, ac de peccatis seipsum incuset apud Sacerdotem: apparet

Tertius fructus cõfessionis.

Ionæ 3.

Sacerdos pœnitentem à se reijciens ad interitum, cui merito comparetur.

Apoc. 12.

Opus Diuinæ clementiæ.

1. Cor. 11.

IV. fructus.

paret etiam potestas Dei ita humiliantis, & curantis, vt nō substantiæ doloris, aut operi Sacerdotis remissio peccatorum tribuatur, sed diuinæ gratiæ & misericordiæ pacto. Quanquàm gratia dolores huiusmodi, & bonum naturæ motum in peccatum nequaquam tollat, quin potiùs eos perficiat, atque viuificet: nam eis tanquàm administris passio Christi vti voluit. Etenim si hominis actiones gratia Dei non viuificarentur, hominis reparatio, atq; instauratio non constaret. Quinta confessionis commoditas, singulare gaudium est Angelorum, atque Sāctorum Dei. Est enim Domini vox: *Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Sanctos quoq; de nostra conuersione lętari, & perfecta eorū charitas, qua nos vt fratres nō tantùm in natura, sed etiā in Christi gratiā diligunt, indicat; & quia non sine nobis eorum gloria, & beatitudo est consummanda, vt testatur Apostolus. Gaudio igitur perfunduntur siue sancti Angeli de gloria in primis, quæ à peccatore conuerso Deo redditur, de ouē perdita recuperata, drachmaq; inuenta, de laboribus custodiæ suæ non amissis, vt agricola de satis, cùm nascuntur, delectatur, de precibus suis efficacibus, & apud Deum exauditis, de Ecclesia per accessionem membrorū viuorum aucta, & locupletata, de spe auctionis cōciuium suorum, & conseruorum augenda in cœlo, de cōfusione, ac dolorē cacodæmonum, quorū præda eramus prius: his enim omnibus rationibus amplam illi lętitię segetem præparant, qui cōuertuntur ad Deum peccatores. Sextum confessionis bonū, gaudium est Ecclesiæ exultantis de contristatione filiorum ad pœnitentiam, & cùm dolore parientis, & cùm peperit, doloris oblitæ sui propter gaudium, quia natus est homo in mundum: *Filioli mei*, inquit Apostolus, *quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis*: & Dilectus: *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Gaudet præterea Ecclesia Dei de spiritali filiorum suorum, quos tanquàm mortuos lacrymis prosequebatur ad funus, resurrectione: quemadmodum vidua illa, cuius filium adolescentem, qui ad sepulturam efferebatur, Christi beneficio suscitatum, de filij resurrectione gauisa est. Deniq; magnam concipit lætitiam, quòd frumenta, in quibus cęleste impleatur horreum, illa habeat, quare operarios, & messem albam expectat. Est enim Ecclesia pręsens instar domus cuiusdam probationis, in qua qui probè est exercitatus, cœlestisq; vitæ edidit argumēta, ad professionem admittitur. Septimum emolumentum est, pastorum vtilitas, ac delectatio; vt videlicet hac ratione pecoris sui vultum agnoscant, scientiamq; addiscant gubernandi, ouesq; pascendi, atque earum moribus cōuādi. Siquidem auditis populi sui confessionibus eruditur contra quæ peccata prædicando clamare debeat, quę maximè doctrina populo sit instillanda, pro quibus potissimùm delictis sacrificium sit sibi offerendum, aut ad Deum fundédæ preces, aut quibus peccatis diligētia sua sit sibi obuiam eundum. Ita enim bonus redditur pastor, dum non tantùm sibi à proprijs cauet delictis, sed & ab alienis: quæ dum non præuenit, si potest, aut facta iusta non plectit vindicta, efficit sua: vt propterea deprecandum sibi sit cum Dauide: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce seruo tuo.* Octauò, seruit delictorum confessio ad dæmonum confusionem, qui per hypocritas, & hæreticos externa omnia Ecclesiæ Sacramenta irrident, & vilipendunt: idque eo faciunt consilio, vt regnum suum prorogetur, & amplificetur, in quo tamen suis, & à se inuentis vtuntur cæremonijs, quia norunt illis populos sibi subditos detineri. Quare laborant, vt hæc sancta salutis remedia, & antidota, quæ Sacramentis cōtinentur, deserat populus Christianus, vt vnio, & pax Ecclesiæ dissoluatur, ac populus dilabatur, ac deficiat ad eos. Postremò, confert mirificè ad temporaria Reipublicæ bona: nam si rectè, vt fieri debet, fiat, & perit, ac prudentes Sacerdotes sint, qui huic muneri diligenter insistant, per confessionem damna illata resarciuntur, futuraque multa vitantur odia, acerbitatesque animorum exinguuntur, paxque inter patrem & filium, virum & vxorem, seruos ac dominos, ac fratres quoscunque, ac proximos inter se dissidentes conciliatur, atque conseruatur: nec enim Deus quenquam ad recōciliationem secum admittit, nisi prius cū proximo inierit concordiā, matrimonia mul:a malè sarta aut dissoluūtur, aut vt cōstent, legitimeq; sint, datur opera; concubinatus, & adulteria tolluntur; vsuræ perplexæ, atq; palliatæ deteguntur, ac prohibentur; falsa pondera, & mensurę remouentur; malè ablata fama, quā fieri potest optimo modo restituitur; libri hæretici, ac prohibiti exuruntur; famosi libelli arcentur; minores in victu, & vestitu atque familia pompæ persuadentur; eleemosynæ largiores inducuntur; frequentatio Sacramentorum persuadetur; precationis quotidianæ studium, conscientiæque examinatio tanquàm

V. fructus.

Luc. 15.

Hebr. 11.

Luc. 15. & seq.

VI. vtilitas confessionis. 2. Cor. 7.

Ioan. 16.

Gal. 4.

Luc 7

Ioan 4.

Cui rei similis videri possit Ecclesia præsens.

VII. vtilitas. Prouer. 27

Pastorum officium Ecclesiasticorum.

Psal. 18.

VIII. vtilitas

Postrema vtilitas.

Deus ad recōciliationem à cum quo admittat tantummodò.

q[illegible] res [illegible] ista, & ad vitam Christiano homine dignam ducendam consulitur. Demùm in cultum Dei, ac religionem conferunt sunt in regnis scientiarum perceptio, & peritia rei militaris, ac bonorum fortunæ opulentia; hinc Hæretici, qui inter se dissident, eguerunt; & esurierunt, vt cum Propheta loquar; *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Et hæc mihi dicta sint de generalibus confessionis fructibus.

Isa. 33.

Fructus confessionis peculiares exponuntur. I. fructus.

Iam verò speciales, quas percipiunt pœnitentes quilibet, percurrendi sunt. Quorum primus, est remissio peccati, quod infinitam exigit satisfactionem, quia in Deũ tendit infinitum, & voluntate humana infinito tempore in peccato permanendi cõmittitur; cùm nemo per seipsum à crimine semel perpetrato exurgere valeat. Est etiam peccatum, in Nouo præsertim Testamento, infinitũ Christi sanguinem conculcare, atque infinito Spiritui gratiæ contumeliam facere: & tale peccatum est, vt vellet Deum non esse Deum, qui solus illud non diligit, & propter quod solùm dæmones ac peccatores homines odio habet. Vellet etiam, Deum aut carere sapientia, ne illud cernat; aut potentia, ne illud punire valeat. Hic autem fructus exprimitur in illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* & rursus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Etsi autem contritio peccata remittat ante confessionem, illi tamen hoc accidit: quemadmodùm & interdum cõtingit iustificatio ante baptismum, etsi Baptismus ad originale peccatum extinguendum sit institutus. Contritio tamen in voto habet Sacramentum siue Baptismi, siue Pœnitentiæ: quod mirificè indicauit illud, quòd leprosi missi ad Sacerdotes, dũ irent, mundati sunt. Si quis ergo obijciat, peccata deleri attritione, siue contritione; huic respondemus, attritionem per se infirmam existere sine Sacramento sibi coniuncto ad gratiam reconciliationis; at contritio per se solida est, vt remittat delicta. Sed talis vera contritio, votum concipit Sacramenti, vt diximus. Neque tamen mirum esse debet, si confessio exigatur necessariò, quod superius declarauimus. Verùm vt mirari desinas, aduerte, aliam esse medicinam, quæ ad vermes conficiendos, qui in ventriculo delitescunt, adhibetur, aliam verò, quæ ad extinctos vermes expellendos donatur. Non equidem dissimilis est ratio contritionis, & attritionis. Hic autem fructus præstantissimus est nobis,

Hebr. 10.

Ioan. 20.
1. Ioan. 1.

Per contritionem quatenus peccata remittantur.
Luc. 17.

Quantum bonum sit peccati remissio.

& incomprehensibilis, [illegible] nos, [illegible] dignitate nostra parum faciamus: nouerunt tamen beati illi spiritus, ac cœlites: qui si ad nos descenderent è cœlo, illisque suaderes, vt hoc, aut illud peccatum admitterent, magno & confidenti animo responderent tibi: Egone illum offendam, qui suprema est maiestas, qui infinita sapientia est præditus, qui summa bonitate, atque perfectione cumulatus existit? Mille potius acerbissimæ mortis genera sustinebo, quàm vt in tantum numen delinquam. Agnouerunt prætereà quàm pretiosa sit remissio peccatorum damnati, & ad gehennæ supplicia detrusi, quorum confessio si reciperetur ad salutem, quid non illi facerent, quas nõ profunderent lacrymas, quas voces criminum suorum testatrices nõ ederent, quàm apertè detegerent sua scelera, quas pœnitentiæ satisfactiones à Sacerdote non acceptarent? Si igitur vis tibi dimitti peccata, ad Sacerdotem tuum accedito: dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris: quandiu enim ferrum est in vulnere, insanabilis est corporis plaga, ita profectò dum peccatum in conscientia delitescit. Quamdiu apostema ex parte interiori corporis rumpitur, certum vitæ imminet periculum: si verò ab exteriori parte ruptura contingat, salutis spes non mediocris concipitur. Secunda virtus confessionis est remissio pœnæ non tantùm temporalis venialium, & leuium delictorum, sed etiam æternæ pœnæ, quę lethalibus debebatur: pars etiam nonnulla pœnæ temporariæ, in quam commutata est æterna, tùm ob verecundiæ molestiam, atque contritionem, tùm ob claues Ecclesiæ, quibus se pœnitens subdit, tùm ob satisfactionem à Sacerdote impositam remitti consueuit. Porrò hic effectus ingens est, & captũ nostrum excedit. Si, verbi gratia, filius tuus capite esset plectendus, aut flammis Publicè exurendus ob scelus paulò ante à se perpetratum, Princeps autem pro sua clementia statueret, ac diceret; Dabo veniam tibi, modò flagitium tuum meo cubiculario, qui à secretis est, apertè detegas, quis non obuijs vlnis amplecteretur cõditionem? Si ergo tanta præstaremus pro morte temporali euitanda, quã conditionem pro æterna morte fugienda, aut igni illo perẽni gehennæ euadẽdo detrectare debemus? Neque dubium est, eum, qui cùm iustus esset, catechumenus tamẽ ante susceptum obijt baptismum, siue contritus ante absolutionem Sacerdotis nõ omnimodam pœnam temporalẽ euadere, quã baptizatus omninò extingueret, atq; suscepto Sacramento Pœ-

Esai. 43.

II. fructus.

Quales confessarij sint.

tu Pœnitentię minori pœnę reatui esset, obnoxius. Quia Sacramenta actu suscepta maiorem vim extinguendi pœnā habent, quàm animo suscepta: quoniam præter illam gratiam, quæ respondet meritis, virtutique operantis, additur illa, quæ est ex vi Sacramenti, atque vocari solet à Theologis, ex opere operato. Tertius fructus, aliquo modo diuersus à primo, est infusio gratiæ, ac donorum Spiritus sancti. Condis etenim nostri domus tota illustratur aperta fenestra confessionis, ac pœnitens dicere potest: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*: aperiendo enim os ad nos ipsos coram Deo, & eius vicario accusandos, Spiritum sanctum nobis conciliamus. Nam, vt ait Propheta: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Hanc autem gratię Dei infusionem multa testantur. Et in primis, quia hoc est Sacramentum nouæ legis, ergo institutum ad gratiam conferendam. Deinde, quia per hoc Sacramentum quærimus remissionem peccati, quę sine gratia minimè potest conferri. Idem quoq; docet Patrum traditio. Nam Cyprianus epistola ad Cornelium, & Augustinus lib. de vera & falsa pœnitentia, & lib. de Visitatione infirmorum, prope fin. gratiam inferri insinuant; sicut Cōcilium Carthaginense IIII. & Leo Papa epist. ad Theodorum Foroiuliensem, vbi agunt de his, qui infirmitate oppressi, dum Sacerdotem expectant, linguæ vsum amittunt, nec possunt ita vt desiderabant, confessionem facere. Non tantùm autem gratia, sed etiam virtutes quandoque maiores quàm antea conferuntur: quemadmodùm quandoque loco rupturæ vestis apponitur pretiosa gemma, & Apostolis cruce Domini dispersis, atque offensis, datus est Paracletus eos corroborans. Quartò, præstat confessio lumen, & doctrinam ex priuata Sacerdotis instructione: Qui si prudentia præditus sit, pœnitentem de necessarijs ad salutem instituit; de turpitudine peccati, vnde eius detestatio oritur; de bonitate Dei, ac clementia, ex qua fiducia gignitur; de pulchritudine gratiæ diuinæ; vnde desiderium eius concipitur; de iustitiæ seueritate, ex quo timor salutaris proficiscitur; de seculi huius vanitate, vnde mundi contemptus; de modo orandi, de ratione fugiendi peccata, de via seruandi, & augendi virtutes. Denique non sine causâ illuminatus est cæcus natus: quoniā in Sacramento pœnitenti suscipiendo illuminatur pœnitens: & non tantùm aperiuntur oculi, vt videat suam nuditatem, sed vt cernat stolam primam, calceos, & annulum, quibus decoratur in reditu suo cum filio iuniori à cœlesti parente. Quintò, peculiarem adfert consolationem confessio ob ablatum onus peccati, quod tanquam plumbi talentum, vt ait Zacharias, premebat conscientiam peccatoris. Hanc sarcinā peccati sentiebat ille, qui dicebat: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Peccatorum igitur nostrorum onera intolerabilia ex imbecillibus humeris nostris in humeros Christi fortissimos, per absolutionem transferuntur, hinc quies paxque conscientiæ. Non secus, atque ille, qui venenato cibo, siue pernicioso in stomacho retento ad vomitū prouocatur, in quo mira vertigine capitis, & stomachi molestia laborat, verùm vbi illum euomuerit, maximè lætatur, caputque, atque stomachus dicta molestia subleuatur. Ita sanè confitenti peccata accidit: nam ibi datur Paracletus, qui consolator est optimus, quique dulcis hospes animæ, dulceq; refrigerium appellatur. Nam vt infirmo post acceptum pharmacum optimus, delicatusq; cibus porrigitur; ita nobis Spiritus sanctus à Christo infunditur, incipitq; sanato palato sapere cibus. Deniq; vt filijs Israël egredientibus de Ægypto, & farina deficiente: datum est manna de cœlo: ita dum deserimus peccatum, atq; eius delectatione amplius nō capimur, diuina porrigitur refectio, tanquam manna de cœlo. Sextus fructus minimè sanè contemnendus est, quòd in confessione omnes Christianas exercemus virtutes: Fidem, de absolutione, quam præstat Sacerdos; Spem, de assequenda remissione delictorum; Charitatem, Christum tanti beneficij autorem diligendo, & ministrum tanquam proximum, qui eius loco veniā, & remissionem impertit; Humilatem, ita se coram Deo, & homine propter Deum humiliando, & accusando; Patientiam in ferēdis Sacerdotis obiurgationibus, reprehensionisque acrimonia, qua pro tempore vti debuit. Quanquam sunt plures ita delicati, vt ne minimum quidem verbum sustinere queant: rursus sunt sacerdotes adeò pusillanimes, vt præ timiditate ne hiscere quidem audeant. Iustitiam, dando cuique quod suum est: sibi quidem culpam adscribentes, Deo autem clementiam, & condonandi virtutem, Sacerdoti verò verecundiam, & humilitatem: Prudentiam quoque ibi exercent, dum animum suum honestis verbis denudant, & in futurum cautiùs agere proponunt. Fortitudinem, seipsos abnegando, atq; vincendo, seque potiùs ipsos accusando, quàm excu-

Marginalia (left): II. fructus. — Psal. 118. — Esai 66. — Pœnitentiæ Sacramentum gratiam conferre ostenditur traditione. — Patres. Cyprian lib 1 epist ep. 3. Augu. lib. de vera & falsa pœnit. cap. 10. to. 4. circa fi. Idem lib 2. de visit. infirm. c. 7. tom 9. Cōc Carthagin IV. ca. 76. Leo Papa epist 91. — Simile. — IV fructus confessionis. — Ioan. 9. Cæci nati ad piscinam illuminatio quid adumbrauerit. — Luc. 15.

Marginalia (right): V. Fructus. — Zachar 5. — Psalm. 37 — Simile. — Effectus Spiritus sancti. — Exod. 16. — VI. fructus confessionis. — Munus Iustitiæ.

excusando; Obedientiam, dum Deo, & Ecclesiæ indicenti confessionem parent, monitisq; Sacerdotis, atque impositis satisfactionibus obsequuntur; Deniq; virtutum omniũ chorus in vsu huius Sacramenti colitur, atque exercetur, omnibusq; nostris tùm animi, tùm corporis viribus, hoc est, intellectu, affectu, lingua, totoque corpore humiliato vtimur ad nostram sanctificationem. Septimò, vtilis inuenitur confessio ad prauorum habituum, ac dispositionum abolitionem, quas in anima efficit peccatum. Nam quemadmodum morbus discedens relinquit debilitatem quandam, languoremque virium, & post vulnus sanatum manet cicatrix, & vasculũ aceto effuso quod seruarat diu, retinet tamen eius odorem: ad eum modum peccata recedentia debilitatem quandam spiritus tanquam cicatricem, ac quendam pristini peccati odorem relinquunt, quæ & ad peccatum nouum solicitant, virtutumque officia, aut impediunt, aut retardant: sed illæ omnes prauæ propensiones magna ex parte abolentur, vel ob violentiam nostram, qua illis occurrimus, & ob gratiæ Dei balsamum, quo vulneris delentur vestigia: sedantur quoque tentationes vel Satanæ, vel carnis. quia ad ingressum Christi in animam, tanquam in nauim, venti, & mare, hoc est, dæmones, & caro procellosa tranquillantur, sedanturque: ligantur quoque dæmonum vires, eorumque technæ, atque insidiæ deteguntur, qui maximè dolent, dum eorum arcana consilia à pœnitente apud Sacerdotem deteguntur. Ex hac autem prauarum cupiditatum mitigatione, ac tẽtationum imminutione, sequitur mentis ad diuina eleuatio, fortitudoq; in via Dei progrediendi. Postremus confessionis fructus apertio cœlestis regni est, per peccatum pœnamq; olim clausi. Hinc confessi, & absoluti ad mensam paternam Eucharistiæ admittũtur; quemadmodùm iunior filius rediens ex regione longinqua post amplexus & oscula parentis, conuiuio vituli saginati exceptus est. Quia enim peccator aperuit Deo cor suum, Deus vicissim illi regnum suum aperit: vnde Sacerdotes habent claues regni cœlorum ad aperiendum, & claudendum, ita vt quicquid ligauerint, vel soluerint super terram, sit ratum, atque firmum in cœlo. Etsi autem præcepto Ecclesiæ nonnisi semel in anno confiteri debeamus, iure autem diuino teneamur ad confessionem edendam, quoties in periculum mortis incidimus, aut cùm Eucharistiam sumpturi sumus: salutare tamen, ac fructuosum est, confessionem frequentare, ad quam inprimis frequentationem vrgent vtilitates, & fructus prædicti. Nam quoties ad illam accedimus, toties huiusmodi fructus colligimus, aut augemus collectos. Vrget deinde eius institutio: nam vt quædam Sacramenta iterari nequeunt, nec nisi semel percipiuntur, ita præter alia Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteria repetuntur, vt intelligamus, eorum vtilitates pluries nobis esse carpendas. Et qui Petro edixit, vt non tantùm septies, sed etiam septuagies septies remitteret, satis indicauit, vt ipse tanquam Christi vicarius semper esset paratus vt accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, quotiescunque illud adirent, veniam largiretur. Tertiò, idem persuadet experientia melioris, & sanctioris vitæ. Nam qui octauo quoque die, aut singulis mensibus vtuntur confessione, & purius viuunt, & cautius peccata euitant, & ad officia, honestasque actiones promptiores, & ardentiores existunt, verbum Dei suauius degustant, Eucharistiæ mensam magis frequentant: vt potest quis experimento discere, si componat eos, qui semel in anno, aut rarò confessione vtuntur, cum illis qui frequenter ad eam accedunt; aut conferas tempus Quadragesimæ cum reliqua anni parte: nam in illa rariora ac leuiora admittuntur delicta, cùm reliquo tempore & grauius peccetur, & frequentiùs. Quartò, accedit memoriæ imbecillitas: quia cùm vix eorum quæ heri, aut nudius tertius gessimus, recordari valeamus ob minus tenacem memoriam, ac firmam; qui confessionem in annum differunt, minùs integrè, atque fideliter confitentur, quòd nonnulla maioris ponderis delicta, aut multæ, quæ peccatum aggrauant, circumstantiæ animo effluant, atq; excidant, nisi quis magna diligentia ephemeridas scribendo, & peccata singula notando, memoriæ suæ succurrat: quod sanè etsi sit laudabile, nõn est tamen adeò tutum, atque ipsa crebra confessio. Quintò, assiduum confessionis studium, facilitatem examinandi seipsum, & explorandi conscientiam suam generat. Estque cum ratione coniunctum, vt qui quotidie vestes, aut calceos à sordibus mundamus, nec libenter vel pilum in veste patimur, qui aliorum oculos offendere queat, tantò maiorem diligentiam adhibeamus, vt animam, quam Deus & Angeli intuentur, ab immunditijs quas contrahit, expurgemus, ne sordes neglectæ grauius oculos offendant Dei, maiusq; proinde nobis iudicium accersamus. Sextò, iuuat crebra confessio ad seueriorem agendam vitam: nam

Margin notes: VII. vtilitas. — Quales effectus peccatorum, etiã recedentium sint. — Fructus postremus confessionis. — *Luc. 15. & seq.* — *Matth. 16.* — Quàm vtile sit frequens confessionis studium. — I. ratio. — II. ratio. — Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteria cur sæpius repetantur. — *Matth. 18.* — III. ratio. — Confessionem qui frequentant, commoda quæ & vtilitates consequantur. — IV. Ratio. — V. Ratio. — VI. Ratio.

cùm

[illegible] incerta sit hora mortis, eiusque ratio, locus, & status cogitationem, opinionemque nostram prorsus excedant, ad arcenda omnia pericula, timores, atque scrupulos, conducibilius nihil, aut salutarius adferre possumus ipsa confessione, per quam lumbi nostri sunt præcincti, & lucernas ardentes gestamus in manibus, atque hominibus similes reddimur expectantibus dominum suum, donec reuertatur à nuptijs. Quare fatuum est cõfessionem diu differre, ne instante mortis periculo cõfessio tua potius extorta, quàm spontanea videatur. Et stultum in finem Quadragesimæ confessionem differre, qui potest illã præstare in principio, ne videlicet laborum, quos ieiunio tot hebdomadarum, & auditui verbi Dei, ac bonis illius temporis operibus impendit, iacturam faciat. Dum enim bonis operibus incumbit, qui necdum peccato purificatus est, fructum meriti, ac veræ satisfactionis apud Deum amittit. Istique agunt præpostere, dum manus lauant à cibo, quas ante illum debebant abluere; aut dum vineam ipso vindemiæ tempore putant, cùm tamen antea putanda esset. Septimò, cùm criminum confessio speculum quoddam sit, in quo potest homo faciem animæ suæ interiorem aspicere; profectò crebriori confitendi studio maiorem sui ipsius notitiam consequitur, quemadmodùm ille, qui frequentius in speculo intuetur vultum suum, perspicaciorem, ac firmiorem apprehendit cognitionem. Proinde illud decantatum Apollinis oraculũ: Γνῶθι σεαυτόν, *Nosce teipsum*, nulli magis assequuntur, quàm qui studium confessionis exercent. Octauò, confert & ad maiorem de virtutibus, & vitijs perceptionem, quam de singulis à diligenti, & perito sacerdote indies accipit: impetratque ab eo, quem in patrem spiritualem accepit: precatores, intercessoresque apud Deum. Quo beneficio ille caret, qui nonnisi semel, aut rarò in anno ad occurrentem sibi quemcunque & ignotum Sacerdotem suã exonerat conscientiam: quia non ita conciliatur amor, voluntasq; suffragandi ad ignotum quemlibet sibi pœnitentem, atq; ad eum, quem à multo tempore notum habet, & compertum. Ad extremum, nulla virorũ, aut mulierum probè instituta religio annua confessione contenta est, sua quæq; mandata habet crebrius confitendi, ac communicãdi: quod animaduerterint boni illi Patres religionum institutores, nihil esse actius, efficaciusque, siue ad vitia declinanda, siue ad progressus in virtutibus faciẽdos, quam hanc ipsam Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ seriam, ac diligentem frequentationem. Quare ridẽdi prorsus sunt, aut potius commiserationis affectu suscipiendi, qui assiduo accedentibus ad Sacramenta, aut scrupulos ingerunt, aut ab accessu densiore impediunt, aut retardant: nam plerumq; videas eos, qui Sacramentis rarò, aut semel tantùm in anno vtuntur, opera dæmonis inimicitias gerere cum ijs, qui ea frequentant, ne aut vitæ sanctioris illorum splendore obruantur, aut ne se minori in pretio haberi existimare valeant. Sunt quoq; Sacerdotes, qui ministrandi Sacramenta laborem detrectantes, sectas, simultatesq; inter crebrius, aut rarius confitentes, aut nutriunt, aut fouent: qui quàm grauiter Deum offendant, & quàm perniciosè in hominibus Spiritum Dei extinguant, nemo est tam rudis, atque imperitus, qui non videat. Hortandi mihi quoq; sunt hoc loco fideles omnes, in quorũ manus libri nostri inciderint, vt generalem quandoq; confessionem amplectãtur. Voco autem generalem confessionem, non eam tantùm, quam præmittimus in Missæ sacrificio, sed eam, qua quisque totius vitæ suæ rationem, omniaq; peccata, præsertim grauia, atque mortifera à tempore quo vsus rationis accessit, committere valuit, quoad memoria suppeditauerit, apud Sacerdotem exponit, atque enarrat. Porrò hanc confitendi rationem etsi minimè ad salutem necessariam, aut ab Ecclesia præceptam, commendabilem reddunt commoda, atq; emolumenta quæ illã consequuntur amplissima. Nam in primis nemo dubitauerit, de ijsdem omninò peccatis salubriter absolutionem accipi posse, siue ab eodem, siue à diuersis Sacerdotibus pronuntiatam. Cùm igitur absolutio beneficium diuinæ gratiæ secum adferat, quò crebrius illius simus participes; eò maiorem diuinæ gratiæ portionem consequimur. Deinde etsi satis sit ad salutem ea tantùm exponere Sacerdoti, quæ ab vltima confessione facta perpetrauimus: fructuosum tamen est, cuncta simpliciter percensere, quæ memoriæ occurrunt: & ita si fortè in anteactis confessionibus nostris aliquid, aut per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per malitiam omissum fuit, ciusmodi defectus per generalem confessionem suppleantur: qui maximus est fructus, cùm adolescentes præ timore, & pudore nonnulla, quæ necessariò erant dicenda, supprimere cõsueuerint. Adde, quod temporis progressu homines maiori Dei lumine præditi, multa videant adiungenda esse illis, quorum olim non satis plenam confessionem

Marginalia (left): Luc 12. — Quo in errore versentur, qui rarius, quam par est, ad confessionem accedunt. — VII. ratio. — Sui notitiam qui melius assequantur. — VIII. ratio. — IX. ratio, ac postrema.

Marginalia (right): In eos, qui frequentia Sacramentorum vsu exteros reuocare [illegible] dent. — Aduersus Sacerdotes, qui cum ipsi confitendi, ac communicandi laborem effugiant, inter eos qui sæpius [illegible] confitentur, discordias [illegible]. — Fidelibus interdum non [illegible] generalem salutare consilium est. — Hæc generaliter confitendi ratio quæ [illegible] præstat vtilitates. — I. commodũ. — I[I]. commodum.

III. commodum.

nem fecerunt. His accedit, quòd homines interdum particularibus confessionibus non tam magnum detestationis odium in peccata concipiunt, quantum vbi omnia vitæ suæ crimina ante oculos posita cernunt: nam & maiori illa odio, atq; copiosioribus lacrymis prosequuntur, ac sibi ipsis succensent grauius fortiusque sanctioris vitæ propositum induunt, ac denique maiora satisfactionis remedia, vt illa valeant diluere, amplectuntur, vt possint dicere cum Ezechia Rege: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Esai. 38.

IV. commodum.

Quartò, plerunque agnitis totius vitæ præteritæ delictis, pœnitentes arctiorem aliquam vitæ rationem Domino inspirante, in aliqua probata religione, siue in eremo, siue in pauperum, & infirmorum Xenodochio suscipiunt, vt ibi vitæ anteactæ agant pœnitentiam, aut proximo propter Christum seruitutem aliquam spiritualem, aut temporalem impendant.

V. commodū, seu incitamentum.

Quintò, hanc ad generalem confessionem tanquam salutiferam, magnisque commoditatibus refertam cohortantur Doctores, nonnullæque rectè institutę religiones ab ijs, qui eas profiteri deliberant, illam exigunt: quod profectò minimè facerent, nisi intelligerent, quantùm boni in ea præstanda delitescat.

Assiduum confitendi studiū quàm coluerit B. Franciscus.

Certè si memoria me non fallit, B. Franciscus pluries in anno generaliter confiteri solitus erat, quotidie verò de leuioribus delictis ad confessionem accedebat non semel: cuius exemplum imitatos esse quosdam religiosos, & graues viros, non me fugit.

Ignatius à Loiola, Societatis Iesu primarius institutor, & autor, qua vna ratione maxime socios sibi comparauerit, atque asciuerit ad obsequium Dei.

Illud tamen apertè hoc loco proferam; felicis recordationis patrem nostrum Ignatium à Loiola, primarium nostræ Societatis institutorem, eximia sanctitate virum insigniq; prudentia ornatum, nulla re magis socios in consortium suum sibi asciuisse, eosque à mundi fluctibus, quibus iactabantur, in tranquillum suæ religionis portum euocasse, quàm crebra ista, atque assidua Sacramentorum susceptione, pijsque quibusdam, ac sanctæ vitæ spiritalibus exercitijs ad confessionem generalem, ac meditandæ vitæ Christi rationem, precationisq; studium accommodatis. Hoc crebro confitendi, atque Eucharistię communicandi instituto, generalesque interdum instituendi confessiones, & ipse est vsus, & suo exemplo, ac verbo omnibus suis alumnis, ac filijs edixit, atque commendauit. Quod dum sui reipsa præstare conantur, in hanc magnitudinem, quanta nunc est, ex minimis initijs Deo fauente euasit.

Societas Iesu si quid vel in seipsa, vel in proximis proficit, id totum assiduo confitendi, & communicandi studio acceptum fert.

Neque alijs fortioribus armis, aut præsidijs potioribus Societas Iesu fructum aliquem spiritualem, vbicunque illa existat, apud proximos edit, quàm diligenti hac Sacramentorum vsus persuasione, atq; hortatu: suntq;, si verum fateri volumus, omnia nostræ ferè Societatis bona, quæ in se ipsa, & in alijs profert, fructus illorum seminum, quos vir ille sanctissimus, ac religiosissimus seminauit. Dei siquidem Spiritus, qui illum huius Sodalitatis institutorem, ac veluti plantatorem in Ecclesiam misit, ac destinauit, præuidebat, insurgentibus Lutheri, & Caluini hæresibus, nullum remedium magis opportunum, ac præsens ad extinguēdum illud incendium adferri posse, quàm hanc ipsam crebræ confessionis, & communionis frequentationem, quò illorum hæreses, quæ in euertendis hisce duobus Sacramentis magna ex parte nituntur, conuellerentur funditùs, atque labefactarentur. Benedictus Deus, qui pro sua admirabili sapientia nouit opportunos, & commodos operarios pro temporis ratione mittere in vineam suam, quo Ecclesiam à vitijs expurgarent, ab hæresibus propugnarent, & ad sancta Christi mandata opere explenda, verbo, vitæque exemplo cohortarentur: quæ omnia vni potissimùm Iesu Christo Dei Filio, ac mundi redemptori sunt accepta ferenda, cui cum Patre, & Spiritu sancto laudes concinendæ sunt immortales, omnis gloria deferēda, honor reddendus ab omni creatura, Amen.

TRACTATVS XXII.

In quo de ratione salubri, & cum fructu instituendi Confessionem, disseritur.

POSTQVAM præcedenti tractatu vtilem, atque omnifariam frugiferam esse confessionem ostendimus, elaborandum est, vt illam integrè, ac perfecto modo, quantum humana fert fragilitas, faciamus: nec enim satis est bonum, & iustum opus edere, nisi iustè, & rectè faciamus, iuxta illud: *Iuste quod iustum est, persequeris*, & Dominns in Euangelio: *Attendite ne iustitiā vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Deut. 16 Matth. 6.

Confessionis ineundæ ratio duplex.

Duplicem autem modū attingemus, quo rectè confessio fieri queat. Alterum in verbis illis Dauidis præscriptum: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*; alterum verò ex ratione intellectus, voluntatis, linguæ, atque corporis desumptum: atque in vtroque certas conditiones, ac leges tenendas in confessione præscribemus. Psal. 31.

I. modus.

Qùa in re volumus, vt quemadmodùm plures Li. 9. tract. 41

rectè,

rectè, ac cum fructu communicandi formulas tradidimus, ita plures confitendi regulas (quę tamen omnes ad idem tendũt,) proponeremus, vt quisque qua velit, pro suo arbitrio vti possit. In verbis igitur Dauidis, septem, aut octo cõditiones totidem penè verbis respondentes, ac in illis inclusas reserabimus. Prima igitur conditio est, vt sit præmeditata: id enim significat primum verbum, *Dixi*, id est, proposui, siue deliberaui, vt prodigus ille, de quo ait Lucas: *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccaui in cœlum, & coram te, &c.* Vides propositum cõceptum pronuntiandi peccatum, & accusandi coram patre suo? Oratores cùm ad calcem perueniunt orationis, vtuntur hoc verbo, *Dixi*, quæ scilicet præmeditatus accessi ad dicendum. Nam si Principem allocuturus, serio prius cogitas apud te quid, & quomodo, & quibus verbis orationem tuam proponas, quantò magis rationi est consonum, vt seriam, ac diligentem operam ponas in re tanti momenti? Sapientia siquidē de se scripsit: Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. Quis enim mercator rationem dati, & accepti redditurus, non prius apud se cogitat quid acceperit à domino suo, aut quantum compendij, dispendij ve fecerit, cautèque agit, ne in reddenda ratione fallatur? Hæc igitur præmeditatio includit secùm seriam malefactorum omnium cogitationem, ac eorum detestationem, & odium. Secunda conditio in verbo illo includitur, *Confitebor*; id est, ore simul, & corde fatebor, neque os, vt hypocritæ faciunt, dissentiet à corde, non fingendo, aut dissimulando, aut promittendo quam minimè cogitat emendationem: qualis fuit illa Pharaonis, qui simulata mente dicebat: *Peccaui etiam nunc: Dominus iustus; & ego, & populus meus impij.* Deinde, confitebor, cùm sit primæ personæ; vt intelligat pœnitens, quod ipse se ipsum debet prodere, neque hunc laborem Sacerdoti exhibere, vt mille artibus, ac studijs exculpat à te peccatum, & peccatorum numerum, & veluti forcipe quadam quod latet in animo vitium, extrahat, vt videatur confessio tua non spontanea, & voluntaria, verùm extorta, ac coacta, qualis solet esse latronum, ac maleficorum hominum, quorum per quæstiones confessio elicitur; qualis fuit illa Achan in lib. Iosue. Cogitur interdum Sacerdos, vt in labyrinthum cordis tui sinuosi sine errore ingredi possit, ad interficiendum peccati Minotaurum, longius filum ducere, quàm Theseus olim indiguerit, quò se ab ea extricaret. Præterea confiteri cùm sit nihil aliud, quam apertè, & clarè fateri; fugiat pœnitens omnia verborum inuolucra, & integumenta: nihil dissimulet eorum, quæ nouit: & vbi res est certa, non dicat, Forsitan feci: & vbi constat de certo numero, minimè dicat, Interdum feci. Vocem demissam studiosè non affectet, ita vt à Sacerdote aut minimè, aut vix percipiatur: quia hoc est linire parietem, quem deberemus fodere cum Ezechiele, cùm dixit Dominus: *Fode parietem, & inuenies thesaurum.* Ita autem studeat claritati, vt meminerit honestatis: ita breuitati incumbat, vt nequaquam obscurus fiat: ita amplectatur verecundiam, vt à debita peccati expressione non impediatur. Tertia conditio, in verbo illo, *Aduersum me*, delitescit. Significat autem confessionem sui ipsius fore accusatoriam debere, ac criminis detestatricem sui: nam proptereà reus, & accusator, ac testis, in vnam personam incurrunt, vt qui deliquit, pro ratione culpæ illam aggrauet. Nam quò magis damnamus nos ipsos, eò plus Deus non defendit, ac pro excusatis habet. Hac accusatione aduersum se vsus est Publicanus, & filius iunior è longinqua regione rediens; & vt ait Salomon, Iustus prior est accusator sui. Idem fecit Dauid, vt hoc verbo indicauit, Iobque ille patientissimus, qui aiebat: Ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei; confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Verùm mirabilis est filiorum Adæ deprauata natura, & ad quærendas excusationes ingeniosa. Quam probè agnouit Dauid, cùm dixit: *Ne declines cor meum in verba malitiæ; ad excusandas excusationes in peccatis*: ac Iob: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam*: & Ieremias: *Nemo quod bonum est, loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens; Quid feci?* Neque ergò iactanda sunt peccata quasi benefacta, neq; prædicanda, vt illi, qui peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt; neq; excusanda, aut imminuenda, eorum culpam reijciendo in alterum, nimirùm aut in Deum, quemadmodùm Adam fecit, cùm inquit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: quem imitantur qui temerè dicunt: Deus me tali temperatura effinxit, vt essem ad iracundiam pronus, vel ad luxuriam propensus, vel ad honores ambiendos incitatus. Alij verò crimen suum in stellas reijciunt, vt interdum audeant dicere; Saturnus me pigrum, ac inuidum fecit;

Ex verbis Dauidis illis: Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, confitendi conditiones septem eliciuntur.
I conditio.
Luc. 15.
Duplex exemplum.
Prouerb 8.
II. conditio.
Exod 9.
Iosue. 7.
Egregia similitudo.
Confiteri proprie quid ...
Ezech. 8.
III. conditio.
Luc. 18.
Supra 15.
Prou. 18.
Iob 7.
Psal. 140.
Iob 31.
Ierem 8.
Genes 3.
Adamum excusationis parentem qui confitentur.
Planetarum proprietates quidam

fecit; furem, ac raptorem Mercurius; Mars homicidam; Venus adulterum; Iupiter gloriæ, ac dignitatis appetentem: Luna inconstantem; Sol cupidum vindictæ: cùm tamen sapienter sit dictum:

Sapiens dominabitur astris.

Astra in homines quatenus possint.

Quandoquidem etsi illa inclinare queant, illis tamen occurrere possumus per liberũ arbitrium, sed maximè per diuinæ gratiæ subsidium. Sunt qui etiam prauam societatem incusent, per eam se asserentes, cuiusmodi sunt qui ludis incumbunt, & fœminæ, quæ à viris, vel viri, qui à fœminis in flagitium pelliciuntur, aut parentes, qui filiarum corpora secreto prostituunt, aut qui ad hæreses amplectendas declinant: tales enim vt plurimùm alienis fraudibus seducuntur. Sunt rursus, qui carnis fragilitatem, vel peccandi consuetudinem pro imminuendo suo delicto adferant, dicentes, Ita consueui facere, haud potest aliter fieri: ignorantes turpitudinem suam, eò magis exaggerare, ac propterea minus se dignos venia ostendere. Verùm isti dulciter veniunt admonendi à Sacerdote, atque erudiendi, carnis imbecillitatem nobis imputandam, qui eius motus cùm potuerimus reprimere, nostro vitio non repressimus: habitumq; peccandi, ac consuetudinem vitiosam, ac periculosam existere: & ad eam expugnandam quasi cõtra hostem capitalem vim nobis ipsis esse inferendam, vt ita mali habitus destruantur. Sunt denique qui vbi cętera desint, bonum animum, ac propositum in peccando se habuisse obtendant. Verùm instituendi sunt isti, atque admonendi, non esse facienda mala, vt veniant bona: quia eorum qui sic loquuntur, iusta est damnatio, vt ait Apostolus. Accurrunt quoque alij ad eorum, qui peius faciunt, exempla, & autoritates: Si ego, inquit, deliqui: deterius multò agũt tales religiosi viri, aut Sacerdotes, aut pastores. Sed hoc est aliorum potius, quam sua confiteri peccata. Hi autem docendi, vt relictis alijs, se solos, ac suam voluntatem accusent grauiter, neque confugiant ad inania ficus folia, quò suam tegant nuditatem, id est, ad vanas, mendacesque verborum excusationes: quemadmodùm primi nostri parentes non solùm sine fructu, verùm magno suo cum detrimento fecerunt. Quarta in illo verbo, *Iniustitiam*, continetur conditio. Sit ergo confessio tua de vitijs, non de virtutibus, nisi interrogatus à Sacerdote aliquid laudabile quod præstiteris in vita, cogaris dicere: Medicinæ siquidem non ad bonos, verùm ad malos expellendos assumuntur humores. Neque rursus quæuis leuiora delicta apperienda sunt, sed ea, quæ iniustitiæ exprimuntur nomine, id est, maiora, & grauiora peccata. Sunt enim quidam, qui de minoribus soliciti delictis, grauiora supprimunt silentio, aut parua longa oratione explicant: at enormia, & fœdiora, vix vnico expediunt verbo, quod sanè ad hypocrisin spectare videtur. Cernere quippè licet multos illis non absimiles, de quibus Christus dicebat: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Possunt tamen post enumerata lethalia scelera, adiungi venialia quæ dicuntur delicta: imò debent etiam adiungi, quando incertum nobis est lethifera ne sint, an venialia. Quinta, in verbo, *Meam*, proditur conditio. Debet siquidem confessio de proprijs, non alienis institui criminibus. Soletque dominus culpam in seruum transferre, ac contrà, atque coniux accusare maritum, demùm religiosus prælatum. Quisque dicat, quod ad se pertinet. Imprudentiæ est eo loco de alijs verba facere, nisi vbi opus est, ac tunc quidem suppressis personis, quarum opera, hortatuque peccatum est. Vnusquisque, ait Apostolus, onus suum portabit. Animaduertat quid quisque in suæ confessionis principio dixerit: Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ter enim suam se culpam protestatur dicturum, neq; alterum quàm seipsum accusaturum. Sexta cõfessionis lex in verbo, *Domino*, comprehenditur: debet enim cum reuerentia, & humilitate, non secùs, ac si Dominus Deus assisteret ipse, coram Sacerdote confessionem facere eius vicario. Propterea nihil illi, qui nouit cuncta, celandum: dic cum rubore, omni abiecta impudentia: noli extollere oculos in faciem Sacerdotis, verùm illorum depressione verecundiam prode exemplo Publicani illius Euangelici, qui non audebat præ pudore oculos eleuare in cœlum; sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Alioquin confessio tua non esset aliena ab illa Pharisæi, dicentis: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Quem imitantur proculdubiò, qui rogati à Sacerdote num aliquod perpetrarint delictum, quasi iniuria graui essent affecti, respondent, Absit: longè ego ab alijs dissimilis existo, Pater noli tale quicquam de me cogitare, qui virtuti ac bonis operibus incumbo. Hæc, & similia verba nonnihil su-

Rom. 3.

Gen. 3.

IV conditio bonæ confessionis.

Matt. 23.

V. conditio.

Galat. 6.

VI. conditio.

Luc. 18.

Ibid.

perbiæ ſpirant: iſtos expediret docere, vt humilioribus vtantur verbis, ac prudenter reſpondeant, dicentes; Pater, Dei gratia in hoc peccatum non incidi: noui quòd ſi Deus non ſuppoſuiſſet manum ſuam, vtique hæc, & deteriora peccaſſem. Hæc eſt ratio confitendi Domino.

VII. & poſtrema conditio.

Poſtremam regulam ſeruandam in confeſſione, indicat illud verbum: *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Debet etenim cum fiducia, ac certa veniæ peccati ſpe, quantum ad vim ſpectat Sacramenti, criminum fieri pronuntiatio. Nemo ergo cogitet cum Cain impio: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear:* Erigendi oculi ſunt in infinitam Dei miſericordiam, & pretioſum ſanguinem CHRISTI, ac promiſſiones eius, vt ita confeſſio noſtra aſſequatur optatam veniam. Neq; Iudam imitemur, qui poſtquam illam edidit confeſſionem: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum*, ad laqueum, quo ſe præfocaret, deſperatione fractus accurrit. Et hactenus de ratione confitendi in verbis deſcripta Dauidis nobis ſit dictum.

Gen. 4.

Matt. 27.

Alter modus confeſſionis inſtituendæ ex parte intellectus.

Iam aliam viam ſpeculatiuam magis, neque tamen minus vtilem ingrediamur. Vt igitur rectam, ac ſanam cõfeſſionis methodum conſectemur, tria video eſſe ſeruanda in illis verbis ex parte intellectus, totidem ex parte voluntatis: tria alia ratione linguæ, ac totidem ratione operis. In intellectu igitur primum debet adeſſe fides, qua credamus, Deum in ſanguine Chriſti pactum feciſſe de remittendis omnibus peccatis confeſſis per abſolutionem Sacerdotis. Notum eſt autem, atq; exploratum, quòd in omnibus fictè accedentibus eiuſmodi fides affulgeat: alioqui non eſſet cur ad Sacramentum accederent, niſi hoc viua fide apprehenderent. Hinc veteres Patres, atque recentes, dum de pœnitentia ad fideles habent ſermonem (infideles ſiquidem ad hoc Sacramentum non accedunt) non admodum de fide loquuntur, ſed ad dolorem, ac deteſtationem adferendam peccati, ſicut olim Prophetæ faciebant, maximè cohortantur: at Chriſtus, eiuſque Apoſtoli de fide quidem rarò, atque increpando, de pœnitentia verò, & dilectione, ac præceptorum cuſtodia multa tradunt, quemadmodùm Dominus, in ſermone quem in cœna habuit ad diſcipulos ſuos indicauit. Ita Petrus Apoſtolorum Princeps ad Simonem Magum dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Paulus quoque ſcribens ad Corinthios, pœnitentiæ magis de peccatis, quàm fidei verbum inculcat: *Timeo*, inquit, *ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quã geſſerunt.* Ioannes quoq; in Apocalypſi frequenter hortatur ad pœnitentiam: Habeo, inquit, aduerſum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sic itaque Apoſtoli cum fidelibus in peccatum prolapſis agebant. At verò cùm fides oſtium ſit Chriſtianæ religionis, tempuſq; immineret tunc iaciendi eius fundamenta, ſæpè vt infideles ad Chriſtum pertraherent, multa de fide, & eius laudibus prædicabant, vt ita ad credẽdum allicerent: at noui noſtri ſeculi magiſtri tantummodo de ea ſemper, atque vbique, & cum omni hominum gradu dæmone eos agente loquuntur. Quod eo faciunt conſilio, primùm, quia omnes hoc modo ſe ſanctos publicanos in hypocriſi mutari nominis faciunt; cùm potiùs ſuperbi ſint, aliorumque accuſatores, vt Phariſæus, vt ex Publicano peccata habeant, at ex Phariſæo ſuperbo cæterorum contemptum, & accuſationem. Verùm hæretici blaſphemant, dum hanc quam prædicant fidem, ſolam ſufficere ad ſalutem exiſtimant, eaq; non poſſe præſtare Dei præcepta, & omnes æqualis eſſe ſanctitatis inter ſe autumant. Sed mirum eſt, quòd alios præ ſe ipſis deſpiciant: incredibile, quòd arbor infructuoſa irrideat fructiferam, & ſterilis mulier fœcundam: eodem prorſus modo Hæreticus Catholicũ deridet. Habent Hęretici fidem, vt ipſi aiunt, ſed per quã ſuum Chriſtum concipiunt, verùm pariunt nunquam, cùm fruct⁹ bonorum operum, quibus verus Chriſtus in lucem editur, nunquam edant. At Catholici minimè contẽti Chriſti conceptione, eum per virtutum officia proferre conantur. Deinde illudunt miſeras animas hæretici, dum eas adſtringunt ad credendum, promiſſiones Chriſti eſſe abſolutas, tantumque ad credentes pertinere. Sed vt illi conditionem fidei agnouerunt, ita Eccleſia fidei, & bonorum operum pacta ad promiſſiones illas accipiendas, ex ipſis Scripturæ verbis deprehenderunt: Vt, *Si vis ad vitam ingredi: ſerua mandata*: & rurſus, *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur:* alioqui fidei ipſi manifeſtè ſubeſſet falſum. Tertiò tradunt, nos adſtringi ad nouos à ſe ipſis conditos articulos credendos; cùm tamen ſacroſancta Generalium Conciliorum autoritas

Actor. 8.

2. Cor. 12.

Apoc. 2.

Quare Apoſtoli de fide frequentem ſermonem haberent.

Hæretici noſtri ſeculi [illegible] cur tantopere extollant, ac prædicent. Luc. 18.

Hæretici qualem fidem habeant.

Catholicorum fides qualis.

Matt. 19. Rom. 8.

Aduerſus articulos hæreticorum quoſdam fidei quos nominant.

tas nullius sit ponderis apud eos. Dices; Qui sunt hi articuli? Respondeo; Primus est, credere se esse prędestinatum. Ad quod si omnes arctarentur, iuxta eorum sententiam, maxima pars cogeretur ad credendum mendacium, vel lex Euangelica ad prædestinatos spectaret tantùm: reprobi verò quia sine lege essent, præuaricando Euangelica mandata, minimè peccarēt. Stat ergo, credere aliquem, se in numero prædestinatorum esse, vt ostendit ille Pharisæus, & virgines stultæ, & prophetans in nomine Iesu, ac dæmonia eijciens, & ingressus ad conuiuium sine veste nuptiali, & tamen inter reprobos censeri. Nam tales sunt omnes nostri seculi hæretici, qui sibi regnum cœlorum minimè dubitant aperiendum. Fieri etiam potest, vt aliqui ad tempus se reprobos existiment, aut propter tentationum molestiam, aut propter quosdam lapsus ex infirmitate contractos, aut quidem propter scrupulos, magnamque mentis vacillationem; qui tamen ex numero sunt electorum. Deniq; plures inuenire licet, qui de sua prædestinatione per totam vitam nec assentiant, nec dissentiāt, vt faciunt omnes verè pij, qui salutis suæ negotium in Dei bonitatem iactantes, nihil de se ipsis cogitant, cùm reuelationem peculiarem, aut nouum spiritum ad id agēdum non habeant, cùm nesciat homo, vtrùm amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruentur incerta. Ideò Paulus tantus Christi Apostolus se ipsum timebat, cùm diceret: *Ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Secundus articulus nouus est, quod homo certus esse debeat de præsenti gratia Dei: quod si omnes crederent, multi fallerentur, cùm plerique iniusti se pro iustis habeant, secundùm illud: *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Tertius, quòd credens se absolutum, verè est absolutus, etiamsi minimè sit contritus, aut non seriò, sed ioco absoluat sacerdos, vt dixit Lutherus. In quam manifestè sententiam Scriptura, & Ecclesia militant, cùm Dominus dixerit: *Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.* Audis, præter fidem requiri pœnitentiam? de qua, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis: Age pœnitentiam, & prima opera fac.* De timore testatur Salomon: *Qui sine timore est, non poterit iustificari*: de dilectione: *Qui non diligit, manet in morte*: de Sacramento Baptismi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*: Pœnitentiæ: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Præter fidem ergo multa alia ad peccati

Luc 18. Matt. 25. Sap. 7. Infr. 22.

Eccl 9.

1.Cor. 9.

Secundus articulus.

Prouer 16.

Tertius articulus à Luthero additus.

Marc. 1.

Luc. 13. Apoc. 2.

Eccl 1. Ioann. 3. Ioann. 3.

Infr 20.

remissionem necessaria sunt. Præterea fides falsa, id est, quæ nititur promissioni falsæ de danda iustitia fidei soli, minimè profectò absoluit, nisi tantùm sit falsæ virtuti præmium propositum apud Deum. Adhæc quandoque credit quis se absolui, & tamen Sacerdos non absoluit, vt testatur Cyprianus. Multis rursus scrupulis agitati, cùm absoluuntur, non credunt se absolui, quemadmodum nōnulli, quorum preces exauditæ sunt apud Deum, nihil tamen existimant se impetrasse. Et hactenus de prima intellectus cōditione sit dictum. Secunda dispositio sit intima peccatorum cognitio, quæ conscientiæ explorationem consequitur: inter quæ mortifera primò sunt confitenda crimina, & venialia, de quibus dubitamus, grauiane existant, an parua, venialiaque omnia, ad quæ præsertim natura nostra propendemus: sed hæc ex consilio, vtiliter tamen, & non necessariò Sacerdoti detegimus. Iuuat autem hæc mentis exploratio, atque discussio, non quidem, vt doceamus Deum, quemadmodùm nec in peccandi studio, sęd in eius reuerentiam, pro rei, quam tractamus, magnitudine, seriò agamus: *Quoniam Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Tertia conditio sit prudentia, quæ primùm in deligendo docto, ac bono Sacerdote consistit. Nam si vel in leui corporis morbo non nisi præstantiorem quæris medicum, & in causa, vbi plerunque de modicis fortunæ bonis controuersia agitatur, non nisi excellentiorem consulis aduocatum: quantò magis in conscientiæ causa non nisi idoneos, ac sapientes viros quærere debemus, ne pluris facere videamur bona fortunæ caduca, aut carnis perituræ incolumitatem, quàm æternam animæ immortalis salutem. Hinc Origenes in Psalmum 37. ad quærendum Sapientem, ac peritum animæ medicum adhortatur: multùm enim refert, in cuius medici manus quisque incidat. Etenim sunt quidam, qui mortificant animas, quæ viuere debebant: & viuificant eas, quæ morte erant dignæ. Sunt etiam qui viginti lucro infami intentos, viginti quinque, aut triginta expediunt vna hora, superficie tenus oues tondentes suas. Deinde adsit prudentia, vt quę ad rem tantùm faciunt, id est, peccata, non autem opera bona recenseat. Nam vt scissio venæ ad putridum sanguinem, non autem ad bonum emittendum adhibetur, ita confessionis cuspide, atque contritionis vena otis inciditur, vt sanguis peccati, de quo

Fides falsa quænam illa.

Cyprian. li. 4. ep. 2.

Secunda dispositio ad confessionem peccatorum.

Sap. 1.

Tertia conditio.

Orig. hom. 2. in Psal. 37. tom. 1.

Ezech. 13.

Qualis peccati confessio.

Psalm. 50. Propheta: *Libera me de sanguinibus*, profluat. Tertiò non desit prudentia, quæ efficit ne cor sit in lingua, sed potiùs lingua sit in corde, de quo Salomon: *Lingua sapientis in corde eius, & cor stulti in lingua eius.* *Eccl. 5.* Stultus siquidem in lingua gestat cor suum ad proferendum detractoria, fucata, obscura, decurtata, humana prorsus, atque curiosa, & quæ ad rem minimè faciunt. Prodest etiam eiusmodi prudentia ad vitandam stultam verecundiam, quæ est tanquam frænum dæmonis retinens maturum partum peccati, nos impediens à veneni vomitu. Est enim eiusmodi imprudens pudor, tanquam equus vmbrosus, qui cùm præcipitium non timeat, ad leuissimas contremiscit vmbras foliorum, victosque delictorum hostes, contritioneque extinctos in vitam reuocat:

Quęnam stulta verecundia, & quid pariat, eadem qualis sit.

Prima dispositio confessionis ex parte voluntatis. Iam ex parte voluntatis prima dispositio sit intimus doloris, ac tristitiæ sensus, quo sine peccati remissio constare haud potest. Hic autem imperfectus est, si tantùm ex consideratione pœnarum, atque amore solùm proprio proficiscitur, vt in Iuda, Cain, & Esau, atque in damnatis existit, de quibus liber Sapientiæ: *Sapient. 5.* *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Bonus rursus est, si ex fide, & timore iustitiæ Dei vel solo, vel etiam cum nostri amore coniuncto (quippe equidem nos ipsos iure naturæ debemus diligere) peculiari Dei munere prodeat. Atque hic dolor etsi per se sit imperfectus, in Sacramento tamen coniunctus remissionem efficit peccatorum. At est alius dolor ex gratia Dei, & charitate profectus, atq; perfectus, qui contritio dicitur, atque hic peccatum valet per se ante Sacramentum tollere: secùs prior, qui dicitur attritio. Quare rectè dictum est à sacris Theologis, attritum virtute Sacramenti posse fieri contritum, quemadmodùm puer in virum potest euadere, aut frigidus effici calidus: sed attritio nunquam potest fieri contritio, sicut nec pueritia virilis ætas, aut frigus calor effici potest. Repugnat siquidem, dolorem simul esse imperfectum, atque perfectum, quamuis minimè repugnet, eum, qui imperfectè detestabatur peccatū, accedente noua Dei gratia, & liberi arbitrij conatu, perfectum de illo odium, & detestationem concipere. Porrò hic dolor cùm in voluntate rationali existat, non potest esse extremus, nec immoderatus, siquidē in hoc actu potissimum situs est, vt seriò quis nolit peccasse, vel velit non peccasse: at dolor cùm in sensitiua parte existat, pati excessum potest, ac nisi rationis imperio reprimatur,

Quomodò quis ex attrito fiat contritus, secundum Theologos.

potest interdum hominem ad interitum perducere, vt quibusdam accidisse legim⁹. quia spiritus tristis exiccat ossa: *Prou. 17.* & Paulus ad Corinthios rationem vult haberi eius, *2. Cor. 2.* qui pœnitētiam agebat, & rogat eos vt blādè, & cum charitate cum eo agant, ne abūdantiori tristitia absorbeatur. Semper autē eiusmodi contritio & fuit, & est, & erit ad remissionem gratis consequendam, & æternam pœnam tollendam, atq; temporariam imminuēdam necessaria; impossibile est siquidē hominem nouam vitam inchoare, quin eum pœniteat veteris, neq; potest placere virtus, nisi priùs vitium displiceat, sicut ille insinuauit, qui dixit:

Virtus est vitium fugere: & sapientia prima Stultitia caruisse. *Horat. ...*

Neque plantari hortus bonis & fructiferis arbustis, nisi priùs infructiferis, & noxijs eradicatis. Estque contritionis virtus tanquàm gladius quidam penetrans cor hominis, vt profluat sanguis peccati, ac dolore afficiens cor dæmonis, ac Dei cor mitigans, & ad remissionem inflectens, secundùm illud: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*: *Cant. 4.* impetratq; à Deo dona, quibus se aptum reddat ad recipiendam veniam gratuitam Dei. Est siquidem magnus peccati casus, quo è manu Dei in aculeum peccati in manu dæmonis existentem prolabitur peccator: vnde exire non datur, nec se reparare valet, sicut nec se potuit creare; quemadmodùm nec lampas extincta accendi iterum per se ipsam valet; neque post mortem animam in corpus suum introducere potest quisquam, id tamen in solam diuinam cadit potentiam. Potest quidem peccator Deo excitante, tanquam infirmus expetere sanitatem, aut ad illam assequendam se disponere; non tamen pœnitebit, vt debet, nisi Dei adsit misericordia, cuius pœnitentia donum est, de qua Apostolus de quibusdam peccatoribus ait: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*: *2. Tim. 2.* & Ieremias: *Ierem. 31.* *Castigasti me, Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Cernis vt Propheta omnes fructus conuersioni Domini tribuat. Dicitur ergo pœnitentia conuersio, quia peccator vertit dorsum Deo cœli, faciem autē ad terrena, & inferna, dextra habet pro sinistris, externa pro internis: at verò cum ad Deum reuertitur, vultum ad Deum, cę-

Virtus ... contritionis & eius effectus.

Pœnitentia cur dicatur conuersio.

lestia-

lestiaque conuertit, dorsum verò ad terrena, seculi bona despicit, temnit externa omnia, præque Dei gratia vniuersas mundi prosperitates contemnit. Differunt autem gratia præueniens cum attritione, & gratia subsequens cum contritione, vt mollificatio ceræ ad sigilli impressionem, atque extersio speculi ad formationem imaginis in eo, vt cultura terræ ad fructum, vt vulnus ad interitum, vt deniq; calefactio ad combustionem.

Gratia præueniens cum attritione, & gratia subsequens cum contritione, quomodo differant.

Secunda dispositio annexa contritioni, firmum est amplius non peccandi propositum, vt languido ad piscinam, & adulteræ dixit: *Iam amplius noli peccare.* Et, *Ecce*, inquit, *noua facio omnia*: alioqui Dei misericordia inanis esset, & Christi passio inefficax redderetur, & gratia. Quemadmodùm enim is, qui intulit iniuriam, peteret veniam, si propositum eum offendendi ampliùs non haberet? Et quando verè hic animus adest bonus, libéter quæ offeruntur remedia, acceptantur, vt frequentatio Sacramétorum, status honesti dilectio, bonorum virorum societas: pœnitentia siquidem sicut Ianus est biceps: facie vna respicit peccata præterita, contra quæ rendit contritio, altera respicit futura, ne iterum peccet, ne deteriùs sibi quid contingat, aut ne nouissima eius fiant peiora prioribus. Hinc Augustinus veram pœnitentiam esse pronuntiauit, pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Nec lege vlla tenetur Sacerdos à pœnitente exigere promissionem, vbi non est proximi præiudicium; ne fortè liget, quem debet absoluere. Neque rursus petendum est Sacerdoti à pœnitente, an credat, quòd sit in peccata relapsurus, an non: quia absolutio imponenda est nō iuxta ea, quæ futura sunt, & possunt accidere, sed tantùm iuxta præsentem animum, & voluntatem firmam non peccandi, nō iuxta eius opinionem, aut iudicium de futuris: quia cùm nostrum iudicium diuino debeat conformari, Deus verò omnium temporum differentias notas habeat, ac perspectas, illeque remittat propter bonam voluntatem præsentem, ita & nos dum clauibus vtimur, animum tātùm præsentem spectare debemus. Quòd si quis dicat se non satis dolere de peccato, velle tamen, ac desiderare iustum concipere dolorem: illud desiderium pro legitimo ac idoneo contritionis signo recipiendum est, vt etiam Deus recipit, illudque fert sibi acceptum, quando id quod possumus, præstamus: ita enim aiebat Propheta: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Tertia voluntatis dispositio, spes est veniæ, quæ in eo, qui dolet, aut dolere desiderat de peccato, necessariò requiritur. Extant autem multa eius in nobis concipiendæ incitamenta: tùm misericordia Dei magna, quæ de nihilo omnia condidit, & nobis minimè petentibus Filium dedit, & quæ indigniorem misericordia sua præuenit: quantò magis nobis petentibus, & nostræ saluti cooperantibus, misericordiam præstabit, quæ tanta præstitit, ne saluaret inuitus. Tum Dei veritas & constātia in promissis: *Fidelis autē Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis*: & Dilectus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Quòd si hæc tibi parum firma videntur promissa, audi cum quanta verborum emphasi per Prophetam tuam contendat excitare fiduciam: *Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Accedit Dei immensa potestas, quæ hoc etsi magnum est, efficiet: quia fecit iam expēsas in Christi sanguine, & ad id instituit mite, ac benignum confessionis tribunal: maioremque Dei potestatem arguit, hostes suos humiliare, vt ipsi de se ipsis propter Deum sumant pœnas, quàm per alios aut hic, aut in gehenna punire. Adhæc Christi humanitas in cœlo interpellat pro nobis, & Angeli, atque beati omnes causam nostram apud Deum precibus agunt: adde etiam totam Ecclesiam militantem lacrymis, ac votis filios suos mortuos deplorantem, ad eosque à morte ad vitam reuocandos excitantem. Denique vel tyrannus humiliatum exaudiret, necdum benignissima illa diuinitatis natura, quæ tota est ad clementiam, & lenitatem erga nos exhibendam propensa. Præterea natura ipsa humana pretiosa est, & multa ei munera, magnique momenti Deus credidit, & in illius gratiam sanguinem suum dispensauit: quæ peculiariter dilecta est à Deo, atque possessa propter Verbi Dei cum ea vnionem. Item quæ à peccato Deo odioso, dæmoni verò grato grauissimè inficitur, atque inquinatur. Gaudet etiam Deus metere de peccato quod non seminauit, & pro sua sapientia ex spinis colligere vuas, & ex tribulis ficus. Denique iustitia Dei magis amat pœnitentiæ punitionem, quàm illam gehennæ: quia hæc liberè per se sumpta Dei iustitiam adiuuat, seque ipsam emendat, ac corrigit, fitque pœnitens Dei aduocatus eius causam promouens, ac miles contra Dei hostes, hoc est, peccata pugnans, vt cordis Deo tradat possessionem: certè contra hunc militem nec sæuiret ty-

Secunda dispositio.

Ioann. 5. Infr. 8. Apoc. 21.

Amplius non peccandi propositum quæ iuuent, atque confirment.

Ioan. 5. Aug. libr. de Eccl. dogmat. c. 54. tom. 3. Pœnitentia quid, secūdum Aug.

Absolutio quatenus pœnitenti conferenda.

Psalm. 18. Tertia dispositio.

Ad spem veniæ de diuina clementia cōcipienda peccator quanta habeat incitamenta. Ioann. 3.

Secundum incitamentum. Psalm. 144.

1. Ioann. 1.

Ezech. 33.

Tertium incitamentum.

Quartum incitamentum.

rannus. Quòd si iustitia Dei peccatis nostris armata, misericordiam Dei disponentem ad gratiam non valuit impedire, quomodo inermis impediet. Porrò ex parte oris, siue linguæ duo quoque debent adesse. Primùm, potentia ad nudè, & simpliciter loquendum sine verecundia: secundum, veritas integra, vt nihil spontè, falsò aut truncatè pronuntiet. Etenim non sanatur infirmitas, nisi omnes, ac principales eius causæ tollantur; & regnum non efficitur pacificum, nisi omnes hostes penitùs pellantur: nec domus munda est, nisi à cunctis sordibus expurgetur; nec vulneratus salutem assequi valet, nisi cuncta vulnera medico detegãtur. Quid autem aliud sunt peccata, nisi animæ vulnera, morbi, sordes atque hostes domestici? Certè olim omnes species lepræ Sacerdoti ostendebantur: iudex omnes causæ partes cognitas, & comprehẽsas habere debet, vt nouerit qua ratione reus sit soluendus, aut puniendus, sicut medicus omnes morbi rationes nosse debet: quia quod ignorat medicina non sanat. Adhęc indefinitè dicitur: Quodcunque ligaueris, quodcunque solueris, & rursus: *Quorum remiseritis, & quorum retinueritis.* Solet autem indefinita pro vniuersali accipi, quemadmodùm & illud: *Pasce oues meas*, nimirùm vniuersas. Deus etiam pro sua sapiẽtia aut omnia lethifera delicta, aut nullum remittit: confessor ergo debet omnia cognoscere, vt loco Dei absoluat. Quare stultum est planè, & non tantùm hæreticum, quòd Lutherus dogmatizauit, velle omnia confiteri, esse nihil velle relinquere diuinæ misericordiæ ignoscendum. Quod dictum argueret, Christum contra misericordiam suam instituisse confessionem: & Ecclesia, ac Patres illam omnium criminum exigentes confessionem, in misericordiam Dei peccassent, quemadmodùm & ipse populus illam frequentando. Præterea nihil omninò confitens plus relinqueret diuinæ indulgẽtiæ condonandum. Adhæc confessio non iusti nihil apud Deum promeretur; illa verò iusti id non consequitur ex merito suo, quod ex vi Sacramenti confertur. Quare qui omnia confitetur, omnia diuinæ ignoscenda exponit clementiæ: qui verò aliqua tantùm pronũtiat, ac supprimit reliqua, nulla diuinæ clementiæ remittenda proponit. Illud quoq; ridiculum, & non tantùm hæreticum; peccatorum confessionẽ, quam Ecclesia quotãnis fieri præcipit, esse impossibilem: quia alioquin Dominus confessionem nequaquam instituisset, nec mãdasset: cuius præcepti tempus tantùm determinat atq; præscribit Ecclesia. Boni etiam præcepto impossibili antea reclamassent: quoniam ante Innocentium III. ter communicabant, ac ter confitebantur in Ecclesia fideles. Boni quoque, ac pij eam confitendi consuetudinẽ executioni mandant: quia tantùm mortifera occurrentia post mediocrẽ operam, ac diligentiam adhibitam debent confiteri, non omnia quæ intellectui, aut memoriæ succurrunt, vt sunt venialia delicta, vel primi motus. Quanquam liceat peccata venialia confiteri: tum quia illa homines ligant, quatenus eos à gloria impediunt; tùm quia Deo illa fatentur: ergo Sacerdoti eius Vicario queunt confiteri. Adhæc obstinatus in veniali haud soluitur: ergo qui talis non est, potest solui. Vsus præterea Ecclesiæ, & monachorum in Cœnobijs, magno cum fructu fieri docet oppositum. Contingit etiam plerunque dubium, an delictum veniale sit, an lethale, & an veniale ad mortiferum trahat, ac tunc necessariò confitendum est. Nec obstat, si quis dicat non esse materiam confessionis: quandoquidẽ non sunt peccata retinenda, hoc est, mortifera; & tamen Dominus dixit: *Quorum remiseritis, & quorum retinueritis.* Sed ibi Dominus de peccato generatim loquitur. Quod verò veniale non retineatur, illi per accidens est: & qui potest maius remittere, potest & minus. Nec rursus obstat verbum Prophetæ: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*: quia hæc ratio etiam conuinceret, non posse nos de peccatis habere contritionem. Et illud verbum, *Quis intelligit*, non simpliciter potestatem negat agnoscendi peccata, sed aut difficultatem, quæ diligentia expugnari potest adhibita, aut impotentiam, sed nudæ naturæ, ac Dei gratia destitutæ: potest tamen etiam vnusquisque ad illam conciliandam se disponere, ac protinus cœlesti lumine illustratus, ac diuinis oculis, cernere poterit quæ anteà non cernebat. Denique nemo Dei lege cogitur alia confiteri, quàm quæ memoriæ, aut intellectui post mediocrem ac iustam diligentiam positam succurrunt: qua etiam in re prudens Sacerdos, ac diligens pœnitentem iuuare solet. Addunt quartò hæretici nullas peccatorum circumstãtias, quas homines otiosi excogitarunt, confitendas esse. Sed aduerte, circumstantias quasdam esse extra rem, alias alleuiantes, vel grauantes quidem, sed non nouo peccato: talesq; non sunt necessariò confitendæ, verùm mutantes peccati speciem in alteram, quia contra peculiare præceptum militant, vt, adulterium, sacrilegium, vniuersaque in proximum damna necessaria existunt con-

Duplex oris satisfactio necessaria.

Leuit. 13. & seq.

Iudicis partes.

Matt. 16.
Ioann. 20.

Aduersus insanum, & impiũ dogma Lutheri.

Alterum eius temerarium refellitur dictum.

Ante Innocentium III. ter in anno confiteri, & communicare fideles consueuerant.

Crimina quæ in confessione detegenda.

Venialia delicta quare confitenda sint.

Obiectiones quædam diluuntur contra confessionẽ delictorum venialium.

Ioann. 20.

Psalm. 18.

Verbum illud Prophetæ: Delicta quis intelligit? quem sensũ habeat.

Circunstantiæ quę peccatorum in Confessione sint aperiendæ, & quæ non.

confessionis materia. Sicut enim exigitur enumeratio peccatorum, ita quoque horũ confessio, sine quibus non explicantur peccata. Deinde in vitijs corripiendis Scriptura, ac Deo confitendis, quæ circumstant, pensat. Nam de domo ait Apostolus: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* Et Christus ementes, & vendentes eiecit de templo ob solã loci sancti pollutionem: nã alioqui licitum erat vendere, & emere necessaria ad sacrificium. De tẽpore ait Spiritus sanctus; *Odi, & proieci festiuitates vestras*, quod in eis perpetrata flagitia culpã augerent. Et in alio loco: *Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, &c.* De numero inquit Manasses. *Peccaui super numerum arenæ maris*, &: *Septies in die cadet iustus, & resurget*, ac Petr⁹: *Dominẽ, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dixit illi Iesus, Non dico tibi vsq; septies; sed vsq; ad septuagies septies.* De persona ait: *Si Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum*, &c. Rursus, *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominũ peccauerit vir, quis orabit pro eo?* De modo, siue per ignorantiam, siue per malitiam dicitur in Leuitico: *Si quis peccauerit per ignorantiam*, tursus, *Si quis scienter deliquerit*, &c. Dominus quoque, *Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt*; Et Petrus; *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiã fecistis*, Et Paulus, *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* De fine quoque dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidũ erit.* Et Paulus, *Quorum Deus venter est; & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Vides igitur ab Spiritu sancto haberi rationem eorum, quæ circumstant? Non sunt igitur otiosorum hominum inuenta. Quæcunque igitur aut insigniter aggrauant, ex quorundam opinione, vel mutant speciem, ea omnia confitenda sunt. Præterea, vt superius diximus, pœnitentiæ iudicium quoddam est spirituale, & animæ medicina: at medicus in consilium adhibet eas morbi circumstantias, quę ad ipsum subleuandum, & sanitatem recuperãdam facere possent; alioquin medicus imprudenter munere suo fungeretur. Adhæc si iudicium est, natura rei ipsius hoc exigit, vt habeatur ratio rerum circumstantium, hoc est, & rei, & accusatoris, & testis, & tabellionis, quò ita obiecti criminis veritas, aut falsitas elucescat. Est ergo contra naturam iudicij negligere circumstantias. Quare meritò in Doctrina, & Canonibus de Sacramento pœnitentiæ, sess. 14. Concilij Tridentini hi omnes erro-

1 Cor. 11. Matth. 21. Ioan. 2. Amos 5. Esa. 58. 2. Paral. 28. Prouer. 24. Matth. 18. Leuit. 4. Infra 5. Luc. 23. Actor. 3. 1. Tim. 1. Luc 11. Phili p.

res anathemate sunt percussi. Tertia linguę dispositio, bonitas est fugiens fucos, & folia Adæ, ac detractiones, & superflua omnia: & quo magis peccata menti Sacerdotis imprimuntur, eò magis à memoria iudicis æterni delentur, & à mente dæmonis accusatoris obliterantur. Postremò ex parte operis tria sunt adhibenda. Primum, sit externa ipsa corporis compositio, id est, genuflexio ad pedes Sacerdotis: quæ abiectionem peccatoris, & imbecillitatem alligati, & euomentis delicta significat, humilitatemque, quam præseferre debet, vt peccatrix ad pedes Christi. Debet quoque illum actum oculorum comitari demissio ob verecundiam, vt publicanus à longè stabat, non audens erigere oculos. Sacerdos verò sedet, vt iudex pro tribunali, preces fundit, & absoluit; quia vicarius Christi est sedentis in cęlo ad Patris dexteram, & quia aduocatus est noster, ac supremus iudex. Manus quoque imponit quasi sanguinem Christi fundens super eum: nam hæc cęremonia antiquissima est, eiusque meminit Cyprianus in epistola ad Clerum, de quibusdam presbyteris, qui temerè pacem lapsis dederunt, Clemens libr. 11. constitut. Apostolicarum, Chrysost. hom. 85. in Ioan. Athanas. in 2. Apologetico. Secundum, satisfactio pro veteris vitæ delictis à Sacerdote imposita, & à pęnitente, vt debet, acceptata. Nam accedere ad confessionem, est ire malè ligatum, scilicet peccatorum funibus, quibus quisque nondum absolutus constringitur: reuerti verò à confessione est, redire salubriter alligatum, nimirum ad satisfaciendum pro delictis. Et ita Sacerdos absoluendo ligat, æternasq; pœnas in reatum pœnæ temporalis commutat: qua de re fusius sequenti tractatu dicẽdum est. Tertium sit noua vita, quæ cõfessionem, absolutionem, atq; satisfactionem consequitur: vt quemadmodum Iesus resurgens à mortuis, morti amplius non fuit obnoxius, ita & pęnitentes accepta remissione peccatorum, ambulent in nouitate vitæ. Contendamus igitur renouati spiritu mentis nostræ, vt Apostolus admonet, & fructus edere spiritus, ac lucis, quò carnem macerantes, & tenebras vitiorum, ac dæmonum declinantes, ad æternam lucem perueniamus possidendam, quæ Christus est Dominus noster, cuius, ac Patris simul, ac Spiritus sancti numen æternum, summeque colendum, ac venerandum omnibus seculis benedicere, atque pręnicare debemus, Amen.

III. dispositio. Ex parte operis in cõfessione tria requiruntur. Luc. 7. Infra 18. Manus impositio super pęnitentem, cæremonia vnde primum cœperit. Cyprian. li. 3. epist 14. Clem. Rom. Chrys. tom. 3. Athanas. Accedere ad cõfessionem, indeque recedere quid. Rom. 6. Ephes. 4.

TRACTATVS XXIII.

De satisfactione, quam confessus, atque absolutus à Sacerdote impositam, acceptare debet, atque perficere.

QVONIAM Confessionis Euangelicæ Sacramētum vt rectè & cum fructu præstari valeat, quædam illam necessariò antecedunt, vt contritio, ac peccatorum detestatio; quædam verò illam consequuntur, vt satisfactiones impositæ indicant: & in harum vtramque partem nō minus quàm in Confessionem hæretici bellum intulerunt: commodum, atque opportunum esse duxi, veritatem dogmatū Ecclesiasticorum statuere, & obiecta hæreticorum pro virili nostra refellere. Primùm igitur agemus de satisfactione, circa quam quædam pręmittenda sunt, quæ impudentiam hæreticorum magis detegant, & statū controuersiæ inter Catholicos, atq; Sectarios apertiùs elucident, atque illustrent: nā nisi prius perspicuum euaserit quid illi sentiant, quidve in satisfactione denegent, frustrà quis tela in eos contorserit. Primùm igitur statuendum est, quædam imponi ab hæreticis Ecclesiæ Catholicæ, ac Patribus orthodoxis, à quibus doctrina Ecclesiastica longè abhorruit. Primum est, per satisfactiones aliquid plus fieri, quàm legem Dei: ita enim Melanchthon in locis cōmunibus, cap. De satisfactione asseruit. Sed hæc mera calumnia est: quia secūdum omnes satisfacere, pars est iustitiæ: facimus enim quod debemus, & satisfacientes debitum reddimus. Ex eo autē quòd quis quod debet, præstat, non plus quam legem Dei facit, quæ iubet, vt q; debemus, faciamus. Secundò imponūt nobis quòd doceamus per satisfactionem aboleri mortem æternam. Ita enim Autor præfatus eodem capite scribit: *Fingunt mortem æternam nostra compensatione aboleri.* Verùm hoc nunquam docuit Ecclesia: quia, sicut gratis remittitur culpa citra vllam nostram satisfactionem, quam, etiamsi vellemus, præstare nō possemus; ita etiam æterna pœna, quę cum culpa est cōiuncta, gratis aboleretur, vt docent omnes Theologi. Tertiò imponunt eodem loco; indoctos facilè transferre satisfactionem etiam ad remissionem culpæ. Verùm indocti Catholici, atque simplices, aliud profectò non sentiunt, quàm illud quod maiores eorum. Nec est curandum de eorum verbis; quæ etiam ipsi non curant: nec propterea toti Ecclesiæ imponendū est, quòd vnus, aut alter imperitus, nec satis catechizatus non rectè sentiret. Nam Ecclesia pro culpis cunctis vnicā tantùm satisfactionem, & propitiationem Christi agnouit: *Ipse est*, inquit Ioannes, *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, & alibi: *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius.* Adhæc qui satisfacit, aut iustus est, & iustificatus, aut iniustus, & peccato inquinatus. Si iniustus sit, nullum opꝰ hominis peccatoris, & inimici Dei efficere potest, quod placatum Deum reddat: Si autē iustus sit, iam omninò solutus est peccatis, quorum pro culpis possit satisfacere. Proinde hæc doctrina, quę nobis imponitur, ignota Ecclesiæ fuit contrarium filios suos docenti. Quartò calumniantur, asserentes Christi satisfactionē redemisse culpas; nostras autem pœnas æternā mortem redimere. Ita enim dixit Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ: *Quid monstri*, inquit, *est, dicere quod Christus satisfaciat, redimat culpam, nostræ pœnæ redimant mortem æternam?* Sed, vt diximus, mera est impostura: quia simul cum culpa redimi nos à morte æterna per Christi satisfactionem, Ecclesia agnouit. Quintò criminantur, Christum pro originali tantùm culpa, nos verò pro personalibus satisfacere, quod libellus quidam inscriptus nomine Actorū Concilij Tridentini, & ab hęreticis conditus, Catholicis imponit; cū tamen Ecclesia non aliā agnoscat satisfactionem tam pro personalibꝰ, quam pro originali, quā Christi sanguinē in cruce effusum. Alioqui Baptismus originale tantùm expiaret peccatum, non reliqua propria voluntate commissa. Et tamen in Symbolo Ecclesia canit: Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: vbi omnia peccata Sacramēto illo extingui tradit. Sextò conuitiantur, à nobis tradi, contritionem, cōfessionem, & satisfactionem mereri peccatorum expiationem, & vitā æternam. Ita enim Ioannes Brentius Homilia De Pœnitētia de his tribus edisserens loquitur: *Docuerunt quòd merita horum operum expient peccata, & propitium reddant Deum, ac mereantur vitam æternā.* Sic ille. Verùm hoc quoque affingi Catholicis, ex eo redditur liquidum: quia si contritio dolor est ante charitatis aduentum, peccatorū remissionem nequaquam promeretur: si post eius aduentum, non meretur remissionem, quæ iam est facta. Porrò cōtritio illa informis vitam æternam haud meretur; at si charitate sit ordinata, meretur quidem illam, sed ex gratia. Confessio verò charitate destituta, haud meretur remissionem: at, quæ charitate vestita est

Hæreticorum aduersus Catholicos circa satisfactionē calumniis respondetur.

Melāchthon.

II. calumnia.

Melāchthon.

III. calumnia. atque impostura.

1. Ioan. 2.

Rom. 3.

IV. calumnia.

Melāchthon.

V. calumnia.

VI. calumnia.

Ioan. Brentius hom. 3. Pœnit.

est, iam eam factam esse ponit, vitámq; æternā ex gratia Dei promeretur, qua informis digna non erat: satisfactio deniq; cū ponat remissionem iam factā, eam non promeretur; vitam tamen æternam, si, vt par est, in charitate fiat, acquirit. Hæc igitur sex, quæ nobis ab hæreticis imponuntur, reijcienda sūt à nobis, sicut ea semper Ecclesia reiecit.

Secundò statuendum est, illis, qui cum hæreticis decertare volunt, non esse laborandum in illis probandis, quæ hæretici libenter cōcedunt in hac materia. Inter quæ primum est, post remissum peccatum infligi à Deo temporarias pœnas. Hoc enim Melanchthon ipse fatetur, atque alij hæretici, & quiuis non omninò sensus expers fateri cogitur. Nam baptizatos, ac proinde remissionem peccatorum cōsecutos, multis cernimus in hac vita afflictionibus ærūnisq; premi: ideo non satis est in illos agentem ostendere, quod remisso peccato adhuc remaneāt pœnæ: quemadmodū paralyticus postquam illi dixit: *Fili, remittuntur tibi peccata tua*, paralysis morbus in eo manebat: & sicut vsque ad horam mansit, ita nō repugnabat permanere vsque ad mortem. Adhæc claudi, cæci, & ægroti dū aqua sacri fontis tinguntur, ab eiusmodi morbis minimè liberantur: quoniam Deus Baptismū ad animi morbos, & non corporis propellendos instituit. Secundum ab hæreticis concessum in hac materia, est, hominē per absolutionē remissa culpa, satisfacere debere propter proximū quem fortè offendit, atq; propter Ecclesiæ disciplinam seruandam, ac vt in futurum caueat peccatū. Quare etsi isti admittant, Patres & Scripturas, quæ tradunt ad hos fines consequēdos institutam esse satisfactionem, nihil contra illos euinceretur. Nam vt de homicida, aut fure, aut alio malefico testantur propter pœnitentiam remitti eis culpam, & pœnam omnimodā à Deo, manere tamen obnoxios, aut suspendio, aut flagellationi, pro qualitate criminis ad satisfaciendum proximis, seu Reipublicæ, quam læsit: ita de pœnis, quæ à Sacerdote imponuntur, idem esse iudicium faciendum arbitrantur. Sicut ergo qui probaret confessionem vtilem esse ad erudiendum, & ad eum cōsolandum, & ad Canonicas satisfactiones imponendas, vt olim fiebat, nihil contra hæreticos euinceret, quia illi libenter admittunt hæc omnia, negant tamen ordinariam remissionem peccati cōsequendā, aut gratiam: quę qui euicerit ex Scripturis, quæ habent: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; &: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra*; ille haud dubiè Lutheranum iugulauerit dogma: ita sanè in materia satisfactionis parùm profecerit, qui satisfactiones ad ordinem politiæ, siue ad satisfaciendum ijs quos læsimus, retulerit, quia hæc hæretici non negant.

Melanchthon.
Matth. 9.
Culus rei gratia Baptismus fuerit institutus.
Ioan. 20.
1. Ioan. 1.

Tertiò igitur statuendū, controuersiam in hoc esse sitam, quòd Catholici etsi asserant in Baptismo omnem pœnā simul cum culpa remitti, siue æternam, siue temporariam: at in pęnitentia ex virtute Sacramenti, ac Dei pacto deleri quidē culpā, & æternam pœnā affirmant, ratione tamen culpæ cōmissæ remanere temporariæ pœnæ reatum, hic, vel in futuro seculo exoluēdæ, vt Deo ipsi satisfaciat: non quidem iudici, & irato, quia id nequaquā posset, & quia expiata culpa, & pœna ęterna, recessit ira Dei magna, sed Deo, & Patri seueriuscule ex charitate cum filio agēti: quem licet amet, castigat tamen, tùm vt iustū se esse demonstret, tùm præcipuè, vt ægritudini filij medearur, qui si ita non castigaretur, in peccata iterum relaberetur facilius, ac patrem rursus offenderet. Differunt igitur Lutherani à Catholicis: Primò, quia illi nolunt admittere, debitum ad pœnam temporariā remanere, intuitu culpæ præteritæ: neque etiam per pœnæ illius solutionē satisfieri ipsi Deo: quæ duo subtrahens Lutherus à satisfaciēdi virtute, fecit omninò cōtrarium quod olim Nouatianus. Nam ille subtraxit satisfactioni pœnitentiam, vt docet Cyprianus in epistola ad Antonianum: quemadmodum è contrario Lutherus pęnitentiæ satisfactionem ademit; vt videas quàm verè dictum sit: *In circuitu impij ambulant*. In hoc igitur sensu negata satisfactio probari potest, & ab Scripturis, & à rationibus magni ponderis, & à firma Patrū traditione. Nā vt in primis ab Adam exordiamur, constat, illum post cognitum à se admissum peccatum, atq; perceptam Dei obiurgationem, Dominū illi ignouisse. Tùm quia cor contritum, & humiliatum Deus non despicit. Nam etsi ab initio prę mentis turbatione, ac metu se excusaret, tandem acquieuit tamen, nec contra Dominum replicauit, sed passus est se indui pelliceis tunicis, & deijci, etiam cum diuina irrisione de paradiso. Tùm etiam quia vt confirmat Traditio, asperā, & amaram diuturno tempore egit pœnitentiam. Ibi ergo tunc remissum fuit peccatum: maximè cùm in libro Sapientiæ ita de ipsa sapientia scribatur: *Hæc, illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo*. Hoc etiam maximè habent aduersarij confiteri: tùm quia

Apoc. 3.
Prou. 3.
Hebr. 12.
Lutherani à Catholicis in doctrina satisfactionis quid differant.
Cyprian. lib. 2. epist. 2.
Psal. 11.
Pœnitentiæ coniunctam esse satisfactionem necessario debere, ratione culpæ præteritæ multis ostenditur.
Primus locus ex Test. veteri.
Gene. 3.
Psal. 50.
Sapien. 10.

quia statim ac quis credidit, dicunt illi remissionem contingere; tum quia dicunt, pœnitentiam constare ex terroribus, & fide Euangelij: in Adam verò præcesserunt terrores, quia audito Domino deambulãte in paradiso ad aurã post meridiem, timuit, eò quòd nudus esset, & abscondit se ab eo. Propositum etiam fuit illi Euãgelium cùm illi dictum est: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Hoc autem Euangelium apprehendit Adam; cùm veracem Deum esset expertus, & quia patiẽti animo impositam suscepit pœnitentiam: quare lõgè est probabile, tunc Adæ remissum fuisse delictum. Ex quo Tertullianus libro aduersus Marcionem scripsit: *Ideoq; nec maledixit ipsum Adam, nec Euam, vt restitutionis candidatos, vt Confessione reuelatos. Cain verò & maledixit, & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, vt præter admissum, etiam negationis eius oneratum.* Et Irenæus libro aduersus hæreses Valentini & similium scribit, Adam sibi fecisse petizomata ex folijs ficus; vt satisfactionem pro peccato insinuaret, cùm essent alioqui alia folia quæ minus vexare possent. Et B. Chrysostomus Homilia quadam ad Populũ Antiochenum ponderat, quod in signũ amoris, & beneuolentiæ per peccatum non extinctæ eũ ex nomine vocauerit, Adam, vbi es? vt eum iacentem erigeret in confidentiam; & tamen illi iam remisso peccato dictum: *Quia audisti vocẽ vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Hic liquidè cernere licet temporariam pœnam iniunctam fuisse intuitu culpæ præteritæ, & non ad proximo satisfaciendum, quia non erat nisi Eua, quæ potiùs ipsi Adæ, quem offenderat, satisfacere debebat. Erat igitur illa pęna temporaria ad satisfaciendum Deo ob culpam præteritam remanentem, quãtum ad culpæ temporalis reatum. Neque firmũ est dicere, culpam non fuisse remissam ipsi Adæ, cùm iniuncta est ipsa pęna: non enim hoc verisimile dicetur, vt est dictum. Deinde etsi daremus verum fuisse, adhuc tamen efficaciter deducitur, quod volumus: quia saltem ante mortem Adam de peccato pœnituit, cùm saluus sit, vt liber Sapientiæ tradit, & Ecclesiæ definitio contra hæreticos illud negantes docet. Demus igitur, quòd post centum, aut ducẽtos annos conuersus fuerit ad Deum, & peccati veniã impetrauerit: tamen quia in illis verbis inflicta est pœna ratione peccati ad totam vitam, nã dicitur: Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, sequitur quòd id quod passus est ab eo tempore quo resipuit, sit satisfactio vsque ad mortem. Deinde idem probatur exemplo Iob, qui cap. vlt. ait: *Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.* Et infrà: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Expende hic non solùm dolorem, & reprehensionem internam, sed etiam exteriorẽ satisfactionem ratione præteriti delicti assumptam. Cùm autem Iob hæc in gratia constitutus faceret, quia ibi à Domino præ cæteris commendatur: superest vt illa pœna non fuerit pro culpa suscepta lethifera, sed pro reatu pœnæ temporariæ, quod est Deo satisfacere. Nec hic video quid dici possit: nisi quis obijciat, Iob lethaliter non peccasse, vt tradunt Doctores, ac proinde non posse hic probari satisfactionem post mortiferum admissum delictum. Sed etiã si id concedamus, adhuc haberemus, pro culpa præterita pœnam assumptam. Si igitur illa venialis erat, & illa interna reprehensione dimissa, adhuc manebat reatus pœnæ temporalis satisfactione delendus; quantò magis igitur post lethale remissum, remanebit ad pœnæ satisfactioné reatus? Nec potest dici quòd Iob satisfecerit tribus amicis, qui suis verbis erant offensi: quoniam de præsenti ait, Ago pœnitentiam: neque illi tunc aderant. Præterea illi tres mittuntur à Deo ad Iob, quò ab eo impetrent, vt preces fundat pro eis, & per illum eos exaudiat. Et subditur: *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis.* Videtur ergo, quòd non pro se tantùm, sed etiam pro alijs satisfecerit apud Deum. Adhæc Iob capite sexto ait: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena.* Ex quo habes, & flagellum pœna infligi pro peccato, & quòd pro eo non solum satisfaciebat, sed supra quam mereretur, luebat. Quæ cùm locum non habeant in peccati culpa, intelligenda sunt de temporali criminis expiatione. Idem etiam Iob capite nono ait: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* In quæ verba egregiè scribit Gregorius: *Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim hoc homo in se pœnitens punit; aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic Dauid audire post confessionẽ meruit: Dominus transtulit peccatum tuum. Et tamẽ multis post cruciatibus*

Genes. 3.

Tertull. lib. 2. aduersus Marcionẽ, sub fin.

Cain cur à Deo maledictus, non Adã & Eua.

Gen. 4.

Iren. lib. 3. c. 37.

Adã consuisse sibi folia ficus, quid significet secundum Irenæum

Chrys. hom. 6. ad Pop. Antiochen. to. 5

Adã cur à Deo fuerit vocatus ex nomine, teste Chrysost.

Sapien. 10.

II. locus.

Iob lethaliter non peccauit, vt tradunt Doctores.

Greg. lib. 9. Moral. ca. 27. tom. 1.

2. Reg. 12.

tibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluimur; sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoq; adhuc carnaliter obimus. Hæc ille, pulchrè exponens verba Iobis, & cõfirmans argumentum ex Adam desumptum. Tertio loco de Moysi sorore scribitur Num.12. quòd ob peccatũ murmurationis fuerit lepra percussa. Et quia mulier illa in Scripturis impensè cõmendatur: nã fuit quæ inter mulieres cecinit Dño post transitum maris Rubri, ac cũ fratribus ducatum tenuit populi illius, dicente Domino per Michæam ad Israel: *Eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutium liberaui te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam*: erat etiam prophetes, verisimile igitur redditur, quòd post acerbam Domini reprehẽsionem, & lepræ flagellum miraculo incussum, pœnituerit, & si gratiam amiserat murmurans, illam recuperauerit: adhuc tamen vult Dominus vt lepræ plaga perseueret ad octo dies. Nã preces fundenti pro ea Moysi dixit Dñs: *Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & posteà reuocabitur.* Vbi propter iram Dei, qui culpa eius offensus erat, statuitur vt extra castra ad aliquot dies pœnitentiam agat, & satisfaciat. Hunc locum Clemens Romanus lib. de doctrinis Ecclesiasticis ad satisfactionem probãdam adducit, vt inferiùs producetur. Rursus Nu.14. oranti Moysi vt dimitteret peccatum populo quem delere volebat, respondit Dominus: *Dimisi iuxta verbum tuũ. Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra. Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* Et infrà: *Dic ergo eis, Viuo ego, ait Dominus, &c. in solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* Hic videtur peccatum remissum, & tamen propter murmurationem & tentationem Dei, priuantur Terræ sibi promissæ ingressu, vsq; ad mortem affliguntur in deserto. Ratione igitur peccati pœna temporaria infligitur post culpam remissam. Verùm hic locus difficultatem aliquam habet: non enim videtur, quomodo solùm loquẽte Domino ad Moysen, tantæ multitudini absenti, & delictũ non agnoscenti, nec de illo dolẽti debeat reuera remitti peccatum, cùm nullus adult⁹ sine peculiari pœnitẽtia, & motione cordis iustificetur. Ideo verbum hoc, Dimisi iuxta verbũ tuum, videretur alio modo esse exponendũ: non quidem de dimissione culpę tunc facta, sed de nõ imputando eis eorũ peccato ad hoc quòd populus deleretur omninò: nam hoc Dominus Moysi interminatus fuerat promittens ducatum in gentem magnam: ac ne ita ille popul⁹ plecteretur à Domino, rogauit Moyses Deum, & obtinuit quod fieri poterat sine cordis illorum immutatione, & conuersione, quia fit per solam deputatiõe, ac Dei decretum. Quanquàm fortassis id quod dicitur de præterito, Dimisi iuxta verbum tuum, interpretationem de futuro recipere possit; hoc est, Statim dimittã. Et ideò misit Moysen vt eos reprehenderet, atque ad pœnitẽtiam adduceret, & iustitiam quibus iustificati sunt (nã salui sunt multi ex ijs, qui perierunt in deserto teste Hieronymo) nihilominus pœna peccati remansit diluenda, & ita redit argumentũ. Numer. quoque 20. Dominus locutus est ad Aaron, & Moysen, dicens: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Profectò non est rationi consentaneum, hos tantæ sanctitatis Patres mortiferam culpam commisisse; aut si commiserunt, citò conuersi sunt ad Dominum; qui tamen reuersis temporalem pœnã ob peccatum inflictam noluit indulgere. Ait enim Moyses in Deuteronomio: *Precatusq; sum Dominum in illo tempore, dicens: Domine Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, &c.* Et infra: *Transibo igitur, & videbo Terram hanc optimam trans Iordanem.* Et subiungit: *Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi, sufficit tibi: nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Ideo Dauid in Psal.98. de illis loquens, ait: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius; & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Et infrà: *Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Vbi vindicta propter peccata illorum sumpta intelligitur: quia etiam iustus vix saluatur. Quarto loco habemus exemplum, & testimonia quædam Dauidis. Nam in primis 2.Reg.12. postquam ad verba Nathan Prophetæ ille compũctus, dixisset: *Peccaui Domino*: ac Propheta respõdisset: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini; propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* In hac historia habemus post remissum peccatum residuam esse adhuc pœnam filij mortis. Nec obstat, quod dicat, *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini*; ideo inflictam illam pœnam propter faciendam proximo satisfactionem. Hic enim sensus esse non potest: tùm quia non erat satisfaciendum inimicis blasphemanti-

Marginalia: III. locus. — *Exod. 15.* — *Michea 6.* — *Clem. Rom. lib. 2. de doctrinis Ecclesiasticis c. 19.* — *Hierõ in Nahum. c. 3. to. 5.* — *Num. 20.* — *Deut. 3.* — *1. Petr. 4.* — IV. locus.

mantibus nomen Domini; tum quia per mortem huius pueri non satisfaciebat eis ignorantibus illã pœnam inflictam ratione adulterij. Est igitur verus sensus, morte pueri punitum esse, quia commisit peccatũ etiam cum aliorũ scandalo; ac proinde grauius erat peccatum. Deinde non obstat, quod dicunt, peccatum hic pro pęna sumi peccati; ita vt trãsferre peccatum, sit, transferre pœnã, hoc est, mortem Dauidi infligendam, in filium. Et ideo dictum est: Nõ morieris; quasi dicat, Tu moriturus eras; sed filius qui natus est tibi, morte morietur. Verùm hoc etsi admittatur, habemus tamẽ quod volumus. Nam postquàm Dauid compunctus est, Dominus remisit illi peccatum, iuxta illud: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiã meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Cùm igitur adhuc infligenda sibi esset mors secundùm hãc opinionem, & mitigata sententia, translata sit pęna in filium; hoc autẽ satis est ad firmandum nostrum propositum. Non videtur etiam vera hæc opinio, quòd mors fuisset Dauidi infligenda: quia in sententia superiori, quam Nathan protulit contra Dauidem, nulla mentio est de morte, sed quòd nõ defuturus esset gladius de domo sua, & quod vxores essent ab Absalone vitiandæ; quæ omnia vt essent in flagellum Dauidis, oportebat eum viuere. Certè Gregorius, quem suprà produximus, Eucherius in secundum librum Regum, & Augustinus libro 2. de peccatorum meritis, & remissione ca. 34. atque alij hunc locum de satisfactione interpretantur. Deinde in eodẽ lib. Regum, cap. 24. postquã Dauid de peccato numerationis populi pęnituit, Domino dixit; *Peccaui valde in hoc facto; sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Certè ad hanc fide, & sui cognitione plenam precationem credibile est Deũ pro sua misericordia illi ignouisse: adhuc tamen datur ei optio, vt ex tribus flagellis eligat quod vult. Ille verò trium dierum pestem elegit, qua ita afflictus est, vt mortem sibi infligi à Domino peteret, dicens: Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecrò manus tua contra me, & contra domum patris mei: donec tandem obtulit sacrificia, & obtinuit sententiæ mitigationẽ, quia eadem die qua cœperat, dicitur cessasse plaga. Vides igitur remissa culpa manere pœnam, & illam humiliatione, & sacrificijs in fide factis posse abbreuiari. Idẽ Dauid Psal. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Hic Dauid petit ampliùs lauari ab iniquitate, hoc est, à peccato mortifero: quod cũ non possit per partes remitti, quod attinet ad culpam, superest vt à pœna temporaria, quam ratione iniquitatis exoluere debebat, ampliùs absolui poscat. Quemadmodum cùm ait: *Quoniã ego in flagella paratus sum; & dolor meus in conspectu meo semper: Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; & cogitabo pro peccato meo:* quis valeat negare tantæ peccati cognitioni, & detestationi remissionem fuisse collatam; & tamen adhuc secum cogitat pro peccato puniendo, quibusque sacrificiis, aut satisfactionibus sit expiandum. Quinto loco, si scruteris Salomonis dicta, aut Prophetarum, eandem inuenies veritatem astrui satisfactionis. Ecclesiasticus apertè loquitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum:* at quomodo consulit, vt remisso peccato nõ sit sine metu, nisi quia post remissionem superest satisfactio? quæ neglecta hominẽ reum facit. Et cap. 21. rursus ait: *Fili peccasti? non adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Quia ergo homo sine gratia addit peccatũ peccato, cùm ait, Ne adijcias iterum, gratiam ponit in eo; & tamen adhuc vult orare vt remittãtur, quod præterquàm ad pœnam fieri non cõtingit. Salomon Prou. 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas:* hoc est; operibus misericordiæ ad proximũ, quæ Deo sunt debita, remittitur pœna iniquitati debita. Rursum inqt: *Vniuersa delicta operit charitas.* Vbi charitas, nõ tam ipsum habitũ significat, quàm ipsa charitatis opera, quæ quoniã ponit remissam culpã, profectò supplicia peccatis debita operit. Simile est hoc sententiæ Danielis, dicentis ad Nabuchodonosor; *Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, &c. forsitã ignoscet Deus delictis tuis.* Expende, Prophetam vti voce redemptionis. Constat autẽ, quòd culpa per opera gratiam pręcedentia non potest redimi: superest vt de pęnis, quę etiam remisso debentur delicto, intelligatur. Cui affinis est sententia Tobiæ dicentis: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* At verò quoniam neque Catholicus, neq; hęreticus admittet, per eleemosynas purgari, ac extingui scelerum pœnas nondum remissas; necessariò de pœnis ac supplicijs, quæ peccatis irrogantur, intelligitur. Sexto loco perpende verba martyris Machabæi, qui sextum locum inter alios tenet: ita enim inquit ad tyrannum: *Noli frustrà errare: nos enim propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis. Tu autem ne existimes tibi* impunè

Marginalia: Psal. 31. — Greger. loco dicto. Eucherius in 2. li Reg c 12. Aug. tom. 7. — Psal. 37. Ibidem — V. locus. — Eccli. 5. — Prou. 16. — Prouer. 10. — Dan. 4. — Tob. 12. — VI. locus. — 2. Mach 7

impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentauerit. Ecce gloriosum martyrem, qui proculdubiò in charitate erat, sicut & fratres sui, & de se, & de alijs testatur, quòd pro se, & propter peccata sua hoc patiebantur. Superest igitur post peccata remissa temporale flagellum, ac supplicium: & quia martyr nullo impedimento euolat ad cœleste regnum, vel tunc saltem in sinum Abrahæ, per martyrij supplicia fide, & patienti animo tolerata plenè satisfaciebat. Et ex Veteris Instrumenti libris hos locos excussisse sit satis. Ex Nouo verò primùm occurrunt verba Ioannis Baptistæ, quibus peccatores ad edendos fructus pœnitētię hortabatur, dicens: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Hic autem fructus, vt apertè testantur Cyprianus, Basilius, Chrysost. & alij qui infrà producentur, nō sunt opera bona, quę etiā iustus, vel recens baptizatus edere debet, sed opera duriora, quæ in vindictā peccati præteriti etiā remissi fiunt: talia enim opera à pœnitentia prodeūt. Et fructus meritò dicūtur pœnitentiæ; ad differentiam eorū, quæ sunt fructus innocētiæ, vel spiritus, vel iustitiæ, vel lucis: his enim titulis eiusmodi opera in Scripturis insigniuntur. Porrò quòd Ioannes in illis verbis cohortetur ad operum externorum satisfactionem, ex eo constat, quia fructus quid externum est, & in cognitionem facilè cadit: vnde Dominus: *A fructibus*, inquit, *eorum, cognoscetis eos*; quòd postquàm cohortatus esset ad resipiscentiam, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum*, statim subdit: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Explicatq́; quales essent fructus eiusmodi, alius Euangelista subdit, dicens: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat*: quæ sunt eleemosynæ, quæ cùm in gratia facere hortaretur, ad satisfactionem spectabat. Adde etiam, quòd baptizati à Ioanne, si non ex vi Sacramenti, saltē ex dispositione, ac fide suscipientium à peccato purificabantur; & tamen baptizati veniebant ad Ioannē confitētes peccata sua, vt pro qualitate peccatorū, pœnitentiæ satisfactio iniungeretur eis: ideo dicebat: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ad idem etiam exhortabatur Paulus, cùm diceret: *His qui sunt Damasci &c. annuntiabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Qui locus similiter atque prior ponderandus est, & intelligendus. Hoc idem confirmatur ex verbis Pauli ad Romanos, Corinthios, Colossenses, & Hebræos. Ad Romanos quidem cap. sexto ad iam conuersos, & liberatos à peccato inquit: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Vbi intuitu obsequij iniquitatis, vult vt membra seruiant iustitiæ, non vt eam acquirant, quam iam habebant (nam ad Sāctos vocatos scribit) sed in sanctificationē, hoc est, in puritatem ac munditiam: quæ tunc etiam est, cùm homo à debito pœnæ temporalis fit mundus. Etsi autem Apostolus tantùm, aut præcipuè spectet ad peccata ante Baptismum perpetrata, quæ satisfactione minimè egebant, quòd deleantur Baptismo: tamē & Theophy. & Druthmarus in Matthęum hęc docent referenda ad generalem pro peccatis satisfactionem. Nā fieri poterat; vt post Baptismum nonnulli illorum deliquissent. Quod si hæc exigebat de peccatis ante Baptismū; quantò magis de peccatis post Baptismum patratis? In epistola ad Corinthios primùm ait de quodam: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quia hic, de quo loquitur Paulus, saluatur, proculdubiò in gratia erat; & tamen adhuc indiget igne: qui certè temporalis est tribulatio quandoque in hoc seculo, quandoque in futuro nos opprimens, vt luamus reatum peccati, nisi nosipsi satisfaciēdo præueniamus, quemadmodum ipse Paulus alibi docet. Certè de se ita statuit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* At hæc castigatio etsi perseueret à peccato futuro, erat tamen etiam in Paulo leuiorum, ac quotidianorum delictorū punitio: pro quibus si satisfaciendum est, quantò magis pro grauioribus, atque lethiferis? Subdit paullò post: *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus; non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem; à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Tunc autem nos iudicamus, cùm peccata nostra punimus: quemadmodum docent Origenes, & Augustinus libr. de pœnitentiæ medicina, & Maximus in secūda Centuria: *Omne*, inquit, *peccatum committitur propter aliquam voluptatem; quæ extinguitur dura quapiam corporali exercitatione, aut dolore voluntario per pœnitentiam, aut œconomicè illata aliqua calamitate. Si enim nos dijudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino; corripimur, ne cum mundo condemnemur.* Hæc ille. Falsum est igitur, quod aiūt Philippus Melāchthon, & Erasmus Sarcerius, quòd iudicare seipsum, sit ex animo peccatum damnare, vt etiā Chrysostomus in hæc Apostoli verba ostendit, dicens: *Non dixit; Si puniemus, si supplicium de nobis sumemus; sed, Si dijudicaremus, hoc est, Si*

Ex nouo Testamento locus primus.

Quos fructus pœnitentiæ dignos Domini præcursor exigat.

Matth. 7.

Luc. 3.

Matth. 3.

Actor. 26.

I. locus.

Theophyl. in Matth. c. 3.
Druthmarus Ibidem

III. locus.
1 Cor. 3.

Infra 9.

1 Cor. 11.
Quando iudicemus nosipsos.

Origenes.
Aug. libr. de Pœnitentiæ medicina, ca. 2. to. 9. sub fin.
Maximus 2. Centur. c. 41.

Melanchthonis ac Erasmi Sarcerij falsa eorū verborū Apostoli interpretatio reijcitur.

Chrys. ho. 28. in priorem ad Cor. tom. 4.

nostra tantùm voluerimus peccata cognoscere, si condemnare nosipsos, liberaremur vtique & ab huius futuri seculi supplicijs. Sic ille. Sed certè iudicare seipsum, propriè est punire, & vindictam debitā sumere de illo more Hebræorum, non tantùm apud Paulum, sed

Ioan 20.

etiam in Euangelio: vt; *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* Vides ex opposito quid sit iudicare. Rursus: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit,*

Supr. 3. Infra 5.

iam iudicatus est, iterum: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerint, in resurrectionem iudicij.* Paulus: *Forni-*

Hebr. 13.

catores, & adulteros iudicabit Deus. Et vel hic locus satis ostendit, quia sequitur: *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur;* ergo iudicare seipsū est corripere, ac punire. Hæc autem correptio quia non valet, nec sufficit ad remissionem culpæ, reatum pœnæ,

Iob 13.

quæ pro culpa remissa remansit, aut tollit, aut imminuit: quia Deus non iudicat bis in

2. Cor. 7. IV. locus.

idipsum. Deinde in posteriori epistola ad eosdē ait Apostolus: *Ecce enim hoc ipsum, secūdum Deum contristari vos, quantā in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, &c. sed vindictam*, & reliq. Quod licèt possit commodè referri ad sumptam vindictam de Corinthio incestuoso; aliqui tamen referunt ad vindictam, quam de propria negligentia assumebat, vt beatus Am-

B. Ambros. in posterio. ad Cor. c. 7. tom. 5 sub finem.

brosius, qui ait: *Necesse est vt quis vindicet eum, cuius erga me sentit affectum: & in seipsum vindicat, qui se causa delicti affligit.* Sic ille. Maximè etiam quod ibi paullo ante dicat Apostolus: *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilē operatur.* Et quia ait, In salutem, ergo pęnitentia coram Deo satisfaciebat. Per verbum enim, Pœnitentiā, nō possumus, aut debemus intelligere internum dolorem, quia hic intelligitur per tristitiam, qui pęnitentiæ dicitur causa, sed per pœnitentiam pœnam ipsam intelligimus, quā Deus non innocentibus, sed peccatoribus præscripsit, iuxta illud Regis Ma-

2. Paral. 26

nassis in Oratione: *Tu autem Domine secundum bonitatem tuam promisisti pænitentiam remissionis peccatorum. Et tu Deus iustorum non posuisti pœnitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt.* Nomine ergo pœnitentiæ intelligenda est veniæ satisfactio. Rursus eiusdem epistolæ ca. 12. *Timeo*, inquit, *ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immūditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Vbi de interna pœnitentia minimè videtur loqui, siquidem de illa non potest constare, sed de externa, quæ potest cerni.

Pęnitentia quid.

Hic ergo inspicere licet, pœnitentiam, quę pœnæ tentio est, & satisfactio non esse solùm medicinam vt vitetur sequens peccatum, sed respectum habere ad punienda præterita delicta. Idem quoque in episto-

V. locus.

la ad Colossenses scribens, inquit: *Qui nūc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Passiones Christi vocat Paulus eas, quæ sunt membrorum suorum, quique eius virtute patiuntur: & his passionibus desunt omnia quæ perpessuri sunt qui supersunt electi, ad diem vsq; iudicij. Paulus igitur pro Ecclesia satisfaciebat: & quia non pro culpa delicti, sequitur vt pro pœna satisfaceret. Quòd si quisquā pro alio satisfacit, multò ergo magis pro seipso poterit satisfacere. Rursus idem ad

Coloss. 1. Quæ sint passiones illæ, quas adimplere se Apostolus dicit.

VI. locus. Hebr. 6.

Hebræos: *Impossibile est*, inquit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Et in-

Infra 10.

frà: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* In his locis, cùm non possimus, neque debeamus cum Nouatianis sentire negari veniam lapsis; nonnulli voluerunt intelligi discrimen quod inuenitur inter

Baptismi inter & pœnitentiæ Sacramētum quid intersit.

Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ; vt in Baptismo quidē integrè renouetur quis, & passio Christi, quæ hostia est pro peccatis, ad omnimodam applicetur innouationem, ita vt pœna temporaria nulla supersit luenda. At in pœnitentia haud contingit talis innouatio: neque fit integra hostię Christi applicatio. Hinc Christus, qui in Baptismo dicitur propitiatio totius mun-

1. Ioan. 2. Rom. 3.

di, &; *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius*, postquam suscepto Baptismo peccauimus, iustus nuncupatur aduocatus, cuius non est curare, vt omninò contra iustitiam reus qui cliens est eius, absoluatur, sed vt ei seruata æquitate ignoscatur: quæ certè exigit, vt si non omninò seueram, at certè aliquam pœnam cliens subeat: nam vt rectè dixit Comicus: *Pro*

Terent. in And. act. 5. scena 3. Rom. 6.

maximo delicto paullulum supplicij satis est patri. Hinc Paulus ad Romanos ait, quòd Christus semel tātum pro delictis mortuus est, & per Baptismum nos illi cōfigurari oportet; vt quomodo ipse non pluries moritur; ita nec nos pluries baptizemur, sed in nouitate vitæ ambulemus, à qua si contingat recedere, per pęnitentiam, & satisfactionē resipiscamus. Hinc quoque Petrus in prio-

1. Petr. 4.

ri epist. ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis: vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei quod reliquū est in carne viuat temporis.* Perpēde Petrum asserere, quòd Christus desijt à peccatis, qui cùm

A quibus peccatis desijt Christus, vt inquit Petrus.

sit

sit innocentissimus, non de proprijs, sed de nostris quæ semel assumpsit peccatis, & quæ pertulit in corpore suo super lignum, intelligendus est. Et vt idem dixit Petrus, quo peccatis mortui iustitię viuamus. Hoc est, sicut semel Christus mortuus est pro nobis, ita semel integrè applicatur nobis Christi passio in Baptismo: post quem si à iustitia contingat recedere, superest pœnitentia strictior porta, quę satisfactionem habet adiūctam. Quod Dominus in Euangelio indicauit, cùm languido semel ad piscinam sanato, & in templum ingresso (qui typus erat ingressi in Ecclesiam per Baptismum) dixit: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et Petrus de redeuntibus ad vomitum scribit: *Melius erat illis nos cognoscere viam iustitiæ, quā post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Atque hæc mihi ex Scripturis aduersus hęreticos de satisfactione sint dicta, vt intelligas in quantis inscitię tenebris versentur, & quàm longè hallucinentur in intelligentia Scripturarum, qui satisfactionem nobis adimere conati sunt. Nos igitur vt finem Tractatui imponamus, lumen Dei ad intelligentiam Scripturarum petamus, quo Ecclesiastica dogmata inde accepta agnoscere valeamus: tantamque virtutem amplectamur, qua de nostris delictis in benigno, ac clementi Deo tribunali satisfacientes, futurū iustitiæ tribunal, quod rigoris & seueritatis est plenum, declinemus, præstante Domino nostro Iesu Christo, ac votis nostris annuente supremo illo, atque incorrupto vtriusque tribunalis iudice Domino nostro IESV CHRISTO, cui cum Patre, & Spiritu sancto omne seruitutis obsequium à nobis meritò est impendendum cunctis diebus vitę nostrę, ac in ęternum, Amen.

(*.*)

Supr. 2.
Ioan. 20.
2 Petr. 2.
Languidus ad piscinam a Christo sanatus, inque templum ingressus quid adūbrauerit.

TRACTATVS XXIV.

In quo satisfactionis Euangelicæ veritas simul atque necessitas rationibus, ac Patrum traditione confirmatur.

PRAECEDENTI Tractatu ex sacris vtriusque Testamenti literis pro statuendo satisfactionis articulo decertauimus: ne autem quisquam existimare valeat, rationum momentis destitui hanc veritatem, aut à ratione esse alienam, & dissentaneam, præsenti loco illam firmissimis rationibus, atque Patrum testimonijs confirmatam, ac munitam esse demonstrabimus, vt planè quisque valeat intelligere, quanta temeritate atque impudentia noui magistri illam demoliri, atque labefactare sint conati. Prima igitur ratio à diuina iustitia desumenda est: hæc enim exigit, vt non eadem ratione apud Deum reconcilietur ille qui vi concupiscentiæ oppressus, atque ignorantiæ peccatis detinebatur, atque ille qui post adeptam Christi gratiam, qui infirmitatem, & ignorantiam tollit, relabitur iterum: iste quippe quia magis est ingratus, durius venit tractandus, vindictaque de eo est sumenda dum reconciliatur. Hinc Michael Psellus in libro quem edidit, disputans an plena remissio detur in fine suscipienti habitum monachalem, ait ex sententia Gregorij Nazianzeni: *Quot afferemus lachrymas, vt fonti Baptismi exequentur? Etenim nisi tantæ fuerint lachrymæ, vt per eas nostræ iniquitates obruantur, non inuenientur eis superiores. Et hoc diuinus David iuuenis dicebat: Nisi in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Et infra: *Diuinum quidem lauacrum, sicut superius est dictum, etiam sine lachrymis largitur remissionem peccatorum. Quamobrem quod talis lauacro adest potestas, & quod facilè condonari possunt quæ ante Baptismum peccata sunt, vt quæ sint admissa propter ignorantiam, ostensum est: quæ autem post Baptismum, multis etiam lachrymis indigent, & non facilè quidem condonantur post Baptismum peccata, vt dictum est, quoniam prudentes, scientesque peccamus, & ideo multis vapulabimus.* Hæc ille. Hæc igitur prima ratio magno æquitatis pondere nititur, quæ aliter censet punienda peccata per ignorantiam admissa, aliter quæ scienter, ac prudenter. Vnde Dominus seruum nescientem voluntatem Domini, & non facientem, plagis ait paucis vapulare; at qui cognouerit, & non perfecerit, plagis vapulaturum multis. Præterea eadem iustitia præscribit, vt leuiùs agatur cum his, qui ex fragilitate, & animi imbecillitate delinquunt, grauius cum illis qui ex malitia, nulloque interno, aut externo solicitante. Hinc enim delictum Angeli insanabile redditum est; illud verò hominis, quoniam serpente solicitante admissum est, curatione dignum fuit. Qui igitur ante Baptismum delinquunt, per ignorantiam, & carnis fragilitatem in peccata prolabuntur: qui vero post Baptismum suscepto lumine Fidei contra inscitiam, & auxilio diuinæ gratiæ contra infirmitatem peccant, neque ignorantiæ, neque

1 Ratio.
Michael Psellus.
Greg. Naz.
Psal. 31.
Luc. 12.
Gen. 3.

imbecillitatis prætextum habere possunt. Quod si dicas, etiamnum quosdam post Baptismum per ignorantiam, quosdam verò per fragilitatem carnis delinquere; Respondeo, pro ignorantibus non haberi eos, qui iure debebant, & poterant scire; aut pro infirmis eos qui debebant, ac poterant infirmitatem suam vincere. Hanc rationem confirmat Felix Papa in epistola ad Episcopos diuersarum Prouinciarum, qui infrà citatur.

Felix Papa Cap. 1.

II. Ratio.

Secunda ratio, à Dei clementia, atque misericordia ducitur. Iustitiæ quippe diuinæ est ita pacta nobiscum inire; vt misericordiæ suæ, atq; benignitatis honor seruetur, ne ve conculcanda nobis obijciatur: verùm si quoties quis delinqueret, nulla de peccato sumpta vltione, Deo reconciliaretur, vt fit in Baptismo, nostra sanè malitia Dei abuteretur clementia, eam crebro offendendo, peccatisque irritando. Deus igitur pro suæ indulgentiæ honore seruando, pœnas luendas à peccantibus post baptismum pactis suis statuit, ne facilitas veniæ fomentum præberet delinquendi. Pulchrè ait Gregorius Nazianzenus: *Deus vltionum est Dominus, qui licet ob clementiam à seueritate ad remißionem inclinare consueuerit; non tamen in omnibus parcit peccanti, ne illi bonitate sua fiant deteriores.* Hæc ille. Nam si modo cognito confitendi, & satisfaciendi pacto, siue in hoc seculo, siue in purgatorio adhuc homines præcipites ruunt in peccata, quantò magis si abesset confessionis frænum, atque satisfactionis?

Greg Naz. orat. 14. in funere patris præsente Basilio aliquantò ante med. Psal. 93.

III. Ratio.

Tertia ratio: quia per satisfactiones, quibus propter peccata plectimur, persentiscimus, atque experimur quoad licet Christi passionem, quam pro nostris peccatis pertulit, illique conformamur, atque configuramur; ablata verò confessione, atque satisfactione, fructu tanto, ac tanti momenti priuaremur. Deus igitur ita pactum nobiscum statuit in Sacramento Pœnitentiæ, vt hanc occasionem nobis gustandi mortem Christi, illiq; compatiendi à nobis nō adimeret: qui ita sumus natura comparati, vt nōnisi necessitate quadam ad patiendū trahamur, atque ad crucem amplectēdam compellamur.

IV. Ratio.

Quarta ratio: Præter occasionem passionem Christi sentiendi, præbetur quoque per pœnitentias pro peccatis iniunctas maxima occasio malitiam, atque deformitatem peccatorum agnoscendi: nam quò magis pro illo affligimur, eò ampliùs quàm sit fœdum, deforme, ac detestandum, intelligere possumus, nisi cæci esse velimus. Ita ergo pacisci nobiscum Christus debuit, vt hunc tantùm fructum ex pœnitentia, quæ maximè ad vitia euertenda est instituta, assequeremur.

Pœnitentia ad quid potissimum instituta.

V. Ratio.

Quinta ratio: Ex eadem satisfaciendi obligatione maius peccati odium cōcipimus, ad illudque declinandum, maiorique virtute expugnandum armamur: ad maiorem ergo futuri peccati cautelam debebat Dominus satisfactionis medicinam in Sacramento Pœnitentiæ constituere, cum scriptum sit: *Fili, peccasti? non adijcias iterum.*

Eccli. 21.

VI. Ratio.

Greg hom. 8. in Leuit. post fin. tom. 1.

Sexta ratio: Quoniam peccatum admissum, vt tradūt Origenes, ac Patres, quasdam sui reliquias in anima impressas dimittit, & quædam veluti vestigia, quę remisso peccato remanēt. Cùm igitur ad illas abolendas conferat ex charitate satisfacere & actus illis cōtrarios exercere; sequitur, Deum pro sua sapientia ad hoc quoque commodum assequēdum instituisse satisfactionem. Nequaquàm tamen putandum est, ad solas reliquias satisfactionem esse ordinatā, vt paulò post disseremus.

VII. Ratio.

Septima ratio. Confert quoque satisfactio ad exemplum proximo præbēdum in ferenda cruce, & ad tollendum ab eo scandalum, si fortè nostro peccato fuit offensus: Deus igitur, qui hanc vtilitatem præuidit, ad eam quoque obtinendam satisfactionem instituere voluit.

VIII. Ratio.

Octaua ratio: Cū satisfactio in charitate fieri debeat, vt rectè fiat, & consequenter satisfacientes mereantur apud Deum; at nos satisfactionis merita pro infirmitate nostra nequaquā amplecteremur, nisi lege cogeremur satisfacere; quia rarò natura nostra ad supererogandum inclinatur. Deus igitur quo nos tanto bono donaret, quantum est meritum, obligationem satisfaciēdi nobis reliquit, leue pœnæ malum iniungens cum magna misericordia.

IX. Ratio.

Nona ratio: Quoniā ablata satisfactione, omninò veritas purgatorij de medio tollitur: cùm enim post mortem non remaneat locus satisfaciendi hominibus, cum quibus non versatur, si Deo nō debet vllam satisfactionē pro peccato, nulla profectò superest purgatio, aut purgatorij loci veritas: quod tamē in Scripturas est, & traditionem Patrum, atq; rationem. Tollerentur quoque indulgentię, quæ ad remissæ culpæ reatum temporalis pœnæ tollendum ordinatæ sunt. Denique tolleretur pœnitentia iniuncta de occultis delictis, quia illa proximum non offendūt, vt oporteat coram illo satisfacere: hoc autem est contra Augustinum, & Leontiū: est igitur stabilienda satisfactio.

Indulgentię ad quid institutæ.

Augustinus. Leontius.

X. Ratio.

Decima ratio: Maius est, opera quæ fiunt extra Dei gratiam ad remissionem peccatorum, & iustificantem gratiam suscipiendam disponere, quàm opera in gratia facta debitum

pęnæ

pœnæ temporalis expiare, quantò maius est malum peccatum, quàm pœna, & quantò minora sunt opera extra charitatem facta, quam quę cum ea fiũt. Sed opera extra charitatem ex peculiari Dei auxilio prodeuntia dispõnũt ad gratiam, vt Scripturę, & Patres volunt, & in Decreto de Iustificatione, sess. sexta Concilij Tridentini est definitum: & hoc non solum sine Christi iniuria, imò cum eius laude & gloria: ergo à fortiori poterunt satisfacere. Præterea maius est promereri gloriam, quam satisfacere pro pęna temporali, quantò maius est bonũ gloria, quàm liberatio à reatu pœnæ ad tempus soluendæ, quam tamen in purgatorio patiẽdo peccator exoluisset? atqui opera in gratia facta proculdubiò merẽtur vitam æternam, ergo multo magis satisfactio, quod minus est. Vndecima: Lumen naturæ omnibus ratione vtẽtibus insitum, dictamẽq; ipsius synderesis nunquã in errorem inducit, alioquin circa prima principia, quæ ad speculationẽ, vel praxim spectant, errare homines contingeret: at omnes homines quouis tẽpore, ac loco, & sub quauis lege, ac secta viuẽtes hoc habent veluti inditum, quod interius ad puniẽdum suum peccatum inclinantur. Punitio ergo illa, quæ est satisfactio, neque frustrà est, neque contra Deum naturę conditorẽ militat, ita vt qui tollit satisfactionem, legem naturæ tollere videatur: quippe eius impulsu Adam & Eua, Cain, & Lamech, & Niniuitæ, qui solam naturæ legem agnoscebãt, ad amplectendã pœnitentiam per seipsos, aut ad acceptandam à Deo immissam, & impositam cõuersi sunt. Cùm igitur Christus legem naturæ in Euangelio non abstulerit, sed constabiliuerit potiùs, atq; cõfirmauerit, sequitur, Christum obligationem satisfaciendi in aliquo Sacramẽto nobis indixisse. Duodecima ratio: In lege Moysi variæ erant mulctæ, diuersæq; peccati vindictæ varijs peccatis assignatæ, vt videre est Leuit. 4. & 5. quæ nihil aliud erãt quàm satisfactiones, quibus Deus se ait placari, & propitiari pro peccatis admissis. Ex quibus liquidum fit, contritionem totum pœnæ debitum non delere. At illæ pœnitentiæ etsi quantum pertinet ad taxationẽ particularem, ad legales cæremonias spectarent, & propterea in Euangelio locum non habeant; tamen in genere quantum ad hoc pœnitentia esset peccatori iniungenda, nixæ, ac fundatæ erant in lege naturæ, & ad moralia spectabant: quemadmodum Nazaræorum votum, quatenus legalem includebat cæremoniam, legale est, at in genere votum, & voti redditio morale

Concilium Trident.

XI. Ratio.

Gen 3. Ibidem. Ion 3.

XII. Ratio.

Ierem. 35. & seq.

existit: quod etiam de festis, atque alijs legis cęremonijs dici potest. Cùm igitur moralia in Euangelio obligent, sequitur quòd erit locus satisfactionib', & quod Ecclesia ius habet de illis statuendi, ac decernendi, quemadmodum de alijs festis, & cæremonijs fecit. Postrema ac firmissima ab Ecclesiæ consuetudine ducitur ratio: nam ea ratione, atq; modo recipiẽdus est quis in gremiũ Ecclesię, sicut Ecclesia hunc suscipere mandat. Ita Augustinus in libro de vnitate Ecclesię contra Donatistas, respondens ad eorum quęstionem, quomodo essent recipiendi, si ad Ecclesiam redirent, num per pœnitentiæ Sacramentum, an per rebaptizationem: *Sic vos, inquit, suscipimus, quomodo suscepit Ecclesia, quã in sanctis libris Canonicis inuenimus.* Et infrà: *Quòd si non vis, non mihi, aut cuiquam homini, qui vult ita suscipere, sed ipsi Saluatori contra salutem tuam perniciosissimè reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscepit illa Ecclesia, quam testimonio suo commẽdauit ille, cui fateris necessarium esse non credere.* Et paullò antè: *Dicat mihi nũc hæreticus; Quomodo me suscipis? Citò respondeo: Sicut suscepit Ecclesia, cui Christus perhibet testimonium. Nunquid tu melius potes nosse quomodo suscipiẽdus sis, quàm Saluator noster medicus vulneru tui?* Hactenùs ille, egregiè docens, eum, qui reluctatur Ecclesiæ consuetudini in modo suscipiendi ad eam venientes, ipsi Christo aduersari, qui vt cognouit quomodo essemus suscipiendi, & sanandi, ita eum modum Ecclesiæ reuelauit, ac tradidit suæ. Enimuerò cùm extra eum non sit salus, si in ratione suscipiendi peccatores erraret, in necessarijs ad salutem deficeret. Cum igitur Ecclesia, vt ex serie Patrum accipi potest, pœnitentes ab initio non suscepit, nisi iniũgẽdo eis pro delictis etiã occultis satisfactiones, quibus ipsi Deo, & nõ solùm hominibus facerent satis; planè consequitur, eos, qui talem satisfactionem negant, Christo iniuriã inferre, putãdo, quomodo inquit Augustinus, se meliùs nosse, quomodo suscipiẽdus sit ab Ecclesia pęnitens, quàm ipse Christus medicus vulnerũ ipsorum. Quoniam verò inter rationes assignatas vnã attulimus, satisfactionẽ nempè institutam ad delẽdas peccati reliquias, quod quidem verissimum est: illud tamen superest addendum, quòd nõ solùm ob illas diluendas, sed etiam ob alias causas; & præsertim ob pœnas temporales luendas, quæ condonata culpa, & pœna æterna relinquuntur, fulcienda, ac confirmanda est satisfactio. Quod quò commodiùs prępstetur, in primis quid sint istæ reliquiæ peccati, quæ curantur per satisfactionem, inuesti-

XIII. Ratio.

Aug. lib. de vnit. Eccle. c. 18. init. to. 7.

Cap. 19. Non longe ab init.

Quæ sint reliquiæ peccati, quæ per satisfactionem curantur.

I. Opinio. *Thom. in 4. dist. 23. in responsi. ad 1. quæstiunc.*

inuestigandum. Thomas quidem per reliquias peccati, quibus extrema vnctio medetur, asserit, habitum, vel dispositionem ex peccato remanentem intelligi non debere, sed grauedinem quandam animum ęgrotantis impedientem ne assurgat ad diuina. Atque ita habitus, & dispositio non sunt illæ reliquiæ, quæ curantur in extrema vnctione: quia videmus, (vt ait Thomas) post extremam vnctionem susceptam in ægrotis conualescentibus remanere, licèt in ægritudine propter infirmitatem virium essent sopitæ. Alibi tamen Thomas, hoc est, in Sacramento pœnitentiæ, per reliquias præcipuè intelligit habitus, & dispositiones. Pœnæ autem temporales non possunt propriè dici reliquiæ, quæ per satisfactionem curētur, quia satisfactio ipsa quid aliud est, quàm pœna temporalis, & pœnam temporalem non curat: quis enim ita stultè diceret: Pœna temporalis curatur à pœna temporali? Quare beatus Bonauentura etiam in Quarto de Sacramento extremæ vnctionis edisserens, reliquias intelligit pœnas spirituales, non temporales. Habemus igitur, reliquiarum nomine, quæ per satisfactionem curantur, non esse intelligendas pœnas temporales, sed spirituales, atque inter eas præsertim habitum, vel dispositionem, vt ex Thomæ doctrina accepimus.

Idem in 4. dist. 14.

II. Opinio. *B. Bonauent. in 4. dist. 23. q. 1.*

Satisfactionē non esse solū ad peccati reliquias tollendas institutam ostenditur. I. Ratio.

His positis, probemus iam, satisfactionem non esse solùm propter reliquias peccati curandas. Primò, quia quandoque contingit, vt quis peccati actum committat; & non generetur habitus; & ita opus non esset tunc ad habitum delendum satisfacere. Nec valet, si quis dicat, per vnum actum quandoque habitum generari. Quia etsi actus quasi agentia na[tura]n alia ad gignendos habitus nitantur, & actus agentium sint pro eius quod patitur dispositione; ita etiam potest contingere actum tam esse intentum, & habitum passiuum tam facilem, & habilem ad suscipiendum habitum, quòd ex vno actu habitus generetur: vt plurimum tamen, ac communiter, quia actus sunt remissi, ac potentię malè obsequentes, vt frequenti actuum repetitione opus sit ad generandum habitum, vt in scientijs ipsis, & artibus, atque adeò in virtutibus, & vitijs experimur. Argumentum igitur posita hac veritate vim habet suam: non enim nititur in hoc, quòd nullus actus generat habitum, sed quòd aliquis illum non generat, ac proinde de tali actu peccati procedit argumentum. Deinde idem probatur: quia si satisfactio solùm ad delēdas dictas referretur reliquias, nunquam quis nisi per actus contrarios satisfaceret: sed vt habet Ecclesiæ Catholicæ doctrina, quandoque homo satisfacit per ægritudines, interdum per eleemosynas, nonnūquam per obsecrationes, interdum per ieiunia. Esto quòd isti actus non sint contrarij actioni prauæ, pro qua satisfacimus: nam pro omnibus peccatis iniungit Innocentius III. loco satisfactionis, vt eant in Terram sanctam, ad pugnandum cōtra infideles: per ieiunium etiam potest quis satisfacere peccato superbiæ, & per precationem peccato carnis, vel gulę, vel auaritiæ, atq; ita de alijs. Non igitur satisfactio solùm respicit malos habitus, aut dispositiones. Tertiò, firmum nectitur argumentum: quandoquidē eiusmodi reliquiæ manēt etiā in baptizato, vt experiētia ipsa indicat, & ratio demōstrat: quia etsi actus peccati culpa sit, habitus tamen manēs non est nisi pœna, qui etiam in dormiente manet, & nobis ingeneratur nolētibus. Nec enim incontinens vellet habitum intemperātiæ in se gigni, quia displicet illi vitium, cùm redit ad se ipsum. Cùm igitur huic habitui, sicut nec fomiti gratia non aduersetur, sequitur quod vt in Baptismo nō tollitur fomes, nec claudicatio, vel similia alia, ita etiā nō tollitur peccati habitus, licèt gratia conferatur ad reprimendos eius motus, sicut & ad fomitis propensionem, & inclinationem coercēdam. Atque idem est dicendū de dispositione, quæ debilior est qualitas, quàm habitus. Quoniam ergo post Baptismum istæ reliquiæ remanent, sequeretur, quòd in Baptismo op[us] esset satisfactione, quod est contra fidem; vel quòd satisfactiones non sunt referendæ solùm ad has reliquias tollendas. Quartò per indulgentiam plenariam tollitur omne satisfactionis debitum in eo, qui illam verè, ac rectè suscepit, vt tradit Ecclesiæ doctrina. Sed per illam minimè istæ reliquiæ abolentur, vt ipsa experientia monstrat, & ratio non obscurè indicat, quia nō facit ibi actum aliquem, per quem omnes mali habitus debeant tolli. Qui etiam confert indulgentiam, gratiam non largitur, quia illam ponit, verum tollit solùm, seu remittit debitum pœnæ temporalis: quod quidem sine aliqua interna mutatione accipientis fieri contingit: quemadmodum ego possum remittere quod mihi debetur, tametsi non tollantur mali habitus debitoris, vel immutetur interius qui debet. Quia igitur satisfactio omnis est ibi ablata, & habitus, & dispositiones remanent; pro illis ergo non est satisfactio. Quintò, satisfactio dicitur pro peccatis, non quidem ad remittendam culpam,

II. Ratio.

III. Ratio.

IV. Ratio.

V. Ratio.

culpam, quæ ponitur iam remissa, sed quia culpam commisimus: adeò vt cùm iniungitur, semper habeat respectum ad culpam præteritam, & non ad solam pœnam futuram, siue imminentem: sed habitus & dispositio sunt puræ pœnæ, ergo de illis propriè non est satisfactio: alioquin cogeretur quis de pœna cæcitatis satisfacere, si ob peccatum suum cæcitatem volens incurrisset: quod simul ineptum est, atque falsum. Ideò quamuis dixerimus; satisfactiones iuuare ad purgandum dictas peccati reliquias, præsertim si fiat per actiones illi contrarias: non tamen asseruimus quòd satisfacimus de illis. Sextò denique ita dicere, & tacere quod præcipuum est, cùm hæreticis esset in verbis communicare, ac suspectum se reddere, quod etiam in sensu communicet. Nam hæretici ita loquuntur: ait enim Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ: *Quòd autem Patres mentionem faciunt satisfactionis, quòd Concilia fecerunt Canones: diximus suprà disciplinam Ecclesiasticam fuisse exempli gratia institutam. Nam si qui in his mentionem peccatorum fecerunt: interpretantur esse non compensationem æternæ pœnæ, non satisfactionem, sed purgationem imperfectarum animarum.* Rursus idem in locis Communibus, cap. de partibus pœnitentiæ: *Exercitia*, inquit, *sibi imponere debent sancti ad coërcendam carnem, iuxta illud Apostoli: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c. at sine Scriptura dicitur, quòd præteriti peccati pœnas, hoc est, satisfactiones sibi imponere debent.* Hæc ille, qui admittit satisfactionem ad castigationem carnis, & purgationem imperfectarum animarum, non autem ad exoluendas præteriti pœnas peccati. Atque hactenus de rationibus sit dictum.

[VI. Ratio.] [Melanchthō.] [Idem.] [1. Cor. 9.]

Iam superest traditionem proferre, quæ in Pontifices, Concilia, atque Doctores distinguenda est. Ex Pontificibus igitur primus sit Clemens Roman. lib. 2. de Constitutionibus Apostolicis, vbi loquens de eo, qui ab Ecclesia eiectus est, & posteà pœnituit, iubet eum admittere, facta priùs diligenti examinatione num pœniteat, dignusque sit qui in Ecclesiam admittatur: tum iubet absoluere indicto ieiunio, secundùm qualitatem peccati duabus, aut tribus hebdomadibus, & subiungit: *Nam quòd eum qui deliquit, oportet proprij delicti pudore affici, satis demonstrat sermo Mosis pro Maria dictus, quando rogabat, vt ei peccatum remitteretur. Ait enim Deus Mosi: Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne verecundia affecta esset? Septem dies ejiciatur extra castra, & posteà ingrediatur. Idem nos facere debemus, & eos, qui se peccatorum pœnitere dicunt, segregare per certum tempus secundùm proportionem peccati: deinde pœnitentia peracta, recipere tanquam patres filios.* Hæc ille, docens sine pœnitentijs iniunctis non esse absoluendos. Collige etiam, quòd illa, quæ à sanatis à lepra, siue pauperibus, siue diuitibus lex exigebat, mysticè significabant maiores vel minores satisfactiones pœnitentiales quæ fiunt post condonationem culpæ instar sacrificij ad impetrandum introitum in castra cœlestia; ac proinde non valere, nisi in gratia fiant post spiritualem peccati lepram sanatam. Idem Clemens in epistola ad Iacobum fratrem Domini: *Tam iuuenes*, inquit, *quàm senes, de his, & de omni conuersatione sua, & conuersione, & pœnitentia valdè esse solicitos oportet, satisque agere, vt hæc condignè agant.* Et infrà: *Orare semper Deum* (scilicet oportet) *ex toto corde, & ab ipso petere quæ decet, ipsi gratias agere, veram pœnitudinem gerere præteritorum gestorum, aliquantulum etiam (si possibile est) per misericordias pauperum iuuare pœnitentiam. Per hæc enim facilior venia dabitur, & indulgenti citiùs indulgebitur.* Hæc ille, planè agnoscens satisfactionem intuitu præteritorum peccatorum, & coram Deo, & coram hominibus. Anacletus epistola ad Episcopos Italiæ: *Si quis autem contra eos,* (scilicet antistites, & Episcopos) *vel Ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit: priùs ad eos charitatis studio, vt familiari colloquio commoniti ea sanent, quæ sananda sunt, & charitatiuè emendent, quæ iustè emendanda agnouerint. Si autem aliqui eos priùs quàm hoc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minimè absoluantur, antequam per satisfactionem (vt iam dictum est) condignam egerint pœnitentiam: quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur.* Hæc ille, qui satisfactionem apertè plus postulat propter iniuriam Christi, quàm hominum. Adhæc Callixtus Primus epistola ad Episcopos Galliæ: *Nos verò*, inquit, *indubitanter tam Domini Sacerdotes, quàm reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus.* Et infrà: *Videns enim Propheta scelera sua mundata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando, & Domino libando curare aliena. Hic de satisfactione apud Deum loquitur: quia ille mundata ait Propheta scelera: satisfactio autem tantùm apud homines scelera non permundat.* Felix III. ad Episcopos per diuersas prouintias constitutos: *Qui satisfacturus Deo per pœnitentiam, se rebaptizatum legitimè doluerit, vtrùm ad hoc facimus cucurrerit, an impulsus accesserit, requiratur, sciens quòd se*

[Patrum traditione idem ostenditur.] [Pontifices.] [Clem. Rom. li. 2. cōst. Apost. c. 19.] [Quis sit pœnitentię modus, & quomodo rectè peragatur.] [Num. 12.]

[Leui. 14. & seq. Quæ ab his, qui à lepra mundati essent, à lege præscripta erant, quid significarent.] [Idem ep. 1. aliquanto ante medium.] [Anaclet. ep. 2. can. 2.] [Callixt. I. ep. 2. can 5. post medium.] [Felix III. ep. 1. c. 1. init.]

Qui fallit, se ipsum decipit.

decipiat ipse qui fallit: nihil per nostram facilitatem tribunalis, excelso iudicio derogari, cui illa sunt rata, qua pia, qua vera, qua iusta sunt, & aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Huius Pontificis verba tam aperta sunt, vt non indigeant vlla ponderatione. Innocentius I. epistola 6. ad Episcopos Macedoniæ: *At dicitur,* inquit, *vera, ac iusta legitimi Sacerdotis benedictio, auferre omne vitium, quod à vitioso fuerat inuectum. Ergo si ita est, applicentur ad ordines sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis crimina, vel vitia putantur auferri. Nullus sit pœnitentia locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consueuit.* Vides hic longam satisfactionem præstare remissionem criminum? Non est ergo satisfactio tantùm apud homines. Idem ad Decentium Eugubinum Episcopum: *Caterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis: ac tùm debere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* Leo Primus epistola ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum: *Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communicationem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Vbi conspicis, potestatem absoluendi traditam esse ita Sacerdotibus, vt pœnitentias imponerent confitentibus. Idem ad Nicetam Episcopũ Aquileiensem, vult, eos, qui immolatitijs cibis asseruntur esse polluti, pœnitentiæ satisfactione purgari: quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda est. Idem sermone de ieiunio: *Oratione propitiatio Dei quæritur: ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleëmosynis peccata redimuntur: simulquè per omnia Dei in nobis imago renouatur.* Gelasius quoque epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos: *Viduæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint: periculi earum intererit, quali debeant Deum satisfactione placare, quia, iuxta Apostolum, primam fidem irritam fecerunt.* Perpende in hoc testimonio, Deum nostra satisfactione placari. Gregorius epistola ad Teutitium Patritium: *Duobus modis,* inquit, *sancti viri etiam à licitis abstinent: aliquando vt merita sibi apud Deum omnipotentem augeant; aliquando vt anteacta vitæ culpas diluant.* Idem edisserens illud: *Facite fructus dignos pœnitentiæ: Notandum est, quòd amicus sponsi non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos.*

Innoc. I. epist. 22. cap. 4.

Idem ep. 1. Can. 7. de consecr. dist. 3. de pœnitenti.

Leo I. ep. 91. initio.

1. Tim. 2.

De pœn. dist. 1. Multiplex.

Idem ep. 97. cap. 5.

Idem serm. 1. de ieiun 10. mensis, in fin.

Gelas. epist. 1. ca. 23. 27. q. 1. ca. vidua.

1. Tim 5.

Greg li. 3. Registri, ep. 39. tom 2.

Duobus modis sancti viri etiam à licitis abstinent, teste Gregor.

Idem ho. 20. in Euan non longè à princ. tom. 2.

Aliud namque est fructum facere, aliud dignum pœnitentia fructum facere. Neque enim par fructus boni operis esse debet, eius qui minus, et eius qui amplius deliquit, aut eius qui nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam.

Producamus iam nonnullos Conciliorum Canones. Canon 102. sextæ Synodi ita habet: *Oportet, qui facultatem absoluendi, & ligandi à Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, & peccatoris promptitudinem ad remissionem, vt sic medicamentum admoueant ægritudini aptum: ne si de peccato sine discrimine statuant, aberrent à salute ægrotantis.* Hæc ibi, vbi pœnitentia iniuncta dicitur medicamentum. Adhæc in octaua Synodo act. 9. Theodoro Protospatario, qui in causa Ignatij Episcopi Constantinopolitan, iussu, & hortatu Imperatoris Michaëlis peierauerat, Legati Apostolici dixerunt: *Fecisti confessionem, & accepisti pœnas de peccato illo pœnitens?* Ait ille, *Etiam.* Rursus Legati: *Cui confessus es, & à quo accepisti epitimion?* Ibidem Leoni Consuli, qui similiter peierauerat, dicunt, *Fecisti pœnitentiam, & accepisti epitimion? neglexisti accipere epitimia? post hæc communicasti, an non.* Leo respondit, *Non.* Vides ergo ante satisfactionem reos non communicasse. Adhæc Concilium Lateranense: *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti: & iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Et infrà: *Sacerdos autem sit peritus, & cautus, & more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati.* Concilium Florentinum in Bulla vnionis Armeniorum: *Tertia* (scilicet pœnitentiæ pars) *est satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleëmosynam.* Concilium Tridentinum sessione sexta decreti de iustificatione doctrinam tradit de satisfactione. Et in eadem sessione, Canon. 30. *Si quis* (inquit) *post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in seculo, vel in futuro purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit: anathema sit.* Sess. quoque 14. de satisfactione doctrina egregia, & Catholica traditur: & postea Canonib⁹ quatuor anathema hæreticis infligit. Inter quos primus est:

Matth. 3. Ioann. 3. Fructum facere, & dignum pœnitentiæ fructum, sunt diuersa.

Concil. Generalia. VI. Synod.

VIII. Synod.

Conci. Later. sub Innoc. 3. c. 21. extr. de pœni. & remiss. c. Omnis.

Luc. 10.

Concil. Flor.

Concil. Trid. sess. 6. decreto de iustificat. ca. 14.

Cap. 8. & 9.

Can. 12.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

Cant. 13.

Secundus Canon. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleëmosynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm nouam vitam: anathema sit.*

Can. 14.

Tertius Canon: *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obseruantes: anathema sit.*

Matt. 15.

Matth. 16. & 18.

Quartus Canon: *Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum: & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clauium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, anathema sit.* Perpende in illis tribus Generalibus Synodis, Lateranensi scilicet, Florentina, Tridentinaque apertè insinuari, ac tradi, vsum clauium in absoluendo, coniunctum esse cum potestate ligandi ad pœnam temporalem. Conciliorum verò prouintialium innumeri extant Canones præcipientes iniungi pœnitentiam, iuxta qualitatem criminis: vt Africanum III. Toletanum III. Cabilonense, & Synodus Rom. sub Gregorio VII. dicens falsas omnes pœnitentias, quæ iuxta sententiam sanctorum Patrum pro qualitate criminum non imponuntur. Verùm hos Canones non putaui operæpretium hoc loco apponere, cùm omnibus satis sint expositi. Et quoniam qui vniuersaliũ Conciliorum decretis nõ paret, minùs Prouincialibus Canonibus obsequetur. Certè D. Petrus Alexandr. Episcopus, qui ἱερομάρτυρ dictus est, & Gregorius Neocæsariensis vocatus θαυματουργὸς, Canones de pœnitentibus ediderunt; vt videas antiquissimam esse in Ecclesia doctrinam de pœnitentijs & satisfactionibus iniungendis.

Concilia prouincialia.
Concil. Africanum III. Can. 31.
Tolet. III. Can. 11.
Rhemense Can. 16
Synod. Rom. sub Greg. VII.

D. Pet. Alex. Episc.
Greg. Neocæsariensis.

Veteres Patres atque Doctores.
Iren li. 4. cap. 26. in fine.

Sed iam nonnullos ex veteribus Doctoribus, ac Patribus producamus in mediũ. Irenæ. igitur lib. 6. aduersus hæreses Valentini, & similium, sic habet: *Docebat* (scilicet Christus) *vt facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum. Quoniam autem ea quæ possidentur, pauperibus diuisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis: Zachæus fecit manifestum: Ecce, dicens, dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si cuius quid defraudaui, reddo quadruplum.* Idem eodem libro id ipsum alio loco tradit.

Luc. 19.

Idem ibid ca. 49. & li. 3. cap. 5.

Tertullianus libro de pœnitentia: *Quam porrò ineptum, quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Idem libro de Baptismo, in fine: *Nobis*, inquit, *gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras. Simul enim & de pristinis satisfacimus conflictatione carnis, & spiritus, & subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus.* Vides Tertullianum asserere, satisfactiones respicere præterita delicta, atque futura, vt hæc non habeantur, illa compensentur? Origenes, aut potiùs Cyrillus in Leuiticum: *Sed vide, quia etiamsi mundetur quis à peccato, & non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purificatione indigent, & ea quam exposuimus, & alia nihilominus quæ mandãtur in consequentibus.* Et infrà: *Vnde mihi videtur esse quasdam & in ipsa purificatione differentias, & (vt ita dixerim) profectus quosdam purgationum. Potest enim & de illo, qui cessat à peccato, dici, Et mundus erit: sed non statim ita mundus videbitur, vt ad summam puritatis accesserit.* Hæc ille, qui cùm remissum concedat esse peccatum, proculdubio homo in gratia existit; & adhuc tamen opus habet purgatione, qua temporalis exoluatur pœna delicti. Cyprianus ad Cornelium Papam: *Intercedunt* (scilicet hæretici quidam) *ne exoretur precibus, & satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profitetur.* Et infrà: *Datur opera, ne à satisfactionibus, & lamentationibus iustu delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.* Idem in epistola ad presbyteros, & diaconos: *Possunt agentes pœnitentiam veram Deo Patri ad misericordiam precibus & operibus suis satisfacere.* Et ad Antonianum: *Aliud est*, inquit, *ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire, aliud, missum in carcere, non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud, peccata omnia passione purgasse.* Et infrà: *O frustranda fraternitatis irrisio, ô miserorum lamentantium caduca deceptio, ô hæretica institutionis inefficax, & vana traditio, hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere fratribus nostris, Plange, & lacrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemisce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, &*

Idem.

Orig seu potius Cyril. ho. 8. in Leui. sub fin. tom. 1.

Remissi etiam peccati in anima manent vestigia, secundùm Orig.

Cypria. l. 1. ep. 3. paullò post med.
Matth. 10.

Idem lib. 3. ep. 14. ante med.
Idem li. 4. ep. 2. aliquanto post dimid.

Matth. 18.

frequenter operare, & cætera. Idem in epistola ad presbyteros, & diaconos tradit. Et in sermone de lapsis, propè finem: *Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putas ne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere voluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere, in cinere, & cilicio, & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum nullum iam velle vestitum: post diaboli cibum, malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleëmosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.* Et infrà: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus est, & adiutus à Domino: quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Et sermone de pietate & eleëmosyna sub initium: *Remedia propitiando Deo, ipsius Dei verbis data sunt: quid deberent facere peccantes, magisteria diuina docuerunt. Operationibus iustis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari.* Hæc Cypriani testimonia firma sunt, & solida, efficaciterque somnia Hæreticorum excutiunt, oraque illorum obtundunt, vt solui nequeant. Lactantius in Diuinarum institutionum libris: *Volens enim*, inquit, *vita, ac salutis nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, & vt si cor nudauerimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Idem rursus alio loco: *Nam & in hoc quoque malitia illorum conuincitur, qui euertisse se funditus religionem Dei opinantur, si homines inquinauerint, cùm & Deo satisfacere liceat, & nullus sit tam malus Dei cultor, qui data facultate, ad placandum Deum non reuertatur, & quidem deuotione maiori.* Item alibi inquit: *Abolentur autem* (scilicet peccata) *si Deo largiare, quia peccaueras: nam si fiducia largiendi preces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit: ideoque agere pœnitentiam iubet.* Et infrà: *Nec tamen deficiat aliquis; aut de se ipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad iniustitia viam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo.* Et infrà: *Ideoque Græci melius, & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos Latinè possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius viuendum: tùm illud ipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* Sic ille, eleganter docens & vim pœnitentiæ, & necessitatem satisfactionis pro peccato Deo exoluendæ. Arnobius in Psalm. 106. initio: *Audi Nouaciane, audi de quibus loquitur: vult enim in isto Psalmo agere contra te specialiter Spiritus sanctus. Tu enim dicis, Qui adhuc non sunt redempti, ipsi possunt ad indulgentiam per pœnitentiam peruenire. Nos dicimus, illi per fidem solam ad indulgentiam pertingunt: isti autem qui iam redempti sunt, non per fidem solam, quia iam crediderunt, sed per pœnitentiam perueniunt ad misericordiam redemptoris.* Hæc ille, vocans solam fidem, quæ cum baptismo coniuncta est citra satisfactionem. Hilarius in Matthæum: *Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur.* Et infrà: *Iubemur igitur non ambigere de futuris, satis enim vita nostra malitia, & dierum quibus viuimus, peccata sufficiunt, vt circa hæc purganda, & promerenda omnis vita nostra meditatio, laborque versetur, ne etiam de futurorum diffidentia inexpiabilis religiositas contrahatur.* Ambrosius libro de Pœnitentia: *Apostoli hoc habentes secundùm Christi magisterium pœnitentiam docuerunt, spoponderunt veniam, culpam relaxauerunt: sicut & David docuit, dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Vtrumque enim beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum: sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum.* Et infrà: *Quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum. Faciliùs autem inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effusio, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renuntiandum seculo est, seculo minus indulgendum, quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus est orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui, se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur.* Et in illa verba Apostoli ad Romanos: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*, ita scribit: *Verum est, quia gratia Dei in baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. Ne enim quia grauiter deliquerant non recipiendo promissum*

Idem libr. 14. ep. 4 initio. Idem. Satisfactionis opera. Idem serm. 1. Peccatorum remedia quæ. Lact. l. 4. c. 17 sub finem. Idem l. 5. c. 13. sub init. Idem l. 6. c. 13. initio. Idem ibidem c. 24. init. Μετάνοια Græcis quid.

Arnobius. Contra Nouatianum. Solam fidem quam vocet Arnobius. Hilar. can. 4 in Matt. non longè à fin. Prouer. 10 & 1. Petr. 4. Matt. 18. Can. 5. propè finem. Ambr li. 2. de pœn. ca 5 sub fin. tom. 2. Psalm. 31. Duplex beatitudo vere pœnitentis, secundum Ambrosium. Cap 10. circa med. Faciliùs inueniuntur qui innocentiam seruent, quàm qui congruè agant pœnitentiam. Idem in c. 11. epist. ad Rom. tom 5. Quid sibi velit illud Apostoli Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.

missum Dei, & quia quæ grauiter peccantur, non nisi fletu, & gemitu ad veniam pertinent: ne ideò illos non posse iam accipere misericordiam putarent, quia dolere illos non videbant: ostendit hoc inter primordia Fidei non requiri. Donum enim Dei gratis donat peccata in baptismo. Idem in libro ad Virginem lapsam: Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas gehennæ perpetuo in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, se ipsum ab æterno iudicio liberat.

Idem li. ad virg. lapsam, 8 post med. to. 4.

Basilius in illa verba: Attende tibi ipsi: Attende, inquit, tibi ipsi, vt pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est, & graue peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso, & continenti ieiunio. Leuis est, nec intolerauda offensio? Huic quoque exæquetur pœnitentia.

Basil. hom. 3. ante med. tom. 1.

Idem in regulis breuioribus: Quomodo debet aliquis pœnitentiam agere de singulis peccatis, & cuiusmodi fructus ostendere dignos pœnitentiæ? Responsio. Nimirùm si similem illius animum induerit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: & ea præstiterit, quæ scripta sunt in sexto psalmo, & alijs plerisque, et si ea fecerit, quæ pro alio qui peccauerat, facta ab ijs fuisse Apostolus testatur, qui secundùm Deũ contristati fuerant: Ecce enim, inquit, hoc ipsum secundum Deum contristatos esse vos, quantam in vobis operatum est solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. Et si, vt Zachæus, commissa peccata contrarijs rectè factis multis compenset.

Idem in regu. breuio. interrogat. 5. to. 2.
Psalm. 118.
2. Cor. 7.
Luc. 19.

Gregorius Nazianzenus oratione in sancta Epiphaniarum lumina, sub finem: Scio etiam, inquit, & quintum, lacrymarum (scilicet baptisma) nempè, sed laboriosius, sicut ille, qui per singulas noctes lectum lauat suum, & stratum lacrymis: prob malitiæ, cuius putruerunt & cicatrices, qui lugens ac mœstus incedit, qui imitatur conuersionem Manasse, & Niniuitarum miserandam humilitatem, qui publicani in templo loquitur voce, & vltra iactatorem iustificatur Pharisæum, qui tanquam Chananæa incuruatur, & misericordiam quærit, & micas canis cibum esurientis desiderat. Et infrà: Æquale enim est malum, & dimissio absque castigatione, & castigatio sine venia: quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc verò nimium ristringit.

Greg. Naz. in sãcta Epiphaniarum lumina, orat. 2.
Psalm. 6.
2. Par. 26.
Ion. 3.
Luc. 18.
Matt. 15.

Idem in oratione in sanctũ lauacrum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Siquidem hoc ad omnimodam spectat purgationem. Et quorum tecta sunt peccata: hoc ad eos pertinet, qui nondum penitùs sunt purgati. Beatus vir cui non imputat Dominus peccatum: tertius peccantium ordo, quorum opera non laudanda, voluntas verò pœnæ obnoxia non est.

Idem orat. 3. aliquanto post medium.
Psalm. 31.
Peccantium ordo triplex, ex Nazianz.

Eusebius Cæsariensis li. Ecclesiasticæ historiæ: In quibus & Apostolis omnes, præcipuè tamen Iacob, qui dicebatur frater Domini, in Ierosolymis Episcopus constitutus, indesinenter populum commissæ impietatis, & feralis ausi de scelere commonebat, si fortè commissi pœnitudinem gerere, si possent flere pro scelere, & vltrices pœnarum flammas lacrymarum vbertate extinguere.

Euseb. li. 3. histor. Eccl. c. 7. tom. 1.

Rursus de adolescente latrone per Ioannem Euangelistam conuerso scribit: Tùm deinde tremefactus flebat amarissimè, & accedentis ad se senis genibus prouoluitur, gemitibus & vlulatibus quibus poterat, satisfaciens, & vberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam, &c. Prebens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens nouæ regenerationis, atq; insignia quædam, & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens.

Infr. c. 23. propè fin.

Chrysostom. lib. de Sacerdotio: Non temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere; sed tanquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne quà fiat vt dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias: ac dum eum qui lapsus est, erigere, atq; emendare studes, casus ipse maior per te reddatur.

Chrysost. li. 2. de Sacerdot. non longè à princ. to. 5.

Idem homil. ad populum Antiochenum: Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere, sed Deum quidem rogare ne eius meminerit, ipsum verò nunquam ipsius obliuisci. Si nos eius non recordemur, Deus ipsius non obliuiscetur: si nos eius meminerimus, Deus obliuiscetur: à nobis ipsis vltionem sumamus, nos ipsos accusemus: ita placabimus iudicem.

Idem ho. 41. ad pop. Antioch. circa med. to. eod.

Et in verba illa Matthæi: Facite dignos fructus pœnitentiæ: Quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuitijs, & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodò spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delicijs ante, & temulentia diffluebas? ieiunio, & aquæ potu vtrumque compensa, vt famem superes imminentem. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omninò non videas, maiori tactus cautione post vulnera.

Matth. 3.
Idem ho. 10. in Matt. to. 2.
Exemplum Chrysost. de pœnitentiæ medicina.

Et homil. in epistolam ad Hebræos, super illud: Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, &c. rursus renouari ad pœnitentiam: Non enim cùm dixisset, impossibile est renouari in pœnitentia, tacuit: sed cùm dixisset, impossibile, adiunxit, iterum crucifigentes. Renouari, hoc est, nouum fieri: nouos quippè facere, lauacri est tamen: Renouabitur, inquit, sicut aquilæ iuuentus tua. Pœnitentiæ autem est, vt, qui innouati fuerunt, & posteà veterauerunt

Idem ho. 9. in ep. ad Hebr. to. 4.
Hebraeor. 6.
Psalm. 102.

in peccatis, liberare à vetustate, & consolidare. Ad illam tamen claritatem adduci eos impoßibile est: illic namque totum gratia est. Idem homilia ad populum Antiochenum: Et hoc omnium maximè vos cùm diligentia considerare co hortor, quòd Deus non tantùm honorans, & benefaciens, sed & castigans, & puniens similiter est bonus: siue contra Gentiles, siue contra Hæreticos nobis certamina moueantur. Si enim honorans tantùm bonus esset, puniens verò non esset, ex dimidio bonus esset. Et infrà: Iudices cùm latrones ceperint, & sacrilegos, non quomodo ipsos reddant meliores considerant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant. Deus autem contrarium totum: cùm aliquem ceperit peccatorem, non considerat quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaq; & iudex pariter, & medicus, & magister est Deus: etenim tanquam iudex examinat, & tanquam medicus corrigit, & tanquam magister docet, præuaricatos in omnem disciplinam inducens. Theophilus Alexandrinus in libr. Paschali: Priusquam stemus ante tribunal Christi, præterita peccata pœnitentia corrigamus, præsenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conscientiæ in morem apium noxios peccatorum fucos repellamus, plena ceræ, ac mellis aluearia reseruantes. Theodoritus libro Diuinorum decretorum, cap. de Pœnitentia, in fine: Qui autem baptismatis donum est assecutus, Patrem vocat Deum, vt qui in gratiæ filiorum ordinem sit allectus. Is ergo iußi sunt dicere: Dimitte nobis debita nostra. Sunt ergo medicabilia etiam quæ post baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remißione, sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina sunt eis manu impertienda. Quid apertiùs, bone lector, dici poterat, quàm quæ hic Pater dixit? Sozomenus lib. historiæ Tripartitæ, vt superiùs cùm de confessione dissereremus, productus est, refert Sacerdotem audiendis confessionibus præfectum pœnitentiam cuique imponere solitum secundùm vniuscuiusque delictum: & Nicephorus epistola de ligandi soluendique potestate ad Theodosium Monachum latè de hac re scribit: Cæterùm qui talem accedit, omninò ipsum dirigat, & instruat, vt rectè dirigatur. Et is quanto diuinorum, sacrorumq; canonum peritior fuerit: hoc amplius instruet: contrà, qui Canonum vigorem, & suam cuiusq; delicti mulctam ignorarit, is nulla in re vnquam vsui esse poterit. Præterea qui fratrem, in se vno eodemque die septies peccantem, venia condonandum, suscipiendumquè diiudicarit, is lapsos, quamuis & sæpè, & multum deliquerint, quo pacto repellet, & abiiciet? Imò spiritalibus increpationibus admonebit, vtiliter consulet, vitam futuram, & æterna supplicia in memoriam reducet. Vnum cauebit, ne indulgentius, & citra omnem obiurgationem absoluat, fiatq; alienorum criminum particeps. Iam, si qui peccauerant, lacrymis liquescant, ac continenter malorum suorum abalienationem meditentur, licèt in eadem reincidant, suscipiendos tamen eos duxeris, congruumquè deputaueris locum. Penes te enim facultas est, & vt nosti, mensuram castigationis adhibeam. Eos autem qui hinc emigrant, in quocunque fuerint peccato detenti, ne ligaueris, sed diuinorum, purorumq; Sacramentorum facito participes. Hæc ille, docens, Sacerdotem pœnitentias non iniungentem penitenti, criminum confitentis fieri participem. Hieronymus super Ioëlem: Qui peccator est, inquit, & quem mordet propria conscientia, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua fuerat egressus: & cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas culpas, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset. Hæc ille, qui in epitaphio Paulæ eam dixisse tradit: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosißima, asperitate cilicii commutanda. Sic illa. Augustinus in libro Enchiridion ad Laurentium: In melius quippe est vita mutanda, & per eleëmosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus: non ad hoc emendus quodammodò, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Et infrà: De quotidianis autem breuibus, leuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Idem libr. de Pœnitentiæ medicina: Veniat (scilicet peccator) ad antistites, per quos in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad suscipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Et infrà: Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleëmosynis. Idem in Psalm. 37. super illud: Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo, & curam geram pro peccato meo: Quid est, inquit, curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, Curam geram

pro

Idem ho. 7. ad pop. Antioch. paullò ante med. tom. 5.

Deum siue benefaciat, siue puniat, nihilominùs bonum esse, secundum Chrysostomū.

Theoph. Alex. libr. 1. Paschali.

Theod. to. 2

Matth. 6.

Sozom. lib. 9. Hist. trip. c. 35

Nicephorus.

Matt. 18.

Sacerdos non iniungens pœnitenti satisfactionem, criminum confitentis particeps efficitur, autore Nicephoro.

Hieron. to. 6. Ioel. 1.

Idem.

Aug. li. Ench. ca. 70. to. 3.

Ibid. c. 71.

Idem li. de pœnit. medic. c. 3. init. to. 9.

Psalm. 50.

Ibid. c. 5. circa medium.

De pœn. dist. 1. c. nō sufficit.

Idem tom. 8.

Curam gerere pro delicto quid.

pro vulnere meo: quid intelligeretur nisi dabo operam, vt sanetur. Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè, & sedulò agere, vt sanes peccatum, Et infrà: *Hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia, quæcunq; facienda sunt ad abluendum, & sanandum peccatum meum, & curam geram pro peccato meo.* Idem in Psalm. 50. in illud: *Et à peccato meo munda me: Quo merito? Medicus est: offer mercedem: Deus est, offer sacrificium. Quid dabis vt munderis? Vide enim quem inuoces. Iustum inuocas, odit peccata. Si iustus est, vindicat in peccata: Si iustus est, vtique non poteris auferre à Domino Deo iustitiam eius. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccato: iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant,* Non Dómine, *non erit impunitum peccatum meum. Noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam. Non impunitum erit: sed ideò nolo vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideò peto vt ignoscas, quia ego agnosco. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper.* Et in illud eiusdem Psalmi: *Ecce enim veritatem dilexisti: Veritatem dilexisti, id est, impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita seruatur misericordia & veritas. Misericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur.* Idem in Ioannem: *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamuis vt in eam veniret miseriam primùm fuerit causa peccatum: productior est enim pœna, quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* Idem in epistola ad Macedonium: *Nihil aliud agit, quę veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippè modo sibi non parcenti ille parcit; cuius altum, iustumque iudicium nullus contemptor euadit.* Idem lib. de visitatione infirmorum: *Nemini imponendum est, quod aut impossibilitas ei abdicat, aut tempus euanescens adimplere prohibeat.* Idem lib. de Ecclesiasticis dogmatibus (qui tribuitur Gennadio, sicut liber de Fide ad Petrum, tribuitur B. Fulgentio à Bertramo.) *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium, & condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Et statim infrà: *Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & iugi, imò perpetuo luctu miserante Deo, ita duntaxat, vt contraria pro ijs quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex & submissus vsque ad mortem percipiat.* Idem lib. de vera & falsa pœnitentia: *Continuè,* inquit, *dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim propriè dicitur læsio, quæ punit, & vindicat quod quisq; commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet. Peccator semper doleat, & de dolore gaudeat: & non sit satis quod doleat: sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.* Idem ex lib. Sententiarum Prosperi: *Peccata siue parua, siue magna, impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut in iudicio Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si præcursio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicant, non iudicare.* Timotheus Sacerdos Massiliensis in libris quos de Misericordia & eleëmosynis saltem in fine vitæ faciendis edidit, & Ecclesiæ dicauit, sic scribit: *Quando enim lugebit, qui dies lugendi perdidit? Quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur iam in extremis sito? Qui aliud non potest, saltem suam substantiam offerat. Offerat autem cum compunctione, cùm lacrymis offerat, cũ luctu: aliter enim oblata non prosunt. Quia non pretiosum affectu placet: nec enim animus datis, sed animo commendantur data: nec pecunia fidem insinuulat, sed pecuniam fides.* Et infrà: *Noli tantùm Deo relinquere, quantum habes, si pro peccatis necessarium non putas quantum habes.* Et infrà: *Si nouit quisquam hominum peccatorum, quantum redimere delicta possit, vtatur scientia ad redemptionem: Si verò nescit, cur non offerat quantum potest?* Seuerus Sulpitius lib. de miraculis sancti Martini pulchrè ait: *Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est: vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.* Cassianus collatione de pœnitentiæ fine, & satisfactionis iudicio: *Dum agimus pœnitentiam, & adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est, vt ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cùm verò cuiquam in hac humilitate cordis, & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserantis euulsa, certum est, eum ad satisfactionis finem, atque indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum.* Idem docet collatione 23. & Boetius lib. de Consolatione: *Ipsi quoque improbi si eis aliqua rimula virtutem relictam fas esse aspicere,*

De pœnit. c. 54. sent. dist. 14 c. 1. & dist. 15. c his respõderi.

Idem lib. de vera & falsa pœnit. c. 19. tom. 9. 4. sen. distin. 14. c. Post hæc.

Pœnitere quid, secundũ Aug.

Idem lib. sent. Prosp. nu. 210. tom 3.

1. Corin. 11.

Timot. Sacer. Mass. lib. 1 de misericordia. &c.

Seuer. Sulpit. lib. 2. dial. de miracu. S. Martini. c. 13. in fin.

Cass. colla. 20. cap. 7.

Idem collat. 23. c. 15.

Boet. li. 4. de consol. prosa 4. in fine.

vitiorumq; sordes, pœnarum cruciatus se deposituros viderent, compensatione adipiscendæ probitatis, nec hos cruciatus esse dicerent, defensorumque opem repudiarent, ac se totos accusatoribus, iudicibusq; permitterent. Deinde prodeat Bernardus, qui in sermone de cœna Domini ait: *Lauari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa:* Idem super Cantica: *Cùm ergo satisfacimus, vt ablato quod separat peccato reconciliemur, indulgẽtiam quam recipimus, quid nisi quoddam osculum dixerim pacis? Idque interim non alibi, quàm ad pedes sumendum. Humilis quippè & verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio.* Et Petrus Damianus ait: *Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœna vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus satisfaciendum sit quicquid minus feceris: quia fructus dignos pœnitentiæ quærit Altissimus.* Atque hic sit finis producendi Patrum testimonia: quæ consultò congerere voluimus, non tantùm vt confutaremus Hæreticorum errorem, sed etiam vt studiosus Lector habeat multa incitamenta pœnitentiæ, amplectendæque satisfactionis tam salubriter institutæ, atque præceptæ à Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu S. sit perpetua laus, benedictio, atq; gratiarum actio per infinita secula seculorum, Amen.

Bernardus.

Idem serm. 4. super Cant. sub initium.

Qualis debeat esse satisfactio.

Petr. Dam. in 2. serm. de S. Andrea.

TRACTAT. XXV.

In quo argumenta Hæreticorum ad euertendam satisfactionem Euangelicam facta, refelluntur, ac diluuntur.

QVONIAM interdum non minorem vtilitatem colligimus ex dissolutione rationum, quæ contra veritatem fiunt, quàm ex ipsa veritate, ex Scripturis & Patribus constabilienda; Hæretici autem in hoc articulo de satisfactione magnoperè glorientur, & veluti triumphum de nobis agere videantur: expedit eorum argumenta expendere, & quàm friuolè Scripturis, infinitaque illa Christi satisfactione in Cruce Patri exhibita abutantur, perspicuum facere. Primùm igitur Christi nobis exemplum objiciunt: quia omnes illi, quibus Christus in Euangelio peccata remisit, pœnitentiam vllam, qua Deo satisfacerẽt, non indixit, vt paralytico, Petro, latroni, adulteræ, & peccatrici: non videtur igitur quòd remisso peccato aliquid remaneat per nostram satisfactionem exoluendum. Respondent quidam, illos quibus CHRISTVS remisit peccata, satisfactione non indiguisse: quia infideles erant, & necdum Christo insiti, ac proinde tunc primò iustificabantur. Verùm hæc parum solida videtur esse solutio: nam illi omnes quos nominauimus, Iudæi erant, ac proinde Circumcisionis Sacramento originis peccatum remissum, & consequenter iam semel erant iustificati: vt si ad Sacramentum pœnitentiæ accurrissent, omninò pœnitentiæ indiguissent fructibus. Explosa igitur hac soluendi ratione, firma videtur esse responsio: illos à Christo medio Sacramento Pœnitentiæ minimè fuisse iustificatos: quia nec ibi seruata est absolutionis forma, nec etiam exhibita confessionis peccatorum debita materia. Erat igitur solutio Sacramentis nequaquam alligata, quam Dominus Sacramentorum institutor ex priuilegio illis paucis concesso potestate excellentiæ conferre valuit: quod nec ad Sacramẽtum pœnitentiæ, nec in consequẽtiam trahendum est. Adde, quòd Christus dum vixit, necdum Sacramentum Confessionis instituerat, quod ex primo die resurrectionis induxit: quare non est quod vllam tunc exigeret satisfactionem.

I argum. ex Scripturis. *Matth. 9. Infra 26. Luc 23. Ioann. 8. Luc. 7.*

Secundò objiciunt illud Ezechielis: *In quacunque hora,* vel, *quotiescunque ingemuerit peccator, & cæt. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor:* remissa igitur culpa non videtur vllius pœnæ temporalis reatus exoluendus remanere. Respondemus, textum Ezechielis non ita habere, sed longè duriorem à peccatore exigere conditionem, nempè auertere se ab omnibus iniquitatibus, seruare omnia præcepta, & facere iudicium, & iustitiam. Deinde dici potest etiam admittendo hanc lectionem, quòd ipse textus, quomodo intelligenda sit Dei obliuio de iniquitatibus, satis declarat: hoc nempè modo, quod non recordabitur, vt eas per æternam mortem vindicet. Ita dixit: Vita viuet, & non morietur. Et, Nolo mortem morientis. Verùm ex hoc non euincitur, quòd præter illum modum non possit paterno, & clementi animo ad pœnam temporalem obligando, quæ tota in bonum nostrum cedit, peccata punire: quemadmodùm cùm Dauidi dixisset per Nathan; *Dominus transtulit peccatũ tuum: non morieris,* declarauit tamen, illum suppliciorum quorundam mulcta fore castigandum: quia quos Deus amat, arguit, & castigat.

II argum. *Ezech. 18.*

2. Reg. 12.

Tertiò objiciunt illud Dauidis: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Quæ verba Paulus allegat ad Romanos, vt probet, satisfactionem esse gratuitam: imputaret autem, si remisso

III argum. *Psalm. 31.*

Rom. 4.

peccato adhuc exigeret pœnam. Hinc per Esaiam dixit: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*: &, *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*. Respondemus, remissioné perfectam esse in Baptismo, in quo nulla satisfactio exigitur, imperfectam verò in Pœnitentiæ Sacramento, post quod superesse solet pœna luenda. Et non imputare, siue tegere peccata, interpretantur Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum, & Ambrosius libr. de Pœnitentia, per opera bona nostra, & satisfactiones, vt in traditione superius producta attulimus. Dicitur ergo non imputare, quia ad æterni supplicij reatum non seruat: nec ad pœnam temporalem, quia confert spiritum, & gratiam satisfaciendi: ita vt ipse qui ad pœnam obligat, porrigat vnde soluamus.

Quartò opponunt verba Domini dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: & iterum, *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis*: Et Sacerdos ait: *Ego te absoluo*: absoluti ergò nulli remanent pœnæ exoluendæ obnoxij. Soluit hunc nodum Richardus de S. Victore, libr. de potestate ligandi, & soluendi: expendens quod non dixit: Quorum dimiseritis, sed, *quorum remiseritis*. Nam remittere, inquit, est pœnam peccati iuxta congruum miserationis modum temperare; dimittere verò, totum indulgere, & sine animaduersione relinquere. Hinc est quod dicitur nobis: Dimittite, & dimittetur vobis. Et meritò quidem, vt non in parte iram reseruemus, sed ex toto dimittamus, qui totum nobis dimitti volumus. Hinc est quòd Domino in quotidiana oratione dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Sed quia iustitiæ simul, & misericordiæ est inter parcendum ex parte percuti, & ad purgationis nostræ medelam profuit ex parte puniri, remittendi potius, quàm dimittendi potestas confertur in eo quod dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: inde est quòd de remissione, non de dimissione gratulatur, qui Domino cōfitetur: *Tu remisisti impietatem peccati mei*. Sed certè parum solida est responsio, cùm idem verbum Græcum sit, quod Interpres noster modo dimittendi, modò remittendi verbis explicuit. Perimitur quoque instantia quadam hæc obseruatio. Nam cum Moysi precanti pro populo dixisset Dominus, *Dimisi iuxta verbum tuum*, adhuc tamen comminatur se pœnas temporales de illis sumpturum, quodq; eorum cadauera prosternenda essent in deserto, & in terram promissam illos non ingressuros. Dicendum ergo est, Sacerdotes claues habere, hoc est, potestatem absoluendi à culpa, & omni pœna, sed si iure, & legitimè facultate sua fungantur, condignas videlicet pęnitentibus iniungendo satisfactiones. Nam ita Apostoli acceperunt à Christo, & Ecclesia didicit ab Apostolis, non aliter sibi esse defungēdum hac autoritate, quam imponendo pœnitentias iuxta Canones Patrum, quando illi Canones vigebant, aut secundùm arbitrium Sacerdotis, vbi illi Canones defierunt: Atque hoc expediebat summoperè salutari, ac cōmodæ fidelium gubernationi; ne videlicet clementiæ abūdantia, ac facilitas, peccandi fomētum præberet. Atq; ita se rem habere, confirmat traditio Patrum, quam præcedenti tractatu protulimus. Vnde constat antiquissimos esse Canones etiam ante Concilium Nicenum: imò ante seculum Tertulliani, ac Cypriani de satisfactionibus, & Canonibus certam pęnitentię mensuram indicentibus fit sermo.

Quintò, producitur Michæas Propheta dicens: *Indicabo tibi, ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo*, quibus in verbis nihil de satisfactione præscribitur. Sed certè opera satisfactoria includit Propheta illo verbo faciendi iudicium, nimirùm sui ipsius, de quo Paulus: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur*. Per dilectionem misericordiæ intellige eleemosynas, & opera pietatis: per illud autem, Solicitum ambulare cum Deo tuo, intelligi potest iuge precandi studium, atque diuinorum obseruantia præceptorum.

Sextò, producitur Paulus in epistola ad Galatas: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura*: Cùm igitur creatura noua efficiantur fideles, nihil illis pœnæ remanet exoluendum. Respondemus, testibus Ambrosio, Hieronymo, & Theophylacto, nouam creaturam propriè esse baptizatum: vnde fideles omnes, q; ritè baptismo sunt abluti, noua creatura dici possunt. Qui tamen nouitatem illam amisit per peccatum, impossibile est per pœnitentiam ad illam peruenire, vt dixit Apostolus, nisi multis lacrymis, & actionibus laboriosis peccati iocunditati contrarijs, in quibus sita est satisfaciendi virtus, recuperetur.

Septimò, vox, inquiunt, satisfactionis noua est, & à sacris literis aliena. Sed satis est friuolum argumentū: nam simili ratione cōsubstantialem Patri Filium negabant Arriani. Sed vt satis fuit olim rem ipsam in

Marginalia (left, partly cut off): ...ai. 52. / ...p. 38. / ...eg. Naz. / ...mbr. li. 2. / ...n. c. 3. to. 2. / ...ccata cur ...bis non im...tare Domi...dicatur. / ...argum. / ...nn. 20. / ...att. 16. / ...har. lib. de ...estate li...ndi, & sol... 3. c. 24. / ...are Domi...non dix... Quorum ...is ...cata, sed, ...orum remi...tis, secūdū ...chardum. / ...c. 6. / ...tth. 6. / ...citur solu... Richardi. / ...n. 14. / ...io quæ ...t autori:

Marginalia (right): Potestate absoluendi à culpa, & omni pœna Sacerdotes quatenus vti debeant. / Ecclesiasticorum Canonū de pœnitentia antiquitas. / V. argum. Michea 6. / 1. Cor. 11. / VI. argum. Galat. 6. / Ambr. in c. 6. ad Gal to. 5. Hieron. ibid. to. 9. Theoph. ibid. Noua creatura apud Paulū quæ sit. Hebr. 6. / VII. argum. Qua ratione olim consubstantialem Patri Filium negarent Arriani.

Euangelicis literis inuenire, vt Filius sit eiusdem cum Patre substantiæ, etiamsi vox in Scripturis non inueniretur ad conuincendum Arrianos, & anathemate illos feriendum: ita satis nobis esse debet ad confutandos Lutheranos, rem ipsam in Scripturis esse frequentē, etiamsi vox satisfactionis non inueniatur: sed inuenitur id quod illi æquipollet, vt redemptio peccati vel iniquitatis apud Salomonem, & Danielem; fructus digni pœnitentiæ, apud Ioannem Baptistam; facere iudicium, & iustitiam, apud Ezechielē; facere iudicium sui ipsius, apud Paulum. Vt interim omitram Patrum traditionem, quæ ab ipso nascentis initio Ecclesiæ in hunc vsque diem vocem satisfactionis sine cuiusquam offensione vsurpauit.

Prouer. 16. Dan. 4. Luc. 3. Ezech. 18. 1. Corin. 11.

VIII. argum. ex Patribus.

I. locus.

Octauò obijciunt quædam ex Patribus, vt quod vocant satisfactiones pro peccatis, ergo vel impropriè loquuntur, vel pro culpa sunt. Sed certè impropriè non loquuntur, sed propriè: quia intuitu peccati leuioris aut grauioris, minor, aut maior iniungitur pœnitentia. Deinde loquuntur figuratè, & metaphoricè: nam vt fomes ex peccato relictus, & ad peccatum solicitans, dicitur peccatum à Paulo, imò Christus ipse, & hostiæ pro peccato peccata dicuntur; ita etiam pœnæ ob delicta inflictæ dicuntur peccata. Nam ita intelligunt illud quidam: *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* id est, pœna peccati debita te consequetur, & illud: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur*, id est, pœnis peccato debitis, quas solas piè defuncti in Christo habere possunt. Cùm etiam filij Dei precantur: *Dimitte nobis debita nostra*, vel, vt Lucas expressit, *peccata nostra*, præter temporarias pœnas non habent pro quibus deprecentur.

Rom. 7. Genes. 4. 2. Mach. 12. Matth. 6. Luc. 11.

II. locus.

Deinde obijciunt, Patres ante absolutionem, & accessum ad Eucharistiam, exegisse satisfactionem: ergo vel ad remissionem culpæ instituta est satisfactio, quod derogaret virtuti passionis Christi, vel ad satisfaciendum solùm coram Ecclesia, & non ad solutionē temporariæ pœnæ post extinctam culpam. Respondemus, Patres quandoq; solitos tribuere absolutionē ante cōpletam satisfactionem, vt constat ex praxi Ecclesiæ, & ex pœnitentijs antiquorum secretis, imò etiam publicè pœnitentiā agentium si ægrotabant, quibus quidem absolutio impendebatur, & Eucharistiæ cōmunio exhibebatur ante satisfactionem impletam: quam tamen, si conualescant, perficere iubētur. Interdum etiam ijdē Patres satisfactionē exigebāt ante absolutionem: & hoc commune erat publicè pœnitentibus, quod quidē duas ob causas obseruari solitū erat. Prima est: quia cùm talis sit longa pœnitentia, vt plurimùm per contritionem, & Sacramenti votum erant absoluti, antequam per ministros Ecclesiæ reconciliarentur: præsertim cùm ante vltimam reconciliationem, & communionem, crebrò, vt dicunt Canones, venirēt ad manus impositionem ante solēnem, & vltimā reconciliationem. Hinc meritò dicuntur satisfactiones non pro culpa, sed pro pœna. Altera ratio est, nō esse inconueniens, pœnitentias publicas ea ratione qua publicæ sunt, magis spectare ad satisfaciēdum proximis, vel ad continēdam disciplinam, quā ad pœnam peccato debitam delendam: ad q̄ satis essent secretæ pœnitentiæ. Et ideò etsi fierent in peccato, vocari poterant satisfactiones, quia Ecclesiæ satisfaciebant.

Interdum Patres satisfactionem exigebant ante absolutionem, & cur.

III. locus. *Chrysost. to. 3. à medio.*

Tertiò obijcitur Chrysostomus in oratione de B. Philogonio, sub finem: *Polliceor*, inquit, *te post hac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor, ac fideiubeo fore, vt si nostrum quisque, qui peccatis obnoxij sumus, recedens à pristinis malis, ex animo, vereq; promittat Deo se posteà nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem vlteriorem. Benignus enim est, & quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum, ita & ille cupit effundere suam misericordiam. Sed obstant peccata nostra.* Respondemus nihil vltra Deum ad satisfactionem exigere pro remissione culpæ, non autem pro remissione pœnæ temporalis: quia alioqui contradiceret sibi ipsi Chrysostomus, vt superiùs ex testimonijs ipsius productis ostēdimus. Vel loquitur de remissione culpę cum ardenti charitate coniuncta, quæ omnem pœnæ reatum exolueret, iuxta illud: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

1. Petr. 4.

IV. locus. *Lact. li. 6. ca. 13. inf.* Agere pœnitentiam, quid. *Hilar. Ambr. in c. 2. 2. ad Cor. in 2*

Quartò producitur Lactantius, qui ait: *Agere pœnitentiam nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se vlterius non peccaturum:* & Hilar. in Psalm. 118. *Peccati verò pœnitentia est, ab eo quod pœnitendum intellexeris, destitisse:* & Ambrosius in illud Pauli: *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. Hæc vera*, inquit, *pœnitentia est, iam cessare à peccato. Sic enim probat dolere se sibi, si de cæterò desinat.* Verùm hæc Patrum testimonia eò rendūt, vt non existimet quisquā sibi esse peccatū remissum p lacrymas, & pęnitentiam, nisi etiā solidum animum inuoluat amplius non peccandi: id enim indicat Lactant. in verbis superioribus, & Ambros. ipsum desistere à peccatis, vt odij, ac displicētiæ peccati signum proponat, nō vt illa excludat.

Quintò

V. locus. Idem Ambr. ser. 40. & in lib. 10 in Luc. eod. tom. 5. Actor. 24.

Quintò adducitur Ambros. sermon. de Pœnitentia Petri, & in Luc. c. 22. *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Sed ibi satisfactio accipitur pro excusatione peccati, quemadmodùm Paulus cùm ait: *Bono animo pro me satisfaciam.* Quodque hic sit sensus Ambrosij, indicant sequentia: *Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest.* Alij verò legunt, *lacrymas lego, confessionem non lego:* quia videlicet nondum erat instituta: verùm prior lectio verior est.

Serm. 46.

VI locus. Aug. c 9. tom. 9 de pœn. dist. 3 c. sunt plures. Matt. 12. Quid surdi & muti sanatio signi ficauerit. Ioann. 7.

Postremò profertur Augustinus, qui libr. de vera & falsa pœnitentia: *Sunt plures,* inquit, *quos pœnitet peccasse, sed non omninò, reseruantes sibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertẽtes Dominum simul surdum, & mutum à dæmonio liberasse, per hoc docentẽ nos nunquam nisi de omnibus sanari.* Et infrà: *Nunquam aliquem sanauit, quem omninò non liberauit. Totum enim hominem sanauit in Sabbato: quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit.* Et infrà: *Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam. Iam enim foret sine pœnitẽtia inuenire gratiam.* Hæc ille. Ergo remissa culpa, simul remittitur omnis pœna. Respondemus, Deum hominẽ perfectè curare, sed quandoque subitò, vt socrum Petri; quandoq; paullatim, & per partes, vt cæcũ à Bethsaida: ita quandoq; Deus remittit totam culpam, & omnẽ pœnam; interdũ verò remissa culpa paullatim per opera satisfactionis, quæ in gratia Dei fiunt, tolluntur pœnæ temporalis debita: atque hęc tota est Dei curatio, etsi non vno fiat momento.

Luc. 4. Marc. 8.

Prima ratio Hæreticorum contra satisfactionis veritatem. 1. Ioann. 2. Ioann. 1.

Tertio loco ad demoliendã satisfactionem rationibus pugnant Hæretici, inter quas fortissimus eorum Achilles est: Christus est propitiatio pro peccatis nostris: Agnus Dei tollens peccata mundi, qui in Cruce pro omnibus delictis nostris abundè satisfecit: frustrà igitur exigitur satisfactio à nobis: neq; Deus illam exigit, qui bis in idipsum nõ iudicat: alioqui grauissima iniuria Dei misericordiæ, & gratiæ, atque adeò ipsi Christi sanguini irrogaretur. Respondemus, Christum pro culpa, ac pœna æterna peccati, atq; ideò pro temporali tota satisfecisse: sed satisfactio pro temporali pœna applicatur in Baptismo per ipsum Sacramentum sine nostris pœnis; at in Pœnitentia ob rationes superius ad stabiliendam satisfactionem assignatas, applicatur medijs nostris satisfactionibus, quæ tãtùm in virtute passionis & sanguinis Christi validæ existunt: & nihil ex eius vi, & efficacia proptereà detrahimus, sed tantùm dicimus modum applicationis diuersum esse ab illo Baptismi: atq; hunc modum pœnitenti esse conuenientiorem, atq; expiando peccato commodiorem. Præter hanc solutionem alia quoq; potest adduci, quæ illã reddat explicatiorem: Christum quidem pro culpa & pœna æterna abundè fecisse satis, meruisse quoque, vt quibusdam temporalis condonaretur à Deo pœna, vt in his, qui verè suscipiunt indulgentias, efficitur liquidum, & in suscipientibus Sacramentum aliquod, quibus ex opere operato, vt aiunt, applicari dicitur satisfactio aliqua Christi: non tamen efficaciter pro pœna temporali, quam ab his, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt, exigit, satisfecisse, cùm ex gratia merito Christi collata, verè, & efficaciter sua quisque iustus satisfactione pro pœna, quam debet, satisfaciat, ac soluat: vt docent Ruardus Tapperus tom. 1. artic. 6. Concilium Senonense, & Gaspar Sagerus: quòd ex his rationibus ostendere nituntur. Primò, quòd quia Christus expiauit pœnã æternam, non exigitur iterum à nobis eius absolutio ad hoc, vt applicetur nobis passionis virtus: à simili igitur si satis pro pœna temporali fecisset, eius persolutio à talibus non exigeretur. Deinde idem ostendunt alia ratione: quia opera satisfacientis, vtpotè in gratia Dei facta, vel ad minus à Deo acceptata, pœnam temporalem debitam posita gratia vel acceptatione, re ipsa exoluunt. Si igitur Christus illam semel exoluisset, bis eadem exigeretur pœna, contra illud: *Non iudicabit bis in idipsum.* Tertiò si satisfactio exigitur, vt illa Christi nobis ea ratione applicetur, esset eiusdem rei duplex persolutio: non secùs ac si ab eo qui in carcere detentus, quia debet centum, quæ alius pro eo enumerauit, exigerentur ab eo alia centum, vt prior solutio ei applicaretur: hoc quippè nõ tam esset solutionis applicatio, quàm eiusdem debiti duplex exactio. Quartò, Christus voluit offerre mortem suam pro his, pro quibus nos non poteramus satisfacere: secùs pro illis ad quæ possumus: & Christus non est inuidus, vt nolit habere adiutores in negotio salutis, cùm sit hoc illi magis gloriosum. Quintò, constat vnum pro alio posse satisfacere vel viuente, vel existente in purgatorio, non secùs ac si ipsi per se ipsos quod debent exoluerent. Nec eget verus debitor ad hoc vt sibi solutio ab altero facta applicari valeat, quàm quod sit in gratia, in qua sunt omnes, qui descẽdunt ad purgatorium. Si igitur illis applicatur nostra satisfactio sine eo quòd ipsi nouam exoluant satisfactionem, Christus si pro pœna temporali satis fecisset, nullam à nobis exigeret satisfactionem.

Iob. 33.

Altera solut.

Ruard. Tapper. Concilii Senon. cap. 12. Gaspar Sagerus. Christum pro pœna temporali non propriè pro nobis satisfecisse multis rationibus ostenditur.

Iob 33.

Exemplum.

nem. Sextò, si contritio, vel attritio hominem dispositum reddit per Sacramentum Pœnitentiæ, vt ei expiatio Christi pro culpa & pœna æterna applicetur: ergo potest reddere dispositum ad suscipiendam expiationem pro pœna temporali, quod minus est, si illam exoluisset Christus. Cùm ergo illa à nobis exigatur, indicium est, quòd pro illa Christus non satisfecit. Neque propterea dignitati, aut virtuti passionis CHRISTI quoquo modo derogamus: tùm quia tantùm valuit, quantum voluit eam valere, & non voluit quantum ipse potuit, sed quantum decebat, & sapientiæ, ac iustitiæ Dei consonum erat. Nam si voluisset, potuisset & ipse offerre, & Pater acceptare eius mortem ad omnium hominū efficaciter consequendam beatitudinem: ita vt omnes non solùm damnati, sed etiam dæmones beati potuissent, atq; statim homines accepto baptismo potuissent illam immortalis stolam, quam in resurrectione omnibus pijs largiturus est, percipere. Videmus tamen Dominum ista noluisse: nam si voluisset, vtiq; fieret. Neque proinde eius passioni derogatur, quæ ex se ad omnia illa promerenda efficax erat. Ad eum modum dicimus; si voluisset per modum satisfactionis mortem suam Patri offerre pro pœnis temporarijs, quæ remisso peccato debentur, à nobis non exigerentur vllæ satisfactiones: nec ob id tamen tollitur dignitati, ac virtuti satisfactionis, quæ per se satis idonea erat ad illas pœnas exoluendas, si medic⁹ medicinam applicare noluisset. Secundò non derogatur passioni, quia etsi illam non obtulerit efficaciter, vel applicauerit Patri pro pœnis istis temporalibus extinguendis, obtulit tamen per modum meriti: ex quo fit, vt pœnæ nostræ acceptæ, & gratæ apud Deum sint. Nec enim pœnæ, siue eorum qui hic satisfaciunt, siue existentium in purgatorio, quatenus pœnæ sunt, aut Deo satisfaciunt, aut hominem purgant: alioquin damnati, qui grauiora patiuntur, quàm illi qui sunt in purgatorio, & peccatores impatientes, qui in hoc mundo acerbiora, & molestiora perferunt, quàm pij Christi cultores, magis satisfacesent, aut ampliùs purgarentur, quàm illi: quod expresse constat esse falsum. Quòd igitur pœnæ satisfaciant apud Deum; vel ex gratia pendet, in qua fiunt, vel ex acceptione diuina. Quòd autē quis gratiam habeat qua patienter ferat aduersa, vel quòd eius acceptentur passiones, ac labores, à Christi profectò passione promanat: & ideò tandem omnia sunt accepta passioni ferenda, quæ per viam satisfactionis in quibusdam, & in alijs per viam meriti à Deo acceptantur. Tertiò in vniuersum posset ad hoc argumētum responderi, Lutheranos in hoc, & similibus rationibus dupliciter peccare. Primò, adiungendo exclusiuam personarum: ex hoc enim quòd dicitur: CHRISTVS orauit, aut ieiunauit, aut satisfecit, inferunt illi: Ergo solus hoc fecit; cùm tamen, etsi verum sit, CHRISTVS hoc fecit, ergo in ea perfectione, & virtute, qua ille, nemo alius fecit: haud tamen sequitur quòd per hoc quòd ipse hoc fecit, alij non debebant illud facere iuxta donum sibi à Christo concessum. Imò contrarium prorsus ipse voluit, & fructus passionis exigit, per quam factum est, vt mēbra capiti reddantur similia. Itaque qui lux erat mundi per essentiam, quatenus Deus est, & primaria lux creata, quatenus homo, Apostolis tamē dixit: *Vos estis lux mundi*, nempè per participationem, & imitationem: & cùm ipse sit iudex venturus viuorum, & mortuorum, dicit Apostolis: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Et ita de alijs dignitatibus: quia vt voluit, nos vt illum in oratione, in merito, in potestate, in regno, in Sacerdotio imitaremur, ita in passionibus, & satisfactionibus non solùm pro nobis, sed etiam pro alijs illum exprimeremus, iuxta illud Pauli: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.* Secūdò peccant, adiungendo exclusionem mediorum: vt g.e. cùm dicunt Christum expurgare peccata, excludunt media instrumenta, quibus ea purgat, hoc est, afflictiones fide, & patientia in hoc seculo, vel in futuro toleratas. Ex hoc etiā quòd dicitur Christus saluare, vel fides iustificare, statim colligunt, ergo solus Christus saluat, excludentes Sacramenta, & merita bona; vel, ergo fides sola iustificat, excludentes pœnitentiam, timorem, & alios bonos motus. Ita etiam cùm dicitur Christus satisfecisse, ea tollunt instrumenta, quibus applicatur satisfactio.

Secundò argumentantur: quia post baptismū extincto omninò peccato, sunt adhuc temporariæ pœnæ quas luimus: ergo in Sacramento Pœnitentiæ eodem modo supererunt. Itaq; vel nullibi est satisfactio, vel vtrobique: at in baptismo admittere satisfactionē, non est Catholicum. Respōdemus, in Baptismo, in quo Scriptura asserit, quòd efficimur noua creatura, & peccato perfectè morimur, & Christo cōformamur ex virtute Sacramēti, vt asserūt Patres, manifestum est remitti in eo totam pęnam: ita vt pœnæ quæ supersunt, siue à Deo infligūtur, non iam præteritæ culpæ ratione, &

intuitu,

Temporariæ pœnæ Deo quatenus satisfaciunt.

II. solutio.

Lutherani asserentes, cùm Christus pro nobis integrè satisfecerit, nostra esse minimè satisfactione opus, dupliciter peccant.

Ioann. 8. Matth. 5.

Actor. 10. Matt. 19.

Coloss. 1.

II. argum.

Galat. 6.

intuitu, sed ad exercitium, ad præseruationem, & meriti augmentum à Deo infligantur. At in Pœnitentia alia ratio est, quam in Baptismo, vt pluribus demonstratum est.

III. argum. Tertiò obijciunt: Si satisfactio esset, nõ esset gratuita peccati remissio, quia pugnat solutio cum remissione, & non esset forum misericordiæ, sed iræ. Respondemus, posse contingere, vt quid sit simul gratuitum, & solutum, vt si à debente centum, exigerentur tantùm duo, quæ nihil ex se ad totam summam facerent. Et alibi ait Dauid: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim*: cui propitiationi ob nomen suum non repugnat, quòd ibidem satisfactiones ad remissionem impetrandã adducit, vt cùm ait: *Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.* Ita etiã vita æterna & gratuita est, quia gratia Dei, vita æterna, & meritis bonorũ operum debita secundùm illud: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex.* Similì ratione satisfactio gratiam habet Dei acceptantis, & solutionem, quia iniunctam à Sacerdote, aut à Deo inflictam, aut spontè susceptam exoluimus. Nec est forum nisi misericordiæ, cui non repugnat parua ira, quæ Dei amicitiam nõ violat, & de qua dicitur: *Ego quos amo, arguo, & castigo.*

Psal. 24.

Ibidem

Rom 6.
2. Tim 4.

Apoc 3.

IV. argum. Quartò obijci posset, nonnullos ex nostris asserere, posse eum qui cõfitetur, à Sacerdote impositam non acceptare satisfactionem, & nihilominus Sacerdotem cogi ad administrandam illi absolutionem. Ita enim Scotus scripsit in quarto sententiarũ, ita & quidem alij eum secuti. Si igitur satisfactio potest à confitente repudiari, videtur quòd illam Christus non instituerit, neque spectare ad essentiam Sacramenti: præsertim cùm ægrotantes vt absoluãtur, sine illa imposita satisfactione Canones Conciliorum, & Pontificum recipiãt. Sed in primis respondemus, illos, qui hanc sententiam tuentur, non negare, eos, qui absoluuntur, pœnam debitam laturos, vel in hac vita, vel in purgatorio. Deinde verum est, satisfactionem non esse de essentia Sacramenti: quia cuiuslibet Sacramenti substantia in materia consistit, & forma, quæ in hoc Sacramento sunt confessio, & absolutio. Est tamen satisfactio pars cũ contritione, & confessione ad integritatẽ Sacramenti faciens, quam qui spontè omitteret, aut iniunctã à Sacerdote amplecti recusaret, non leuiter peccaret, irrisorq; esset Sacramenti. Quare illa sententia Scoti neque tam probabilis est, neq; tam tuta, vt magni viri docent. Nam in primis si in foro ciuili

Scotus.

Quam sit improbabilis, & periculosa illa opinio, qua

Reipublicæ cogimur vel inuiti parere iudici legitimè, & secundùm formam iuris procedenti; ergo multò magis in foro conscientiæ, vbi Sacerdos loco Christi indicit mulctam, ac tãtũ in beneficium nostrum, cùm in foro ciuili plerunq; cõtra nos proferatur sententia. Deinde actus Clauium, qui sunt soluere, & ligare, vel remittere, & retinere, æqualis sunt firmitatis, atq; efficaciæ. Sicut ergo qui diceret, illos non fungi potestate soluendi, repugnaret Christi verbo; ita qui potestatẽ ligandi imminuit, aut debilitat, docendo Sacerdotes nõ posse ligare nisi ex arbitrio pœnitentis, proculdubio verbo Dei aduersatur, & vim potestatis euertit Christi. Tertiò, si liberũ esset pœnã impositam detrectare, profectò non maiori potestate fungeretur Sacerdos absoluens, quàm baptizãs: & minimè iudex erit, cuius munus est pœnã iuxta leges statuere, atq; illam delinquentibus irrogare. Quartò, si pœnitens recusare posset pœnam pro delicto impositam, frustraretur Dei propositum in instituendo hoc Sacramento: quia enim nemo est bon' iudex in propria causa, ob id quod quisq; ignorat se ipsum, & quisq; sibi ipsi ita est affectus, vt sibi delinquenti facilè parceret, aut leuissimè peccatum suum puniret, aut fortasse grauius, quam par esset; ideo constitutus est Sacerdos in causa peccati iudex inter Deum & hominem, qui rectam sententiam pronũtiare valeat, & mulctam iustam, ac legitimam peccato indicere. Qui ergo liberum facit acceptare, vel recusare sententiã, manifestè diuino Christi consilio hoc Sacramentum instituentis aduersatur, ridiculumque, ac puerile reddit eius tribunal. Præterea non tantùm Sacerdos iudex est sententiam pronuntians, & pœnam indicens: cuius natura, atque ratio est, vt sit inuoluntaria; sed etiam spiritualis medicus, vt multi Patres docent: ægrotus igitur extremè laborans grauiter delinqueret, nisi præceptis medici obsequeretur, ac monitis, quia videretur mortem spõte velle incurrere; simili profectò ratione scelus graue non effugeret, si in negotio animi salutis, suo potiùs, & non Sacerdotis vellet stare iudicio. Hinc Pacianus Episcopus Barchinonensis in Parænesi ad pœnitentiam, quam ad Semptonianum scripsit: *Qui* (inquit) *non accipiunt iniunctas à Sacerdotibus pœnitentias, similes sunt ijs, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur; sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt, & quæ bibenda sunt, fastidiunt. Quod tale est, ac si dicat aliquis: Ecce ego æger, & ego vulneratus sum, sed nolo curari stomachum.*

dicitur, pœnitentem posse iniunctam à Sacerdote satisfactionẽ recusare.

II. Ratio. Actus Clauiũ qui sint.

III. Ratio.

Iudicis munus quod.

IV. Ratio.

V. Ratio.

Pacian. Epis. Barchinon.

Quià Sacerdotibus iniũctas non accipiunt pœnitentias, quibus similes videantur.

VI. Ratio.

Hæc ille. Denique in hanc ſententiam facit traditio Patrum producta, quæ neceſſariam ad ſalutem docet eſſe ſatisfactionem: at quomodo eſſet neceſſaria, ſi liberum eſſet eam volenti refutare. Percurrat lector

Cyprian.

Cypriani ſermonem 5. de lapſis, & libri 4. epiſtolam 14. in qua agit contra Sacerdotes promittentes veniam peccatoribus ſine ſatisfactione. Ait enim priori loco: *Emerſit, fratres dilectiſſimi, nouum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſæuierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Euangelij vigorem, contra Deum, ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita, & falſa pax periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Et infrà: *Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit: nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnãdis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur, vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat, vt delicti memoria vaneſcat, comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum grauiter offenſum longa, & plena pœnitentia deprecetur.* Legat quoque eiuſ-

Idem

dem libri epiſtolam 8. vbi docet, quòd ante plenam pœnitentiam, & ſatisfactionem non recipiebantur ad communionem, niſi vrgeret mors, & niſi conualeſcerent, debebant etiam canonicam ſatisfactionem abſoluere, non pro manifeſtis tantum, ſed etiam pro occultis delictis grauioribus. Parùm hæc videntur cohærere cum tanta libertate ſatisfacieudi, quam quidã præbent confitentibus.

V. argum. — *Ioan. 20.* — *1. Cor. 5.* — *2. Cor. 2.* — *2. Cor. 10.* — *Deut. 17.* — *Ioan. 20.* — *Matth. 9.*

Quintò obiectant: Vnde Sacerdotes acceperunt hanc poteſtatem? Reſpondeo; Ex illis verbis: Quorum remiſeritis peccata, &c, Quæcunque ſolueritis ſuper terram. Nam abſolutio actus eſt iudicialis, vnde Paulus tradebat Satanæ Corinthium, & abſoluebat: *Si quid donaui propter vos, in perſona Chriſti*, &c, *Quid mihi de ijs qui foris ſunt, iudicare?* &, *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et ſi olim Sacerdos iudicabat inter lepram, & lepram, quidni iudicet Sacerdos Noui Teſtamẽti; præſertim cùm dixerit Chriſtus: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos?* Cõnſtat autem, Chriſtum poteſtatem remittendi peccata habuiſſe, vt ipſe oſtendit apud Matthæum. Præterea clauis aperit, non tantùm declarat eſſe apertum. Quòd ſi actus Sacerdotis nudum eſſet miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, melius eſſet laico confiteri docto, quam ignoranti Sacerdoti: neque conferretur gratia plus per illam abſolutionem, quam alia cæremonia, nec opus eſſet certis, præſcriptiſque verbis vti pro forma: & Patres nõ abſolutos à Sacerdotibus Deo remiſerunt. Et ſi tãtùm eſſet declarare peccata remiſſa, nouæ legis Sacramenta ab illis veteris non differrent. Et ſi interpreteris: Abſoluo te, id eſt, oſtendo; quæro, cui oſtendat? Non Deo, qui nouit omnia: nõ Eccleſię, quia ſigillum confeſſionis obſtat: non pœnitẽti, quia poteſt de ſe meritò dubitare: non denique ſibi ipſi abſoluenti, quia poteſt dubitare. Cui ergo oſtendit? Patres etiam verè agnoſcunt poteſtatem iudiciariam Sacerdotis, vt Chryſoſtomus libro de Sacerdotio, Hieronymus epiſtola ad Heliodorum, Innocentius Primus epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum; Leo Primus ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum; Gregorius hom. 26. in Euangelia; Beda in 5. caput epiſtolæ B. Iacobi.

Iudiciariam in Sace dote poteſtatem agnouerũt Patres.

Chryſ tom. 5. Hiero. epiſt. 1. tom 1. initio. Innoc. I. epiſt. 1. cap. 2. Greg. tom 11. Beda tom 5.

Nec obſtat, ſi dicas, Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus? Sed intellige ex ſua natura. Sicut & illud; Nemo bonus, niſi Deus. Abſoluit ergo Deus authoritate ſua, Sacerdos verò miniſterio. Vnde Paul[9] ait, illum habere miniſterium reconciliationis: & Auguſtinus in Ioannem docet quòd Chriſtus poteſtatem ſibi tenuit, & in neminem miniſtrorum transfudit, Sacerdotibus dedit miniſterium.

Si ſolus Deus poteſt remittere peccata, cur idem tribuitur Sacerdoti.

Matth. 9. Marc. 10. 2 Cor. 5. B. Aug tract 6. in Io. to. 11.

Nec obſtat Hieronymus in Commentarijs in Matthæi caput 16. vbi tradit, quod Sacerdotes tantùm oſtendunt, vt olim, leproſos. Sed hoc ſuperiùs ſolutum eſt, legat ibi prudens lector. Et licèt ab Hugone de S. Victore taxetur Hieronymus; dici tamen poteſt, tantùm Hieronymum aſſerere, non licere Sacerdoti pro libito abſoluere, vel ligare, vt Deus poſſet, qui habet ſupremam autoritatem clauium: & vt Chriſtus homo, qui poteſtate præditus eſt excellentiæ; Sacerdos verò cõformem ſe debet reddere regulis Dei, vt ſoluat dignos, & reijciat indignos.

Hoc Hieronymi dictum: Sacerdotes tantum oſtendunt, vt olim leproſos explicatur.

Hiero. tom. 9. Deut. 17. Hugo de S. Victore li. de poteſtate ligãdi & ſoluendi.

Tertiò non obſtat Auguſtinus explanãs illud: *Quorum remiſeritis peccata*, vbi docet, Eccleſiam remittere. Sed intellige, precibus, & meritis impetrando remiſſionem: & per miniſtros Eccleſię abſoluit clauibus mediis.

Eccleſia ſecundum Auguſtinum, quomodo remittat peccata.

Aug trac. 1?9 in Ioan. ſub f.

Quartò Ambroſius in Lucam ait, *Verbũ Dei peccata dimittit, Sacerdos, & iudex: Sacerdos autem officium ſuum exhibet, ſed nullus poteſtatis iura exercet.* Intellige propriè. Idem: *Ille ſolus peccata dimittit, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt.* Intellige, propria autoritate, ſecùs autem miniſterio.

Ambr.

Quo ſenſu Ambroſius ſoli Chriſto tribuat, neget Sacerdoti, omnem poteſtatem peccata remittendi.

Quintò obijcies, Iuſtus quandoq; pœnitens accedit ad Sacramẽtum, à quo ergo abſol-

A quo absoluat iustum pœnitentem Sacerdos.

absoluit eum Sacerdos, cum dicit; Ego te absoluo? Respondeo, sensus est: Ex me absoluo, & præbeo gratiam absoluentem: & ampliùs soluitur iustus à pœna, & liberior gratia efficitur accepta. Impeditur autem effectus Sacramenti, qui est actualis remissio peccatorum per impœnitentiam, & per præcedentem iustificationem, & perfectam contritionem tollitur, quod accedētis virtuti, & plenæ dispositioni tribuendum est, non Sacramento: efficitur autem fructus Sacramenti propriè in eo, qui attritus accedit.

Quid impediat effectum Sacramenti, quid vero eius impedimentū tollat.

Ligatum quomodo liget peccatorem Sacerdos.

Sextò, peccator ligatus accedit, quomodo ergo ligari potest? Sed amplius sane intrare potest Satan, & vexare, ne plus peccet accedens ad Sacramēta: nec peccat Sacerdos ligando, quia minister est diuinæ iustitiæ.

Sacerdos vt absoluit quē non potest retinere peccantem?

Septimò, Sacerdotes, dices, nō possunt retinere, ergo nec absoluere. Sed verè retinent quos non absoluunt: quia licet contritus quis accedat, si negligit tamen confiteri, mittit gratiam, & contritionem: si habet attritionem, verè retinet, sed non confitetur.

Sacerdotes tametsi gratiam Dei non habeant, posse tamen legare, & absoluere peccantes, contra Lutheranos.

Neque verum est quod docent hæretici, Sacerdotes non habere potestatem ligandi, & absoluēdi, nisi Spiritus sancti gratia, & charitate sint præditi: quia nemo esse possèt alioqui certus de susceptione Sacramenti, cùm ignota sit charitas ipsi habenti, nedum alijs. Et vis Sacramenti distincta est à bonitate ministri, ergo non impeditur ab eius malitia: impediretur autem, si solueret ille merito suo, aut communione charitatis, vt de Ecclesia tradit August. Absoluunt ergo Sacerdotes tantùm ministerio. Vnde articulus Ioannis VVicleff numero quartus, damnatus est in Concilio Constātiensi, qui illud asserebat.

Concil. Constant. sess. 15.

Patrum testimonia.

Idem quoque tradunt Patres, vt Chrysostomus in Ioannem, & Cyprianus ser. de Baptismo Christi, & serm. de passione, August. libro de Baptismo paruulorum, & libro contra Cresconium Grammaticum, & in Canonicam Ioannis. Gregorius Nazianzenus in sanctum lauacrum docet, malum, & bonum Sacerdotem eūdem fructū Sacramēti administrare, quemadmodum annulus aureus, & æneus eadem imagine omninò insigniti, & eiusdem molis, nō differunt nisi in materia, quia ille est aureus, & hic æneus, cùm eandem imaginem in cera imprimant. Idem docent Anastasius Papa in epistola ad Anastasium Imperatorem, & Nicolaus ad Consulta Bulgarorum. Quod si obijcias ex Augustini epistolis, prima de cōcordia Ecclesiæ contra Donatistas, altera ad Festum, de Donatistis coercendis, & lib. contra Donatistas, & libro 50. Homiliarum, Christum non dixisse fornicarijs, & incestuosis, & alijs prauis hominibus: Quorum remiseritis peccata: Respondendum est, Christum non præcepisse talibus vti ea potestate, quia in eius vsu delinquerent: non autem docet, quòd non teneat absolutio per eos facta, si illa vtantur.

Chrys. ho. 85. in Ioan. to. 3.
Cyprian.
Aug. libr. 5 de Baptismo paruul. c. 19. to. 2.
Idem li. 3. contra Crescon. c. 5. 8. 9. to. 7. & tract. 5. in Canonicam Ioannis.
Anasta. Pap. cap. 7.
Nicol. Papa
August. epist. 166. & 167. tom. 2.
Idem lib. 2 cōtra Donatist. c. 25. tom. 1.
Idem lib. 50. Homil hom. 23. tom. 10.

Illud Lutheri: Optima pœnitentia est noua vita, quo modo verum sit.

Sextò docet Lutherus, optimam pœnitentiam esse nouam vitam. Sed hoc nemo Catholicus negauerit, nisi velit excludere contritionem, vel satisfactionem. In quo sensu cùm illam assertionem pronuntiauerit, meritò à Leone Decimo, & Synodo sancta Tridentina damnata est: quia Scriptura ita vult nouam vitā, vt præteritam defleamus, & pœnitentiæ operib' satisfaciamus: *Memor esto*, inquit, *vnde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac.* &, *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu*; iterum: *Fili, peccasti? non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur:* &, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & Propheta: *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Vbi vides, non satis esse facere cor nouum, nisi peccata pœnitentia diluantur. Accedunt & Patres. Tertullianus lib. de carne Christi: *Omnis pœnitentia confessio est delicti*, & Augustinus: *Impossibile est, aliquem vitam nouam inchoare, quin eum pœniteat veteris.* Et Gregorius in Pastorali tribus exēmplis docet nō satis esse à peccato cessare, nisi etiam de præteritis peragatur pœnitentia. Exempla autem sunt, scriptoris, ac arrogantis iniuriam, atque debitoris. Huius verba, atq; aliorum breuitatis gratia prętermitto. Bernardus sermon. in octaua Paschæ: *Non sufficit peccatori continentia peccati, nisi adsit & pœnitentia.* Præterea non potest noua esse vita sine destructione veteris: nec potest indui nouus homo, nisi exuto veteri. Prætereà vox ipsa pœnitentiæ non tam futura respicit, quam præterita: vnde Deus respiciens ad præteritum: *Pœnitet me fecisse hominem*, Et Paulus: *Et si contristaui vos in epistola, non me pœnitet.* & Græca vox μετάνοια, etiam præterita respicit delicta, quæ omissione, vel commissione perpetrantur. Vnde Ausonius dixit:

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempè vt pœniteat, sic Metanea vocor.

Lactantius μετάνοιαν definit esse cum dolore, castigationeq; præteriti delicti. Et Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia, *Pœnitētia est*, inquit, *vindicta in se puniens, quod dolet*

Concil. Trid. sess. 14. Can. 5. & 14.
Apoca. 2.
Eccli. 5.
Infra 21.
Esai. 38.
Ezech. 18.
Patres.
Tertull.
August.
Greg. in Past. p. 2. c. 4. tom. 1.
Bern. ser. 1. in octaua Pasc.
Genes. 6.
2. Cor. 7.
Ausonius.
Lactan. lib. 6. c. 24 sub init.
Augu. ser. de vera & falsa pœnit. tom. 9. sub finem.

2.Cor. 7. *dolet commisisse*. Et denique Paulus: *Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed vindictam*, &c. Et rursus, *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Id est: Contritio, quæ hominem secundùm Deũ tristari facit, operatur vindictam confessionis, & satisfactionis. Nec obstat si obijciatur ex Euangelio, Christum dixisse paralytico, *Ecce sanus factus es: iam noli peccare*, & mulieri peccatrici, *Vade in pace*, & adulteræ, *Vade, & iam amplius noli peccare*: quia nondum erat institutum tunc temporis pœnitentię Sacramentum, & illi plenè doluerant, ac de peccatis satisfecerant, nec aliud supererat, quàm non redire ad peccata, sed in noua vita ambulare. Falsum est igitur, pœnitentiam esse nouam vitam, ita vt excludat aut contritionem, aut satisfactionem: sicut falsum est, pœnis temporarijs à Deo inflictis minimè satisfieri; cùm Adam, Dauid, Manasses pœnis inflictis Deo satisfecerint, & Lazarus mendicus secundùm Gregorium: & non esset in purgatorio satisfactio, nec diceret Dominus, *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*: neque Paulus, *Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*, & iterum, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Idem tradunt Basilius in regulis fusius disputatis, & epistola ad Ecclesiam Antiochiæ, Gregorius Nazianzenus superiùs productus, Lactantius libro de ira Dei, & Augustinus in Psalmum 50. in illud: *Et à peccato meo munda me*, & in id: *Ecce enim veritatem dilexisti*. Et Gregorius in illud Iobi: *Sciens quia non parceres delinquenti*: quorum superiùs sunt productæ sententiæ. Similiter falsum est, pœnis voluntariè susceptis, vt ieiunijs, orationibus, & eleemosynis non placari Deum: quoniam Dauid aiebat: *Cogitabo pro peccato tuo*, Et; *Ego in flagella paratus sum*, & Paulus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, Et, *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*, & Ioannes Baptista: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; Et, *Voluntariè sacrificabo tibi*, Et Paulus, *Si volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est*. Et Niniuitæ placarunt Deum pœnitentia, & ieiunio, sicut peccatrix apud Lucam, & filius prodigus apud eundem, & publicanus, vt idem commemorat, lachrymis, precibus, & accusatione sui ipsorum. Synteresis falsò dictaret, puniendum esse in seipso peccatum. Idem docent Basilius in Psalmum 37. Augustinus in Psalmum 50. & epistola ad Macedonium; Hilarius Canon. 40. in Matthæum, Ambrosius in illud verbum Pauli, *Sed vindictam*.

[Margin: Ibidem. | Ioan. 5. | Luc. 7. | Ioan. 8. | Quod pœnitentia non sit noua vita, vt vult Lutherus. | Greg. ho. 40. in Euãg. to. 2. | Psal 88. | 1. Cor. 11. | Supr. 3. | Basil in reg. latius disputat. ca. 56. & epist 60. to. 2. | Greg. Naz. orat 14 | Lactãt. de ira Dei, cap. 21. | Aug. tom 8. | Greg. lib 9. Moral ca 27. tom. 1. | Probatur pœnis voluntarijs à nobis susceptis Deũ placari, contra Lutheranos. | Psal 37. | Ibidem. | 1. Cor. 9. | Infra 11. | Luc. 3. | Psal 53. | 1 Cor. 9. | Ioan. 3. & seq. | Luc. 7. | Infra 15. | Infra 18. | Basil. hom. 21 in Psa 37. to. 1 | August. epist 54. tom. 2. | Hilarius. | Ambr in c 7. 2. ad Cor. to. 5]

Falsum quoque est, satisfactionis doctrinam obscurare gratiam, vel sanguinem Christi. Primò, quia si illud verũ esset, non exigeret Deus satisfactiones, nec commẽdaret eos, qui eas præstãt. Deinde quia claritas gratiæ, & nobilitas cultus Dei in subiugando veteri homine, vt seruiat nouo, & nouus Deo, cõsistit, subiugatur autem per ieiunia, orationes, & eleemosynas. Tertiò, si iuuat ad disciplinam, & exẽplum, & hæc non obscurãt Christum, nec eius gratiam, ergo nec satisfactiones obscurabũt. Quartò, maior vis mortis Christi est, quòd nos in nobis ipsis puniamus peccatum, quàm si ipse in se tulisset. Quintò, tota virtus satisfaciendi nobis est ex gratia, quia est fructus charitatis: ergo non obscurat gratiam, sicut nec bonus fructus bonam arborem. Sextò, de Ioanne præcursore ait Lucas: *Multa quidem, & alia exhortans euangelizabat populo*, vbi de fructibus dignis pœnitẽtia est sermo: ergo satisfactio pars est Euangelij. Hoc peculiariter docet Cyprian⁹ epistola ad presbyteros, & diaconos, & sermo. de lotione pedum, & Basilius in regulis fusius disputatis: *Per Christum*, inquit, *satisfacimus, & per vim eius*.

[Margin: Satisfactionis documentum non obscurare gratiam, & sanguinem Christi. | Vetus homo noster quẽadmodum subiugari valeat. | Satisfaciendi virtus in nobis vnde sit. | Luc. 3. | Cypria. lib. 4. epist 4. | Basil. in regulis fusius disputat. c. 58. to. 2]

Verum quoque est, in pœnas temporarias æternas cõmutari: quia per claues tollitur infinita pœna, ac æterna auersioni debita, & remanet temporalis debita cõuersioni ad creaturam. Ita etiã locuti sunt Patres. Tertullianus libro de pœnitentia non longè à fine: *Hæc omnia*, inquit, *exomologesis vt pœnitentiam commendet, vt de peculiari timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat*. Et Ambrosius in libro ad virginem lapsam idem, vt superiùs produximus, confirmat, & Eusebius in Ecclesiastica Historia. Hieronymus quoque in quæstionibus Hebraicis, super illud Genesis: *Non permanebit Spiritus meus in hominib⁹ istis in æternũ, quia carnes sunt*: annotat Hebraicè legi: *Non iudicabit Spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt*. Et exponit: *Hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus; sed hic illis restituam, quod merentur*. Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Prosper etiam, vt citatur à Gratiano: Si ipsi (nempè pœnitentes) sui iudices fiant,

[Margin: Tertullian. | Ambr lib. ad virg. lapsam, cap. 8. tom. 2. | Euseb lib. 5. Hist. Eccles. c. 7. tom. 1. | Hiero. tom. 4. Gene. 6. | Prosper de pœni. dist. 1. porrò]

fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus extinguent æterni ignis incendia. Item Bernard⁹ sermone de ieiunio Quadragesimæ: *Quid est*, inquit, *condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo, & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata.* Hæc ille. Et hactenùs in errores hæreticorum meritò ab Ecclesia per Synodum Tridentinam damnatos nobis disputasse sit satis.

Bern. serm. 4. de ieiun. Quadragesima, initio.
Luc. 16.
Trident. Synod. sess. 14.
Satisfactio quid.

Est igitur satisfactio ad expianda veteris vitæ delicta, nihil aliud quàm redditio æquiualentis voluntaria. Per hoc quod dicitur æquiualentis, docemur nos tantùm ex gratia satisfacere, non quidem pro culpa, sed pro pœna temporaria relicta, quam non nisi in gratia constituti parenti reddimus. Et quamuis apud homines satisfactio fieri debeat de ijs, quæ aliàs illis non debẽtur, apud Deum tamen pro insigni sua munificentia omnibus nostris operibus multis alijs rationibus ipsi debitis, satisfacere possumus. Appellatur voluntaria: vnde animæ purgatorij, vel homo per magistratũ iustè punitus, dicuntur satis pati, non satisfacere. Hæc autem in tria membra solet distingui, videlicet in orationem, ieiunium, & eleemosynam; vt de tribus bonis animi, corporis, & fortunæ Deo aliquid offeramus, ac eos quos offendimus, Deum, nos ipsos, ac proximum, placemus: nosque qui Deum corde, lingua, atque opere irritauimus, triplici ratione reconciliemur: sitque triplex redemptionis genus, supplicatio per orationem, punitio per ieiunium, redemptio per eleemosynam. Satisfacimus autem Deo per facta laboriosa, & non laboriosa, per opera præcepti, & supererogationis, per actiones iniunctas à Sacerdote, vel spontè à nobis susceptas, vel à Deo inflictas in hac vita, si tamen voluntariè sustineãtur: ita vt latissimus satisfactioni campus pateat, & nemo ab illa meritò excusari valeat. Rectè beatus Thomas probabiliter asseruit, si Sacerdos post absolutionem, & impositam à Sacerdote satisfactionem illud addiderit: *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum*, vt multi Sacerdotes in vsu habent, omnia quæ posteà facit is qui confitetur, efficaciora fieri, atque firmiora in ratione satisfaciendi. Quare etsi strictior videatur esse porta pœnitentiæ Sacramenti, quàm Baptismi: tanta tamen Dei bonitas est, & misericordia, vt per omnia actionum genera, quibus aut Deum colimus, aut proximum officiosè iuuamus, aut nos ipsos à prauis cupiditatibus coercemus, aut in officio nos continemus, id omne ad debitam, & condignam de peccato satisfactionem referri possit beneficio, & gratia Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis virtus, sapientia, ac bonitas est accepta ferenda ab vniuersa creatura per infinita secula seculorum, Amen.

Satisfactionis partes.
Quẽadmodũ Deo satisfacimus.
B. Thomas Quodlib. 3. art. 28.
Præclarum B. Thomæ de satisfactione documẽtum.

TRACTATVS XXVI.

In quo pœnitentia ostenditur esse Sacramentum ad recõciliationem pro relapsis post Baptismum à Christo institutum, rectéq; dici à Patribus secundam tabulam post naufragium: tresq; esse Pœnitentiæ partes, Cõtritionem, Confessionem, & Satisfactionem: atq; Contritionem, quæ paratur discussione, collectione, & detestatione peccatorum, commodè nos ad gratiam præparare: nec facere hominem hypocritam, aut magis peccatorem.

DIXIMVS Hactenus de Satisfactione, quæ vt plurimum consequi solet ad Confessionem, & absolutionem: disserendum de quibusdam, quæ meritò debent Confessionem præcedere, vt Contritio, & detestatio de peccatis, & nonnihil de ipso Sacramento in genere: quoniam & in his negotium nobis facessere hæretici non destiterunt, quandoquidem vniuersa Fidei fundamenta sursum, ac deorsum versare conati sunt: verùm hæc omnia Dei munere, ac peculiari diuina prouidentia contigerunt, quò sidelicet fidei nostræ capita & clarius perspiceremus, & fortius apprehẽderemus. Hic enim solet esse singularis fructus, quem Dominus pro sua sapientia, & bonitate tanquàm de spinis vuas, & de tribulis ficus demetens, nos colligere voluit. *Matth. 7.*

In primis igitur pœnitentiam peculiare esse, ac à Baptismo distinctum Sacramentũ ad reconciliandum in peccatũ prolapsos, res est tam aperta, ac manifesta, vt lon-

Sacramentum quid. longis probationibus nō indigeat. Nam si Sacramentum est signum sensibile ad sanctificandum hominem institutum, habēs pactum gratiæ Dei; & faciēs interiùs, quod exterius repræsentat, proculdubio talis est pœnitētia: quia quod externa verba significant, hoc est, peccatorum absolutionem, illam interius præstat: eleemosyna autem, ieiunium, & remissio iniuriæ, quamquàm promissionem gratiæ Dei habeant, si ex charitate oriantur, significationem tamen ex se non habent; quare Sacramenta non sunt. Secùs pœnitentia, quæ rem externam suo genere mediam, & indifferētem complectitur, ac Dei instituto ordinatur ad peccati remissionem. Materia Baptismi. Sicut autem ablutio materia est Sacramenti Baptismi, ex seque minimè definita est ad lotionem, vel gratia sanitatis, vel mundationis, vel recreationis adipiscendæ, vel etiam Baptismi cōsequendi, quia ad omnia illa præferri potest, sed per formam verborum restringitur ad regenerationem Sacramentalem: ita Materia Sacramenti pœnitentiæ. in Sacramento pœnitentiæ materia est peccatorum denudatio, & cōfessio. Quæ ex se fieri posset, vel ad eruditionem, & consilium, vel ad medelam, & consolationem, vel ad delectationem quandam, & impudentiam, vel ad vanam gloriam, vel alias inanes causas, vel denique ad absolutionē adipiscendam peccatorum, per formam tamen absolutionis restringitur; & ita est signum sensibile ipsa confessio, & absolutio. Si autem hoc non satis est ad Sacra- Ab Scripturis. mentum constituendum; nec Baptismus, nec Eucharistia est Sacramentum, quia Ecclesia non opus est dicat hæc verba; Baptismus est Sacramentum, vel, Eucharistia est Sacramentum: posita tamē vera definitione prædicta, probatur Pœnitētiam esse Sa- *Ioan. 20. Matth. 16.* cramentum, ex illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; &: *Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris.* Paulus etiam *1. Cor. 5.* ligat incestuosum Corinthium, & tradit *2. Cor. 2.* illum Satanę: & absoluens ait: *Nam ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Chri- Infra 5.* *sti*, &: *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, *1. Tim. 5.* & ad Timotheum: *Manus citò nemini imposueris; neque communicaueris peccatis alienis.* Vbi ex præcedentibus, & sequentibus constat loqui de iudicio Confessionis, & reconciliationis: præcedit enim: *Peccantes coram omnibus argue.* Sequitur etiam: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.* Quamquàm non negemus à Patribus exponi etiam de Sacramento Ordinationis. Cui illud obstare videtur, quòd si quis bonus omnium iudicio, & illi citò manus imponantur ab alio, non cōtinuò qui imponit, peccat. Tertiò, quia Sacramentum Pœnitentiæ dicitur manuum impositio; hoc autem nullibi in Scripturis proderetur, nisi hoc loco explicatum fuisset. Cùm igitur sit signū sensibile ipsa prolatio absolutionis (quia sententia iudicis debet esse vocalis) & effectus sit ipsa remissio peccatorum, Pœnitentia igitur erit verum Sacramentum. Idem etiam probatur Rationibus idē ostenditur. Nouatiani ab Ecclesia excluti fuerunt. ratione. Primò à Nouatianis, qui post Baptisma non negabant pœnitentiam, sed audiebant peccata, atque illis satisfactiones imponebant, nec tamen pronuntiabant absolutionem: ob quod exclusi sunt ab Ecclesia; etsi non negarent Deum posse remittere. Hinc Tertullianus hac in parte *Tertull.* Nouatianis libro de Pudicitia aliquantò post medium ait: *Quòd si clementia Dei ignorantibus adhuc, & infidelibus competit; vtique & pœnitentia ad se clementiam inuitat salua illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut leuioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut maioribus, & irremissibilibus à solo Deo.* Hæc ille, qui inter remissibilia eodem loco ponit adulterium. Cyprianus epistola ad Anto- *Cyprian. lib. 4. epist. 2. prope finem.* nianum, contra Nouatianam hæresim disserens: *O frustrandæ, inquit, fraternitatis irrisio, ô miserorum lamentantium caduca deceptio, ô hereticæ institutionis inefficax & vana traditio, hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere* Satisfactioni medicinam subtrahere quorum sit. *de satisfactione medicinam: dicere fratribus nostris, Plange, & lachrymas funde, & diebus, & noctibus ingemisce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare. Sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris; quæcunque ad pacem pertinent, facies: sed nullam pacem quam quæris, accipies.* Ambrosius in eosdem *Ambr. li. 1. de Pœnit. cap. 1. tom. 2.* hæreticos agens: *Quid autem durius*, inquit, *quàm vt indicant pœnitentiam quam non relaxent; cum vtique veniam negando, incentiuum auferant pœnitentiæ?* Et infra: *Sed aiunt se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum* *Cap. 2. init.* *criminum potestatem reseruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt. Quis est ergo qui magis honorat, vtrū qui mandatis obtēperat, an qui resistit?* *Ioan. 20.* Historia Tripartita de Acesio Nouatiano, *Hist. Trip. lib. 2. c. 13.* à quo cùm in Concilio Niceno requisiuisset Imperator Constantinus, an & ipse consentiret in Fide, & Paschali definitione. At ille: *Nihil, inquit, noui, ô Imperator, synodus definiuit. Sic enim olim & à temporibus Apostolorū ipse percepi, & terminum fidei, & tempus Paschalis festiuitatis.* Porrò denuò Imperatore requirente: *Cur ergo te à communione separas?*

Ille ea quæ sub Decio gesta sunt persecutionis tempore, replicauit, & subtilitatem acerbissimæ regulæ deduxit ad medium, quòd non oporteat eos, qui post Baptisma peccant, peccato quod ad mortē esse Scripturæ diuinæ pronuntiant, communicatione Sacramentorum fieri dignos; sed inuitandos quidem ad pœnitentiam, spē verò remissionis non à sacerdotibus, sed à Deo solummodò sustinere, qui potestatē habet peccata remittere. Hæc cùm dixisset Acesius, Imperator ait: *O Acesi, pone scalam, & si potes, ascende solus in cælum.* Hæc ille. Et hactenus de Nouarianis. Idem docet Damascenus lib. de hæresibus, de Messalianis: *Seruos, inquit, à dominis fugiētes promptè recipiunt: & eos, qui à diuersis peccatis ad ipsos adueniunt, sine fructu aliquo pœnitētiæ, sine Sacerdotum auctoritate, sine gradibus sine Canonibus Ecclesiasticis narratis, velocissimè purgare ab omni peccato repromittunt.* Guido quoque Carmelita in libro de hæresibus, secundum errorem Iacobitarum recensens, scribit, illos asseruisse non esse hominibus cōfitendum de peccatis, sed soli Deo: Vnde iuxta se apponunt ignem, & incensum, quādo Deo confitentur, in signū quod eorum peccata tali confessione prodita consumit. Hæc ille. Secunda ratio pro Sacramento Pœnitentiæ, desumitur à munere Ecclesiæ in distinguendis gratię cæremonijs, quēadmodum in discernēdis Canonicis libris: nam illa sola facultatem habet, & spiritum hoc præstandi: nec est priuati alicuius cuiuscunq;, nedum hęretici de illis ferre iudicium. Tertia ratio est, ab insigni effectu remissionis peccatoris, ac certa illius significatione. Nam Ecclesia, quæ non est domina gratiæ diuinæ, peccata pro sua voluntate non potest dimittere, sed pro voluntate Dei. Quarta ratio, & valida, à firma Ecclesiæ traditione ducitur. Nam ab Ecclesia Dei semper agnitum est pro Sacramento: vnde Concilium Florentinum doctrinam peculiarem tradit de septem Sacramentis, & præcipuè de Sacramento Pœnitentiæ: quemadmodum etiam Concilium Tridentinum sess. septima, septem Sacramenta nouæ legis à Christo instituta, & gratiam conferre, quātum est ex parte Sacramenti, decernit: & anathema in contrarium asserentes infligit. Et sessione decimaquarta peculiariter de Pœnitentię Sacramento duobus prioribus Canonibus sic statuit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam nō esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* Alter Canon est: *Si quis Sacramenta confundēs, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atq; ideò Pœnitentiā non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* Lucius Tertius de hæreticis, cap. Ad abolendam, vocat Sacramentum Cōfessionis. Et vt ad superiora secula ascēdamus. Ambrosius lib. de Pœnit. *In lauacro*, inquit, *operatur* (loquitur de Sacramento Pœnitentiæ) *mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? nonne nomen Dei operatur? Quid ergo? vbi vultis vendicatis vobis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis, sed hoc insolentis arrogantiæ, nō sancti timoris, vt fastidio sint vobis qui volunt agere pœnitentiam.* Idem serm. de natali sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli: *Clauis inquam, est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatē mysterij salutaris includit.* Idem libro de Pœnitentia: *Pater peccaui in cælum, & coram te. Nonne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia Sacramēti ad precandum impellimur; & hoc auferre vultis, propter quod agitur pœnitentia?* Et infra: *Ergo euidentissima Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cælestis refundendam gratiam.* Basilius in Regulis Breuioribus: *Vt vitia corporis nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem qua ea curanda sint, teneāt: eodem modo etiam peccatorū confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.* Chrysostomus libro de Sacerdotio, cōfert Baptismum Pœnitentiæ tanquam Sacramento. Et loquens de ministro Pœnitētiæ, inquit: *Nec enim iustum est, vt qui cum fide ad symbola salutis nostræ accedimus, propter alterius nequitiam incommodemur.* Vbi cōfessionem, & absolutionem, symbola nostræ salutis vocat, hoc est, Sacramenta. Augustinus in Psalmum 146. Sacramentum Pœnitentiæ vocat, & lib. L. Homiliarum: *Cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius maternorum membrorum ordine custodito à præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum.* Idē etiā docent vniuersi Patres, qui hæreticis, & ægrotantibus remitti peccata tradunt per manus impositionem: quia illa cæremonia in absoluendo vtebantur. Ex quibus constare potest, quàm falsum sit quod asserit Lutherus in fine libri captiuitatis Babylonicę, quod Patres non agnouerint Pœnitentiam tanquā Sacramētum, aut quòd nō fuerit certa materia, cùm perpetuò fuerit cōfessio peccati. Falsum quoque quod ait, non esse inuisibilis gratiæ

1. Ioan. 5.

Matth. 9.

Damasc. lib. de centum hæresib. n. 80. circa mediū.
Messalonianorum hæresis.

Guido Carmelita.

Iacobitæ impie de Confessione quid senserint.

II. Ratio.

III Ratio.

IV. Ratio.

Conc. Florēt. in Bulla vnionis.

Conc. Trid.

Lucius III.

Ambr. lib. 1. de Pœnit. c. 7. to. 2.

Idem ser. 6 o sub init. to. 3

Idem lib. 2. de Pœnit. c. 3. to. 2.

Enc. 15.

Basilius in Regul. Breuior. Interrog. 229. to. 2.

Chry. lib. 3. de Sacerd. t. 5.

August. to 8. Idem lib. 50. Homil. ho. 50. cap. 11. to. 10.

visibile signum: quia est absolutio sensibilis, & efficax, eius quippe remissio significat remissionem, quā Deus ratam habet in cœlo. Significat etiam remissionem membrorum columbæ, vt docet Augustinus: quia peccator Spiritū sanctum cōtristat, & omnes quos inhabitat. Ideo sancti Patres pro peccatis omnium illacrymantur, ac de eorum conuersione gaudent. Significat præterea iudicium futurum: quia qui absoluūtur, ad dexteram erunt, sicut qui ligantur, ad sinistram. Habet & aliud signum externum à traditione Apostolica, sed ad salutē tamen minimè necessarium, nimirum impositionem manuum. Hinc à Patribus dicitur manus impositio, vt ex Paulo superiùs deduximus: cuius meminit Clemens libro de doctrinis Apostolicis, Cyprianus lib. 3. epistola 13. Athanasius in Secundo Apologetico: *Nolebant fideles ægroti sibi manū imponi ab Arrianis Presbyteris:* Chrysostomus homil. 85. in Ioannem: *Sacerdos*, ait, *& linguam, & manus præbet*, & lib. 3. de Sacerdotio: *Homo manus imponit, Deus autem largitur gratiam.* Idem tradit Ambrosius super priorem ad Timotheum, & Concilium Carthaginense Quartum. Vanum quoque est quod obijcit Lutherus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, ergo fructus Baptismi perpetua est salus.* Verùm est, si sic seruet gratiam in Baptismo acquisitam: quòd si ab ea excidat, secùs erit: & alia ratione est illi salus accersenda. Proinde qui existimat se stare, videat, ne cadat.

Idem August. — 1. Tim. 5. — Clem. lib. 2. Cōstit. Apost. Cyprianus. Athan. Chrysost. — Ambr. in c. 5. 1. ad Timth. Conc. Carth. 4 Can. 76. Marc. vlt. — 1. Cor. 10.

Falsum quoque est, non rectè à Patribus appellatū secundam tabulam post naufragium. Nam Ecclesia nauis nomine designatur, à qua si quis exciderit post Baptismum, per peccatum fluctuat. Cor enim impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Et de quibusdā ait Apostolus, quòd circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander. Et hoc est quod ait Dilectus: *Memor esto vnde excideris*, scilicet è naui Ecclesiæ, in qua eras membrum: nec potest quis reuerti nisi fulciatur aliqua tabula: sed quia hic modus hæreticis magis conuenit, quàm fidelibus peccatoribus, nauis, innocentia fuit in Adam, vt alij docēt: prima tabula, Baptismus: secunda, Pœnitētia. Vel fortassis quia in innocentia non erat nauis, cùm ibi nulla esset nauigatio periculosa, & B. Petrus Baptismum comparat arcę, & quia à Baptismo fit naufragium. vt Paulus ait de illis qui circa fidem naufragauerunt: & quia Patres non omnes appellant secundam tabulam, sed simpliciter tabulam; propterea magis veritati consonare videtur, vt etiā B. Thom. docet, quòd dicatur secunda tabula respectu Baptismi: qui tabula vel nauis est, quia non restituit iustitiam originalem: Quia ergo eis displicere verba non possunt, cùm bona sint, & à Patrib⁹ vsurpata, superest vt displiceat sensus. Sicut igitur fracta naui necessarium est, eum qui cupit euadere, tabulæ alicui hærere, & citra periculum enauigare, & ad portum peruenire: simili ratione qui Baptismi innocentiam violauit, debet post naufragiū secundam Pęnitentiæ tabulā amplecti, si vult esse saluus: in qua durior, & strictior est nauigatio, quàm eius qui in naui vehebatur. Est autem strictior in quatuor. Primò, in ministro, quia solum Sacerdos ministrat, cum quibus baptizet. Secūdo in dispositione, quia maior contritio, dolor, & fletus requiritur, quàm in Baptismo; & satisfactio pro peccato, quæ in Baptismo nō exigitur. Tertiò in cæremonia, quia durius est nudare pectus, peccataq; sua aperire Sacerdoti, quam aqua ablui. Quartò in fructu & efficacia: quia Baptismus confert omnimodam nouitatem; pœnitentia non soluit omnē pœnam. Atq; ita duplex est renouatio, vna in Baptismo facilis & integra, quā negat Apostolus dari per pœnitentiā, cùm ait: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Secunda verò renouatio imperfecta est, & laboriosa per pœnitentiā, de qua ait Apostolus: *Renouamini spiritu mētis vestræ*, &c. *Licèt is qui foris est noster homo, corrumpatur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* Duplex rursus est mortificatio, altera perfecta in Baptismo, de qua: *Consepulti enim sumus cū illo per Baptismum in mortem.* Secunda est laboriosa, ad quam adhortatur, cùm ait: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terrā.* Hac metaphora vsos Patres plerunq; legimus, vt Tertullianum libro de Pœnitentia: *Viuo, inquit Dominus & pœnitentiam malo quā mortem. Ergo pœnitentia vita est, cū præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imò me minor, ego enim præstantiā in delictis meā agnosco) ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem.* Et infra in fine libri: *Cùm scias aduersus gehennā post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutē tuam deseris?* Ambrosius ad Virginem lapsam: *Sed tu quæ iam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tāquam naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari.* Hieronymus, vel potiùs Pelagius ad Demetriadem loquens de pœnitentia: *Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula fit: in virgine integra seruetur nauis.* Eadem metaphora vtitur in cap. 6. Esaię, & super Danielem.

Rectè à Patribus Pęnitentiam secundam tabulam nominari. — Esai. 57. — 1. Tim. 1. — Apoc. 2. — 1. Pet. 3. 1. Tim. 1. — Thom. 3. p. q. 84. art. 6.

Baptismus tabula prima vel nauis cur dicatur. — Pęnitentiæ Sacramentum Sacramento Baptismi strictius esse, laboriosiusque quadruplicter. — Renouatio duplex. — Hebr. 6. — Ephes. 4. 2 Cor. 4. — Duplex mortificatio. Rom. 6. — Colos. 3. — Tertull. Ezech. 18. & 33. — Ambr. lib. ad virginem lapsam, c. 8. in 5. tom. 2. — Hieron. to. 5.

Falsum

Quod Baptisma non sit ipsum Sacramentum Pœnitentiæ.

Falsum postremò est, quod aiunt Baptisma verè esse ipsum Sacramentum Pœnitentiæ: quod scripturis & rationibus redarguitur. Primò enim in lege circuncisio, & expiatio distincta erãt, ac maximè illa, quę in anno in die propitiationis fiebat: quæ pręcipuè respondet nostrę pęnitẽtię. Deinde quia Ioãnis Baptismus discretus erat ab eiusdẽ confessione, quia semel ab eo baptizati veniebant ad confitẽdum peccata sua. (Matth. 3.) Tertiò lotio totius corporis in Baqtismo, vt omnes Patres tradũt, distincta est ab illa pedum ablutione, quæ præcessit sumptionem Eucharistiæ, per quã significari Sacramentũ tradit Bernard[9]. (Bern. serm. de ablutione pedum.) Quartò Pœnitẽtia à Patribus assignatur alia ante Baptismum, & alia post Baptismũ, vt etiã tradit Synodus Tridentina sessione 14. in doctrina decreti de Iustificatione. (Tridentina Synod sess. 14. cap 2.) Quintò, Baptismus non esset Sacramentum, si est pœnitentia, quæ per se Sacramentum non est, sed virtus. Sextò, Baptismus constitutus est à Christo ab initio, Pœnitentiæ verò Sacramentũ in die resurrectionis. (Ioann. 4. Infra 20.) Septimò, impossibile est semel illuminatos, si prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam; & (Hebr. 6. Infra 10.): *Voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur pro peccatis hostia*. Quæ sententiæ cùm in prima facie Nouatianorum dogmati fauere videantur, à Patribus sunt expositæ; ita vt tradant Pœnitentiam per se non tribuere renouationem Baptismi, nec effectum Christi hostiæ, quæ applicatur post Baptismum, in quò integre & significatur, & applicatur. Octauò, Paulus & Patres baptizatos soluebant, & ligabant cum cerimonia: *Congregabitis*, inquit, *vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c.* (1. Corint. 5.) ergo distincta est Pœnitentia à Baptismo. Idem quoque rationibus ostenditur. Prima, à peiori retrocessione sumitur. Nam qui post Baptismum peccat, cauere debet ne deterius sibi contingat, vt Dominus dixit paralytico, & Petrus: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti*: (Ioann. 5. 2. Petr. 2.) ergo alio opus est Sacramento. Secunda ratio ab iteratione peccatorum post Baptismum deducitur. Hinc enim iteratur pœnitentia: secùs Baptismus, qui in originale, quod nõ repetitur, est institutus. Tertia ratio, à pacto Dei arctiore in Pœnitentia, quantum attinet ad ministrum, dispositionem, cerimoniam, & effectum, vt diximus. Atque hoc durius pœnitentiæ pactũ agnouerunt Patres, vt Tertullianus libr. de Pœnitentia, Athanasius oratione cõtra Idola, Basilius hom. 56. de Pœnitentia, Gregor. Nazianz. oratione in sancta Epiphaniarum lumina, (Tertull. Athanasius tom. 1. initio. Basilius. Greg. Naz.) Chrysostomus hom. 9. in Epistolã ad Hebręos super illud: *Impossibile est renouari ad pœnitentiam*; (Chryso. to. 4.) Cyril. li. 2. in Leuiticum; (Cyrill. tom. 2.) Theodor. li. diuinorum decretorum, cap. de Pœnitentia; Socrates in Tripartita historia; Damascen. lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 6. (Theodorit. Socrat. lib. 1. Hist. Trip c. 5. Damascen.) Ex Latinis Arnobius in Psalmum 106. (Arnobius.) Ambrosiusque super illud ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*. (Amb. in c. 11. ad Rom. 10 5.) Augustinus lib. de vtilitate pœnitẽtiæ. (Aug. li. de vtilitate pœnitentia c. 3. to. 9.) Quorundam ex his verba superiùs retulimus, ideo non repetimus, ne chartas implere videamur. Quarta ratio sumitur à valida Traditione Patrum de diuersitate Sacramẽtorum. Nam de illis tanquàm diuersis loquuntur Leo epistola ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum, (Leo epist. 91.) Ambros. lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. (Amb. tom. 2.) Hieronymus epistola ad Heliodorum, & in c. Oseæ 12. (Hier. to. 1. ini.) Cyrillus libr. 12. in Ioannem; (Cyrill. tom. 1.) Athanasius epistola ad Orthodoxos; (Athanasius.) Aug. ad Honoratum epist. 180. (Aug. epi. 180 tom. 2.) Victor lib. Historiæ VVandalicæ, (Victor. lib. 2. Hist. Vuand.) Historia Tripartita. (Hist. Trip. li. 1. cap. 5.) Nec obstat in oppositum si obijciatur, quod Ioannes venit in omnem regionẽ Iordanis, prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Verùm ibi est sermo de Baptismo Ioannis, qui gratiam non tam ex se, quàm ex pœnitentia conferebat, (I. obiectio. Luc. 3.) sicut in Actis dixit Paulus: *Ioannes baptizauit Baptismo Pœnitentiæ populum*: (Act. 19.) secùs de Baptismo Christi, qui per se remittebat peccata: (Baptismus Ioannis ab illo Christi quid differat.) *Confiteor*, canit Ecclesia, *vnum Baptisma in remissionem peccatorum*. Secundò nõ obstat quod Dominus dixit: (II obiectio. Matt. vlt.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & apud Lucam inquit: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die; prædicari in nomine eius pœnitentiam. & remissionem peccatorum in omnes gentes*: (Luc. 24.) ergo videntur idem Pœnitentia & Baptismus. Sed negatur, quia sermo est de Pœnitẽtia ante Baptismum, quæ cœpit prædicari Ierosolymæ. Vnde dicentib. Iudæis; *Quid faciemus viri fratres?* Petrus ait ad illos: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*. (Act. 2.)

Tertiò obijcitur Augustinus, vel potiùs Fulgentius libro de fide ad Petrum, vbi dicitur Baptismus Sacramentum fidei, & pęnitentiæ. (III. obiectio. Aug. li. de fide ad Petrũ. c. 30. tom. 3.) Sed hoc cautè intelligendum est: quia videlicet vtrumque requiritur in adulto ad suscipiendum Baptismum. Verba Augustini sunt hæc: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur nullum hominẽ accepturum vitam æternã, qui non hic à malis fuerit per pœnitentiam, fidemq́; conuersus, & per Sacramentum fidei, & pœnitentiæ, id est, per* (15. quæst. 1. ca. Firmissimè.)

Baptismum liberatus: & maioribus quidem necessarium esse & pœnitentiam de malusu agere, & fidem Catholicam secundùm regulam veritatis tenere, & Sacramentum Baptismatis accipere. Sic ille, satis seipsum explicans: etsi ille liber, vt diximus, B. Fulgentio tribuatur à Beltrammo.

Quod tres sint partes Pœnitentiæ, Contritio, Confessio, & Satisfactio, contra hæreticos nostri seculi ostenditur.

Quod verò asserunt hæretici, non esse tres partes Pœnitentiæ, Contritioné, Confessionem, & Satisfactionem, sed duas tantùm, terrores videlicet incussos conscientiæ agnito peccato: & fidem conceptam ex Euangelio, vel ex absolutione, qua quis credit sibi per Christum remissa peccata: facilè confutari potest. Primum enim illud, quòd non sint tres partes Pœnitentiæ, non disputando quod sint partes ad essentiam, vel ad integritatem Sacramenti pertinentes, sed quatenus in pœnitente requirũtur, manifestè ex Concilijs Florentino & Tridẽtino euincitur nõ esse verũ. Deinde probatur: quia etsi pœnitentiæ virtus simplex sit voluntatis habitus, & moralis, à Philosophis tamen minimè cognitus. quia peccata non vt Deum, sed vt bonum humanum offendere poterant, considerabant; ac proinde partes non habeat: tamen contritio actus elicitus eius est, confessio verò peccatorum actus imperatus, posita eius institutione, & promulgatione. Satisfactio etiam lumine naturæ dictante, ab eadem imperatur pœnitentia. Proinde falsum est, & hæreticum, quòd non sint hoc modo partes in pœnitente requisitæ, sed impropriè sunt partes Sacramenti. Et in hoc sensu nõ videtur articulus hæreticus: non enim sunt partes vel subiectiuæ, quas vocant, cùm non sint Sacramẽtum, vt equus, vel homo sunt animal. Nec sunt partes quæ vocari solent potestatiuæ, vt facultates, & virtutes, quia non est in quauis tota essentia ipsius Sacramẽti, quia deest absolutio; cùm tamen tota rei essentia in qualibet earum dictarum inueniatur. Nec sunt partes essentiales, vt materia, & forma, genus, & differentia, quia hæ tantum sunt duæ, videlicet Confessio, & Absolutio. At Contritio, & multæ satisfactiones non sunt sensibiles; ideo non sunt essentiales partes Sacramenti Pœnitentiæ. satisfactio etiam plerunque sequitur Sacramentum iam susceptum. Adhæc non sunt partes quæ integrum constituunt Sacramentum; quia totius sensibilis partes formaliter & non solum virtute (ob votum quod habet charitas) sensibiles esse debent. Hinc Scotus in Quarto, & Durandus ibidem, Pighius in Controuersijs, & Gaspar Sagerus libro de Pœnitentia,

Conc. Florẽt. Conc. Trid.

Pœnitentiam q̃talem agnouerint Philosophi.

Scot. in 4. dist. 18. Durã ib. dist. Alb. Pighius. Gasp. Sager.

Confessionem vt partẽ tantùm admittunt materiæ locum tenentem, quam etiam loco Catechismi ponit Iacobus Latomus, & absolutionem vt formam. Nec obstant primò verba Concilij Tridentini dicentis, nõ materiã, sed quasi materiam esse tres actus pœnitentis, Contritionem, Cõfessionem, & Satisfactionem: quoniam etsi tres sint, ratione tamen Confessionis sunt materia non secundum se, sed explicati cõfessione quasi materia. Lutherus quoque nõ ait Sacramentalis pœnitentiæ esse partes, sed pœnitentiæ virtutis, cuius partes terrorem, & fidem faciunt: quia illis Sacramentum est tantùm absolutio. Deinde nõ obstat quod Leo Papa damnauit hunc articulũ Lutheri: quia non omnes damnauit vt hæreticos: sed damnauit quosdam quidem vt hæreticos, quosdam autem vt scandalosos, quosdam verò vt simpliciũ seductores, alios vt nouitatis amicos, alios vt malesonantes & temerarios, vt quisq; potest videre in Bulla damnationis eius.

Latomus.

Concil. Trid. sess. 4.

Prima argumenta in contrarium diluuntur.

II argum. *Leo X. Pontifex in Bulla qua damnauit Lutherũ.*

Tertiò non valet: Requiritur Contritio, & votum satisfactionis, ergo sunt eius partes, quia est & pars Baptismi fides, quæ illũ præcedit, sed opus est, vt sit sensibilis materia, vel forma.

III. argum.

Confirmatur iterum, tres esse partes pœnitentiæ: quia quiuis rogatus an sint partes processus iudicialis, vt testimonia accusantium, confessio rei, absolutio iudicis, & mulcta indicta, affirmabit vtique: ergo idẽ erit in processu iudiciali interioris fori Pœnitentiæ. Deinde in iniuria humana compẽsanda opus est vt quis doleat de iniuria, necessaria est & confessio quòd malè fecerit, opus & compensatione damni; aliàs desiperet qui putaret se posse reconciliari: ita cum Deo offenso à nobis per peccatũ dolendum in primis de culpa, humiliter confitendus error, & pro illo satisfaciendum. Item scriptura has tres partes interdum indicat. Vnde secundo libro Regum cap. vlti. de Dauide dicitur, quod percussit cor Dauid eum, postquã numeratus est populus. Ecce contritio: quam consequitur confessio: *Peccaui valdè in hoc facto: sed precor Domine vt trãsferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Deinde ponitur Satisfactio, quia data est optio vt eligat vnũ ex tribus: aut famẽ, aut bellum, aut pestem. Nec non Act. 19. apertè hi tres actus ponũtur: *Cecidit*, inquit, *timor super omnes illos*, ecce contritio. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiãtes actus suos*: ecce confessio. *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus*, ecce satisfactio.

In compensanda humana, vt & in diuina, iniuria requiruntur tria.

Vbi Scriptura tres partes pœnitẽtiæ nõ obscure insinuentur.

I. locus.

II. locus.

Act. 19.

Pœnitentiam ex fide, terroribusq; mini mè constare.

Quod verò asserunt duas esse tantùm partes pœnitentiæ, terrores, & fidem, à veritate alienum est. Non enim sunt partes Sacramenti, quia insensibiles sunt, & absolutio apud eos tantùm est Sacramentum. Deinde Christus inquit: *Pœnitemini, & credite Euangelio*; & Paulus pœnitentiā in Deū prædicabat, & fidem: ergo fides nō est pars pœnitentiæ. Tertiò, terrores, & fides sunt pœnitentia dæmonis: quia vt frater Domini dixit: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Quartò, quia virtutis pœnitentiæ non est pars fides Theologica, quę est in intellectu, & prior pœnitentia, & timore: & terror rē timorem incutientem significat; qua posita potest quis non timere. Quintò, fides illa, quam fiduciam putant, falsa est, cui soli iustitiam omnem, atque gratiæ certitudinē tribuunt: & cùm sit species superbiæ nimiū sibi tribuere, minimè est pars virtutis. Sextò, vera fiducia Theologica nō est pars pœnitentię moralis, nec actus eius elicitus, vel imperatus: estque in voluntate quatenus boni est ardui, Pœnitentia verò in parte concupiscenti rationali. Septimò, nō est pars pœnitentiæ, quia fiducia, & timor via sunt ad illā: *Initium enim sapientiæ, timor Domini*, vt in prodigo. Et timor cùm sit de futuro malo, non potest esse pars pęnitentię, quæ præteritum peccatum respicit: imò timor ipse supplicij pœna quædam est. Sunt ergo in pœnitente timor, & fiducia; sed nō vt partes pœnitentiæ, vel solæ partes. Denique fides in omni Sacramento esset pars, quia requiritur in omnibus: & timor nō est pars, quia non semper est necessarius, vt in eo, qui amore iustitiæ conuertitur.

Marc. 1. Act. 20

Iaco. 2.

Terror quid significet.

Eccl. 5. & Psal. 110. Luc. 15. & seq.

Timor item quid.

Quod verò quidam dicunt, mortificationem carnis, & viuificationem spiritus, partes esse Pœnitentiæ; falsum est: quia illæ fructus sunt, siue effectus pœnitentiæ perfectæ, nō autem partes. Postremò superest refellere quod aiunt, Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionē, detestationemq; peccatorū, nequaquā ad gratiam disponere, nec remittere peccata, sed potiùs facere hominem hypocritā, & magis peccatorem; eamq; coactam esse, nō liberam, atque ex timore seruili profectam peccatum esse. Verùm quòd illa ad gratiā nō disponat, nec remittat peccata, pugnat cum sacris Scripturis. *Conuertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, &c. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor cōtritū & humiliatum Deus non despicies: Pœnitentiā agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus sancti.*

Contritionē non efficere hominē hypocritam, verùm disponere ad gratiam Dei, & remissionem peccatorum consequendam.

Ioel 2.

Psal. 50.

Actor. 2.

Quod nequaquam Contritio faciat hominem hypocritam.

Quòd faciat hominem hypocritā, ijsdem aduersatur, vbi Deus Adæ, Euæ, & Cain per se proponit peccata, & per Noe omnibus. Et lex peccata exprobrat: *Annuntia*, inquit, *populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Dauid inquit: *Cogitabo pro peccato meo*, &, *Peccatum meum cōtra me est semper*: & Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Deus etiam, & Christus, & Apostoli, atque Prophetæ essent ministri peccati. Asserere verò, Contritionem dolorem esse coactum, & nō liberum, verbo Dei est aduersum. Nam acceptatur à Deo eiusmodi dolor, & cōmendatur, qui dolet, & comminatur non agēti pœnitentiam: ac licèt dolor aliquis sequatur in parte sensus, ille tamen propriè non est cōtritio ex timore seruili orta, hoc est, Etsi eiuscemodi contritio facit magis peccatorem: ergo libera est, & non coacta. Ad hæc cōtritio ex timore seruili orta, hoc est, ex timore inferni bona est. Nam Scriptura existenti in peccato pœnas interminatur, vt talem contritionem ingeneret. Hinc primo parenti dixit: *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*; Vt ab externo esu vel mēte corruptus abstineret. Ezechiæ denuntiauit; *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuersus ad parietem fleuit.* Rursum: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et, *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui: Qui sine timore est, non poterit iustificari: Timor Domini expellit peccatum*: & Ioannes Baptista: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et, *Paleas comburet igni inextinguibili.* Hinc prodigus timore famis conuertitur. Idem euincit ratio. Prima est, quia contritio ex suo genere bona est, ergo licèt timor esset malus, nihil referret: esset enim vt seta introducens filum, teste Augustino. Secunda: timor est ab Spiritu sancto, vt ait Paulus: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*: & Dominus Moysi: *Quis det talem eos habere mētem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis, & filijs eorum in sempiternum?* Vbi vides, timorem donū esse Dei. Tertia: Timor expellit peccatum, & introducit sapientiam, & dilectionem, vt testatur Salomon: ergo ex se malus non est. Quarta: Timor seruilis non habet in se nisi pœnæ formidinem, vt docet Thomas: & inordinatio plus timendi gehennā, quam

Gen 3. Infra 4. Infra 6. Esai. 58. Psal. 37. Psalm. 50. Esai 38.

Contritionē dolorem esse liberum non coactum.

Quod timor seruilis non sit peccatum vt Hæretici deblaterant. Genes. 2.

Esai. 38.

Eccl. 5.

Psal. 118. Eccl. 1.

Ibidem. Matth. 3.

Ibidem Luc 15.

August. Rom 8. Deut. 5.

Eccl. 1.

B. Thom.

quàm culpam, accidit ex infirmitate subiecti. Præterea quæ contingunt habitui, non semper in actibus relucent; vt quæ ex fide informi prodeunt, nō omnia sunt peccata, quia ei extraria est, & aduentitia, carentia charitatis: ita etiā non omnis timor est malus. Propterea rectè definitum est in Synodo Tridentina sess. 14. de Sacramento Pœnitentiæ: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discußionem, collectionē, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorū suorū grauitatem, multitudinem, fœditatem, amißionē æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demùm, illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit.* Nec valet, si dicas ex Aposto. lo: *Timor non est in charitate.* Sed non ob id timor est peccatum, sicut nec fides, nec dolor ad charitatem disponens peccatum est. Secundò: Augustinus in illud Psalmi: *Confige timore tuo carnes meas*, scribit: *Timor iste, quo non amatur iustitia sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est; & ideo non crucifigit carnem. Viuit enim peccandi volūtas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas.* Et Gregorius in illud Cantici Canticorum: *Rectè diligunt te:* ita scribit: *Soli vtiq; recti Christum diligunt: quia quicumq; adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum iustitiæ autorem Christum omninò diligere non possunt.* Respondemus, hos sanctos Patres nō tradere, timorem ipsum esse peccatum; sed in illo manentes peccatores esse, & habere peccādi voluntatē etiam in quibusdam præsentem, in alijs verò, vt sic dicam, voluntatem habitualem: quia si timor non coerceret, peccarent: sed ob id nō sequitur, timorem ipsum coercentem à peccato, peccatū esse. Tertia obiectio: Timor seruilis pœnam plusquàm timenda est, metuit, Deū verò, aut eius offensā minus quam sit timendū: inordinat⁹ ergo est, ac vitiosus, ac proinde peccatū. Respōdemus, timorem, quo quis timet pœnam æternam, superfluum, aut immoderatum non esse, cùm illa pœna omnem metum promereatur. Defectus autem non timendi Deum, seu eius offēsam, ipsi homini adscribendus est, qui omittit eum habere, quem habere debebat; non autem ipsi timori seruili: cui etiamsi tribueretur, non propterea esset peccatum: nam ille timor secundùm suam essentiam, vt tradit beatus Thomas, rationem bonitatis perfectam nō habet, sicut habet virtus.

Trident. Synod sess. 14. can. 5.

Esai. 38.

Obiectiones quædam diluuntur ad probandum quòd timor seruilis sit malus.

1. Ioan. 4.

Aug in Psal. 118. concione 25. sub fin. to. 8.

Greg in c. 1. Cantici Cātic. tomo 2.

III. obiectio.

S. Thom.

Et ideo defectus alicuius bonitatis rationem culpę nō habet; quemadmodum nec defectus perfectionis, quam habet argentum, non dedecet plumbum, modò plumbum suā qualemcunq; perfectionem, quā natum est habere, habeat. Quarta: Peccatū est diligere Deum propter aliud à se, cùm summè propter se, & propter ipsum alia sint diligenda: peccatum igitur erit Deum nō propter se timere, sed propter pœnam. Respondemus negando illationem; quia Deus est summa bonitas, ac proinde per se diligendus; Timoris verò obiectum est malum. Et quia Deus bonitas est secūdum se, non potest hoc modo timeri, sed secūdum aliquem suæ iustitię effectum: ideo non inconuenit, si propter aliud à Deo timeatur. Postrema obiectio: Pœnitentia non incipiens ab amore iustitiæ, falsa est, & fucata: ergo vera, quæ à charitate initium sumit, & quæ incipit à timore seruili, falsa est. Respondemus, nō opus esse, vt pœnitentia incipiat à charitate, sed ab auxilio Dei speciali, & natura, quę per illud disponitur ad charitatem. Triplex est enim amor iustitiæ. Primus, naturalis, quo iustitia per se placet, sicut & beatitudo: atq; hoc intermedio cū auxilio speciali possumus odisse peccatū, ac verā pœnitentiam concipere. Secundus, est amor iustitiæ, qui vocatur electiuus, quo ex propria electione, & nō natura placet iustitia. Et quia hic amor iustitiæ ponit amorem naturalem, & pœnitētiam ex illo ortam, idcirco illo possumus odisse peccatum cum auxilio speciali, non tamē adhuc ex habitu gratiæ. Tertius amor iustitiæ, quo non solum illā ex peculiari auxilio eligimus, sed etiam ex charitate: & iste primū, & secundum amorem sequitur. Et ideo nō semper ab tertio isto amore, sed interdum à secundo, & interdum à solo primo pęnitentia proficiscitur: nam cum auxilio Dei peculiari etiam charitate destitui possum⁹ amare iustitiam, quantum sat est ad charitatem Dei, & iustitiam impetrādam. De quo vide quam pulchrè philosophetur Tertul. qui lib. de pœnitentia in fine ait: *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adoptione non dubites. Quid illud thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam eius tales flammarum ictus suscitēt, vt proximæ vrbes aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperēt. Dissiliunt superbissimi mōtes ignis intrinsecus fœta. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum deuorentur, nunquàm tamen finiuntur.* Et libro aduersus Marcionem latè de hoc timore seruili philosophatur, ait enim

IV. obiectio.

V. obiectio.

Amor iustitiæ triplex.

Tertul.

Idem lib. aduers. Marcionē aliquātò ante mediū. Timor Dei ad quid conferat.

enim: *Denique timor iudicij ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum, per semetipsum commendari, iam sub aduersario laborãs. Nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen & conseruabile, quia expugnabile tamen per aduersarium: nisi vis aliqua praeesset mundi, quae bonum etiam nolentes appetere, & custodire compelleret. Caeterum tot illecebris mali expugnantibus bonũ, quis illud appeteret, quod impunè contemneret? Quis custodiret, quod sine periculo amitteret? Legis mali viam latam, & multò frequentiorem: nonne omnes illaberentur si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas creatoris, & vix à malo auellimur: quid si nihil minaretur? Hanc iustitiam malum dices, quae malo non fauet? Hanc bonam negabis, quae bono prospicit?* Hæc ille, doctè, & acutè vtilitatem timoris seruilis considerans. Augustinus in Psalm. 127. *Audiunt haec homines, & quia verè futura sunt impijs, timent, & continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant iustitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitia. & incipit quod durũ erat, amari, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iusto viuere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat aeternitatem.* Et infrà: *Bonus est & iste timor, vtilis est, non quidem permanebit in seculum seculi, sed nondum est iste castus permanens in seculum seculi.* Et Gregorius in Euangelia: *Praua mens si non prius per timorẽ euertitur, ab assuetu vitiis non emundatur. Euersa ergo domo inuenitur drachma: quia dũ perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo Conditoris.* Atque hactenus de contritione è seruili timore profecta nobis dispu tatum sit, deque toto Sacramento Pœnitẽtiæ, quod hoc loco dicendum videbatur. Reliquum est, vt precemur Dominum, vt Hæreticorum oculos ad cernendũ veritatẽ pro sua bonitate aperire dignetur, illosq; atque Catholicorum mentes ad amplectenda saluberrima pœnitentiæ remedia permouere velit ad gloriam propagãdam eorum institutoris Filij sui Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto, sit sempiternus honor, gloria, potestas, & imperium, Amen.

Matth. 7.

Aug tom 8. 23. q 6 c Cũ per timorem.

Psal. 110.

Greg ho. 34 in Euang. sub init. tom. 2.
Conscientia hominis dum perturbatur, in eo similitudo Conditoris reparatur.

TRACTATVS XXVII.

De apparitione Domini Iesu facta ad vndecim Apostolos præsente Thoma, in illa Ioannis verba: *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, &c.* vsque ad illud, *Pax vobis, &c.* Ioan. 20.

POST tam longam de Sacramento Pœnitentiæ digressionem, ad quam Hæreticis vrgentibus descendere coacti sumus, redeundum tandẽ est ad litteram Euangelicam edisserendam. Et primò de apparitione B. Thomæ facta, quæ prædicta verba: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, proximè consequuntur. Hanc autem historiam ab alijs tribus prætermissam Ioannes, qui illi affuit, enarrat Euangelista, vt meritò dicere valeat: *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* Enarrata igitur paullò ante Domini apparitione ad decem discipulos facta Thoma absente, subiungit Euãgelista: *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis.* Thomas, nomẽ est proprium, ac tria apud Hebræos significata habere videtur. Primùm abyssum significat, de quo liber Genesis: Vechoschech hal pene tehom: id est, *Tenebra erãt super faciem abyssi.* Est aũt abyssus græcè, aqua multa, cuius profunditas ab homine nequit comprehendi. Secũdo designat gemellum, id est, eum, qui vno & eodẽ partu cum alio editur, vt apud Græcos Castor & Pollux, & apud Latinos Romulus & Remus, & in Scripturis Iacob & Esau, de quibus dicitur, Ecce thomim; vel, tehomim: id est, Ecce gemelli: à verbo תאם quod significat duplicare, siue geminare. Gemellus aũt græcè dicitur Didymus. Sicut ergo accidit in nomine Cephas, & in nomine Cananæus, vt scilicet pro eis græcè dicantur Petrus & Zelotes, ita accidit nomini Thomæ, vt pro nomine Hebraico dicatur Græcè Didymus, vt hic & infrà iterum à Ioanne dicitur: Suydas in verbo Δίδυμος, *Didymus dicitur, qui natus est cum altero ex vno cõceptu.* Tertiò denotat dubiũ, & incertum, vnde in libr. 1. Paralip. sagitta dicitur Missa in incertum, Hebraicè Tehom. Thomas igitur dubius, & dubitator erat; & suapte natura incertus: vnde & hic dubitauit de resurrectione, & aliàs dixerat, *Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus iam scire?* At verò quia dubius, & incertus, non est vnus, sed duplex, hinc gemellus, siue didymus methaphoricè significat dubitatorem, secundùm Theophylactum, qui exponens, ait: *Quid est quod dicitur Didymus? interpretatio est nominis Thomas. Meritò autem meminit interpretationis eius nominis; vt ostendat nobis, quod dubitator quidam sit, & id vitij à principio habuerit, vt & nomen indicat*

Ioan. 19.

Thomas Hebræis tria denotat.

Gen. 1.

Abyssus græcè quid.

Gen. 25.

Ioann. 1. Luc. 6.

1. Paral. 12. 2. Reg. 22.

Ioan. 14.

Didymus, quid impropriè, ac metaphoricè.

Thomas Didymus cur dictus, teste Theophylacto. *Ioann. 1.* *Ibidem.* *Infra 9.*

dicat. Sic ille. Verba igitur illa, Qui dicitur Didymus, vel interpretatio sunt nominis Hebræi in Græcam vocem, vt alibi. *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus,* &, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* scilicet Græcè: sic etiam dicitur: *Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus,* scilicet Latinè. Hac ratione fortasse soliti sumus dicere Canonicum Regularem, Eustachium Bonauenturam, & agnum castum: nã priores voces, sunt Græcè; posteriores, Latinè idem significantes. Vel Didymus, cognomen erat Thomæ, sicut Iustus cognomentum Iacobi: quòd videlicet esset Thomas vno partu cum alio in lucem edit⁹, vel quod esset natura dubitator. Vel iungendo vtrumq; simul, Thomas Didymus, gemina significat abyssum, nimirum hinc, diuinæ bonitatis, & sapientiæ; hinc verò, miseriæ humanæ, quã in plagarum Christi contactu agnouit, ita vt in eo impleatur illud: *Abyssus abyssum inuocat.* Et vtramque agnoscere abyssum, atque illam alios docere, planè Apostolicum est. Subdit: *Vnus ex duodecim.* Etsi tunc duodecim non essent, quia Iudas laqueo se præfocarat, nec tempore quo Ioannes scripsit, quia iam omnes Apostoli dormierant in Domino: vocatur tamen vnus ex duodecim ob sacrum duodecim Apostolicarum dignitatum numerum, quas Dominus æquales instituit, & quoad id sine successoribus: (quia alioqui essent tantum duodecim super tota Ecclesiam, & nõ deberent residere, sicut nec Petrus Romæ, sed totum orbem perlustrare) ad mundi conuersione: & plantandum Euangelium. Illis tamẽ Episcopi succedunt, quantum ad ius ordinandi, & confirmandi, prædicandi, & peculiares Ecclesias regendi, à quibus pręsentiam suam subtrahere quoad possunt, minimè debent: at Sacerdotes in iure sacrificandi, & absoluendi, & operam suam Episcopis quoad illis visum fuerit, pręstandi: sicut religiosi quantum ad paupertatẽ, & bonorum omnium renunciationem, & Euangelicam perfectionem profitendi, hæredes existunt. Vnus igitur designatus, quemadmodum olim Romæ vnus ex centum Senatoribus, quos instituit Romulus, & Bononiæ vnus ex quadraginta Senatoribus, qui in communi regunt Rempublicam, quemadmodum Venetijs vnus ex consilio Decemuirum, qui supremus est in illa ciuitate magistratus.

Psalm. 41. *Matth. 27.* *Thomas vnus ex duodecim cur dictus, cũ Iudas sacrum illum duodenarium numerum violasset.*

Successores Apostolorum tripertiti.

¶ *Non erat cũ eis, quando venit Iesus.* Ecce causam infirmitatis, & tarditatis Thomæ. Et aberat, vt post fugam in passione Christi non rediens; vt ait Chrysost. dubitaret, & dubitans, iterata apparitione certior fieret, Et ita quod refert Lucas, duos discipulos redeuntes ex Emmaunte inuenisse vndecim congregatos: intellige maiorem partẽ: sicut dicuntur congregati electi vel consiliarij vel iudices ad vnam aliquam rem deputati, eo quòd eorum maior pars adsit, etiamsi vnus, vel alter absit. Vel si redijt cũ alijs in cœnaculum, quando reuersi ex Emmaunte inuenerunt vndecim cõgregatos, & eos, qui cum illis erant, vt testis est Augustinus lib. de Euangelist. consensu, tunc recessit ab eis Thomas, contendendo fortassis verum non esse, quòd eis Iesus apparuisset: alij verò ei cõtradicebant, atque ita eo recedente venit Iesus, & stetit in medio discipulorum, vt suprà diximus. Væ igitur apostatæ, vel hæretico segreganti semetipsum, & ab Ecclesia Catholica recedenti, quia non videt Iesum verum, sed falsum, & phantasticum, nec videbit donec reuertatur ad sanctam congregationem, quam deseruit: ita euenit B. Thomæ. Plinius lib. Naturalis historiæ de ciconijs refert, quòd cùm volunt de regione calida in frigidam remeare, cõueniunt omnes in quadã Asiæ maxima planitie: sed quæ nouissima venit, ab alijs in pœnam laceratur. Si ergo aues vltionem faciunt de tardè, vel negligenter venientibus ad sodalitium, qua pœna digni illi sunt, qui aut ab Ecclesia recedunt, aut vocati, & expectati tantoperè ad illam non reuertentur? Quod verò hoc loco asseritur, Thomam non adfuisse priori apparitioni factę à Christo decem discipulis in die resurrectionis, in qua insufflando in Apostolos contulit potestatem remittendi, & retinẽdi peccata; dubitãdi ansam dedit, quãdo Thomas hanc autoritatẽ à Christo acceperit, cùm in reditu ad Apostolos cum Thoma illam ei peculiariter contulisse nõ dicatur? Dicẽdum est, B. Cyrillũ olim hanc dubitationẽ & nouisse, ac egregie illam dissoluisse. Nam in libris Cõmen. in Ioã. propositis his verbis Euangelicis scribit: *Quomodo* (dicet quispiã) *si tunc aberat, quãdo Christus sufflans dixit: Accipite Spiritum sanctũ, Spiritus ipse particeps factus est: Dicimus igitur, virtutẽ Spiritus ex intentione dantis Christi in oẽs discipulos pertransisse: nõ enim quibusdã, sed omnib. discipulis dedit. Quare liberalitate dantis nõ solum præsentes, sed etiã absentes Apostoli Spiritum sanctum acceperunt. Quod autem non violẽta, sed tuta, veraq́; ista ratio sit, autoritate sanctæ Scripturæ monstrabimus. Iussit Deus quondã Mosi septuaginta seniores Iudæorũ eligere. Dixit autẽ, de spiritu, qui erat in Mose, ablaturũ se, atque impositurum in illis. Cũ verò duo Heldad, & Medad de septuaginta seniorũ numero in Synagoga remansissent, ac spiritus omnib. illis septuaginta* im-

Luc. vlt. *Quomodo verũ sit, quod ait Lucas, discipulos duos ex Emmaunte redeuntes inuenisse cõgregatos vndecim, a quibus Thomas aberat tamen.* *Aug. lib. 3. de consen. Euan. c. 25. tom. 4.*

Qui se ab Ecclesia vel congregatione vltro separant, quid assequantur.

Plin. lib. 10. cap. 23. *Ciconiarum ingenium.*

Ioan. 20. *Quomodo Thomas si tunc aberat, quando Christus insufflans dixit Accipite Spiritum sanctum, &c. Spiritus & ipse particeps factus est.*

B. Cyr. lib. 12. in Ioan. c. 16 sub fin. tom. 1. *Solutio.*

Thomæ Didymi de resurrectione Christi insidelitas vnde. *Chrys. hõ. 85. in Ioan. tõ. 3.*

Num. 11.

immissus fuisset, prophetabant quidem qui erant cum Mose, prophetabant autē etiam illi duo qui aberant. Iosue verò mysterij virtutem ignorans, ac secundum Dathan, & Abiron illos facere putās, rogabat Moysen, vt Heldad & Medad à prophetando vetaret; tunc diuinus ille vir operationem Spiritus intelligens, respondit: Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritū suum? Vides quomodo rationem Iosue Moses reiecit? Vtinā enim, inquit, vniuerso populo Spiritus daretur. Hæc ille, & eruditè, & eleganter. Quanquam alij dicant, quod in reditu suo priuatim Iesus Thomæ illam facultatē contulerit: verùm prior videtur solutio præstantior.

Infra 16.

Altera solutio.

Venit ergo Iesus ad discipulos ianuis clausis. De quibus suprà diximus. Verè Iesus facta salute in proprio corpore, atq; ostensa, & comparata, atque redēpta, animorum, & corporum omnium hominum sibi per fidem adhærentium salute, & incolumitate. ¶ *Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum.* Diuinæ sapientiæ discipuli quod sine fictione didicerunt, sine inuidia alijs communicatunt: contrà humanæ sapiētiæ discipuli, cùm sibi quod nouerunt, tribuant, intumescunt in se ipsis, & gloriantur apud alios, veritatesque si quas perceperunt, celant alios. Admirabilis porrò fuit Christi sapientia in his quas fecit suiipsius ostensionibus. Nam consultò & prudenter ita modò vni apparebat, modò alteri, vt & audientibus, & credentibus meriti præberet argumentum, & ex non credentibus suo vitio, ac duritia, suā in primis gloriam, deinde nostram in fide confirmationem eliceret: vt pulchrè dixerit Gregorius in Marcum: *Minus mihi Maria Magdalena præstitit, quæ citius credidit, quàm Thomas, qui diu dubitauit. Ille etenim dubitādo, vulnerum cicatrices tetigit: & de nostro pectore dubitationis vulnus amputauit.* Sic ille. Dixerunt ergo discipuli, *Vidimus Dominum*. Verè Dominū iam non corpore seruientem, sed morti, inferno, diabolo, ac mundo toti dominantem, & qui dixit: *Data est mihi omnis potestas, in cœlo, & in terra.* Porrò in Nouo Testamento videre Dominum symbolum est diuini amoris, & humanę consolationis; cùm in veteri argumentum esset terroris, ac mortis periculi. Hinc parentes Samsonis dixerunt: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, & Iacob miratur quod sine morte viderit Dominum, cū dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.*

Sapient. 7. Quid propriū diuinę sapientiæ, quid humanæ.

Greg hō. 29. in Euangelia, inter tom. 2. Magdalena cito credens minus nobis præstitit, quā Thomas diu dubitans, ait Magnus Gregorius.

Matth. vlt.

In Nouo, & Veteri Testamento Dominum videre quantum intersit.

Iudic. 13.

Gen 32.

Ille autem dixit eis, nisi videro in manibus eius fixurā clauorum, & mittam digitum meum, &c. Quoniam subdubitabat Thomas, ac metuebat, ne aliqua fieret in oculis eorū illusio, vel in aere intermedio, per quē species rerū visibilium ad oculos deferuntur, hinc Thomas tardissimus crassiori tactus sensu certior fieri voluit. Qua in re nec cæteris fuit minus incredulus, aut minus durus: nā & ipsos quoq; ad tangendum inuitauit, cū dixit: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet.* Dicebat enim alijs, vt est credibile: Vos fratres vidisse Dominū rediuiuū à mortuis refertis, manusq; ei⁹, pedes, & latus intuitos, atq; corpus contrectasse, ac tactu didicisse eū non fuisse phantasma, vel spiritū, sed corpus verum, carne, ossibusq; compactum: insuperq; vidisse vos eum verum cibum māducasse: vultisq; nunc vt ego simplici huic vestræ relationi habeā fidē, cùm vos ipsi nec mulieribus, nec redeuntibus de castello discipulis similia narrantibus credideritis. Non ego ero tam leuis in dāda fide: quid si vos estis decepti ab spectro aliquo? Hæc ille, & similia, vt pium est credere, effūdebat: ingenium nostrum, ac tarditate naturæ in credendo repræsentans. Sed in primis stultum erat, diuinæ sapientiæ modum præscribere, volendo scilicet rem videre modo suo, hoc est, tangendo cicatrices, sine quibus si Christus resurrexisset, fortè non credidisset. Et vel ex sensu suo, vel fortè ex aliorum relatione Apostolorum, vt Chrysostomus autor est, nouerat eius corpus seruasse cicatrices; vt ita appareat quòd partim crederet, partim verò non crederet. Ad hæc stultum erat, & proteruum, velle tactui tot modis fallaci plus tribuere, quàm verbo Dei solidissimo, ac fallere nescio, & ea, quæ supra naturam sunt, per naturalia argumenta inuestigare, cùm plerunq; oculi ipsi decipiantur. Nam Solem orbiculo maiorem nequaquā existimant, & remum in aqua, fractum putant: qui in Magdalena putante Christum hortulanum seducti sunt, euntiumque in Emmauntē oculi Christum vt peregrinum apprehendebant. Tactus etiam, cui tātum fidimus, nonnunquam fallitur: nam si cancellatis digitis cicerem vnum contrectes, duos esse putabis. Imaginandi quoque facultas vix capit quomodo Antipodes, qui aduersa nobis vrgent vestigia, in cœlum ipsum non corruant. Ita etiam humana ratio ad diuina mysteria ex se non assurgit, nisi diuino lumine fulciatur. Tertiò conspicitur Thomæ incredulitas, quia debuit facilè & promptè credere, tùm quia dixerāt mulieres, id contestati erant redeuntes ex Emmaunte discipuli, Simon, qui tantæ erat autoritatis, suo verbo confirmauerat, decem Apostoli simul & viderant, & oculis con-

Cur Thomas oculis suis fixurā clauorū in manibus Domini, & manu sua in latus eiusdem missa Dominicæ resurrectionis veritatem requisierit.

Luc. vlt.

Ibidem.

Thomas Didymus quos repræsentaret.

Thomæ infidelitatis confutatio.

Chrys ibid.

II. argum.

Ioan. 20.

Luc. 24.

Tactū quoq; ipsum falli nedum cæteros sensus.

III. argum. & quàm inexcusabilis fuerit Thomæ incredulitas.

cum alijs peccato mortuis conuersari non debeant, sed cum iustis spiritualem gratiæ Dei vitam degentibus, vt Christus cum Apostolis & discipulis. Vnde Angelus mulieres reprehendit: *Quid quæritis viuentem cũ mortuis?* Venit autem ianuis clausis, dote subtilitatis vsus, & corpora penetrando. Quod etsi ratio humana nõ capiat, quemadmodum nec quomodo Deus ex nihilo quæ facta sunt, condiderit, comprehendit: non propterea tamen minus verum est. Nobis modus celatus est. quia neque debemus intrare ianuis clausis, nec aliquid condere ex nihilo: vt B. Petrus dixit apud Clementem. Item vicerat olim in ligno hominem dæmon, iterum in ligno dæmonẽ superauit Iesus: meritò igitur lignum ei cedit, cui petra paullò ante cesserat resurgenti, cessurumque erat cœlum in Ascensione. August. serm. in octauo Paschæ, tractans hoc mysterium, ait: *O homo, si rationem à me poscis, non erit mirabile, si exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempe Dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis vtique. Dicis igitur mihi, Si per ostia clausa Christus intrauit, vbi est corporis põdus? Recedant paulisper modus, & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulchro producere, nõ potuit clausis ianuis ad discipulos introire?* Rupertus verò adducit exemplum Apostolorum carcere detentorum, qui cum corpora haberent mortalia, tamen educti sunt ab Angelo ianuis clausis. Quid ergo faciet corpus immortale, ac diuinitati vnitum, quale erat Iesu corpus? Dicitur enim in Actis; Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas; aperientes autem, neminem intus inuenimus. Idem de Petro educto de carcere clauso Herodis per Angelum. Præterea considera Christi boni pastoris industriam. Cum enim haberet ouiculas quasdam dispersas, & errantes, in eis reducendis, ac colligendis laborabat: & nunc quidem immediatè propter vnam ouiculam, hoc est, Thomam, in quo eius singularis elucet charitas; sicut prius apparuerat vni Mariæ Magdalenæ, vni Petro, atque vni Iacobo, prædicauerat Samaritanæ vni, quærebat vnam drachmam perditam: volens indicare quæ pro omnibus fecit, prò singulo quoq; pro eximia sua, atq; incomparabili charitate facere. Hinc totus Christus, & integer singulo cuique datur in Eucharistia, & Paulus audet dicere: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Etsi autem propter vnum Thomam peculiariter, ac præcipuè apparuerit; secundario tamen propter Apostolos venit confirmandos, atque propter nos in fide resurrectionis corroborãdos. Stetit autem in medio, qui Deus est omnium, & mediator per mortem, & resurrectionem; & quia veritas resurrectionis Christi non quærit angulos; ac vt ostendat quod est in medio Ecclesiæ, & Synodi generalis: *Vbi sunt duo*, inquit, *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; & quia pastor debet esse in medio ouium suarum dissipatarum, vt oues videat, & videatur ab eis. Offert autẽ pacem, quæ fructus est passionis Christi, & resurrectionis, quam ad Deum, ac proximũ gerere debent. Pax etiam Thomæ offertur; nàm quæ pax illi esse poterat, quoad infidelis erat? Pax etiã Apostolis turbatis, quod Thomam conuertere non possent: atque hinc conijcere poterant, quam fidem & pacem apud alios essent inuenturi, quando apud talem virum, ac tam amicum, etiam simul omnes nõ inueniebant. Dixerat enim Dominus *Sine me nihil potestis facere*: vt cum alij sibi facile crederent, scirent id non esse suum, sed Christi opus. Quod si Apostoli sic dubitauerunt; quisque ergo sibi metuat, & auxilium à Domino petat, qui Apostolos recuperauit.

Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Post communem salutem omnibus oblatã conuertit se ad infirmitatem Thomæ curandam, nulla accepta ab Apostolis de eius incredulitate significatione. Qua in re ostẽdit se plane Deum esse, qui omnia nouerit eius verba applicatq; tãquam medicus bonus conuenientem morbo medicinam, dicendo. Infer digitum tuum huc. Venit Iesus, vt suorum vulnerum ostẽsione vulnus infidelitatis in Thoma sanaret: sancta namque Christi humanitas præstantissima quædam, ac viua medicina est, quæ homini viuo secundum spiritum, id est, vita fidei. & charitatis priuato applicatur; cũ contra aliæ medicinæ corporeæ mortuæ non nisi viuentibus corpore hominibus adhibeãtur: hinc vitam, ac salutem vt illa, non præstant. Infer ergo digitum, & manũ; id est, digitis tuis, ac manibus crede, si alienis verbis assentiri non vis. Tu Thomas abyssus miseriæ, inuocas abyssum diuinæ meæ misericordiæ: in voce cataractarum, id est, plagarũ, quæ vocalissimæ sunt apud Deum ad impetrandum omnia, & deberẽt à nobis omnem fidem, & obedientiam exculpere, nisi nostra tarditas obsisteret. Tu linum fumigans es; sed accede ad me lucẽ, vt iterum incendaris. Tu es velut virgultum

Marginalia (left): *Luc. vlt.* — De ingressu Christi ad Apostolos ianuis clausis. — *Clemens li. 3. Recognit.* — *Gen 3.* — *Aug in octa. Pascha. ser. 3. vel 159. de tempore, in 10. tom. 10.* — *Matth. 14.* — *Luc. 1.* — *Rupert. li. 14. in Ioan.* — *Act. 5.* — *Infra 12.* — Mira Christi pastoris industria, & diligentia. — *Infra 20.* — *Luc. 24. 1. Cor. 15. Ioa. 4. & seq. Luc. 15.* — *Gal. 2.*

Marginalia (right): Iesus in medio discipulorum cur steterit. — *Matt. 18.* — *Ezech. 34.* — Cur illis pacẽ impertiuit. — *Ioan. 15.* — Christi sapientia & bonitas in infidelitate Tho. curanda. — Christi humanitas qualis medicina sit. — Christi plagæ apud Deum quam sint efficaces.

Ioan. 15.

tum eradicatum, sed replantare, & reinserere mihi per fidem: nam si quis in me non manserit; mittetur foras sicut palmes, & arescet. Et dicendo, *Noli*, ostendit, solo suæ voluntatis vitio factum, vt non crederet. Noli ergo esse incredulus tot testibus de visu post tot signa & prædictiones eorum, quę oculis, atque auribus, ac manibus percipis, sed esto fidelis. Deditque dicto suo virtutem, impertiens intus fidem: quia ipse dixit, & facta sunt. Magnaque est Christi misericordia vulnera seruantis in corpore, quo animorum nostrorum vulnera sanaret: videntes enim eum, putabant esse phantasma: sed vbi tetigerunt eum, ab incredulitate sunt curati.

Thomæ incredulitas vnde.

Gen. 1. & seq. Psal. 148.

Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus, & Deus meus. Videntur hæc verba dicta à Thoma, postquam tetigit. Et quanquam nonnulli dubitent an tetigerit, necne, cum nihil de ea re textus aperte explicet, & Euthymius asserat præ reuerentia non tetigisse, contentus visu præsentiæ Christi, & plagarum: probabilior tamen, ac veritati magis consona videtur sententia, quod tetigerit. Primò, quia Christus dixit illi: *Quia vidisti me Thoma, credidisti*: visus autem solet accipi pro omni sensu propter eius perfectionem, & euidentiam: vnde omnia quæ reliquis sensibus percipimus, imò quæ intellectu apprehendimus, dicimur metaphoricè videre: & quæ cæteris sensibus haurimus, in illis non acquiescit homo, donec visu illa apprehendat; quia visus sigillum est, atq; firmitas reliquorum sensuum. Deinde idem probat verbum dilecti discipuli: *Quod fuit*, inquit, *ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Si se ipsum recenset inter cōtrectantes, multo magis cōtrectauit Thomas. Tertiò, quia digitus Thomæ venerabiliter asseruatus Romæ ostenditur in æde S. Crucis in Ierusalem: tetigit igitur, vt fertur, aliàs non erat cur magis eius digitus, quàm aliorum seruaretur: quemadmodum etiam digitus, quem Ioannes intendit vt indicaret Christum, cum diceret, Ecce Agnus Dei, etiam in Ecclesia asseruatus peculiariter esse fertur. Quartò, idem Patres aperte testantur. Nam Athanasius epistola ad Epictetum: *Hoc* (corpus scilicet) *Thomas è mortuis excitatum contrectauit, & in eo vestigia clauorum conspexit.* Epiphanius contra Originem Adamantium: *Surrexit*, ait, *corpus Iesu, & carnes habuit, ac ossa, quemadmodum credidit etiam Thomas.* Et infrà: *Omnino equidem non poteris non confiteri ipsum quod crucifixum est. Redarguit enim te per exactam perscrutationem, ac certitudinem ipsius Thomæ, vbi dixit ad ipsum: Ne sis incredulus, sed credulus.* Theophylactus: *Vide quomodo is qui prius incredulus, tactu lateris verbum optimum indicatur. Duas enim naturas, & vnam hypostasin vnius Christi docuit.* Ex nostris Ambrosius libr. de fuga seculi: *Ipse dixisti Domine, Plenus sum, ipse dixisti, Mitte manum tuam in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis: Misit manum qui non credebat, & Dominum te, & Deum reperit.* Augustinus sermone in octauis Paschæ: *Suffecerat illi ad fidem propriam vidisse quem nouerat, sed nobis operatus est, vt tangeret quem videbat: vt si fortè diceremus delusos esse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas.* Idem in Ioannem super hæc verba, etsi addubitare videatur an tetigerit, liberum relinquendo, an aspiciendo tantum, an tangendo viderit; alibi tamen remoto omni dubio illud affirmat his verbis loquens de Petro: *Christum negauit, Dominum Deum suum negauit, quia & ille condiscipulus eius Thomas, quando exclamauit, Dominus meus, & Deus meus, non verbum, sed carnem tetigit, non incorpoream Dei naturam, sed hominis corpus curiosis manibus contrectauit: hominem itaque tetigit, & tamen Deum cognouit.* Leo Papa serm. de Resurrectione: *Quis dubitet à morte rediisse Saluatorem, cuius præsentiam agnouit oculus, attrectauit manus, digitus perscrutatus est?* Idipsum indicat in sermo. de Ascensione Domini. Idem quoq; tradunt communi sensu posteriores, vt Thomas, & Albertus Magnus. Quinto idem ostendit ratio: tum vt obediret Thomas Domino præcipienti: *Infer digitum tuum huc, &c.* tum vt Christus omnibus sensibus se agnoscendum exhiberet; tum ne forte Thomam pœniteret quod non tetigisset, & diceret: Si tetigissem, aliud forte inuenissem; tum denique propter nos, quibus iste attactus, & tanta tarditas deseruiebat.

Thomas tetigitne latus Christi resurgentis an non. Euthym.

Altera opinio probabilior.

1. Ioa. 1.

Vbinam B. Thomæ Apostoli, quo Dominum tetigit resurgentem, digitus asseruetur.

Ioan. 1.

Qui Patres Thomā Christum tetigisse confirment. Athan. to. 1.

Epiphan. in hæresi 64 paulo post mediū.

Theoph in Ioan c 20.

Amb. lib. de fuga seculi, c. 4. in fin. to. 4

Aug. serm 9. in 8. Paschæ siue ser. 161 de tempore in tio to. 10.

Idem tra. 121 in Ioan. to. 9

Idem tract. 65. in Ioan. sub fin. to. 9.

Leo Papa.

Idem ser. 1. & 2. de Ascē.

Thom. lect. 6. in Ioan.

Al. Magnus in Ioan.

Verum pondera iam egregiam Thomæ confessionem de Christo, ait enim: *Dominus meus, & Deus meus.* Chrysostomus refert Thomam non credidisse Apostolis resurrectionem annuntiantibus, quam putabat impossibilem, quia non habebat diuinitatis Christi fidem: qua habita, facile resurrectionem amplexatus fuisset: ideo illam his verbis confitetur.

Cur Thomas non crediderit Apostolis Christi resurrectionem annuntiantibus. Chrys. hom. 86. in Ioa. t. 3.

Dixit ei, (nimirum Christo) *Dominus meus, & Deus meus.* Non enim præ admiratione, & stupore, vt impiè somniauit Erasmus, conuersus ad Patrem, dixit; Dominus meus, & Deus meus, vt deneget Christo deitatis confessionē exhibitam à Thoma, contra apertum Euangelistæ verbum aientis, dixit ei, siue Græcè εἶπεν αὐτῷ, id est, ipsi Domino dixit. Quod etiam acutè

Erasmus hunc locum: Dominus meus, & Deus meus, quomodo eludat infelix.

Athana-

Athan. orat. 3. aduer. Arrianos. multò ante med.

Athanasius oratione contra Arrianos animaduertit, dicens: *Discipulos se adorare permittit, & plenè illos instruit, dum indicat quisnam sit. Thomam item, ita ipsum alloquentem, Dominus meus, & Deus meus, verbis illis vti concedit, &c.* Atque ita intelligendum esse, verba Christi subiuncta ostendunt, cùm dixit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti,* me scilicet Dominum, & Deum. Et ita beatus Cyrillus exponit, atq; sexta Synodus interpretatur. Et Augustinus serm. de Natiuitate Christi his verbis explicat: Nã & Thomas Apostolus in Euangelio Ioannis, vbi post resurrectionem corpus hominis crucifixi per clauorum signa cognouit, Deum qui intra hominem latebat, Apostolica, & Euangelica autoritate confessus est, ita dicẽs: *Dominus meus, & Deus. Vt autem spiritum Erasmi agnoscas à Satana profectum, legito Canonem XII. quintæ Synodi, vbi Theodorus impijssimus Mopsuestenus eiusdem expositionis accusatur autor: ita enim habent verba de Theodoro: Hic autem & confessionem Thomæ, per quam, dum palparet manum, vel latus Domini post resurrectionem dixit: Deus meus, & Dominus Deus, asseruit, non fuisse dictum de Christo à Thoma. Nec enim esse eum Deum dicit, sed miraculo resurrectionis obstupescentem Thomam glorificasse Deum, qui suscitauit Christum.* Hæc ibi. Ponderat verò Cyrillus Grȩcè cum articulis dictum esse, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου: id est, *Tu es ille summus & singularis Dominus, vnus, & consubstantialis Deus,* contra Arrianos. Nam etsi sunt (ait Apostolus) qui dicantur dij siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus, Pater, &c. & vnus Dominus Iesus Christus, &c. Est enim breuissima, sed perfecta dominij Christi, ac diuinitatis, siue humanitatis, ac diuinitatis, siue duarum naturarum in vnam hypostasim Christi professio: quæ non minor videtur illa Petri confessione, qua dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quasi diceret Thomas: ex aspectu, & contactu cognosco te, qui præsens es, Dominum esse illum meum, quem prius secutus sum, & quem appellare solitus eram Dominum, & Magistrum; ex potentia verò in resurgendo, & ingressu per ianuas clausas declarata, & ex cognitione occultorum cordium agnosco etiam te meum verum esse Deum. Sed qui hâctenus alios incredulitate, & tarditate offendi, negando suscitatum à morte, nunc eos ædificare volens, apertè exero fidem meam confitendo te Deum, & Dominum, id est, vtrâque naturâ in diuina Verbi hypostasi subsistẽtem. Confiteor te Dominum meum, qui sanguine tuo & plagis hominem redemisti, ac peccato, inferno, mortique dominaris; ac proinde peccato meæ incredulitatis parcis: plagæ enim puri hominis, nisi Dei essent, non possent à peccato liberare. Cõfiteor te quoq; Deum meũ, qui impertiris fidem, iustitiam, pacem, & gaudium: profiteor te Dominum creantem, Deum gubernãtem, Dominum, ac Deum instaurãtem, & bis meum, in via, & in patria. Cæterum illam Thomæ confessionem nó reprehendit Dominus, nec improbauit, & laudauit. Sequitur: *Dicit ei Iesus, Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Illud, *Quia vidisti;* intelligẽdum est, quia tetigisti: sicut illud, quod sequitur: *Beati qui non viderunt,* id est, tetigerunt, vel aliquo sensu perceperunt. Obijcies, quòd fides sit substantia sperãdarum rerũ, & argumentum non apparentium, vt tradit Apostolus, & alibi: Ergo fides ex auditu, non ex visu. Respondendum est, Thomam aliud credidisse, & aliud vidisse, siue tetigisse: ita etiá videntes signa credebant, quæ non videbant, id est, diuinitatem in Domino delitescẽtem; quare dicebat, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Hinc articulum resurrectionis tertia die peractæ Thomas, postquam de eo dubitauit, Symbolo apposuit, tanquam certissimam, atque exploratissimam veritatem. Quoniã autem videri poterat plus Thomæ tribuisse, quam cæteris discipulis; eum repressit, dicens: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vt nos addiscamus, non esse ex reuelationibus, vel ex gustu diuinarum rerum superbiẽdum, sed humilius de nobis ipsis sentiendum: quoniam ea incredulis dantur, vt hic vides, nisi illa sint effectus fidei, vel charitatis, quæ non inflat. Itaque fidelis reuelationes horret, dum cogitat eas dari debilitati fidei. Primùm verò in hac elocutione aduerte, tropum esse Hebrȩum, vbi positiuum pro comparatiuo vsurpari solet: vt, *Bonum est homini mulierem non tangere,* &, *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine,* in quibus locis bonum, pro, melius ponitur: ita hic beati, pro beatiores, dicitur, quia comparat videntes, & credentes, cum non videntibus, & credentibus, atque hos illis anteponit. Vt perinde sit, ac si dixisset: Tu quia vidisti me, siue tetigisti, fidem habuisti, vt proinde beatus appellari possis: veruntamen beatiores multò, qui cùm nihil sensu perceperint, fidem tamen mihi præbuerunt integram. Deinde aduertendum ex Augustino, hic, more prophetico poni prȩteritũ pro futuro: pauci enim ex Apostolis non videntes crediderunt, qui primo loco hic beati prȩ-

Marginal notes, left column:

B. Cyril. loco citato.

VI. Synodus.

Aug. serm. 2. de Nat. Christi. siue ser. 6. de temp. paulo ante med. to. 10.

V. Synodus. Actor. 4.

Theodori Mopsuesteni in Christum blasphemia.

1. Cor. 8.

Matth. 16.

Quid est: Dominus meus, & Deus meus.

Ioan. 18.

Marginal notes, right column:

Cum fides sit rerum inuisibilium, quomodo vidit Thomas quod credidit.

Hebr. 11.

Rom. 10.

Ioan. 4.

Documentũ contra superbiam.

1. Cor. 8.

Positiuis nominibus pro comparatiuis sæpè vtuntur Hebræi.

Supr. 7.

Psal. 117.

Aug. trac. 119 in Ioan. in fin. tom. 9.

Qua re de prȩterito dictum sit. Beati qui non viderunt, & crediderũt.

Theophyl. in Ioan. Euthym. ibid. Luc. 24. Alter sensus.

dicantur, vt docent Theophylactus, & Euthymius: & antequam vidissent, dicebant: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Possunt quoque intelligi beatificati Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti omnes Veteris Testamenti. Potissimùm tamen hæc verba dicuntur propter futuros omnes qui credunt, & nos ipsos, quibus quasi naturalis inest cupiditas videndi Christum, tangendi, atq; amplexandi. Nec enim ignorat Dominus futuros multos, qui resurrectionem mortuorum non faterentur, quique videre se, & palpare velle dicerent, quò discipulum Christi Thomã imitarentur. Nouerat etiã multos iudicaturos se infelices, quòd fuerint illis tẽporibus, quibus Christum in carne prædicantem, & signa edentem videre non potuissent. Sed consolatur hos omnes, & eorũ posteros hoc verbo, beatiores eos qui nõ videbunt, & credent, declarãdo. Sic enim per futurum declarandum est: Beati qui non videbunt, & credent, quò verus verborum Christi sensus cognoscatur. Sed obijcies in hunc sensum. Nos igitur beatiores Thoma, & alijs Apostolis sumus, quos etiã videntes Christus beatos pronũciat: *Beati, inquit, oculi qui vident, quæ vos videtis: & aures, quæ audiunt quæ vos auditis.* Adhæc celebris est sẽtẽtia Gregorij in homilia asserentis: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentũ.* Respondendum est ad primum: quòd vbi cætera sunt paria, idem gradus, atq; æquè intensus fidei cum ratione, vel signo, vel experientia ad credendum iuuante minus beatum reddit, quàm idem gradus fidei sine illis adminiculis. Et ratio est in promptu: quia hæc fides plus habet obedientiæ, & humilitatis, & magis captiuat intellectũ in obsequium Christi: estque sublimius & magnificentius sentire de Deo, illiq; sine pignore mutuari; ac proinde tali fidei maius respondet præmium visionis in vita æterna, & maioris luminis intelligentiæ in hac vita. Est enim scriptum: *Si non credideritis, non intelligetis.* Et, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrũ ex Deo sit, an ego ipse à me ipso loquar.* Et quanquam in hoc beatiores simus Apostolis: non tamen simpliciter, quia poterant Apostoli aliunde habere maiorem fidem, quàm nos habemus, videlicet ex visis miraculis conceptam, vel maiorem charitatem, & subliniora opera, vt illis longè simus inferiores. Ad sententiam verò Domini: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis,* dicendum est, ibi esse sermonem de visione Christi in statu mortalitatis, cuius conspectus, & præsentia fuit multum à Patribus desiderata. Verbum vero Christi hoc loco intelligitur de eodem iam ad vitam immortalem suscitato: cuius sensibilis visio ad credendum nõ debet desiderari, ne fidei meritum imminuat. Vel dicendum, Apostolos, qui Christum in carne viderunt, aliqua in parte beatiores fuisse fidelibus, qui vel ante, vel post eos fuerunt, alia verò ratione hos illis esse feliciores. Beatiores enim sunt Apostoli, quòd eis in carne Christum videre sit datum, quod omnes iusti exoptarunt, quia hoc magnum Dei donum fuit; & beatiores propterea illis, quibus hoc videre non fuit datum. Qui tamen non videntes crediderunt in Christum, beatiores Apostolis fuere ratione fidei, quæ, cæteris paribus, maioris fuit apud Deum meriti, & magis illi grata. Et loquitur de fide quæ complectitur charitatem, & obedientiam mandatorum Dei: non enim Dominus hoc loco confert credentes cum non credentibus, sed credentes sine rationibus, & probationibus, & credentes sine illis adminiculis, & argumentis: quia in priori maior relucet humilitas, & obedientia, quàm in posteriori. Ad sententiam Gregorij, dicendum, quod rationes, experimenta, ac signa ad credendum non necessaria manifestè meritum extenuant, quia perinde est ac nolle mutuum dare sine pignore, vel fideiussore: cæterùm rationes, exempla atque miracula quæ requiruntur, vt id quod iam creditum est, ac fide certa apprehensum, & magis eorum probabilitas adnoscatur, non solum meritum non minuunt, verùm etiam augent. Vnde Patres magna id cum sua laude; ac Dei gloria, nostraque vtilitate præstiterunt. Id enim cedit in corroborationem, & confirmationem fidei, hominesque contra dæmonum tentationes, hæreticorum sophismata, & naturæ nostræ leuissimæ scrupulos munitos reddit, & paratos ad reddendam rationem fidei omni nos poscenti. Hinc Petrus apud Clementem in libr. Recognitionum pulchrè ait: *Neq; enim tutum est nuda hac fidei absque ratione committere, cùm vtique veritas ratione non careat: & ideo qui hac ratione munita susceperit, perdere ea nunquam potest.* Sic ille. Si autem obijcias illud Pauli ad Corinth. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo; stultus fiat, vt sit sapiens.* Respondendum est, verum illorum verborum sensum hunc esse: Quicunque vult esse sapiens in hoc seculo, id est, in disciplinis humanis, & secularibus, in quibus moris est de singulis rationem reddere; stultus est, id est, credat simpliciter, neq; exigat rerum fidei rationes. Et sic erit sapiens: quia Deo dicenti credere, vel

Si Thomas, & cæteri Apostoli quia Dominum viderũt, & crediderũt, minus beati sunt ijs qui nõ viderũt & crediderunt; cur Apostolorum alibi Christus beatificat visionem sui? *Luc 10.*

Greg hom 26 in Euang. init. tom 2.

2. Cor. 10.

Esai 7. iuxta Septuaginta. Ioan. 7.

His verbis Domini: Beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis, &c. de qua visione sit sermo.

Qua ratione fideles qui Christum [illegible] viderunt, beatiores sint Apostolis, qui eum in carne viderunt.

Qua ratione non videntes qui crediderunt in Christum, beatiores sint Apostolis.

Cũ Dominus inquit: Beati qui non viderunt, & crediderunt, qua de fide loquatur.

Illud Gregorij dictum: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, quem sensũ habeat.

1. Petr. 3. Clem. li. 1. Recog. prope finem. Veritas ratione munita est.

1. Cor. 4.

Quid significet Apostolus dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens.

promittenti, qui solus nec falli, nec fallere nouit, omnem rationē superat, & demonstrationem. Deinde erit sapiens: quia promerebitur, rationes, & causas eorum, quæ credit, apprehendere. Pulchra autem hic delitescit allegoria. Nam Thomas pulchrè populū Iudæorum repræsentat, qui Christi resurrectionem testantibus Apostolis qui viderunt, credere noluit, sed expectare donec contrectet Christi manus, & latus. At Christus secundo in aduentu reuertetur quasi in octaua resurrectiōis ad nos, & tunc Iudæi simul nobiscum erunt, & ironicè eis dicetur: *Quia vidisti me Thoma, credidisti:* quasi dicat Dominus: Nihil valet modo tua fides, quia videbūt in quē transfixerunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ: sed beati qui non viderunt, & crediderunt. Ideò Ecclesiæ proponenti fidem habe, quæ in suis maioribus videt, & salutaris erit tua fides ad assequendam vitam æternam.

Allegoria huius Euangelij de Thoma veritati Domini ex resurrectionis incredulo perelegans atque concinna.

Ioan 19.

Apoc. 1.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ nō sunt scripta in libro hoc. De his omnino loquitur signis, quę post resurrectionē facta sunt: propterea namq; dixit, In conspectu discipulorum suorum, cùm quibus solùm conuersatus est Dominus à resurrectione sua, vt in Actis explicauit Petrus. Quemadmodū autē ante resurrectionem plurima fieri oportuit, vt crederetur eum esse filiū Dei; ita & post resurrectionem, vt certiores fierent, quod resurrexisset. Ideò Ioannes pauca ex multis scribit: sciebat enim multa ab alijs Euangelistis referri. Et ne quis crederet ipsum aut omnia, aut plurima complexum fuisse, vel minorem propterea fidem alijs Euangelistis habendam; hoc cauens Ioannes in fine Euangelij sui dixit: Sunt & alia multa quæ fecit Iesus: quę si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. Ibi de omnibus gestis ante resurrectionem, & post loqui videtur, at hoc loco tantū de his quæ resurrectionem sunt consecuta. Atq; hæc sentētia eadem est cum illa quæ habetur Act. 1. vbi Lucas habet: *Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei:* vbi apertè loquitur de signis post resurrectionem. Et nomen illud, argumentum, nō capitur pro ratione, quæ rei dubiæ facit fidem, quomodo apud dialecticos, & Oratores vsurpatur, sed pro sensibili signo ad alicuius veritatis elucidationem producto: ideò græcè dicitur τεκμήρια, id est, indicia, & signa externa: nam quæ eiusmodi sunt, nec fidem euacuāt, nec meritum eius extenuant. Hic etiam loquitur de veris signis, siue miraculis: quia hoc recenset Ioannes inter signum, quo apparuit Thomæ, & signum, quo se prodidit Apostolis piscantibus ad mare Galilęę. Sunt tamen qui sentiunt sermonem esse in his Euangelistæ verbis de signis & ante, & post resurrectionē editis: quia apparet hæc Ioānem subiecisse tanquam finem à se descripti Euangelij: postea verò addidisse videtur quæ sequenti continentur capite. ¶ *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus Christus est filius Dei; & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Declarat qualis debet esse scopus prędicantis, & scribentis Euangelium, Christi scilicet gloria, & credentium æterna vita, quibus nihil potest esse maius, aut sublimius, sicut scriptore Ioanne nihil est illustrius aut excellentius. Scriptores verò humani in suis cogitationibus posteritati consignandis, vel propriam quærunt gloriam, nō vt erudiant homines, sed vt sciāt: non vt ęternam vitam (quam ignorant) legentibus proponant, sed temporalis tantùm vitæ fructum, & consolationem, quandoq; vero, vt ipsorum scriptorum memoria, & fama celebris viuat apud posteros. Vnde Cicero epistola quadam ad Pætum: *Haud, inquit, possim viuere, nisi in literis viuerē:* & Iunior Plinius ad Caniniū Ruffum, inuitat eum ad scriptis suis nomen suum celebrandū his verbis: *Effinge aliquid quod sit perpetuò tuum: nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur: hoc nunquam tuum esse desinet, si semel cœperit.* Sic ille. Est ergo scriptorum Canonicorum in scribendo scopus vitam porrigere spiritualem, & æternam legentibus, & credētibus: externorum verò hominum scopus, viuere ipsos in hominum memorijs. Hæretici verò libris suis id satagunt, vt fidem legentibus, & æternam salutem eripiant, & ad perpetuam gehennæ mortem inducant. Ad electos ergo & fideles loquitur Ioannes: nam alijs hi libri nugæ videntur. Quis enim credidit auditui nostro? aut brachiū Domini cui reuelatum est? Multi sanè ex his qui audierunt, vel legerunt hæc, ridēt: qui tamen vtique admirari saltem deberent, qua ratione hæc scribi potuerint, aut prædicari, aut credi à tam multis, cùm tam longè posita sint ab humana persuasione. Adhæc, si hæc scripta sunt, vt ait, vt credatis; cuncti igitur, ad quos hæ literæ venerint, credere possunt; atque ita omnibus, qui Euangelium legunt, simul inspiratio fiet, nisi illi legentes obsistant. Siquidem Scriptura, atque Apostolorum verba adiuuabant Dei inspirationem, ne homines illi

Euthym. ibid.

Quæ sint illa signa, quæ Dominum fecisse in conspectu discipulorum suorū, inquit Ioannes.

Actor. 10.

Argumentum duo significat.

Ioan. 21.

Quis scopus prædicantis, & scribentis Euangelium esse debeat.

Euangelici Scriptoris, & humani discrimen quod.

Cic. lib. 9. Epistol famil.

Plinij Iunioris dictum de immortalitate humani nominis consequenda.

Hæreticorū in scribendo propositum, & mens planè diabolica.

Esai. 53.

illi repugnarent: vnde Apostoli Dei erant adiutores, vt habes in priori ad Corinthios. 1. Cor. 3. Credamus igitur, & erit quod dixit, qui potest omnia, cuius dicto nec diabolus, neque mundus refragari potest, nec nos facere possumus quin eueniat quod ipse dixerit. Credendum autem est, quia Iesus Christus est Filius Dei, hoc est, Messias promissus, qui Filius Dei naturalis est: quod ipsum ostendit resurrectio ex mortuis, vt docet Apostolus ad Romanos. Rom. 1. Et explicat scopum Ioãnis, qui ab initio fuit, diuinitatem Verbi declarare. Subdit: *Et vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

Quid credentes in Iesu nomine consequantur.

Quandoquidem dicit beatos qui non vident, & credunt; propterea hæc nos vobis scribimus, vt credatis; & vt credentes, beatam vitam habeatis, quam Iesus annuntiat credentibus in corpore suo glorioso: & eam habeatis in nomine eius: ipse enim pro nominis sui gloria illustranda beatæ vitæ gratiam inprimis, ac deinde immortalis vitæ largietur coronam. Propter hoc nomen sanctum IESV exaudimur, à multis malis liberamur. Demus ergo operam, vt per nos sanctè viuentes, ac rectè docentes nomen illud sacrosanctum apud alios indies magis illustretur, ac inclarescat, sitque nomen Iesu benedictum ex hoc nunc & vsq; in seculum, Amen.

TRACTATVS XXVIII.

De apparitione Domini facta Discipulis ad mare Tiberiadis piscantibus, in illa verba: *Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari,* & quæ sequũtur, Ioan. 21.

Christi seu mortalis, seu immortalis in vocatione Apostolorum sapientia. Sapien. 8. Matth. 4.

QVEMADMODVM Dominus mortalis adhuc existens, pro admirabili sua sapientia, qua attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, piscatores Petrum, & Andream, & filios Zebedæi olim à naui & retibus ad Apostolatum euocauit, & fecit eos piscatores hominum; ita à mortuis suscitatus eosdem ad mare Galilææ piscantes, ad se immortalem factum fide amplectendum de integro vocauit, quò eos ad piscandi munus per vniuersum orbem destinaret, ac declararet vanos esse illorum labores, & conatus in piscandis hominibus, & ad rete Euangelicum trahendis, etiamsi maximè laborarent, & desudarent, nisi Dominus illis assisteret, & verbum suum per illos prædicatum in auditorum cordibus efficax redderet, iuxta illud: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam:* Psal. 126. Domino verò cooperante, & signis suis sermonem confirmante, Marc. vlt. magnam hominum credentium capturam facturos. Hoc autem indicat præsens apparitio septem discipulis facta suis: quæ etiam videtur proximè consecuta illam, quam post octo à resurrectione dies ad discipulos præsentes cum Thoma fecerat.

De tempore huius apparitionis.

Etenim post illam, & peractam Paschalem festiuitatem, quæ septem durabat dies, egressi sunt discipuli Ierosolymam, & hac atque illac diuertebant Galilæã lustrantes, quò in montem à Christo constitutum congregarentur, vt ibi eum omnes simul viderent.

Paschale festum apud Iudæos septem diebus constabat. Matth. 28.

Non enim illa visio promissa ab Angelis, atque à Domino primo die resurrectionis completa est, Infra 28. nec in hac visione quæ ad mare Tiberiadis exhibita est: quia septem tantùm apparuit, non autem omnibus vndecim, vt ait Matthæus, Ibidem. vel quingentis fratribus, vt testatur Paulus. 1. Cor. 15. Nec rursus illa visio in monte Galilææ præcessit istam ad mare Tiberiadis: quia non diceret Ioannes, *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis*: Ioan. 21. & ita fuit ante illam. Et hoc videtur sentire Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, ca. 25. Aug. tom. 4. nam computando vniuersas Domini Iesu apparitiones, istam ad mare Tiberiadis præponit illi in monte Galilææ factæ: quanquam quidã non satis rem discutientes, aliter definierint. Ait igitur: *Erant simul Simon Petrus, &c.* Isti septem artis eiusdem piscatoriæ describuntur simul, vt pari ratione intelligamus non omninò diuulsos à cæteris, sed ferè categuatim sociatos in montem Galilææ fuisse profectos. Et prius honoris gratia nominatur Simon Petrus; secundus, Thomas Didymus; tertius, Nathanaël, quem Rupertus existimat esse Bartholomæum;

De Nathanaële Ruperti sententia. Ruper. lib. 4. in Ioan.

tum quia Ioannis 1. eius vocatio inter alias Apostolorum factas enarratur; tùm quia hic inter Apostolos ponitur, id est, inter Petrum, & Thomam ex vna parte, & filios Zebedæi ex altera. Et quia apud alios Euangelistas non fit mentio Nathanaëlis, sed Bartholomæi semper cõiunctim cum Philippo, sicut apud Ioãnem Nathanael adducitur ad Iesum à Philippo; Ioan. 1. ideò meritò putatur

Lib. 4.
Matth. 4.
B. Vincent.
Ioan. 1.
Ibidem.

tur fuisse Apostolus, vt quarto libro fusius disputauimus. Quarto loco ponuntur filij Zebedæi; quos ex Matthæo constat fuisse piscatores. Quinto loco ponuntur duo alij innominati: vel quia non erant ex numero duodecim, vt alij quinque prædicti, sed ex septuaginta duobus discipulis, vel secundùm B. Vincentium, creduntur fuisse Andreas frater Simonis Petri, & Philippus frater Nathanaëlis: nam Philippus traxit Nathanaëlem, vt Andreas adduxit fratrem suum Simonē ad Christum. Verùm quòd Nathanaël sit frater Philippi, non est vsquequaque exploratum, quòd apud nullum probatum autorem legerim; ac Ioannes docet Philippum esse à Bethsaida ciuitate Petri, & Andreæ, & Nathanaëlem docet hoc loco esse à Cana Galilææ. ¶ *Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari.* Phrasim Græcam secutus est interpres, pro, Vado piscatum: atque hoc dixit Petrus, teste Augustino, quòd inedia premeretur. Et volebat per artem piscationis licitam suę consulere inopiæ, sicut & Paulus etiam prædicationi intentus, manibus laborabat. Faciebat etiam hoc, vt otium fugerent, & tempus benè collocarent: ideò ad artem antiquā piscationis redierunt, vt haberent cibos, vel vt ex piscibus distractis emerēt necessaria. Nam fortassis religiosę illæ, ac deuotæ fœminæ, quæ illos Christo viuente alebant, à benefaciendo cessauerant, aut Apostoli seorsum ab illis peregrinantes, nihil ab illis acceperant. Quamobrem cùm illis Dominus dixisset: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Et licèt Apostoli, relictis retibus, & naui, secuti essent Dominum; non tamen nunc ad piscationem reuertentes, videri debent retrospexisse, contra Christi præceptum: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei:* non enim ex desperatione, aut cœptæ vitæ pœnitudine id fecerant, sed ob causas iam dictas. Nec enim Apostoli prohibiti sunt arte aliqua licita, & honesta necessarium victum quærere, sui Apostolatus integritate seruata, si quando quod egerent, aut bene viuerent, non habebant. Cùm ergo licitum sit piscandi artificium, sicut & illud contexendi tabernacula, quo vsus est Paulus, vt in Actis refert Lucas, certè Apostoli ab illo non abhorruerunt. Ad telonij verò exercitium, quia vix sine peccato pręstari potest, non redijt Matthæus, sicut Apostoli redierunt ad piscationem. Inspirauit autem Christus Petro vt ad piscandum rediret; vt miraculo ad mare edito, disci-

Apostoli cur redierint ad piscationem. Aug. tract. 120. in Ioan. tom 9.
2. Thess. 3. & alibi.
Matth. 4. Luc. 8. & alibi.
Luc. 22.
Matth. 4. Apostolos redeúdo ad piscationem, nequaquam proinde à Christi sequela & obsequio defecisse. Luc. 9.
Actor. 18.
Matth. 9.

puli eum cognoscerent. Hinc Gregorius in homil. huius Euangelij pulchrè ait: *Negotium quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum verò telonearium scimus. Et post conuersionem suam ad piscationem Petrus redyt, Matthæus verò ad telonei negotium non resedit: quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere.* Hæc ille. Est autem piscatio, sicut & ferarum venatio, iusta, ac licita, naturæque consona, vt Philosophus in libris Politicis docet, quia per eam homo vendicat id, quod natura est suum. Vt enim plantæ vtuntur terra, & humore ad sui alimentum, animalia verò herbis, & plantis; ita homo & herbas, & plantas, & animalia ad suam vsurpat sustentationem. Intelligo venationem, & piscationem licitam, in loco non prohibito: nam per loci dominium, & feræ, & pisces quæ in illo sunt, spectant ad legitimum loci dominū. Secùs est, si feræ extra locum interdictum, & pisces extra lacum interdictum capiantur. ¶ *Dicunt ei, venimus & nos tecum.* Ergo omnes erāt eiusdem artis piscatoriæ: & superioris exemplum alios ad laborandum cogit, vt hic Petri, atque alibi Pauli laborantis manibus proprijs, ne quem grauaret.

Et exierunt, & ascenderunt in nauim. Intellige alienam, quia propriam iam reliquerat Petrus, & filij Zebedæi, ergo vel locatā, vel commodatam, vt ait Lyra. Licitum ergo est, Apostolorum omnium, ac præcipuè B. Pauli exemplo, Sacerdotibus, qui ante clericatum, siue post illum, honestam aliquam artem didicere, quæ sine scandalo præstari potest, etiam in Sacerdotio exercere: non quidem auaritiæ causa, sed vt præcipuè otium omnium malorum fontē euitent; deinde de victu, atque vestitu honesto inde sibi prospiciant, & proinde, ne cæteris graues sint, & molesti, dummodò diuina Sacerdotij munia non prætermittant: idq; confirmatur Canone Concilij 3. Carthaginen. Dices fortasse, bone lector; Cur Christus post resurrectionem de necessarijs ad vitam discipulis suis non prouidit, ita vt nō opus esset illis redire ad pristinum piscationis munus: maximè cùm ipse hortatus fuisset discipulos, dicens: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini, &; Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.* Respondemus: Poterat quidem innumeris modis illorum inopiæ Dominus consulere, si voluisset, absque vllo eorum labore, & industria: nam ipse

Greg. hom. 24 in Euāg. to. 2.
Luc 9.
Petrus quare post conuersionem suam ad piscationē redijt, Matthæus autem ad officium suum non est reuersus.
Philosop lib. 1. Polit.
Piscatio & venatio licita.
Exemplum superiorum quantam habeat vim. 2. Thess. 3. 1. Cor. 4.
Matth. 4. Lyranus in Ioannem.
Quod liceat artificium Sacerdotibus ad vitam tuendā Apostolorum exemplo.
Concilium 3. Carthag.
Cur Christus post resurrectionem de victu necessario discipulis suis non prospexit, ne ad piscandum redirent.
Matth. 7. Ibidem.

Psal. 135. Psalm. 146.

est qui dat escam omni carni, etiam pullis coruorum inuocantibus eum: at verò Deũ semper edere miracula, haud expedit nobis, verùm res suæ ipsorum naturæ dimisit. Dedit insuper homini industriam operandi in his, quæ sibi ad victum sunt necessaria: idcircò tunc Dominus noluit illis prospicere aliter quam per proprium laborem: vt reprobetur negligētia & superbia eorum Religiosorum, qui ex maiorum obedientia, vel Regulæ statuto debent manibus laborare; illi autem aut nolunt, aut maioribus obtrectant, dicentes, se ad Religionem nequaquam venisse vt sordidis officijs, ac ministerijs incumbant: vocantes sordida, seruiliaque opera, in quibus maximè religio erga Deum, & charitas erga proximos exercetur. Istis obijciendus esset Paulus, qui cùm tantus Christi esset Apostolus, & manibus laborauit ipse, ne quenquam grauaret, & suis verbis edixit: *Si quis nō vult operari, nec mãducet.* Christus autē in præfatis verbis omnimodam non prohibuit solicitudinem, sed superfluam anxietatis, & infidelitatis plenam, quæ maximè spiritum gratiæ, & deuotionis suffocat; nō autem illam moderatam, ac rationi consentaneam, quæ ad humanã spectat prouidentiam. Legimus, quendam eremi cultorem venisse ad patrem Siluanum in monte Sinai constitutum, cumque Siluanum cum suis laborantem vidisset, offensus est, ac dixit: *Quare operamini escam quæ perit? nonne Maria optimam partem elegit?* Quo audito, pater Siluanus iussit illi codicem dari, & recludi in cella, in qua escæ erant nullæ, vt legeret, & meditaretur. Sero facto cœnam expectabat studiosus pater; cumque ad eam à nemine vocaretur, clamare cœpit num fratres cœnarent? vbi verò intellexit eos cœnasse iam, prorupit in murmurationis verba, & accusare minus exhibitam charitatem. Verùm Siluanus vir sanctus illi respondit: *Frater*, inquit, *tu spiritualis es, minimè indiges escis nostris quæ pereunt: nos autem, qui carnales sumus, manducamus, & bibimus.* Quibus verbis admonitus, resipuit ille eremi cultor, veniamque de stultitia postulauit. Tunc bonus Siluanus adiunxit: *Fili, vides quam necessaria sit Martha Mariæ?*

Boni isti, & sancti Apostoli piscatoriam repetentes vitam, quos dãnent religiosos, & confundant.

2. Thess. 3. Ibidem.

Dominus vt vetet non esse solicitos animæ, seu vitæ nostræ.

Exemplum Siluani patris eremi cultoris.

Ioan 6. Luc. 10.

Et illa nocte nihil prendiderunt. Id factum est diuina dispensatione, quò mane Christo in littore stante, manifestiùs eluceret diuinę potentię signum, teste Greg. & piscabātur de nocte, vt tradit Chrysost. quia adhuc propter metum Iudæorum formidolosi erant; vel, quod est probabilius, nocturno tempore capiuntur grandiores pisces, ac nobiliores, quòd eo tēpore ab imo fundo ad superficiem aquæ soleant ascendere. ¶ *Mane autem facto stetit Iesus in littore.* Superius legitur apparuisse Dominus timidis & lugentibus, hic apparet laborātibus, ad consolationem nostram, ne labore frāgamur, audiendo quod etiam Christus assistit laborantibus, eosque dignos conspectu suo reddit. Noluit Dominus nocte apparere eis, ne velut phantasma eos perterrefaceret: neq; etiam decebat, vt clarissima resurrectionis veritas in tenebris ostenderetur, sed in luce splendida, & mane diei facto, quo diei articulo ipse surrexerat. Stetit autem in littore velut alter Ionas è ceto mortis euomitus. Moriturus quidem supra mare ambulauit, quo diuinitatis suæ potentiam, cui omnia sunt subiecta, ostēderet: at suscitatus à morte, in littore stat, quia immortalis extra periculum est. At nos qui in mari sumus, non sine periculo in ipsa mortalitate versamur. Tradunt quidam, à ciuitate Bethsaida per duo milliaria, aut paullò plus distare littus, in quo apparuit, & quodam in lapide cernuntur vestigia plantarũ Christi, de quibus dicitur: Stetit Iesus in littore. *Non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est.* Propter distantiam nec visu, nec auditu cognouerūt, cum quo tanto tempore fuerāt versati, vel propter dubiā lucem matutini temporis; vel quia nolebat adhuc cognosci ab eis, quò maiori cum iocunditate eum posteà cognitum viderent; vel quia immutatio in medio aere facta est, quo species visus, & auditus Christi non perciperent, atq; ita existimarent eum esse emptorem quendam pisciū; at deinceps nouerunt eum non ex voce, aut habitu, sed ex edito miraculo, cùm ea quæ ventura fuerant, certò prænuntiasset, scilicet capturam tot piscium.

Apostoli piscantes cur nihil prendiderint. Greg. hom. 23. in Euangel. Chrys. ho. 68. in Ioã. tom 3.

Apostoli cur de nocte piscarentur, teste Chrysost.

Mane cur Dominus apparuerit, non noctu, & quare steterit in littore.

Ion. 2.

Matth. 14.

Qui factũ sit vt discipuli Iesum in littore stantem non agnouerint.

Dicit ergo eis Iesus; Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Græcè dicitur παιδία, hoc est filioli, vel pueruli: qua sic moris erat vocari operarios propter illorum robur, ac labores, vt ait Euthymius. Et blando nomine sine fructu tota nocte fatigatos discipulos, vereque sibi charos filiolos appellauit, vel pueros, secundùm illud: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus*, & Christus ipse dicitur, *Puer meus quem elegi*. Pulmentum, vel pulmentarium propriè cibus ille est, qui in formam pultis redactus est: hoc tamen loco capitur pro quouis cibi genere, qui cum pane manducari solet, qui Græcè accommodata voce dicitur ὄψον, id est, opsonium, & προσφάγιον, id est, cibus qui adiungitur pani, qui Hetrusco sermone aptè dicitur companatico: atque hoc loco

Opera apud Iudæos pueruli, filioli vt eos vocarentur. Euthym. in 6. Ioan. vlt.

Esai. 8.

Infrà 42. Pulmentum quid sit & loco quid significet.

ea

ea voce pisces intelligebat Dominus. Hinc apud Terentium in Adelph. pisces vocantur opsonium, & Aristoteles lib. 4. de Partibus animal. cap. 11. ὄψον inquit Gaza, ita vocabant pisciculum.

Terentius. *Aristoteles.*

Responderunt ei, Non. Intellexerunt à se exigi pisces, etantque labore nocturno nihil capientes tædio affecti, ac proinde ita nudè responderunt.

Christi præscientia.

Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Euentum merè contingentem, omniqúe prorsus ratione carentem prædicit, quòd videlicet in dextera nauis parte inuenirent pisces, qui per totam noctem mittentes retia, nihil ceperant. Et quia longa experientia parere didicerant, absque vlla perquisitione quod imperatum erat, fecerunt: totq; pisces in præmium obedientiæ suæ comprehenderunt: & arbitrati sunt Apostoli illum aliquo signo, siue experimento nouisse pisces ibi natare. Et dextera conuenit felicitati euentus, & statui immortalitatis.

Apostolorum obedientia, ac præmium eius.

Dextera quid significet.

Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Vide quid possit verbum Dei, & obediētia. Intellige autem, illos non potuisse trahere rete, scilicet super nauim; quod tamen ad littus postmodum faciliùs trahi potuit. Et hoc præ magnitudine piscium: nam multi nō fuissent, si magni non extitissent, nam erant centum quinquaginta tres. Fuit non dissimile hoc signum illi, quod à principio vocationis quatuor Apostolorum accidit etiam in piscatione lucis.

Verbi Dei, & obedientiæ virtus.

Matt. 4.

Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Ita se solet Ioannes, cùm de se loquitur, describere, atque hinc singularis puritatis, ac virginitatis merito illustriores mentis oculos præ alijs possidebat, vt Hieronymus docet libro 1. aduersus Iouinianum. Ex nouitate quippe rei attentiùs cogitare secū cœpit, quia hic esset artis piscatoriæ tam gnarus: conferēsq; eius verba cum rei euentu, & nouitate, iudicauit alium posse esse neminem præter Magistrum, ac Dominum suum. Dominus quoque peculiares illi oculos dedit, vt per ipsum agnosceretur, & per eum à Petro, & ab alijs. Et quem in vita mortali sæpiùs Magistrum appellabant, rariùs Dominum: à resurrectione Dominum ferè semper nominabant: quia tunc docendi tempus fuerat, nunc verò regnandi tempus erat, atque dominandi, secundùm id: *Dominus regnauit*, &, *Data est mihi potestas in cœlo, & in terra.* & alio loco, *Et Dominus quidem* IESVS *postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.* Dominatus quippe fuerat morti, inferno, diabolo, mundo, atque reliquis vniuersis. Discimus ex hoc verbo, Dominus est, nostrorum fructum laborum Christo tribuere, ac dicere, Dominus est, non noster labor, sed Dei beneficentia est. Quod bene Dauid nouerat, qui dixit: *Non enim in arcu meo sperabo; & gladius meus non saluabit me*, & ante dixerat, *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum*, &c. & iterum: *Nisi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.*

Cur Ioannes ex signo capturæ piscium primus Christum agnouerit.

Hiero. tom. 2.

Ioann. 19.

Quid est, quod Apostoli Christum antè sæpiùs Magistrum appellabant, rarius Dominū; nūc verò à resurrectione Dominum ferè semper nomināt.

Psalm. 92. *Matt. vlt.*

Documentum ex illis verbis Ioannis Euangelistæ Dominus est.

Psalm. 43. *Psalm. 126.*

Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Obserua hic varia Apostolorum dona: nam vt Ioānes intellectu pollere describitur, qui prior Dominum nouit, iuxta illud: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*; ita Petrus, qui amore præstare dignoscitur, omniū immemor in mare prosiluit, quo celerius veniret ad Dominum: sicut alias præcucurrit Ioannes citius Petro, Petrus tamen primus ingressus est ad sepulcrum. Natura charitatis est periculum non timere, socios cunctantes nō expectare: propter alios ergo nemo se ipsum negligat. Pastoris est, exemplo Petri, plus alijs festinare ad Christum, & cæteris se feruentiorem opere ostendere, vt alij sic eum sequi incipiant. Nusquam maius periculum in mora, quam dum ad Christum properatur: nescimus enim quandiu currendi spatium habemus: quilibet summo studio festinet, nec curet, si alios cessantes viderit. Quod vero tunica succinxit se: hoc est, quia noluit nudus coram Christo apparere: Græca litera habet, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Est autem ἐπενδύτης, idem quod toga, siue pallium, siue penula, quod supernè induatur. Et ita noui interpretes verterunt pallium: sed parùm, meo iudicio, feliciter. Nam hoc loco manifestè pro indusio sumitur. Quod ex Suida constat, qui ita scribit: Ἐπενδύτης τὸ ἐπάνω ἱμάτιον, ὃ καὶ ὑποκάμισον λέγεται. Hoc est, Ependytes, est interius indumentum, quod subucula dicitur. Et Iulius Pollux tradit ἐπενδύτην significare χιτωνίσκον, id est, amiculum ex lino. Vt enim Romæ apud Horatium populus tunicatus appellatur, quòd tunica pro toga vteretur, ita est probabile piscatoribus tunicam fuisse summam vestem. Tradunt Theophylactus, & Euthymius, ἐπενδύτην esse amictum quēdam, quo Phœnices, & Tyrij piscatores vtebantur, siue nudi essent, siue vestiti, quem superimponebāt: carebat autem manicis, & corpus ad genua vsque contegebat. Et huius vsus erat, cum piscarentur: nam simul & agilitatem

Christi in Petro, & Ioanne peculiaria dona.

Matth 5.

Ioann. 20.

Ingenium charitatis.

Pastoris officium.

Suidas.

Iul. Pollux lib. 7. c. 12. *Horatius.*

Theophyl in hunc locum *Euthy. ibid.*

eis tribuebat, & inter aquas ornatũ. Quod verò dicitur, Succinxit, idem est, quod induit, vt exponit Theophylactus: atque id fecit Petrus, ne ei natanti, ambulantive esset impedimento, vel pudoris gratia: vnde διαζώματα Græcè, subligacula dicuntur. Quod verò subiungit Euãgelista: *Erat enim nudus*, intellige respectu aliorum vestimentorum, quibus vti solebat: solis tamen pudendis obtectus more piscatorum, qui subligacula habere solent. *Et misit se in mare.* Nõ desunt qui crediderunt, & scripserunt, Petrum tunc super vndas ambulasse maris, vt alias Domino iubente fecerat: & hoc astruunt, tum ex eo quòd tunica procinctus erat, & natare non potuisset, & adeò aquæ profundæ erant, vt nauis onerata ad littus peruenire posset, quæ tunc à littore ducentis cubitis distabat, vnde nec pedibus permeando venisse potuit. Hanc sententiam sequitur Lyranus, atque alij: sed impugnat Beda, eiusque dissoluit rationes. Dicendum ergo cum antiquioribus Patribus, natando in profundo venisse, tali tunica nullum præbente impedimentum, vt quotidiè videmus multos indusio vestitos peregregiè natare: cùm autem vadum attigit, pedibus venit ad Dominum. Illum autem feruorem, & animi alacritatẽ præstabat Christi amor moræ nauigij impatiens, vnde & primus peruenit ad Dominum. Alij autem discipuli ad littus nauigio peruenerunt, quia non erant tam feruentes, nec tam audaces vt Petrus, & quia attendebant ad trahendum rete, ne periret piscatio. Hunc Petri aduentum ad Dominum expendit Bernard. lib. de consideratione ad Eugenium, his verbis: *Ergo iuxta canones tuos alij in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nónne, si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominùs prærogatiuam confirmat tibi. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodq; iocundius erat, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit: sic venit ad ipsum, alijs nauigio præuenientibus. Quid istud? Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quiq́ue suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim seculum est, naues, Ecclesiæ. Inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauerit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ populi multi. Ita cùm quisq; cæterorum habeat suam, tibi vni commissa est grãdissima nauis facta ex omnibus ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa.* Hæc ille. Porrò cùm cubitus contineat sexquipedem, & passus quinque pedum sit mensura, ducenti cubiti efficiunt trecentos pedes, siue sexaginta passus,

Matth. 14. Petrus natando ne, an super aquas, vt olim, ambulando ad Dominum peruenerit.

Lyranus in hunc locum Beda ibid. tom. 5.

Altera opinio, quam sequitur autor.

Petri in Christum amoris magnitudo.

Bern. lib. 2. *de considerat. ad Eugenium, nõ longè à fine.*

Petri, & successoris Petri summa potestas in Ecclesia, ex Bernardo.

Petri non nauigio, sed natatu ad Christum in littore peruenientis mysterium.

Matth. 14.

Apoc. 17.

Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Hæc omnia, teste Chrysostomo, Christus de integro creauerat, suæ resurrectionis ostendens signum, vel per Angelum, vel per alium sibi notum modum præparauerat. Et de pane perinde non asserit, ac de pisce, quòd non esset suppositus prunis, sed quòd esset positus, id est, præparatus, vt ait Augustinus. Et testis est Cyrillus, Dominum illum piscem ex mari miraculo piscatũ fuisse: & eo se Dominus suscitatus à mortuis deijcere voluit, vt coquus etiã noster esse dignaretur. Piscem Græcè vocat ὀψάριον à verbo ὀπτῶ, quod est asso: quia erat piscis assus. Et Theon Commentator Aristophanis, ἐν ἰχθύσιν scribit apud Persas idem significare quod ἰχθύδιον, hoc est, pisciculum. Quare Ioan. 6. legimus datos Christo quinque panes, & duos pisciculos, siue δύο ὀψάρια. & idem legimus Luc. 9.

Vnde prunæ illæ positæ in littore, & piscis superpositus, & panis. *Chrysost. ho. præcitata to* 5.

Aug tract. in Ioan. to. 9. *Cyrill. lib.* 12. *in Ioan. c.* 121. *tom.* 1.

Christi humilitas profunda.

Theon. Aristophanis interpres.

Dicit eis Iesus, Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ne suspicarentur panem, & pisces quę ibi aderant, esse præstigia; addit aliquos ex piscibus, quos ipsi ceperãt. Et priùs rogauit, an haberent pueri aliquid pulmẽtarij; & tamen ipse eis pręparauerat, dederatque eis, vt caperent. Ita petit à nobis, vt hoc, aut illud faciamus; ipse tamen dat vnde facere possimus, & etiam vt faciamus, fructumq́ue capiamus. Venustè ait, De piscibus quos prendidistis nunc, non ait, quos ego vos prendere feci: sic enim solet Spiritus in Scriptura nobis opera bona adscribere, non vt hinc nobis placeamus, vel nobis quicquam tribuamus, sed vt nos potius illi, ex quo omnia nostra proficiscuntur, tribuamus: siquidem omnia opera nostra in nobis operatus est ipse. Et licet epulas iam paratas à Christo inueniant: iubentur tamen afferre de piscibus à se captos: quia Deus opera nostra cum suis coniungi vult, vt simus Dei adiutores in nostro, atque alienæ salutis negotio. Adhæc etsi posset omnes satiare de pisce supposito prunis, tamen pręcipit de piscibus captis vti afferrent. Quia dum aliunde habemus, aut habere possumus victui necessaria, non debemus ad miracula confugere, neque ea quæ supra naturam sunt, efflagitare præsidia. Voluit etiam Dominus nos illo vno pisce erudire de paucitate eorum, quos ipse,

Christi sapientia, & bonitas in nos quanta.

Quo consilio Spiritus sanctus in Scripturis bona nobis opera tribuantur.

Esa. 26.

Egregium documentum ex verbis Domini ad Apostolos.

Quid Dominus per piscem prunis superpositum, atque piscium

multitudinem voluerit significare.

ipse vnus conuertit; alijs verò multis, designare multitudinem credentium, qui opera Apostolorum innixa virtuti Christi ad fidem sunt euocati.

Petri prudentia, & charitas.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Simon Petrus postquàm viderat, & salutauerat Christum, eius verbo parere volens, tanquàm peritior artis piscandi, nauem ascendit, vt adiuuaret discipulos trahendæ naui ad littus intentos: traxitque rete in terram non solus, verùm cum omnibus alijs, suo tamen superaddito auxilio, quemadmodum vltima gutta cauat lapidē, atque extremus securis ictus scindit arborem, & postrema dispositio introducit formam: magnitudinemque, & numerum piscium ad miraculi euidentiam describit.

Quemadmodum agat nobiscum Dominus.

Priùs è mari ad Christum properauerat Petrus, nunc denuò remittitur ad mare: sic agit nobiscum Deus, vt cùm ex vna tentatione nos eripit, interim in aliam concipiat, ne torpescamus. *Et cum tanti* (inquit) *essent, non est scissum rete.* Quod ait, tanti, Græca vox τοσούτων, & tot significat, vt simul & ad magnitudinem, & ad multitudinem referri possit piscium.

Christi miracula tria in hac discipulorum piscatiõe.

Itaq; hæc apparitio multis miraculis est referta. Primò, quia prædixit piscium locum, deinde quia tot, & tantos ceperunt: tertiò, quia illis rete scissum non est, cùm meritò tanto pondere scindi debuisset.

De numero pisciũ Oppiani Cilicis sententia.

Hier. li. 14. in Ezechielem, in c. 47. circa med. tom. 5.

De hoc autem numero ita scribit beatus Hieronymus super Ezechielem: *Et plurimæ* (inquit) *species, imò genera piscium erāt in mari quondam mortuo. Quos pisces ad dexteram partem iubente Domino extraxit Petrus, & erant centum quinquaginta tres, ita vt præ multitudine eorum retia rumperentur. Aiunt autem qui de animantium scripsere naturis, & proprietate, qui* ἁλιευτικὰ *tam Latino, quàm Græco didicêre sermone, de quibus Oppianus Cilix est Poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne genus hominum de mari huius seculi extrahitur ad salutem.* Hæc ille.

Altera de piscium numero sententia probabilior, ac certior.

Sed re vera dubia est valdè hæc Oppiani sententia, cùm innumeræ piscium existant species ob magnitudinem maris; imò etiam sint nonnulli, qui plures vellent esse species piscium in aqua, quàm indiuidua animalium in terra: quanquàm huic sententiæ ego non ausim assentiri. Fieri tamen potest, vt ex illis non fuerint plura genera autori nota, quàm dicta centum quinquaginta tria, cùm tamen innumera sint alia, & quælibet regio sua gaudeat piscium varietate: quemadmodum ex innumeris stellis non nisi mille viginti duæ ab Astrologis fuerunt annotatæ, & notæ.

Apostolorum in Christum reuerentia.

Psalm. 127.

Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Post laborem ad prandium paratum suos vocat Dominus: quia labores manuum tuarum manducabis. Constat ex his, Apostolos tam ex reuerentia, quàm ex admiratione ausos nō fuisse Magistro appropinquare, quādiu ab eo inuitati non fuere; tunc verò vt verè obedientes discubuere ad Domini mandatum, cuius expectatio erat illis cibus dulcis & pinguis.

Euthym.

Prandij Apostolorum post piscationem mysterium.

Dixit autem, *Venite, prandete,* ad significandum, teste Euthymio, quod illorum laboribus successura erat requies. Et subiungit, verisimile esse, partem piscium comprehensorum fuisse ibi assam ad omnium refectionem discipulorum, reliquam verò partem pauperibus fuisse distributam.

Cur Apostoli non ausi fuerint Dominũ interrogare, Tu qui es?

Et nemo audebat discentium interrogare eum, Tu qui es? Discentium, inquit, vel discipulorum, ita enim Græcè dicitur Μαθητῶν, quamuis iam vsu veteri factum est, vt discumbentium legatur, vt legit vulgata interpretatio correctior. Et ostendit tam euidentem notitiam Apostolos de IESV suscitato habuisse, vt iniuriam illi adferre arbitrarētur, si eum interrogarent: quoniam sola Domini agniti reuerentia eos detinebat ne appropinquarent, cùm scirent quia Dominus est.

Christi charitas.

Et venit IESVS, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Venit IESVS in locum, in quo discumbebant discipuli. Quod verò accepit panem, & manibus suis ita confregit, ac si gladio diuideret, ac deinde benedixerit, ac porrexerit, mihi verisimile non fit, ne signum aliquod quotidiè Christum edere sine causa ponamus: quāquàm moris sibi esset, dum sederet in mensa, ministrare Apostolis, sicut ipse alias dixit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Luc. 22.

Cur Christus, vt olim, dans panem Apostolis oculos ad cœlum non leuauerit.

Euthym. c. 18. in Ioa.

Chrysost. ho. 87. in Ioann. tom. 3.

Act. 1. & 10.

Et vt expēdunt, Euthymius, & Chrysostomus, iam in cœlum non inspicit, neque humana illa facit, quæ olim ante resurrectionem: ostendens, quòd etiam ipsa dispensatoriè faciebat, nunc autem vt Deus potentia, & immortalitate præditus. Euangelista autem non refert an Christus comederit: supplet tamen Lucas: *Nobis,* inquit, *qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.*

Quomodo hæc sit tertia apparitio, cùm plures aliæ præcesserint.

Aug. libr. 3. de consen. Euan. c. vlt. to. 4.

Hoc iam tertiò manifestatus est IESVS discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis. Quærunt Patres, quomodo hæc sit tertia apparitio, cùm plures aliæ præcesserint. August. hoc referendum putat non ad numerum apparitionum, sed dierum distinctorum, in quibus apparuit. Nam primo die apparuit discipulis sine Thoma, & post octo dies iterū cum Thoma, rursus istis septem Apostolis,

Alter sensus, qui placet auctori.

inter quos erat Thomas. Sed quia hoc quibusdam violentum videtur aliter interpretantur: vt videlicet hæc sit tertia apparitio facta discipulis apud Ioan. suppressa apparitione facta Magdalenæ, quam cum alijs non connumerauit. Ex quo licet colligere, necessariò hanc Domini ostensionem factam, antequàm se conspiciendum plusquàm quingentis fratribus exhiberet in monte Galilææ: nam alioqui si hæc illã consecuta fuisset, nõ tertia extitisset sed quarta. Et nomine discipulorum, ratione materiæ, hoc est, resurrectionis Christi restificandæ,

Quibus discipulis Christus se tertiò manifestauit à mortuis rediuiuus.

Apostolos intelligit, qui erant electi tanquam proprij resurrectionis Christi testes, quos constat esse Apostolos Acto.1. *Oportet* (inquit) *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, &c. testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Præter hos erãt alij discipuli, quibus apparuit, vt illi duo ex Emmaunte reuersi, qui inuenerunt vndecim congregatos, & alios cũ eis, vt refert Lucas. *Luc.24.* Expende etiam verbum in plurali dictum, Discipulis; vt apertè excludat apparitiones vel soli Petro, vel soli Iacobo primo die factas; *1.Cor. 15.* nam hic est sermo de tertia apparitione pluribus discipulis exhibita, non de illis, quæ singularibus sunt factæ personis.

Quibus argumentis Christus diuinitatem, & humanitatem suam post resurrectionem comprobauerit.

Porrò Dominus Iesus sua omnia diuersis apparitionibus manifesta reddidit: nimirũ diuinitatem suam; eandẽ animam, atq; idẽ corpus, atq; illud quidẽ diuinis gloriæ dotibus ornatum. Ostendit quidem diuinitatem, quæ ab ipso probata est dicendo se æqualem Patri, vt cùm dixit Magdalenæ: *Ioan. 20.* *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum:* promittẽdo item Spiritum sanctum, *Ibid.* quem alius à Deo polliceri non poterat, videndo cogitationes discipulorum: *Quid turbati estis* (inquit) *& cogitationes ascendunt in corda vestra?* *Luc.24.* Illuminando, & pacando corda eorum: præuidendo quoque futura, vt in hoc signo piscium fecit, penetrando corda discipulorum, illaque inflammando, vt qui dicebant: *Ibid.* *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* aperiendo quoque oculos, vt se agnoscerent, sed multò magis aperiendo sensum, vt intelligerent Scripturas, quod Dei solius munus est. *Ibid.*

Ad Scripturas intelligendas sensum aperire, Dei solius munus est.

His igitur rationibus suscitatus suam prodidit diuinitatem. Porrò eandem fuisse animam, probauit eadem loquela, & familiaris sibi modus pronuntiandi, vnde dicebat: *Ibid.* *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum?* & audito verbo, Maria, eum illa agnouit. *Ioan.20.* Quare quod euntes in Emmaus ex audita voce non agnoscerent, *Luc. vlt.* hoc erat, quia aures eorum, sicut & oculi tenebantur, ne eum ad tempus agnoscerent. Indicauit etiam eodem modo ministrando in mensa, quia benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: ipseque cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dabat eis: docebat etiam eadem quæ priùs. Vegetantem quoque animam edendo, & bibendo monstrauit: quemadmodum in Lazaro, & puella suscitata: *Ioann.11. Luc. 8.* sentientem verò, visu, auditu, loquela, ac motu notam facit. Porrò ratione præditam animam indicauit: ratiocinando, ac de Scripturis disserendo, missione quoque ad prædicandum ex data sibi homini potestate, *Matt.vlt.* atque ex eiusdem corporis informatione, quod nec spiritus, nec alia anima informare potest. Idem quoque corpus ostensum est detecto loco sepulcri vacuo, & exubijs mortalitatis in eo relictis: illud eiusdẽ formæ, ac figuræ exhibẽdo, ac cum vulnerum cicatricibus, quod palpandum præbuit. *Ioann. 20.* Nec minus corpus suum gloriosum declarauit: nam subtilitatem satis indicauit penetrando saxum, ingrediendoque in cœnaculum ianuis clausis: *Matt. vlt.* agilitatem, apparendo quibus, & quando, & vbi vellet, *Ioann. 20.* medio etiam interuallo non pertransito, vt volebat: ascendendendo quoq; in cœlum ante cõspectumdiscipulorum suorum. *Luc.24. & Actor.1.* Passionis quoq; expers corpus, cùm cibo, aut potu, aut vestimento, non quo indigeret, sed testatam redderet resurrectionis fidem, ac propter honestatem ostendit. Claritatem verò, siue gloriam ex anima in corpus profluentem, ac fulgentem communiter non proferebat, nisi fortè apud matrem, vt ait Bernard. *Bernard.* ne alium illum esse existimarent, neque tangere auderent, eorumq; oculos perstringeret, & satis illam in monte Thabor transfiguratus ostenderat. *Matt.17.* Et hactenùs de litera dictum sit.

Allegoria huius Euangelij.

Nonnihil in hac historia delitescere mysterij quis queat negare? Tertia hæc dicitur manifestatio facta in Euangelio post illam in lege naturæ, & alteram in lege scripta. Primus piscator Petrus est, qui Princeps Apostolorum est constitutus, & cui dicitur paulò pòst: *Pasce oues meas:* hic verò præ fame animarum ad munus prædicationis vocatus, quo tanquàm reti homines, vt pisces, ad Christum trahuntur, & capiuntur. Neque tamen solus esse, sed coadiutores etiam habere debet, Thomam, id est, peccatores conuersos, Nathanaëlem, hoc est, innocentes, filios Zebedæi, id est, dotatos sapientia, & vt alibi dicitur, filios Boanerges, quod est, filios tonitrui; ita ob insignem eloquentiam dictos.

Marc.3. Filij Zebedæi cur dicti Boanerges.

Adsunt & alij duo innominati discipuli, hoc est, turba prædicatorum. Piscaturi autem cum Petro

depo-

deponant vestiméta, quò ab omni temporalium rerum cura sint spoliati, deinde succincti sint tunica ad opus honestè præstandum. In nocte tamen sine luce piscantes capiunt nihil: quia sine Christo non est fructuosa prædicatio, aut salutaris: quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Inanis ergo est prædicatio, & opera Euangelizantis, nisi Christus hominis conatum benè fortunet. Christus è cœlo clamat, ad cuius aduentum tenebræ fugantur: & manè illuxit: & stat post resurrectionem in littore immortalitatis, & pisces exigit; hic est cibus, vt animæ, pro quibus sanguinem suum profudit, saluæ fiant. Mittere ad dexteram nauigij, est, relictis Iudæis, tanquàm putridis piscibus, conuertere Paganos ad Christum; & illis captis, Ioannes, id est, Doctores, dicet Petro Dominum esse, qui tantam piscationem fecit. Petrū trahere rete, est, introducere homines in Ecclesiam: neque rete rumpi, significat nō futura propterea schismata. Bis Apostoli leguntur laxasse retia in capturam. Primò simpliciter Luc. 5. ideò capta est magna piscium multitudo, quorum numerus non est expressus, nec quantitas, si scilicet parui essent, an magni, ita vt rete rumperetur: hic vero ad dexteram mittere iubentur, & magnos tantùm pisces capiunt, & numeratos, qui tamen rete non disciderunt. Prima ad omnes, & bonos, & malos pertinet piscatio, qui fidei, & verbi Dei per schismata sciderunt interdum vnitatem, alij verò in reti permanentes tandem eijciuntur foras, vt habetur apud Matthęū. Adhæc ad solos electos pertinet piscatio, hi enim ad dexteram sunt, & omnes magni apud Deum habentur, etiamsi parui in mundo videantur; & hi causa schismatis, vel dissidiorum non sunt: deinde numerati omnes, quorum nomina scripta sunt in Libro vitæ, atque illi in his tribus numeris & significantur, & continentur: quorum centenarius, perfectos, & centuplum fructum afferentes designat: quinquagenarius, proficientes habentes Spiritum sanctum, & ad remissionem peccatorum, & ad spiritualem profectum, denotat: postremò, ternarius, incipientes per fidem, spem, & charitatem delineat. Captis verò piscibus, ad littus, siue ad portum æternæ vitæ redeunt: ad quam aliqui per medios fluctus contendunt, instar Petri per martyrium, vel religionis nuditatem, quæ species martyrij cuiusdam spiritualis esse videtur; alij verò quietè, & securè in nauigio veniunt, quia obdormiunt in pace CHRISTI, & appropinquātes littori primò videbunt Christum astantem, & conuiuium æternum paratum, iuxta illud: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: ad quos nos vtinam dulcissima sua voce vocare dignetur IESVS CHRISTVS Dominus noster; cui cum Patre, & Spiritu S. perpetua benedictio, perennis gloria, & imperium sempiternum, Amen.

1. Cor. 3.

Euangelici piscatores quando capiunt nihil.

Duplex piscatio Apostolorum re, mysterioque inter se diuersa.

Matth. 13.

Centenarius numerus, quinquagenarius, atque ternarius quos denotent.

Religio spirituale quoddā martyrium esse videtur.

Matt. 25.

TRACTAT. XXIX.

In quo differitur de Petro vniuersæ Ecclesiæ Pastore à Christo præfecto, in illa verba: *Cùm ergo prandisset, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos*, &c. Ioan. 21.

CONSVEVIT Dominus Iesus confestim à cibo sumpto non minima, neque vulgaria aut aperire, aut operari mysteria. Ecce post cœnam agni Paschalis pridie quàm pateretur, sacrosanctum Eucharistiæ instituit Sacramentum, & in cœna, qua exceptus est à Martha ante sex dies Paschæ, vnguentoque pretioso à MARIA iniunctus; ac de illo super caput eius effuso reprehensus, & factum, & animum mulieris laudauit, seque breui moriturum, ac sepeliendum declarauit. Primò resurrectionis die cùm Apostolis apparuisset, atque de pisce, & melle syluestri manducasset, & aperuit Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas, & Spiritum sanctū ad remittenda peccata est impertitus: nunc post editum miraculum in captura piscium, & post prandium panis & piscis assi superpositi prunis, ad quod Dominus inuitauit Apostolos, manifestis verbis Petro tradidit Pōtificatum. Volebat nimirum Dominus suo exemplo commonefacere, vt sic cœnam, siue prādium capiamus, vt cibo suscepto non minus ad exercitia spiritualia idonei simus, quam si impransi, aut incœnati essemus. Simoni ergo Petro nescienti prorsus quid per eum Dominus fecisset, in eo quòd tunica succinxit se, & misit se in mare, quodque ad eius imperium nauim ascēderit, & traxerit rete plenum piscibus magnis in terram, actuumque suorum mysterium, ac triplicis distincti numeri piscium ignoranti, Dominus ipse, ac Magister, qui hæc disposuit, nunc aperire incipit. Et primò quidem quòd illi pastoris officium iniunxit, arcanam piscandi causam respicit; deinde

Christus post sumptū cibum magna & aperire, & operari mysteria consueuerat.

Matt. 26.

Ibid.

Luc. 24.

Ioan. 20.

Christi documentum.

deinde dicendo, *Cùm esses iunior, cingebas te,* &c. prænuntiat quid ille succingendo se tunica, licèt nesciens faceret, præfigurauerit. In eo autem quod nunc agnos, nunc oues Petro ter commendat, triplicem illam piscium distinctionem subindicare voluit.

De nomine Ioannis Petri Apostoli parentis.

Cùm ergo prandissent (legendum, *Prandissent*, non *prandissent*) hoc est, cùm pransi essent; nimirum Apostoli cùm Christo. Moris Christi fuisse diximus, res maximas à cœna vel à prandio instituere. Post piscem assum & fauum mellis, vt Luc. ca. 24. testatur cum alijs discipulis sumptum, iam Petrum summum Ecclesiæ pastorem, qui omnibus præstet ouibus, constituit, atque ita: *Dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis.* Græcè legitur, Simon Iona, sicut alibi: *Beatus es Simon Bariona.* Erat enim Ionas pater Simonis, sicut alibi apud Ioannem dicitur: *Tu es Simō filius Ioanna: tu vocaberis Cephas.* Simon ergo Iona, scilicet filius. Quia verò hic Latinè dicitur Simon Ioannis, videtur Bariona alibi esse scriptum per contractioné pro Bar-ioana: nam ea ætate, Syra, vel Chaldaica lingua sic loqui consueuerant. Christus igitur Petrum alloquitur, vt ei oues cómendet suas, quò abnegationis memoriam ex animo suo aboleret penitùs: cùm enim grauiùs quàm cæteris deliquisset, atq; obstinatiùs, opus peculiari habebat commédatione, ne abiurationis recordatione communé Apostolatus commendationem nihil ad se pertinere putaret. Petrum ergo vniuerso suo gregi præficit, & in piscatione spirituali primum facit. Cùm enim in prima apparitione sub vesperam Apostolis facta paré contulisset Apostolis omnibus potestatem, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, &c. nunc ad omnem schismatis, & factionū occasionem amputádam vnus omnibus præficitur Petrus, & illi promissæ olim claues regni cœlorum donantur. Deinde, quia primus, & præcipuus erat inter Apostolos, ad Petrum solum maximè hæc verba Domini diriguntur, & præ alijs ei cura pastoralis demandatur. Quòd verò esset præcipuus, multa ostendunt: & mutatio, & prædictio mutandi nominis eius ad primum Christi conspectum, & quòd in catalogis Apostolorum semper dicitur primus. Non fuit autem primus vocatione, aut enumeratione, quia nullus dicitur secundus, aut tertius, aliorumque omnium ordo penes diuersos Euangelistas inuertitur, hic verò apud omnes semper primus dicitur propter primatum, quem inter cæteros omnes gerere debebat. Illi soli dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum:* pendi iussit tributum pro se, & peculiariter pro Petro: illi quoq; morte instante dixit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: primus inter viros suscitatum à mortuis Christum vidit: Angelus mittit mulieres ad Apostolos, & nominatim ad Petrum: primus ingreditur sepulcrum ante Ioannem: solus venit ad Christum per mare, alij verò nauigio: primus post Ascensionem proponit subrogandum in locum Iudæ Matthiam: primus post Spiritum sanctum acceptum publicè prædicauit: Ananiam corripuit, atque Sapphiram: de solo illo legitur, quòd eius vmbra sanaret infirmos, cùm de alijs scribatur: Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe: septem diaconos eligendos primus curauit ipse: de eo etiam dicitur: Petrus cum vndecim, vel, Petrus, & Apostoli, quemadmodum cùm dicitur, Moyses, & populus, hoc est, caput cum membris: primus denique in concilio sententiam dixit: quæ obtinuit, & ab omnibus comprobata fuit, paucis additis ab Apostolo Iacobo Ierosolymorum Episcopo. Hæc omnia manifestè sententiam quandam, ac prærogatiuam in Petro præ alijs designant. Meritò ergo nunc peculiariter ei oues, & agnos commendauit, quo facto omnium quæ diximus sensum, ac Petri excellentiam explicauit, atque confirmauit. Adhæc Petrum præ cæteris alloquitur, vt in Petro, quem præ alijs nouerat esse ardentioris animi, Apostolis, eorumque successoribus specimé exprimeret veri, perfectique pastoris. Et sicut Petrus solet esse Apostolorum os, per quod alij loquuntur, ita Dominus per hunc tanquàm os audiri à cæteris voluit, quid credere, quid profiteri deberét. Quartò, Petro soli coram alijs oues suas cómendauit, promissionem de clauibus dandis regni cœlorum implens, sicut quod promisit de pane, qui erat caro sua, dando, in cœna abundè præstitit. Clauium siquidem potestas nihil aliud est, quàm iurisdictio, & pascendi præfectura, vt pòst suo loco dicemus. Quintò, perpende, Christum post resurrectionem cæteros Apostolos in legatos suos in vniuersum orbem amandandos instituere voluisse, cùm dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euāgelium omni creaturæ*, &, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et rursus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ne verò quisquam cogitare valeat, Christum idcirco derogare voluisse Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cuius caput iam diu designa-

Margin notes (left): Matt. 16. — Ioann. 1. — Soli Petro cur Dominus oues suas commendauerit. — Ioann. 20. — Matth. 10. — Petri supra omnes Apostolos primatus ostéditur. — Ioann. 1.

Margin notes (right): Matth. 10. — Infr. 17. — Luc. 22. — Infr. 24. — Marc. vlt. — Ioan. 20. — Infr. 21. — Actor. 1. — Infr. 2. — Infr. 5. — Ibid. — Ibid. — Infr. 6. — Sup. 2. — Actor. 15. & seq. — Petrus Apostolorum os. — Matth. 16. — Ioan. 6. — Matt. 26. Clauium potestas quid sit. — Matt. vlt. — Matt. 28.

signauerat, aut omnes Apostolos pari potestate & autoritate preditos existimet, iterum ad designatum Petrum verba facit, ad quem vt eius legationis caput, & Principē, totius Ecclesiæ curam pręcipue referri voluit. Ideo vocat eum nomine proprio Simonis; ne, si Petrum vocasset, putares mysterium aliquod delitescere. Vocatq; filiū Ionæ, quo eū ab aliis pręsentibus separaret Apostolis. Quasiq; pręuidisset Spiritus sanctus quid nostri seculi hæretici, quod verba hæc inuoluerent, & ad quemlibet Episcopum spectare contenderent, dicturi essent; propterea eum etiā ab aliis distinguit comparatione inter eum & alios Apostolos facta, dicendo, *Diligis me plus his*? Ad solum ergo Petrum dicitur, *Pasce oues meas*, & nō ad alios, quasi Petrus tanquā os Apostolorū omniū responderet: nam vt ei non est dictum omnium nomine, *Diligis me plus his*? nec omnium nomine dixit: *Tu scis quia amo te*; ita nec ei omnium nomine dictum est, *pasce oues meas*. Et opportune quidem antiquo nomine Simonis, addito etiam illo parentis ipsius cōpellat, tum vt admoneat pristinæ humilitatis, ac doceat ea, quæ nunc à Domino accepit munera, non ex natura se habere, sed ex gratia, ne aliquando de illis efferretur. Vnde & olim cū Pontifices Romani in templo S. Ioānis Lateranensis promouerentur, omni Papæ deposito ornamento, in sede marmorea collocabantur, & inde assumebantur cantantibus omnib[9]: *Suscitans è terra inopem, & de stercore erigens pauperem*: quamobrem sedes illa stercoraria appellabatur. Tum vt etiā ipsum, ac eius successores officij admoneret sui, quod est esse obedientem Dei gratiæ, vel obediētem simpliciter, vel cum simplicitate, atque ex obedientia Dei, vel maiorum acceptandam curam animarum. Nomen quippe Simonis obedientem significat, sicut Ioannis, gratiam Dei, Ionę vero, simplicem, vel columbam: nam qui debet aliis pręesse, debet in primis Deo, cuius locum gerit, obedientiam: qui pręstabit vt sibi subditi obediant propter Deum. Tum deniq; vt hoc tantum priuilegium personæ Petri, nō autem qualitati eius, id est, bonitati, aut sanctitati vitæ, aut charitati collatū putemus. Condit quidem, atque exornat charitas potestatem, & potestatis vsum legitimū reddit, sine illa tamen & potestas, & vsus consistere potest, sed ad exitium, non ad salutem illam exercentis.

Petrū nomine proprio Simonis, & filium Iona cur Dominus appellauerit.

Documētum humilitatis.

Romani Pontificis creandi vetus mos.
Psal. 112.

Officium Summi Pontificis.

Quid Simon, Ioannes, & Ionatas significent.

Diligis, inquit, me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Ad horum verborum pleniorem, ac luculentiorem explicationem, de quibusdam pressiùs disserendum est. Primo loco, cur interrogat Petrum, & de eo quod melius nouerat ipse, quàm Petrus. Secundò, cur interrogat de dilectione, nihil autem de diuitijs, vel generis nobilitate, vel scientia, quæ maximè exigitur in bono pastore. Tertiò, cur percunctatur ter, an non satis erat vel semel, vel bis? Quartò, cur primò tantum inquirit de dilectione plus alijs, secundò autem, & tertiò rogans eum, comparationem illam plus his non addidit: & quem sensum faciunt illa verba, Plus his? Quintò, cur in prima, & secunda interrogatione dixit, Diligis, Græcè ἀγαπᾷς με, in tertia verò amas me, siue φιλεῖς με: num mysterij aliquid in illa verborum varietate designauit? Sextò, cur dixit oues, & agnos: & cur non dixit omnes oues, vel omnes agnos? Septimò, quare bis agnos iuxta Latinam lectionem, & semel oues, vel cur iuxta Græcam lectionem bis oues; & semel agnos commendauit? Octauò, cur in prima, & tertia responsione dixit Dominus, Pasce, βόσκε, in media verò dixit, Rege, Gręcè ποίμαινε: quamquàm hoc discrimen Latina lectio ignoret, quæ vbique habet Pasce. Postremò, quærendum de Petri responso, quo dixit: *Etiam Domine: tu scis quia amo te*: &, *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Et dixit ei, Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei* IESVS, *Pasce oues meas.* Vbi seriò tractandum, an liceat Episcopatum recusare, & an melius sit ex obedientia acceptare, quàm ex humilitate detrectare: & an consentiens in electionem in se factam, vllum admittat peccatum? His nouem elucidatis, ac rectè explicatis, constabit huius sententiæ sensus CHRISTI tantoperè ab hæreticis contra Catholicos nostri seculi agitatus. Ad hęc autem eodem quo proposita sunt ordine, respondendum esse diximus.

Nouem quæstiones in verba proposita. Simon Ioannis diligis me plus his? breuiter diluuntur.

Ad primum igitur respondet Theophylact. his verbis: *Quare Christus, qui scrutator est cordium, nihilq; ignorat, interrogat? Non hoc facit, vt discat sicut nos, sed vt doceat, & manifestet aliorum fidem: sicut & cùm interrogaret, Quem dicunt homines Filium hominis? quam fidem, confessionemque à nobis requirat, indicabat. Ita hic daturus orbi magistros, ac Doctores, quales illos esse velit, terna interrogatione benè inculcat.* Hæc etsi Theophylacti non sint, sed ipsius Oecolampadij, qui cùm in mutilum exemplar Græcum incidisset, de suo hæc infarciuit, vt ipse testatur: non sunt tamen reprehendenda, nisi in eo quòd verba ad solum Petrum directa, vt diligenter annotatum reliquimus, ad vniuersos orbis Doctores, & magistros transtulit, quò

Theophylact. in Ioann.
Quare Christus, qui omnia nouit, Petrum interrogat.
Matth. 16.

Oecolampa

II. Ratio.

ita primatum Petro adimeret. Deinde interrogauit Dominus, vt nos, qui hominum corda penetrare non valemus, in electionem alicuius ad gradum Ecclesiasticum vocati, priùs tum ab ipsis eligendis, tum ab alijs de necessarijs ad munus illud rectè prę standum interrogemus, quò iustam sententiam pronuntiare valeamus. In quo caueri oportet & eos, qui aduersarij illius, aut amici existunt: nam tales omnia rapiunt in deteriorem partem, & interpretantur: eos etiam, qui nimia familiaritate, aut amicitia illis sunt coniuncti, quia isti è contrario omnia extollunt, & supra veritatem illustriora prædicant.

Cur Dominus interroget de dilectione Petri, non de opibus, aut scientia, vel generis nobilitate.

Ad secundum percunctatur Dominus de dilectione Petri aduersus se. Idque quadrat maximè: nam charitas, vniuersa dona, & plenitudinē legis continet. Ac vt in corporali coniugio maximè desideratur honestus & syncerus amor viri ad vxorem, quo vno vniuersa matrimonij onera ferri queant; ita in connubio spirituali pastoris cum Ecclesia, nihil est ad ferendam sarcinā gubernationis magis idoneum, ac validū, quàm charitas, quæ benigna est, atque patiens, ac prorsus necessaria ad vniuersa tegendæ plebis onera sustinēda, gubernationisq́; fastidia deuoranda. Et sicut olim Petro ob insignem de Iesu opinionem, & excellentē fidei cōfessionem, regni cœlorum promissæ sunt claues, ita nunc promissæ exhibētur ob singularē in Iesum, & in eius oues dilectionē, vt intelligat pastor eximiam quandam fidem, & excellentem, & raram charitatem præ alijs sibi possidendam esse, si suo muneri velit satisfacere. Non inquisiuit Dominus de diuitijs; quia earum contemptor, ac dispensator in pauperum vsus pastor esse debet. Non de nobilitate: nemo enim nobilem artis nauticæ ignarum, aut regiminis equorum imperitum ad nauem suam moderandam, aut equos suos gubernandos eligeret, sed potiùs ignobilissimum quemque, atque abiectum, modò illarum artium non ignarū. Et tamen hodiè in nonnullis prouincijs si quisquam nobilitatis priuilegio gaudeat, etiam cum impurissima vita, & insigni inscitia, viro sanctitate, atque doctrina conspicuo præfertur, eo tantùm nomine, quòd nobilis sit, quod est equum prorsus inutilem propter sellam auream, & frænum argenteum, ac phaleras lapidib9 pretiosis exornatas, equo strenuo, & forti, omnibus tamen illis ornamentis destituto præferre. Petit igitur Dominus, an se diligat, vt consoletur eum de remissione peccatorum: charitas enim operit multitudinem peccatorum. Et nomine dilectionis Christi non interna tantùm, quæ cerni nequeunt, sed externa dilectionis opera quæ videntur, intelligenda sunt. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*: hoc est: si charitatis opera in proximorum commoda mutuò contuleritis. Ita etiam Ioannes de Christo dixit superiùs: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: id est, argumentum amoris manifestum, mortem pro nobis sustinendo exhibuit. Est autem charitas, siue dilectio ars tota benè gubernandi animas: nam illa parit prudentiam; exercet iustitiam, adfert subsidia, tum spiritualia, tum temporalia; punit blandè, & cum fructu peccata; facit etiam precationem, prædicationem, sacrificium, atque opera Episcopi ad Deum. & ad populum efficacia. Item amoris vehementia pastorem in patrem, & matrem eorum quos regit, vt Paulum, & Christum fecit, transformare solet. Teste denique Gregorio, tātùm debet actionem populi actio transcendere præsulis; quantum distare solet à grege vita pastoris: id est, à sensu ratio. Nullusque ad pastoris officium assumēdus est, nisi credatur in veritate conscientiæ diligere Iesum.

Rom. 13.

1. Cor. 13.

Matth. 16.

Pastor vt muneri suo rectè satisfaciat, qua fide, & charitate præditus sit, oportet.

In electione præpositorum qui solam nobilitatis rationem habent, quid agere videantur.

1. Par. 4. & Prouer. 10.

Ioann. 13. Inuicem diligere quid sit.

Ibid.

Animas benè gubernandi ars, tota ipsa dilectio, siue charitas est.

Effectus dilectionis.

Greg. 2. p. Pastor. cura. c. 1. tom. 2.

Ad tertium dicendum, Christum interrogasse, an se plus diligeret. Primò, vt efficaciùs imprimeret ouium suarum curam, & regimē. Deinde quia ter negauerat Dominum, vt ita, testibus Chrysost. & August. redderetur trinæ negationi trina confessio; ne minùs amori lingua seruiret, quàm timori, & ne plus vocis elicuisse videretur mors imminens, quàm vita præsens. Tertiò quod ad amorem Dei habēdum requirātur tria, nimirum vt diligeret Deum toto corde, tota anima, & tota mente: ter etiā proximus est amādus, corde videlicet, ore, atque opere. Corde quidem, vt pro eius salute sit anxius, & solicitus, vt erat Iob pro filijs suis, quos ille sanctificabat: consurgens diluculo; offerebat holocausta per singulos; deinde docendo, corrigendo, atque deprecando; opere verò, subsidia spiritualia Sacramētorum, aut bonorum temporalium, siue per se, siue cohortando, vt aliqui possunt, faciant, non denegando, vel pascendo pabulo doctrinæ, & Sacramentorum, & vitæ exemplo. Ter quoque proximus est diligendus à pastore: *Diligis*, inquit, *me plus his?* hoc est, plusquàm tua, plusquàm tuos, plusquàm te. Quem sensum eleganter Bernardus tradidit super Cantic. his verbis: *Non otiosè repetitum est, Petre, amas me, in commissione ouium, & ego quidem ad significandum perinde puto, ac si illi dixisset Iesus:*

Cur Christus Petrum interrogauerit, an se plus cæteris diligeret.

Chrysost. ho. 1. in Ioan. c. 3. *Aug. tract. 123. in Ioann. tom. 9.*

Tria requiruntur amor.

Deut. 6. *Matt. 22.*

Iob 1.

Corde, ore, atque opere proximus diligatur.

Ter proximus à pastore est diligendus.

Bern. ser. 76. in Cant. parum post medium.

Iesus: *Nisi testimonium tibi perhibente conscientia quòd me ames, & valdè, perfecteq; ames, hoc est, plusquàm tua, plusquàm tuos, plusquàm & te, vt huius repetitionis mea numerus impleatur, nequaquàm suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtique meus effusus est. Terribilis sermo, et qui possit etiam impauida quorumuis tyrannorum corda concutere.* Ita Bernard. Quartò repetiuit dilectionem ter, sciebat enim exorituros, qui non amore Iesu, sed proprij commodi gratia curam animarum susciperent, imò ambirent, & arriperent, ac pro pastoribus agerent prædones, ac tyrannos. In quos hic summus pastor Petrus, ac primus à CHRISTO constitutus: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Hinc Christus nequaquàm dixit: Si diligis oues meas, vel præmia mea, vel promissiones meas; sed, si diligis me: multi enim dilectione sui commodi suscipiunt regimen, & gubernant: paucissimi dilectione Christi acceptant, & reguntur at quidam sunt, qui dilectione quidem Christi permoti, onus impositum suscipiunt, at verò tẽporis progressu Christi dilectionis obliti, in sui commodi gratiam regimẽ detorquent: contra verò alij munus propter se ambiũt, sed interiùs admoniti, ac de suo ambitionis vitio pœnitentes, commissum munus ad animarum salutem transferunt, & ad Christi gloriam referunt. Addendum etiam id, quod Paschalis Secundus in cap. Significasti, de electione, & electi potestate, annotauit, expendens hæc verba: Si diligis me, pasce oues meas: *Si conscientiarum factor, & cognitor secretorum, conditione hac vsus est, non semel tantùm, sed & secundo, & vsque ad contristationem: qua nos solicitudine oportet totam Ecclesiæ prælationem imponere fratribus, quorum conscientias non videmus?* Hæc ille, nimis profectò, & scitè, & prudenter. Sed hæretici hoc loco obijciunt, ter fuisse dictum Petro, *Pasce oues meas*, non quòd cæteris præferatur, sed vt non dubitet sibi restitutum Apostolicum mun⁹, quod ter negando amiserat. Sed respondendum est, primò, quod si Petrus amisisset Apostolatum, nunc tamen non idem, sed maior redderetur Apostolatus, quia plus cæteris diligebat. Hinc Ambros. *Post lacrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit.* Arnobius in Psalm. 138. sub initium: *Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti.* Et infrà: *Vt non solùm recuperasse quod admiserat, probaretur, verùmetiam & multò amplius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquisisse.* Sic ille. Vbi quod ait de gradu sublato, potiùs de gratia ad tempus sublata, quæ antè fuerat diffusa in corde eius, intelligendum est: Apostolatus enim non fuit amissus. Vnde Cyrillus Ierosolymitan. *Petrus* (inquit) *Princeps Apostolorum excellentissimus coram ancilla ter negauit Dominum: sed & ad se rediens, fleuit amare. Atq; adeò non solùm negationis illius accepit condonationem, verùmetiam dignitatem Apostolicam non ablatam retinuit.* Idem docet B. August. ad Bonifac. de moderatè coërcendis hæreticis: *Sanctus quoque Dauid de criminibus mortiferis pœnitentiam agit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum quando amarissimas lacrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit.* Et Optatus lib. de Schismate: *Petrus ter solus negauit: & tamen bono vnitatis de numero Apostolatus separari non meruit.* Bernard. serm. in die sanctorum Petri, & Pauli: *Peccauit peccatum grande Petrus Apostolus: & fortassis quo grandius nullum est: & tam velocissimè, quàm facillimè veniam consecutus est, & sic, vt nihil de singularitate sui primatus amitteret.* Sic illi. Falsò ergo ponunt hæretici, Petrum negando Apostolatus gradum perdidisse.

Ad quartum, explicandum est primum, quid sit, plus his; deinde, cur tantùm in prima interrogatione, & non in alijs duabus sit posita hæc comparatio. In primis ergo Christus duo Petrum interrogauit. Primũ, an se diligeret; secundum, an plus alijs diligeret. Quod duplicem sensum afferre potest. Primus quidem est, *Diligis me plus his?* id est, plusquàm diligas istos, iuxta illud Poetæ:

> *Quam Iuno fertur terris magis omnibus vna*
> *Posthabita coluisse Samo:*
> & quidam alius dixit:
> *Ni te plus oculis meis amarem.*

Atque hoc quidem scire poterat Petrus, cor suum explorans, num plus Christum, quàm Apostolos diligeret, an Apostolos plusquàm Christum. Et videtur interrogatus id, quod ipse sciret, vel scire posset, non quod omnino ignorabat, an videlicet ipse plusquam Apostoli Christũ diligeret. Potest & hic quidem sensus alio modo explicari, Diligis me plus his rebus, naui, retibus, piscibus, fratribus, quæ semel reliquisti? vt ita fiat comparatio non inter Christum, & Apostolos, sed inter Christum, & alias res: nisi inter illas res ponamus etiam Apostolos. Et verbum Græcum πλέον τούτων hunc capit sensum, id est, plusquàm has res: genitiuus enim Græcus vertitur in

Marginalia: 1. Petr. 5. | [...]ostre Chri[...]s non dixe[...], Petre, dili[...]s oues meas, [...]d, diligis [...]e. | [Pa]schalis [Se]cundus. | [Hæ]reticorum [...]hũc locum [ma]la interpre[tati]o confu[tat]ur. | [Am]br. ser. 46. in tom 3. [ad] finem. [Ar]nobius. [Pet]rus Episco[por]um Episc[op]us. | Patres cùm aiunt, per trinã negationem Apostolatum Petro sublatũ, quo sensu id dicant. | Cyril. Ierosol. catech. 2. in fin. | Matt. 26. | B. Aug. ep. 50. fin. versus tom. 2. | Matt. 26. | Optatus li. 7. de schismate. | Bern. ser. 1. in festo Petri, & Pauli, init. | Crimen trinæ negationis Petri quam graue fuerit, teste Bernardo. | Cur in prima tantum interrogatione dictum sit, Diligis me plus his? non in reliquis duabus, & quid significet. | Primus sensus, qui expenditur. | Virgil. Aeneid. init.

accusatiuum Latinum, secundùm illud, quod Petrus dixit alias: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: & nunc Christus illi obijcit: Si omnia, Petre, propter me reliquisti, si me plusquàm hæc omnia diligis, quæ propter me quondam reliquisse glorificabaris, iam pasce oues meas, & dimitte hoc quod semel dimisisti. Et si me diligis plusquàm fratres tuos, vt ideo illos spreueris, quò ad me celeriùs è naui venires; accipio bonam tuam voluntatem; sed in hoc mihi eã ostendas, vt oues pascas meas. Hoc enim quòd me alijs proferas, ego diligo, & volo quoque à te hoc vehementiùs amari, quò me plus diligis. Sed sanè crassa videri poterat eiusmodi interrogatio tam accuratè, & toties repetita: laborabatne Christus zelotypia, & cùm reliquis Apostolis de Petri erga se amore contendebat? & hæretici nostri seculi hunc sensum magnificant, ne cogantur confiteri, Petrum Christum supra cæteros Apostolos diligentem maiorem aliquam potestatis autoritatem accepisse supra cæteros omnes. Quare alter sensus, & interpretatio est, *Diligis me plus his?* id est, quàm hi me diligant? Atque ad tollendam de medio amphibologiam, vertendum erat, plusquàm hi, vt vertit interpres Syriaci exemplaris. Quam interpretationem videtur Patres esse secuti; ac proinde ratione non caret. Primò, vt alijs ille præferatur, qui sapientia, prudentia, aut patientia præstat: hic autẽ est Christi amãtior. Deinde Petrus nosse poterat ab Spiritu sancto edoctus, quòd ipse plusquàm alij diligeret Christum: vel esto quòd nesciret, eum tamen sic Iesus interrogandũ putauit, quia animum eius videbat. Petrus autem arbitratur, se Iesum, plusquàm alij diligerent, amare: nam hoc amantium est ingenium, vt in amore nulli cedant, adeò se se amore vti existimant. Iesus verò inquit: Si id est quod arbitraris, vt excellentius amoris signum edideris proijciendo de naui te in mare, & ad me veniendo, non vt alij nauigio; pasce oues meas. Hoc ponderauit Aug. tract. in Ioan. hæc verba, dicens his verbis: *Hoc respondit* (scilicet Petrus) *quod de se ipso sciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur, scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo, Etiam Domine: tu scis quia amo te, satis & ipse declarauit, scientem Dominum interrogasse quod interrogauit. Sciebat igitur Dominus non solùm quòd diligeret, verùmetiam quòd plus illis eum diligeret Petrus.* Ambros. in Luc. *Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret: quem eleuandus in cœlum, amoris sui nobis velut vicarium relinquebat.* Hæc ille. Non quòd amplius Christus non esset amaturus, imò eò magis quò in cœlum eleuandus erat, ostendit se amare gregẽ suum, vt non satis illi fuisse putauerit nos per se ipsum inuisibili modo pascere, nisi etiam eam suæ præsentiæ subductionem per visibilem sui vicarij amorem, id est, per alium, qui pastor ouium, & agnorum esse dicatur, suppleret. Subdit ibidem Ambrosius: *Benè conscius sui non ad tempus assumptum, sed iamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim hic alius, qui de se hoc facilè profiteri possit? Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Demùm subdit: *Tertiò Dominus non iam, Diligis me? sed amas me? interrogauit: & iam non agnos, vt primò, quodam lacte vescendos, nec ouiculas, vt secundò sed oues pascere iubetur perfectiores, vt perfectior gubernaret.* Sic ille, declarans, Petrum plus omnibus à Christo dilectum, plus cæteris dilexisse. Adde B. Bernard. serm. 67. super Cant. interpretantem: *Plus*, inquit, *tua plusquàm tuos, & plusquàm te*, intelligens hanc comparationem esse inter amantes Christum, nõ inter amatos. Dices, Ioannem esse discipulum dilectum. Verum est, non inficior: sed vnus & idẽ homo Alexander Magnus Macedonum Rex de duobus amicis suis Cratero, & Ephestione vehementer amantibus dixit satis eleganter (vt testis est Diodorus Siculus) *Craterus amat Regẽ, Ephestion Alexãdrum.* Sic Iesus plus diligebat Ioãnem casto, & integerrimo amore, vnde illi permisit in sinum recumbere: matrem dulcissimam illi commendauit; Petrum verò vt Principem pastorem amore vniuersali, & fortissimo dilexit. Ideo tenero, & personali amore plus dilexit Iesum Ioannes, vt Christum ob gregem Petrus. Hinc Gregor. Nazian. orat. de moderatiõe in disputationibus cõseruanda: *Habes ea quæ totius Ecclesiæ sunt, Petro, quæ amoris priuati, Ioanni attributa.* Et orat. ad Iulianũ tributorum exæquatorem, prope finem idẽ docet, Petrum discipulorum omnium charissimum extitisse. Tertullianus in Marcionem: *Affectauit charissimo discipulorum, de figuris suis peculiariter nomen communicare.* Atque hic secundus sensus videtur priori præferendus, tùm ob Patres, tum ob rationem; vt Christi amantior onus sustineat regiminis, quãquàm reuerà prior probabilitate magna non careat. Exigit igitur Dominus à pastore nõ vulgarem & communem dilectionem, sed summam, & singularem. Ex quo in veteri Lege multis filiorum Israel contendentibus de summo Sacerdotio, vt est in libro Numerorum, solus ille pronuntiatur Sacerdos futurus, cuius virga in tabernaculo posita fron-

Matth. 19.

Alter sensus.

Amantium ingenium.

Aug. tract. 124. in Ioan. ante med. tom. 9.

Ambr lib. 10. in Lucam. in cap. 24. sub fin. tom. 5.

Idem.

S. Petrum Christus plusquam cæteros diligebat, cur Ioannes dilectus Iesu nominatur.

Alexandri Magni præclare dictum.

Diodor. Siculus li. 7. Bibl.

Ioan. 13. & 19.

Quo amore Petrũ, & Ioannem Christus dilexerit, ipsique ab eis vicissim dilectus sit.

Grego. Naz.

Idem.

Tertull. li. 4. aduersus Marcionem. aliquantò antè med.

Vter sensus alteri præstare videatur.

Num. 17. & seq.

Quid virga Aaron virens, florensq; iuxta ac fructificans figurauerit.

frondes, flores, & fructus proferret. Id est; Cuius fides, siue potestas infructuosa non est, sed quę præter folia verborum prudentiæ, flores odoriferos iustitiæ, & fructus bonorum operum germinaret. Quòd verò Dominus in interrogatione tantùm prima posuit comparationem illam, Plus his, in alijs verò suppressit: dicendum est, vel esse supplendā ex prima in alijs duabus, vt quidam volunt; vel Dominum vidētem Petrū prudenter respondisse, neque alijs se in amore prætulisse, sicut olim cum dicebat: *Etsi omnes scandalizati fuerint: sed non ego*, sed tantùm dixisse: *Etiam Domine: tu scis quia amo te*, consultò noluisse vrgere illud verbum, Plus his: nam amare se affirmauit, plus verò alijs non est ausus asserere. In quo planè ostendit sensum illum posteriorem ex verbis Domini accepisse: nam in priori sensu nō erat quòd dubitaret se magis Christum, quàm vel Apostolos, vel alia diligere.

Cur Iesus in secunda & tertia interrogationibus cōparationem illā, Plus his, subticuerit

Marc. 14.

Cur in prima & secunda interrogatione Dominus dixerit, Diligis me, tertia verò, amas me.

Ad quintum dicendum: Christum primo loco dixisse ἀγαπᾷς με πλέον τούτων? & respōdit nō ἀγαπῶ σε, sed φιλῶ σε: hoc est, Amas me plus his? Et respondit: Diligo te: quod secundum verbum Græcum minus significat quàm prius: quemadmodum & apud Latinos plus est amare quā diligere. Vnde Verbū Ciceronis ad Dolabellam: *Quis erat, qui putaret, ad eū amorem quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tātum accessit, vt mihi nunc deniq; amare videar, anteà dilexisse.* Et ad Brutum: *Clodius tribunus plebis designatus valdè me diligit, & vt ἐμφατικώτερον dicā, valdè me amat.* Atque ita Petrus duplici modestia vsus esse videtur: altera, quod dixit, Diligo te, non dixit, Amo te; altera, quod non ait, Diligo te plus his, sed simpliciter, Diligo te. Secundo loco interrogatus eodem modo, verbo quoqua modestiori, & tenuiori respondit. Et textus Græcus per pleonasmon dixit: πάλιν δεύτερον, rursus secundo, cū alterū satis esset, vt fecit Latinis interpres; & ita Matthæ. 26. habetur similis pleonasmus, *Iterum secundò abijt, & orauit, dicens.* Tertio loco Dominus interrogauit, φιλεῖς με? & respodit: φιλῶ σε. Redit Dominus ad verbum modestius, quod semper in prima interrogatione Petrus amplexus est; ad significādum quòd in hac vita non cōtingit perfecta charitas, siue integra dilectio, sed nōnulla, atq; ex parte: Dominus tamen cōsultò grandiori verbo vsus est in prioribus interrogationibus; non solùm vt intelligamus ad quem diligendi terminum debeat peruenire nostra charitas: quæ saltem in cœlesti regno adimplebitur, vbi nullus carnis motus, vbi nulla seculi cupiditas nostram erga Deum interrumpet dilectionem; sed vt etiam,

Cice. li. 9. ep. famil. ep. 14.

Idem lib. 1. ad Brutum.

Petri modestia singularis.

Quare iuxta Græcam literā in prima, & secunda interrogatione Christus dixerit, Petre, amas me? in tertia vero, diligis me?

dum multum à nobis exigit, aliquid saltem amoris eliciat, ne, si parùm peteret, nihil illi daremus. Ideo à verbo grandioris significationis in tertia interrogatione transiuit ad humilius, vt saltem illum minoris dilectionis gradum non denegemus, etiamsi à nobis maiorē perfectionem optaret. Videtur ergo primo loco humanā exegisse charitatem in verbis illis, amas me, &c, plus his: secundò paullò minorem, dicendo, amas, quia nō addidit, plus his: tertio loco adhuc minorem, dicēdo, Diligis me, sine comparatione. Augustinus tamen Tractat. 123. super Ioa. hoc discrimen inter hæc verba non agnouit, dicens: *Vbi etiam demōstratur vnum, atq; idem esse amorem, & dilectionem: nam etiam Dominus nouissimè non ait, diligis me: sed, amas me.* Et idē annotauit libr. 14. de ciuitate Dei cap. 17. quia Euangelista ait: *Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me?* cùm non nisi semel dixerit, Amas, & diligis me. Ambrosius tamen in Luc. edisserens hæc verba Domini ad Petrum, hāc agnouit differentiam, dicens: *Denique tertiò Dominus non iam, Diligis me? sed, Amas me? interrogauit: & iam non agnos, vt primò, quodam lacte vescendos.* Sic ille, etiāsi alia ratione quā nos assignet discrimen: quia iuxta Græcam lectionem Christus bis interrogauit verbo grandiori ἀγαπᾷς, & Petrus semper respōdit humiliori verbo φιλῶ, quod minus vehementem amorē significat: at interpres Latinus Christum facit interrogantem illo verbo humiliori diligendi, & Petrum respondētem acriori veabo amandi. Vt ita nō facilè possit apprehendi istud discrimen, vt propterea Augustinus dixerit idem significare, sicut certū est apud probatos autores illa verba confundi: ponderatio tamen Græcorum verborum, ac differentia mihi mirificè placet, & veritati consonare videtur.

Aug. tom. 9.

Idem tom. 5.

Ambr. lib. 10. in Luc. super cap. 24. to. 5.

Ad sexto loco propositum dubium respondemus aliquos nullum discrimen agnoscere inter oues & agnos; quia qui primo verbo Domini agni, statim vocantur oues; & quia Matth. 10. habetur: *Ecce ego mitto vos sicut oues*, quod idem exprimens Lucas cap. 10. dixit; *Sicut agnos*, sed hoc leue videri possit acuto lectori consideranti verba priora Matthæi dicta esse ad Apostolos, posteriora verò ad 72. discipulos. Leue quoque id iudicari potest, nam quæro (aiunt) cùm dicit Domin[9], Pasce agnos, vel pasce oues, an eo nomine singulos cōprehendat Apostolos, an non? si comprehendit, iam idem altera voce significatur. Respondemus enim, qualibet illarum per se sumpta significari totum CHRISTI gregem, nam ouium nomine omnes veniūt fideles, nomine etiam

Cur Dominus dixit, oues & agnos, & cur non omnes oues & agnos.

agnorum omnes electi veniunt. Ego mitto vos sicut agnos inter lupos: tamen cùm in Scripturis agni & oues simul ponuntur, agnos ad teneros & infirmos referimus, oues ad perfectos & robustos. Rursus alij per oues, & agnos intelligere voluerunt omnes fideles, Dominique cultores. Trapezuntius verò in prædicto libro nomine ouium & agnorum antiquos, & nouos in Fide, ita vocauit: hi autem sunt Iudęi & Gẽtiles, qui Christo tãquàm agni noti sunt ex Apostolis, & Iudæis tanquàm ouibus. Quanquàm Caietan. non solum falsò, sed etiam periculosè exponat, solos prædestinatos voce agnorum & ouiũ designatos, pascendos à Petro, atq; regendos intelligi debere. Hæc autem expositio propterea falsa est, tùm quia si super prædestinatos tãtùm cura est Petro à Domino demãdata, profectò super alios regimen eius nequaquàm extenderetur, quod est & falsum, & hæreticum. Adhæc cùm prędestinati sint paucissimi, si componantur cum his qui prædestinati non sunt, profectò sup paucissimos haberet potestatẽ Petrus. Præterea cũ Petrus, atq; eius successores ignorent prorsus eos, qui suæ curæ sunt cõmendati, nũ sint prædestinati; quia soli Deo est numerus prędestinatorum notus, cùm tamẽ Angelorum custodia indifferentur tã prędestinatis, quã non prędestinatis à Deo adhibeatur, quid mirum igitur, si illos non subtraxerit regimini sui Vicarij, & pastoris? Itẽ Christus Vicarius fuit Dei: iuxta illud: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me:* & tamen Christus potestatem à Deo habuit omnis carnis, ita super Iudam, sicut super Petrum, & eadem doctrina atq; cura ambos pauit: quòd si Iudas nõ resipuit, ipsius Iudæ vitio, non Domini negligentia effectũ est. Ita ergo Petrus curã accepit, vt si quis sua negligentia periret, de sua manu sanguis eius exquireretur, vt Dominus per Ezechielem interminatur. Ipse etiam Caietanus Tract. de primatu Pontificis asseruit, nõ inconuenire sub agnorum nomine aliquos comprehendi præscitos.

Trapezunt.

Non solùm prędestinatos, sed præscitos hoc loco etiã ouium nomine, agnorumque signari, contra Caietanum.

Ioann. 5. Infr. 17.

Ezech 34. Infr. 43. Caietanus tract. de primatu Pontificis, cap. 2.

Nomine igitur agnorum, & ouium omnes fideles, qui CHRISTO in Baptismo nomen dederunt, intelligendi sunt, siue boni sint, siue mali, siue prædestinati, siue reprobati, siue perfecti, siue imperfecti, siue laici, siue Ecclesiastici, siue antistites, siue subditi. Oues enim matres sunt agnorum, & agni, fideles, qui sunt in fide infirmiores, & lacte potiùs egent, quàm solido cibo, significantur; oues verò, sunt cęteri Apostoli, Episcopi, & Presbyteri, quorum est alios gignere, & regere, & tam ouis quàm agnus animal est à pastore ducibile, egetque eius custodia, ne in lupum incidat: estque rursus animal gregale, inerme, vtile, ac simplex: ac proinde tales esse debent fideles omnes, vt se salubriter pasci, atque regi sinant, neque vllo modo superioribus resistant suis. Ecce ouium, & agnorũ cura tot soli Petro committitur, quod nulli Apostolorum dictum legitur: ergo nec hæretici iuxta sua placita id quod non legunt, asserere debẽt. Quòd si dicas, alios quoque pauisse, prædicasse, & gubernasse oues Christi, & Ecclesias suas rexisse, sicut fecit Petrus. Respondeo; probant quidem hæc, alios in quibusdam fuisse sibi ęquales, sed non in omnibus. Verùm quid dicemus de hœdis, & capris, imò de lupis, vrsis, ac leonibus? Nihil hic planè de illis statuitur; sed vel percutiendi sunt verbo Dei tanquam baculo, atque ab ouili Ecclesiæ abigendi, vel interficiendi sunt infidelitatis peccato in eis extincto, atque ita mactandi Deo, vt manducẽtur, & fiant quod nos sumus. Nam Petro dictum fuit in visione lintei de cœlo summissi: *Surge Petre, occide, & manduca:* &, *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Ad illud verò, cur non dixerit, omnes, sed simpliciter oues, vel agnos, in quo infeliciter hæsit Lutherus; dicendum est: & Scripturis, & Patribus, & ratione euinci, quòd intellexerit omnes. Nam cùm Christus inquit: *Animam meam pono pro ouibus meis,* non profectò aliquam earum partem intellexit, sed omnes: sicut & cùm dixit: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel,* & iterum: *Oues meæ vocem meam audiunt,* omnes ad vnam voluit intelligi. Et ne existimaret solos Iudæos nomine ouium intelligendos, dixit: *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Hinc corruit sententia Illyrici, qui in Legenda sancti Petri de Episcopatu, siue Papatu, quem ita inscripsit, docuit, Petrum pastorem fuisse solùm eorum, qui erant è Iudæis, non autem è Gentibus: quod etiam reprobat Bernardus libro secundo de Consideratione ad Eugenium: *Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè tota commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? Illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit: Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Innocentius quoque Tertius in cap. Solitæ, de maioritate & obedientia, inquit: *Nobis in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, non distinguens inter has oues, & alias: vt alienum à suo demonstraret ouili, qui Petrum, & successores*

Ouiũ & agnorum nomine à Petro, eiusq; successore pascendorum qui veniant.

Fideles quales esse debeant.

Quid de hœdis, & capris, quidve de lupis, vrsis, ac leonibus faciendum.

Actor. 10.

Cur non dixerit: omnes oues, vel agnos: contra Lutherum, & Illyricum.

Ioan. 10.

Matth. 15. Ioann. 10.

Ibid.

Bernard.

Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.

Innoc. III.

sores

sores ipsius magistros non recognosceret, & pastores. Simile quid ponderat in his verbis Ioannes XII. in Extrauag. Vnam sanctam, de maioritate, & obedientia. Necnon ratio idem persuadet: quia indefinita propositio pro vniuersali capi consueuit: nesciretque quas oues, si partem significasset aliquam. Adhæc adiunxit, *Oues meas,* quæcunq; igitur ouis est Christi, pascenda est à Petro. Præterea qui oues suas alicui in testamento legat, si nihil excipit, omnes intelligit, præsertim cùm nulla appareat ratio, cur potius illæ, quàm hæ includantur: aut igitur omnes, aut nullas. Postremò, qui alteri iam moriturus filios suos commendat, omnes proculdubiò filios commendatos intelligit.

Ioan. 12. Idem ratione euincitur.

Ad septimum: Bis in Græco & Syriaco Euangelio commendantur oues, semel agni: contra in Latino codice, bis agni, semel oues, & ita legit August. atq; alij permulti: nec semper Græcorum codicibus facilè fidendum est, quia & ipsi varij, & mendosi reperiuntur quandoque. Commendat igitur illi bis agnos, & semel oues, iuxta Latinam lectionem, id est, tam subditos, quam prælatos: quia & sapientibus pastor debitor est, & insipientibus. Sed agnos subditos bis expressit; hoc est, tam tuos, qui immediatè curę tuę subsunt (quia Petrus, atque eius successor Ecclesiam peculiarem) regere debebat ad aliorum exemplum, quàm subditos aliorum pastorum: quoniam Episcopus Romanus de iure est Ordinariorum ordinarius, & tam in alios Episcopos, quam in eorum subditos potestatem exercet. Rursus minores bis commendat: quia infantes maiori cura, atque custodia indigent, quam viuentes grandiores, aut viri. Semel vero oues, quæ parentes sunt agnorum, hoc est, antistites omnes, & pastores particulares, qui sub Petro summo, & vniuersali Pastore alios pascunt. Hinc Eusebius Emisenus in sermone de natiuitate Ioannis Euangelistæ hanc pronuntiat sententiam, satis principatui Petri conuenientem: *Primùm,* inquit, *agnos, deinde oues ei commisit, quia non solùm pastorem, sed pastorum Pastorem esse constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues; pascit filios, pascit, & matres, regit & subditos, & prælatos. Omniũ igitur pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.* Hæc ille pereleganter. Quod si Græcam literam amplecti velimus, suum quoque illa commodũ sensum habere potest. Bis oues, semel agnos committit: quia qui in fide Christiana coaluerunt, & alios docere, ac regere possunt, diligenti cura opus habent pastoris. Tùm

Cur iuxta Grę cam literã bis commendantur oues, semel agni; contra in Latino codice bis agni, semel oues *Aug. tract. 124.*

Eusebij Emiseni egregia de primatu Petri sententia.

quia benè rectis, atque curatis superioribus, & Episcopis, benè quoq; habent subditi; ita vt maxima pars regiminis Pontificis magis debeat respicere ad superiores, per quos tãquam medios regit Ecclesiam, quàm ad subditos, qui eorum pastore, & capite sanato, & emendato, tãquam membra bene habẽt. Deinde difficiliorem reddunt gubernationem maiores, quàm minores: nam hi tanquam neophyti, minori negotio, & paruo lacte pascuntur atq; corriguntur. At maiores potentia, & sapientia, & fauore mundi principum armati, difficilius regi se sinunt, debitæque obedientiæ resistunt, atque schismata in Ecclesia Dei generant, vt olim Patriarcha Constãtinopolitanus, qui nomen Oecumenici tẽpore Gregorij ambiebat, & Dioscorus Alexandrinus, qui in Põtificem Romanum ausus est sententiam excommunicationis pronuntiare, & omnes illi, quotquot nostro seculo ausi sunt iactare se non minus iure diuino Episcopos constitutos à Christo super Ecclesias suas, quàm Petrum in Romanam Ecclesiam: ita vt eorum autoritas non pendeat sub Romano Pontifice, aut illi recusent subesse, quod prorsus est hæreticum, atque schismaticum.

Pontificij regiminis pars maxima ad quę dirigatur.

Quare Prælatorum in Ecclesia, quam subditorum cura, regimeque difficilius sit.

Ad octauum: secundùm literam Græcã bis dicitur, Pasce in prima, & tertia interrogatione, & Græcè βόσκε, ex quo nomen illud vulgarum, Bosco, videtur deductum, quia in eo pascuntur oues: pascere autem, est dare pastum, vel cibum, ac proinde potum, & stabulationem, medelam, & custodiam ouibus. Et hoc agnis in prima, & tertia interrogatione. In secunda autem non vtitur illo verbo, sed ποίμαινε, id est, rege, siue guberna, pastoris instar: etsi interpres noster vno verbo volens explicare, pasce dixit. Agni verò pascendi sunt, oues verò regendæ, ac gubernandæ: siue oues, & agni tùm pascendi, tùm regendi: & quoniam agni oues sequuntur, gubernatis ouibus gubernantur & agni. Vel iuxta Græcam literam; Pasce agnos: quia primò agni molliùs tractandi, secundò verò, ac tertiò oues regendæ, atque pascendę cùm imperio & autoritate. Adde quòd apud Latinos etiam pascere præter ouium gubernationem, per translationem significat regere creaturam ratione præditam. Hinc 2. Reg. dicitur: *Dixit Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel:* & ipse Dauid de se ipso ait: *De post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam,* & Ezechiel: *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas,* & Matth. 2. dicitur ex Michæa: *Ex te exiet Dux, qui regat*

Cur in prima & tertia responsione dixit Dominus Pasce, in media vero Rege, vt Græce dicitur.

Italicum verbum Bosco vnde deductum sit; & Pasce quid.

2. Reg. 5.

Psal. 77.

Ezech. 34.

Michæa 5.

populum meum Israel: vbi Græcè habetur, ὅτις ποιμανεῖ. Similimodo dictum est, *Dominus regit me*, vel pascit me, *& nihil mihi deerit: in loco pascua ibi me collocauit*; ac rursus: *Ipse reget nos*, siue pascet nos, *in secula*, item, *Qui regis*, vel pascis Israel, *intende, qui deducis velut ouem Ioseph*. Et frequentissimum est, apud Ethnicos in hac significatione verbũ ποιμαίνειν. Vnde apud Homerum frequens est vocare Regem Agamemnonẽ ποιμένα λαῶν. Quæ omnia propterea à nobis citata sunt, vt Lector intelligat, quantopere hallucinati sint in huius verbi notione hæretici, contendentes, pascere, nihil aliud esse quam prædicare. Verùm isti vltrò, sponteque ignorant, quod ab vno actu pascendi, id est, dandi cibum spiritualem, designata est tota potestas: quemadmodùm ab actu fundendi aquam quam fundebat Helisæus super manus Heliæ, designata est eius seruitus, siue ministerium. Hinc ergo apertè deducimus, Christum rectorem vniuersalis Ecclesiæ Petrum præfecisse, & illi vniuersos fideles regendos commendasse. Nam vt abundans, & locuples vir, qui innumeros greges ouium possideret, si desiderio aliquo peregrinandi detentus aliquem sui loco præficeret gregibus, illi tamen diceret, Pasce oues meas, & agnos, ille verè esset vniuersalis pastor, & rector, & illius esset peculiares pastores particularibus ouibus præponere, aut remouere, illosque corrigere, & admonere, si opus esset: ita Dominus omnia fidei Petri credidit, & pastoratum ei tradidit, & curam vniuersorum, quotquot se oues Christi, vel agnos agnoscere velint. Quamobrem friuola omninò sunt argumenta, ac ludicra, quæ Lutherus in hunc textum obiecit: de quibus vt iudicium aliquod facere possis, & hominem planè excordem, & obtusæ mentis iudicare, & multò magis quod habuerit sectatores, qui in re tam absurda cæcum ductorem habere voluerint, non grauabor paucas eius obiectiunculas proponere breuiter, ac diluere. Non valet igitur quòd pascere significat, dare doctrinã, vel cibũ spiritualem: quia vel hoc munus potestatẽ ponit adesse oportere in eo, qui verbum Dei proponit, iuxta illud: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Nec secundò valet, Pascere oues nõ est aliud, quã pascere Iudęos in me credituros, propter illud: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*. Sed certè nihil excipitur, vbi distinguitur nihil, & Christus dixit: *Alias oues habeo: quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere*, scilicet per Apostolos. Et licet oues essent soli Iudæi Petro commissi, cùm

Psalm. 22. — Psalm. 47. — Psal. 79. — Homerus. — 4. Reg. 3. — Quid Iesus Petro omnium suarum curam regimenque cõmittens egisse videatur. — Lutheri ad probandum oues non oẽs Petro esse ad pascendum à Christo commendatas, obiectiones diluuntur. — Rom. 10. — II. Obiectio. — Matt. 15. — Ioan. 10.

Paulus, Andreas, Iacobus, Ioannes essent Iudęi, ergo Petrus super omnes Apostolos habuit potestatem. Et Chrysostomus in eadem Domini verba: *Cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset, martyrium prædixisset, & maiorem erga eum dilectionem testatus esset, &c.* Et Arator de Petro:

> *Cui tradidit Agnus*
> *Quas passus redemit oues, totumq́ per orbem*
> *Hoc auget pastore gregẽ, qui munere summus*
> *Surgit, &c.*

Nec tertiò valet: non posse Petrum omnes pascere. Sed vt Rex per ministros suos administrat regnum, & Imperator exercitũ, ita Petrus per alios pascit. Nam & illis dictum est: *Baptizate omnes gentes*; & tamen iussit per alium baptizari Cornelium. Quartò infirmum est, quòd ex loco ad Galatas argumentatur: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis; operatus est & mihi inter Gentes*; igitur par erat Petro Paulus: ergo (inquiunt) Petrus diuino, ac humano iure Episcopus est particularis Ecclesiæ. Sed hoc argumentum infirmum esse videtur, quia procedit à factis Apostolorum, quæ Deus probauit, & non de ipso iure diuino, quod in Euangelio est expressum. Non enim is locus est institutæ primum à Christo Apostolicæ iurisdictionis, cum potius exercitium illius, & executionem cõtineat. Quod ergo opponunt hæretici, si solidum esset, probaret, Petrũ non habuisse ius eundi in mũdum vniuersum, vt prædicaret Euangelium omni creaturæ, id est, tam Gentibus, quàm Iudæis; cùm tamen ipse primus esset inter illos, quando Christus hoc verbum protulit, & mandauit. Si ergo Petrus iure diuino circumcisionis tãtùm Apostolus extitit, & nullam legitimã iurisdictionẽ habuit super præputium, ergo primus Apostolorum, ouium, & agnorum pastor, fratrum cõfirmator, & Ecclesię prima petra, & solidum fundamentum remouetur à maxima parte gregis ad angustias Iudæorum. Cur ergo accersitur Angelo suadente à Cornelio Centurione Gentili? Cur illi euangelizaret, & baptizare illum mandat? hoc enim factum diuini iuris est testificatio; vt B. Hieron. epist. ad Saluinam dicat: *Omne mysterium, quo Petrus de circumcisionis angustijs transferebatur ad præputij latitudinem, ad Cornelij Centurionis merita pertinet: qui primus ab Apostolo baptizatus, salutem Gentium dedicauit*. Sic ille. Quod ergo factũ illud Petri, vel verba Pauli iuri diuino non præiudicent, quo Petrus est omnium pastor, ad interpretanda Pauli verba, statuendum, quòd etsi iure diuino singulis Apo-

Chrys. ho. 87. in Ioan. 10 3. — Arator Poeta. — III Obiectio. — Matth. 28. — Actor. 10. — IV. Obiectio. — Galat. 2. — Matth. vlt. — Luc. 22. — Actor. 10. — B Hieron. tom. 1.

stolis liceret (& propterà multò magis Petro) vniuerso mundo Euangelizare, gentes baptizare, Ecclesias fundare, Sacramẽta, & ministros necessarios tribuere; tamen ne quisque vel fortuitò, vel quocunq; vellet sine aliorum consensu iuisset, aut omnes in Iudæa mansissent, aut omnes in eundem locum profecti essent, ac ita Euangelium minus longè lateque diffunderetur, instinctu Spiritus sancti factum est, vt sortirentur prouincias, & alius aliam capesseret. De quo lege Eusebium libr. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, vbi ait: *Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, cæterasq; confines Prouincias, Iudæis duntaxat prædicans, circumisse deprehenditur.* Sic ille. Hæc enim habebatur prima sors prędicare Iudæis Asiæ minoris, propterea quod Dominus venerit nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: præsertim cùm Iudæi essent oliua bona, Gentes vero oleaster in oliuam insertus. Paulus vero post Domini ascensionem vocatus non videtur sorte aliqua per consensum Apostolorum iacta, certarum gentium Apostolus, sed ab ipso Domino curam omnium Gentium accepit: vnde & dixit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Et vt non excluduntur à Pauli cura, & potestate Iudæi, qui dixit se vocatum per gratiam Dei vt reuelaret Christum in Gẽtibus, & ait de se ipso: *In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate.* Vnde & à principio Iudæis prædicabat, vt in Actis legitur, & ipse contestatus est Iudæis: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Et alibi affirmat solicitudinem omnium Ecclesiarum sibi incumbere; vnde & ad Hebræos scripsit epistolam. Et hæc de iure, circa vsum, & praxim, Paulus erat Iudæorum Apostolus cum multis, & post multos, qui Iudæos ad Christum conuerterunt: idem etiam Gentium Apostolus, & vna cum multis, & post Petrum, qui Cornelium primus ad fidem conuertit. Petrus ergo, Ioannes, & Iacobus præerant Iudæis; Paulus, & Barnabas Gentibus: nam qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes, id est, qui fecit ne frustra, & sine fructu Petrus prædicasset Iudæis; & fecit etiam efficacem prædicationem Pauli in Gentibus, vt illi videbant. Non sunt ergo propterea plus metæ positæ illi ex eo quòd prædicauit circumcisioni, quã Christo ex eo quòd dicitur minister circumcisionis: non enim sequitur, ergo nihil poterat Christus in Gentibus: ita nec valet de Petro Christi vicario. Et vt figmentum apertè tolleretur, voluit vt Petrus veniret Romã, & inde præcipitem daret Simonem Magum, & Ecclesiam illam regeret tot annis per se, & Paulum, & Linum, & Cletũ, & post se per Clementem. Quòd ergo dederunt dexteras societatis illi tres Paulo; non fuit vt se excluderent ab Apostolatu Gentium, sed vt Apostolatum Pauli, & Barnabæ suo consensu stabilirent. Vnde dixit Paulus: Deinde post annos tres veni Ierolosymam videre Petrum: cur non Iacobum, aut Ioannem, maximè cùm Iacobum scripserit se vidisse, quare hoc, nisi quia Petrus Apostolis omnibus maior erat? Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos: *Ascendit Ierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio, & iure scilicet eiusdem fidei, & prædicanis.* Ambr. in hæc verba: *Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum, non vtique vt aliquid ab eo disceret, qui iam ab autore didicerat, à quo & ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum Apostolatus, & vt sciret Petrus hinc illi datam licentiam, quam & ipse acceperat.* Hieronymus ibidem: *Paulus iuit Ierosolymam studio honoris priori Apostolo deferendi.* Theodoretus ibidem: *Apostolorum Principi quem par erat honorem tribuit.* Sic illi Patres. Petrus ergo in Iudæis præcipuè exercitium habuit prædicationis, curam tamẽ Gentium semper habuit, quæ per Petrum conuerti debebant, & Antiochiæ & Romæ. Hinc ipse in Actis: *Vos scitis,* inquit, *quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.* Nec Petrus peculiaris fuit Iudæorum Episcopus, sicut B. Iacobus. Adhæc Paulus etsi Gentibus prædicauit, tamen Iudæis quoque concionatus est ingrediens per Synagogas eorum, vt habetur Acto. 9. Præter exercitium tamen prædicationis, siue inter Gentes, siue inter Iudęos, plenissima pastoratus Ecclesię autoritas residebat penes solum Petrum. Quintò, parum solidum est quod obiectãt: Pascere non est primarius actus Episcopi, sed prædicare. Attamen si prædicare est primarius actus pastoris, multi qui prędicandi munere destituti fuere; & nunquam prædicarunt, pastores nunquam fuissent: & satis prædicat, qui per se exemplo, & per alios verbo doctrinam communicat. Nec opus erat Christum cõstituere in Ecclesia pastores, sed tantùm Doctores. Verùm pascere ipsum, iurisdictionem super oues dicit, sine qua, vt diximus, prædicatio fieri nequit:

Euseb. lib. 3. c. 1. Eccl. hist. tom. 1.

Matth. 15. Rom. 11.

Actor. 9.

Galat. 1.

1. Tim. 2.

Actor. 9. Infra 15.

2. Cor. 11.

Paulus vt fuerit Iudæorum Apostolus.

Actor. 10.

Galat. 2. Quid est illud Pauli: Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes. *Rom. 15.*

Petrus, Iacobus, & Ioãnes cur dederint dexteras societatis Paulo. *Galat. 2.*

Ibidem. *Tertullian.* Paulus Ierosolymam visendi Petri causa cur venerit. *Ambr. in c. 1. epist. ad Gal. tom. 5.*

Hieron. ibid. tom. 9.

Theod.

Actor. 15.

V. Obiectio Lutheri.

Ephes. 4. 1. Cor. 12.

2. Cor. 10. 1. Cor. 4. quit: *In promptu*, ait Apostolus, *vlcisci omnem inobedientiam*, &c. *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* & alio loco. 2. Cor. 13. *Ideò hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionē.* Vides igitur, præter prædicationem opus esse potestate coërcente homines, & vindicante eorum peccata? VI. Obiectio. Sextò, obijciunt verbum Ecclesiæ de Apostolis: *Vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores:* plures ergo sunt vicarij, ac pastores. Respondemus, quòd vt inter plures Sacerdotes vnus summus est Aaron, Num 17 & seqq & alibi. ita inter vicarios, Doctores, ac pastores vnus est supremus vicarius Christi, vnusque pastor, & Doctor summus Ecclesiæ Papa. VII. Obiectio. Matth. 20. Obijciunt septimo: *Principes Gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos:* non est ergo vlla in Euangelio superioritas. Ecclesiasticæ potestatis finis. Dicimus, esse quidem, talem tamen, vt habeat pro fine animarum saluti deseruire, & vt illustretur Christi gloria: non vt gentium dominatio, quæ propriū bonum, atque honorem spectat, & superbiam tenet in exercitio potestatis, qua non nisi cum luctu vtuntur: quia vera Prælati gloria nequaquam est punire, sed præuenire ne deteriores reddantur: & Christus de se ait: Ibidem. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; qui tamen rex erat, & summa fungebatur potestate. Ita Petrus seruus seruorum erat, nam Dominus dixit: *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri; sit vester minister.* VIII. Obiectio Galat. 2. Octauò producunt, Paulum sine Petri autoritate prædicasse. Sed hoc nihil refert, quia habebat illam à Christo: quia tamen sub Petro illam accepit; ideò venit Ierosolymam, vt cum eo conferret Euangelium: ad quem adductus, ad Apostolos dicitur ductus à Barnaba, vt crederetur discipulus: quia in Petro omnes erant Apostoli, & sub eo, cùm essent oues Christi. IX. Obiectio. Ibidem. Nonò, ex eadem epistola illud adducunt: *Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* Intellige, in doctrina, quemadmodùm nec Papa mihi quicquam contulit in illa. Secùs in autoritate, etiamsi nihil scirem. Caussa fidei vnde iudicanda sit. Quia caussa fidei non ex humana ratione, sed ex assistētia Spiritus, & prophetia iudicatur. X. Obiectio. Ibidem. Decimò, ex eodem loco proferunt: *Dexteras dederunt mihi, & Barnabæ, societatis; vt nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem.* Dare dexteras, quorū sit. Est autem fratrum dare dexteras. Verùm cū hac humanitate stat superioritas. Ita dixit Dominus ad Iacob: Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum:* & societas erat in prædicatione Gentilium à Paulo, & Barnaba; Iudæorum, à Petro, & Iacobo. XI Obiectio. Galat. 2. Vndecimò, ex eodem loco argumentantur: Quoniam Paulus ait: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*; non igitur Petrus erat superior Paulo. Verum profectò non arguitur maior potestas in Paulo, sed prudentia in ea ratione, & quiuis meliori ratione munitus potest cum modestia Papæ resistere, non tamen proinde est illo maior, aut propterea ille minor est potestate. Contra Porphyrium. Vanè igitur Porphyrius reprehendit Paulum, quod ausus fuerit reprehēdere Petrum superiorem suum; cùm lex charitatis præscribat non esse negandum superiori correctionis officium, atq; charitatis subsidium, si cuicunq; alteri iubemur impendere. XII. Obiectio. XII. ex eodem capite argumentum ducunt: *Cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, &c.* præfertur ergo Petro Iacobus. Verùm hoc parum soliditatis habet. Cephas enim nō quatenus Papa est, sed quatenus Apostolus, postponitur Iacobo Apostolo, & Episcopo Ierosolymorum in Iudæorum gratiam: quemadmodùm epistola Catholica Iacobi, præfertur illis Petri, tanquam ipse prior extitisset in donis. Hac enim ratione, & non temere ordo Apostolorum variatur in Euangelistis: nam Ioānes apud Matthæum est sextus, in Marco tertius, in Luca quartus. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6 XIII. Obiectio. XIII. obiectant, Petrus non fuit Ierosolymorum Episcopus, ergo nec caput Ecclesiæ. Verùm si hoc solidum est, Christus quoque caput Ecclesiæ non fuisset. Et hoc ratione non caret: quia cùm esset ob ingratum erga Deum animum vastanda, non est præfectus illi Petrus: ad tempus tamen vt effuso Christi sanguine est honorata, ita à consanguineo Apostolo, & Episcopo Iacobo gubernata est, sed sub Petro, cui ratione etiam Apostolatus suberat ipse Iacobus. XIV. Obiectio Actor. 1. XIIII. opponunt, Petrum in electione Matthiæ perquisiuisse Apostolorum suffragia, ergo par erat alijs, non superior. Debile profectò argumentum: nam Papa quoque quotidie à Cardinalibus petit suffragia: & Apostoli in Iudæ locum Matthiam non substituerunt, sed Petrus à Deo inspiratus ab alijs quæsiuit quem elegissent: quia non Petri, sed Spiritus sancti erat Apostolum creare, & in eum, qui à Deo fuerat designatus, consentientes contulerunt suffragia. XV. Obiectio. XV. arguunt: Concilium non indictum fuisse à Petro Actor. 15. Verùm profectò cum à nullo indictum legatur: vel ab eo, cuius est indicere, id est, à Petro; vel à nullo, quod est absurdum, fuit indictum, atque coactum. XVI. opponunt, in illo concilio prælatam fuisse sententiam Iacobi Petro, & alijs omnibus

nibus; non igitur Petrus potestate maior. Respōdeo: nec Petrus, nec Iacobus sentētiam pronuntiarunt, quia Iacobus Gentes ligare non poterat, sed protulere tantùm suum sensum. Et sententia Concilij in fine habetur: *Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus* (videlicet cùm ait: *Tu vocaberis Cephas: Tu es Petrus, &c.*) *Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij*, (nimirùm quia summus Pastor, aliàs arrogantissima essent verba) *& credere*: quia fideles ex Gentibus Petro vt pastori debebant credere, & Paulo tanquam Doctori Gentium, & prædicatori. Quod autem Iacobus addidit de contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine, ad Iudæorum infirmitatē subleuandum spectabat: donec comperta eorum malitia & obstinatione, volentium in lege Moysi persistere, illa contemnerētur, quæ Iacobus addidit. XVII. arguunt, quod in eo Concilio suppressum sit Petri nomen. Sed profectò notum erat, cùm esset primus Apostolus cognitus ab omnibus: & quo magis crederent, communi omnium suffragio pronuntiata est sentētia. Quemadmodùm maiori cum reuerentia decretum Papæ cum Cardinalibus, vel cū Concilio Generali suscipitur, vel edictum Imperatoris cum Principibus, & consiliarijs confectum, quàm si à solo Papa, vel à solo Imperatore prodiret. XVIII. inualidum est argumentum: Petrus non permisit se adorari à Cornelio, quod Papa permittit: ergo non est vel Petri successor, vel Christi Vicarius. Sed vt omittamus infirmitatem consequentię, suscipit Papa venerationem, non illam, quæ soli Deo debetur, sed quam vt vicarius Christi habere dignus est; nam Christus in eo est omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Nec Petrus prohibuit Cornelium adorare; sed, quoniam multa excelsa habebat, iussit eum surgere: & se hominem meminit in exemplum aliorum. Paulus quoque prohibuit se adorari; sed sacrificio, quod est solius Dei. Papa autem pro se sacrificat, & nos pro eo sacrificamus: ideò nec ipse se ipsum, nec nos Deum ipsum facimus. Postremo obijciunt: Petrus cùm Ioāne in Samariam missus est; ergo mittentibus inferior. Sed non est missus quatenus Papa, sed quatenus Apostolus, sicut & Ioānes: & Apostolus minor est mittente, quia autoritate non semper minor est missus, etiā in diuinis. Nec enim semper Papa retinere debet Papæ autoritatem, sed sæpè demittere ad ædificationem aliorum pro Christi gloria. Et hactenus Hæreticorū obiectiones dissoluimus. Reliqua verò quæ ad speculationem spectant, in sequentem tracta tum commodius seruabimus. Intelligant ergo Ecclesiarum Episcopi, & Antistites, verbum pascendi includere curam, laborē & solicitudinem in pascendis, seruandisq; ouibus; ac proinde longè esse debet à tyrannica potestate. Officium boni pastoris quisque legere poterit graphicè descriptū in Iacob ouium pastore Genes. 31. vbi habet: *Die, noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Deinde pascendi verbum includit omnia illa officia, quæ pastores arguūtur omisisse ab Ezechiele, qui ait: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Postremò pastores expendāt illud verbum, *Agnos meos*, vel oues meas, id est, à me conditas, meoq; sanguine redemptas, meo corpore satiatas, mea gratia custoditas, & pro quibus summam à te reposcam rationem. Audiāt ergo, & cordi ipsi imprimant has voces, quo oues suas verè pascant in iustitia ac iudicio, ac sui præmium laboris expectare valeant à pastorum Principe Iesu Christo Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto perpetuus cultus, honor, ac reuerentia semper est deferenda ab omni creatura ratione prædita in seculis seculorum, Amen.

Ioan. 1.
Matth. 16.
XVII. Obiectio.
XVIII Obiectio.
Actor. 10.
Papa qualem duntaxat admittat adorationem sui.
Matth. vlt.
Actor. 14.
XIX. Obiectio
Supr. 8.
Pastorum documenta tri[...]
Iacob patriarcha boni pastoris typus.
Ezech. 34.

TRACTATVS XXX.

In quo responsum Petri Christo præficienti eum agnis, & ouibus, diligenter expenditur, atq; Petri mors parabolice à Domino describitur.

CVM multa dubia fuerint proposita, ad horum verborū Domini pleniorem intelligentiam, atque illis pro tenuitate nostra fecerimus satis: vnum tamen reliquum est explicādum, nimirum quod postremo loco proposuimus, de expendēdo Petri responso Christo Domino exhibito. Primùm enim dixit: *Etiam Domine*, vel, *Certè Domine*, id enim significat Ναὶ κύριε. Vbi inprimis se diligere recipit: ita enim illi dictabat conscientia, & adferens Iesum interni affectus testem sui, profitentis in hoc Iesu diuinitatem, dixit: *Tu scis quia amo te.* Expressit autem; ne affirmatio dicta, *Etiam Domine*, extendi ad totum quęsitum putaretur: hoc enim nonnisi temerè, & arroganter potuisset affirmare: ideò tantùm, quod diligat, non autem, quòd

Quare tertio contristatus sit Petrus, ob tertiam interrogationem Domini an diligeret.

plus

plus alijs, affirmat: idemq; prorsus respondit secundò interrogatus. Tertiò autẽ contristatus est Petrus: : vel quod, vt scribit Chrysostom. memor esset eius quod paullò ante acciderat ante Domini mortẽ: nam cùm dixisset: *Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*, audiuit quàm minimè cogitabat futuram trinam negationem. Ita modò subdubitauit de aliquo occulto peccato in se existente, quod non videret.

Chrysost. hō. 88 in Ioan, tom 3.
Luc. 22.

Alter sensus. Vel iuxta aliorum sententiam contristatus est, quòd illis ter repetitis interrogationibus intelligeret à se reposci boni pastoris officium, quod est animam ponere pro ouibus suis. Audita siquidem morte, hominis natura contristatur, licèt Spiritus lætetur.

Ioan 10. Boni pastoris officium.

Petri modestia. Dixitque, *Domine, tu omnia nosti.* Bis dixerat, *Etiam Domine*, modò asserere non audet, plus scientiæ Christi tribuens, quàm suæ, aut propriæ menti. Tu, inquit, omnia nosti, etiam intima mea, tam præsentia, quàm futura: & ideò quia scis omnia, scis etiam quia amo te.

An oblatum sibi Episcopatum liceat recusare. Ad id verò quod propositum est; an oblatum liceat recusare Episcopatum: Respondendũ est, quòd vbi nulla à superiori imponitur necessitas, non solùm licitum est onus illius gradus detrectare, sed etiam melius est quàm acceptare. Id enim constat sanctos viros fecisse, vt de eo quem refert historia Tripartita: cui cùm oblatus esset Episcopatus, illumque recusasset, ac rursus premeretur, dietimque vnum ad deliberandum poposcisset, inuentus est genibus flexis instar orantis extinctus.

Hist. tripart. Sancti viri oblatum sibi Episcopatus honorem fere recusarunt.

Nunc autem multos puto prorsus animo concidere, atque extingui, vbi ad optatum Episcopatum peruenire non possunt. Ammonius Monachus, Origenis, Didimique discipulus, aurem sibi amputauit, ne fieret Episcopus: linguæ amputationem comminatus, nisi missum eum facerent: quemadmodum B. Marcus fertur pollicẽ sibi amputasse, ne fieret Sacerdos. De B. Dominico, ac S. Thoma Aquinate, magnis profectò in Ecclesia Dei viris, nouimus, oblatos à Sede Apostolica Episcopatus honores, modesto quidem, sed forti animo recusasse. Hoc ipsum in Quotlibero 5. docet beatus Thomas.

Ammonius.

B. Tho. Quodlib. 5 art. 22.

Quemadmodùm enim non omnibus viris expediens est vxorem ducere, ita permultis à coniugio spirituali, quo homines sponsi fiunt Ecclesiarum, abstinere maximè conuenit. Quòd si obijcias verbum Apostoli :. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Respondendum, id quod bonum est, plerunq; appeti posse non benè. Nam Episcopatum qui propter excelsiorem expetit gradum, arrogans est: si propter honorem, ambitiosus: si propter diuitias, cupidus atque sordidus: & qui nõ vocatus se ingerit, proprio amore cæcatus plura sibi quàm sit par, atque æquũ tribuit, ac necessariò se alijs meliorem, ac charitate prestantiorem debet existimare: quod quàm sit à Christi doctrina, & Euangelica modestia alienum, nemo non videt.

Diluitur obiectio ex illo Pauli loco: si quis Episcopatũ desiderat, bonum opus desiderat.
1. Tim. 3.

Quãobrem quicunque electioni de se factæ consentiat propter aliquod temporale bonũ, vti gradum excelsum, honores, vel diuitias, grauiter delinquit: secùs, si propter Dei gloriam, aut Ecclesiæ vtile ministerium, aut obedientiæ imperium. Est autem ad prælationem non simpliciter melior, qui plus diligit Deum, eligendus, nisi sint cætera paria, sed ille, qui melior est, & aptior ad Ecclesiæ regimen, qui scilicet Ecclesiam defendere valeat, pacificeque gubernare: ad quæ nõn tantùm opus est bonitate, sed etiam doctrina, prudentia, atq; experientia.

Ad prælationem melior quis sit.

Quod autem his verbis: *Pasce oues meas, & agnos meos*, Christus Petrum constituerit totius Ecclesiæ pastorem, caput, doctorem, patrem, ac Pontificem: & ipse textus apertissimis verbis indicat, & ab omnibus Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, communi consensu receptum est, atque confessum. Et vt nonnullos attingã, en tibi Theophylactum, qui in hæc verba scribit. *Cùm prandendi finem ipse fecisset, totius orbis ouium præfecturam Petro committit. Non autem alij, sed huic tradidit primo. Primùm quidem, quia omnes præcedebat, & totius cœtus os erat.*

Petrum his verbis: Pasce oues meas, &c. totius Ecclesiæ pastorem, caput, Doctorem, Patrem, ac Pontificem à Domino constitutum ostenditur. *Theophylact. in Ioan.*

Hæc ille, licèt Oecolampadius Theophylactum vertens, ex insigni malitia codicem truncatum caussatus, omiserit illa. Chrysostomus in eadem verba Ioannis sic inquit: *Quid tandem alijs omissis, hũc duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & Princeps: propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit, neq; negationis meminit, neque exprobrat: tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias: & quã in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector, nunc ostende: & animam quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade.* Et paullò infrà: *Ter autem interrogat, & semper idem præcipit, vt demonstret quanti ouium suarum curam faciat, & quòd hoc maximum sit amoris argumentum, & cùm dicat quantum eum diligat, prædicit & martyrium, quod passurus erat: ostendens quòd non ob eius diffidentiam id faceret, sed quod maximè crederet, volens amoris in eum signum demonstrare.*

Oecolampadius Hæreticus [illegible]. *Chrysost. hom. 87. in [illegible]* Petrum [illegible] & Princeps, teste Chrysostomo. *Galat. 1.*

Idem homilia de pœnitentia: *Petrus eadem nocte lapsus est, & resurrexit. Post illum enim grauem casum* (ne-

Idem ho. 80 ad pop. Antioc. vb. [illegible] tom. 5.

Negationi Petri nullum tamen est æquale secundum Chrysostom.

gationi namque nullum est æquale) *rursus eum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit, & quod omnibus maius, illum nobis maiorem omnibus Apostolis in Dominum habere charitatem ostendit.* Basilius quoque libro De constitutionibus monasticis: *Nihil est aliud Antistes (qui modo diligenter munus exequatur, cui præpositus sit, pietatem videlicet) quàm is qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. Atque hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, amas me plus his? Pasce oues meas: & omnibus deinceps pastoribus, ac magistris eandem tribuit potestatem. Cuius quidem rei signum est, quòd omnes similiter atque ille & ligent, & soluant.* Ex Latinis nostris primus occurrit Cyprianus, qui in libro De simplicitate Prælatorum initio ferè, postquam super Petrum Ecclesiam ædificari asseruisset, addit, quod eidem post resurrectionem dixerit: *Pasce oues meas.* Et probaturus Ecclesiæ vnitatem, adducit illud verbum Domini: *Et erit vnum ouile, & vnus pastor,* scilicet Petrus; nam Christus iam erat pastor. Arnobius in Psalmum 138. disputans in Nouatianum, ait: *Dicis certè baptizatis non debere pœnitentibus subueniri. Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod vt doceam, illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat. Ego sum Pastor bonus,* & iterum: *Me, inquit, sequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus negatori suo hanc quam solus habuit, tribuit potestatem; vt non solum recuperasse quod amiserat, probaretur, verum etiam & multò amplius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquisisse.* Ambrosius quoque sermone De pœnitentia Petri Apostoli ita scribit: *Denique imitemur Petrum dicentem alibi. Cum enim tertiò interrogaretur à Domino: Simon, amas me? Respondit tertiò, Domine tu scis quia diligo te. Ait Dominus, Pasce oues meas. Et hoc tertiò, quod quidem dictum ad compensationem prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tertiò negauerat, toties confitetur: & quotiens culpam delinquendo contraxerat, totiens gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam fleret, lapsus est, posteaquam fleuit, erectus est: & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regen-*

Basil. in constit. monast. cap. 23. propè fin. tom. 2.

Antistes pro parte quis sit.

Cyprianus.

Matth. 16.

Arnobius. Contra Nouatianum.

Nullus Apostolorum nomen pastoris accepit præter solum Petrum teste Arnobio.

Ioan. 10.

Ibidem

Ambro serm. 46. in fin. to. 3 sub finem.

dos accipit, qui prius se ipse non rexit. Idem sermone De fide Petri Apostoli, & super Lucam ait: *Dicit ei Iesus, Pasce agnos meos: Benè conscius sui non ad tempus assumptum, sed iam dudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius qui de se hoc facilè profiteri possit? Et ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Maior enim omnibus charitas. Illud quoque diligentius intuendum, cur cùm Dominus dixerit: Diligis me? Ille respondet: Tu scis Domine quia amo te. In quo videtur mihi dilectio habere animi charitatem, amor quendam æstum conceptum corporis, ac mentis ardorem: & Petrum opinor non solum animi, sed etiam corporis sui circa Dei cultum signare flagrantiam. Denique tertiò Dominus non iam, Diligis me? sed, amas me? interrogauit: & iam non agnos, vt primo, quodam lacte vescendos, nec ouiculas, vt secundo, sed oues pascere iubetur perfectiores, vt perfectior gubernaret.* Hieronymus in epistola ad Eustochium, De vinculis beati Petri (si tamen illa epistola Hieronymi sit: nam ea de re apud doctos viros est controuersia) ex edicto Constantini ita prodit. *Notum esse volumus Christum pie colentibus, B. Petrum Apostolum à Deo nobis datum pastorem, & Principem, summo studio venerari velle assiduè.* Et infrà: *Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm subtractus est deneganti. Quod vt doceam, illud ostendo, &c.* Augustinus libro contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti: *Vt ergo hanc,* inquit, *omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine caussa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniat, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Idem sermone In festo cathedræ Sancti Petri: *Tanquam bonus pastor tuendum gregem suscepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: Et quia ipse interrogationis tentatione negauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret.* Idem in Ioannem: *Ideo Petro, quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre, amas me? Pasce oues meas.* Idem quoque plerisque alijs in locis ostendit. Leo quoque Ponti-

Idem ser. 47. & lib. 10. in Lucam c. vlt. sub fin. tom. 5.

Cur cum Dominus dixerit, Diligis me? Petrus respondet: Tu scis Domine, quia amo te, secundum Ambrosium.

Hieronym. tom. 4.

Notabilis Augustini sententia de fidei Cathol. ex vnitate, & Petri potestate.

Aug. lib. contra epist. Manichæ. cap. 4. tom. 6.

Idem serm. 2. in festo cath. S. Pet. fine ser 16 De sanctis initio, to. 10.

Idem tract. 47 in Ioan. sub init. to. 9.

Leo 1. serm.

Pontifex huius nominis primus sermone De Ascensione Domini: *Beato Apostolo Petro, supra ceteros post regni claues, ouilis dominici cura mandatur.* Et sermone in anniuersario die assumptionis suæ: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ pastoribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio: & siquid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.* Idem sermone habito in Synodo: *Admonente diuinæ vocis imperio, quod beatissimus Apostolus Petrus trina negatione mysticis sanctionibus imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat.* Gregorius epistola ad Eulogium Episcopum Alexandr. *Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine; vt Petrus à petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum. Cui rursus dicitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis, amas me? Pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in autoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est.* Idem ad Mauricium Augustum: *Cunctis enim in Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Ipse dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipse dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regno cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur. Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur; & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis episcopus conatur.* Idem rursus ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum ita scribit: *Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas? Ex quibus verbis colligitur: quia si is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem summum minimè amare.* Idem tradit homilia 24. in Euangelia in illud: *Manifestauit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis.* B. Maximinus sermonis De sanctis Petro, & Paulo: *Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas ouiculas suas ouesque commendat; vt quos ille pietate sua, miserationeque redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. Et rectè & arbiter occultorum Dei Filius pascendas oues suas, tuendasque commisit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico nec studium deesse, nec fidem.* Postremò B. Bernardus sermone De septem panibus dicta confirmans, ait: *Testis est Paulus Gentium doctor, qui plus omnibus cum diuina gratia laborauit. Testis est Matthæus de telonio electus in Apostolum, cui etiam Noui Testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis est & Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est.* Et libro de consideratione ad Eugenium: *Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscretè tota commissa sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes ceteri condiscipuli erant, cùm committens vni vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundum illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Inde est quod alij singuli singulas sortiti sint plebes, scientes Sacramentum. Deinde Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Ierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis si alter ingerat Petri prærogatiuæ?* Hæc ille. Atque his testimoniis contentus, cum innumera alia non deessent, satis prudentibus, & Catholicis lectoribus puto persuasum, vniuersos Ecclesiæ Catholicæ Patres hunc sensum agnouisse, & secutos fuisse. Quidam tamen non solùm ex Hæreticis, sed etiam ex Catholicis extitere nostro seculo, qui huiusmodi Domini ad Petrum verba, sicut illa: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, non solùm ad Petrum dicta esse, sed etiam ad vniuersos alios Ecclesiæ pastores referenda esse magna contentione decertauerint. Sed profectò mirè hallucinati sunt. Nam si eiusmodi sententiæ Euangelicæ soli Petro dictæ non essent, sed ad vniuersos ecclesiæ pastores spectarent, iam non vni soli Petro plenitudo potestatis per illa verba significata collata fuisset,

Marginal notes: 1. De ascens. Domini sub initium. — Idem serm. 3. in anniu. die assump. ante med. — Idem. — Greg. lib. 6. Registri, epist. 37. siue c. 201. init. tom. 2. — Matth. 16. — Luc. 22. — Ioan. 21. — Idem lib. 4. epist. 32 siue c. 76. sub init. — Luc. 22. — Matth. 16. — Idem lib. 6. Regist. epist. 5. siue c. 169. initio. — Idem eod. tom 2. — B. Maxim. — B. Bernar. ser. 3. De septem panib. ante med. — 1 Cor. 15. — Matth. 9. — Ioan. 21. — Idem lib. 2. De consider. paulò post med. — Cant. 6. Vbi vnitas, ibi perfectio. — Galat. 2. — Deut. 25. — Matth. 16. — Luc. 22. Hæc verba: Pasce oues meas, Tu es Petrus, & super hanc Petrã, &c. Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua; ad solum Petrũ, & non ad alios pastores pertinere.

ſed pluribus, ac proinde non vnum, ſed plures ſummos Principes in Eccleſia poſuiſſet, ac conſequenter maximam in ea confuſionem inuexiſſet. Plures quoque pro ſummis Principibus Eccleſiæ ſe ingeſſiſſent, quod nondum in Eccleſia Catholica factum vidimus. Quamobrem multi ſanctitate, atque doctrina conſpicui Patres, imò omnes, cum propriè loquuntur, eiuſmodi ſententias ad ſolum Petrum dictas eſſe aſſeuerant. Quod & ipſum Euangelium euidenter demonſtrat, cum Petrũ vocat Simonem filium Iona: dum eum ab alijs Apoſtolis præſentibus Thoma, filijs Zebedæi, & Nathanaele, quem quidam putant fuiſſe Bartholomæum, diſtinguit: ſicut ille ſolus reuelationem ex Patre habuit: dum ab eo quærit Dominus; *Diligis me, plus his?* dum fratres, id eſt, Apoſtolos, & eorum ſucceſſores confirmare iubetur: dũ non ſolùm agnos, hoc eſt, ſubditos, ſed etiam oues, hoc eſt, paſtores, qui per Euangelium Chriſto nos genuerunt, ei committit: dum inquit ad eum: *Et tibi dabo claues regni cœlorum:* &, *Diligis me plus his? Paſce oues meas.* Quòd ſi alios æquare illi voluiſſet, dixiſſet illis. Paſcite oues, & agnos meos: ſed quia vni ſoli dicitur: Paſce, colligitur ille vnus omnium Princeps, ideò ſoli capiti pro cæteris membris, & fratribus hoc dicitur. Nec poteſt eſſe poteſtas illa æqualis, quæ Petro à Chriſto Domino immediatè datur, & illa, quæ Apoſtolis à Chriſto interpoſita perſona, & autoritate B. Petri confertur. Quod dicimus, ſi Hæretici contendant in Petro omnibus alijs parem poteſtatem eſſe collatam. Si verò confugiant ad illud: *Docete omnes gentes:* &, *Prædicate Euangelium omni creaturæ:* & *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos,* ſaltem id cogentur fateri, Petrum non minus miſſum eſſe ad docendum omnes gentes, & prædicandum Euangelium omni creaturæ, quam miſſi fuerint reliqui Apoſtoli; cùm tamen prætereà ſolus acceperit poteſtatem paſcendi oues, & agnos Chriſti. Quæro enim ab eis, an Chriſtus Dei ſapientia, fruſtra inter illa diſtinxerit, quæ nihil habent diſcriminis? nam in præſentia aliorum Apoſtolorum vni Petro dixit: *Paſce oues meas,* & non loquitur ei, vt Apoſtolo (quod erãt & cæteri) ſed vt filio Ionæ, quod cæteri non erant: ergo ſolida cauſſa eſt, ob quam cęteris præſentibus, ſoli Petro illud (quicquid ſit) dictum ſit, *Paſce oues meas.* Et vt illi ſoli credas id dictum, vide quid præmiſerit: *Diligis me plus his?* Ergo eo verbo ſeparatur Petrus à reliquis, & in ſuperiori gradu ponitur, quo nullus aliorum aſcendit. Petrus verò profitetur ſe amare; ſed illud, plus cæteris, non audet ſibi aſſumere, etiamſi Dominus illud interrogando doceat, quòd Petrus eum plus cæteris diligeret, vt ex Ambroſio, & Auguſtino comprobatum reliquimus. Et idem eſt: *Diligis me plus his? Paſce oues meas,* ac dicere, *Si diligis me plus his, paſce oues meas.* Hinc Auguſtinus ſermon. in feria 4. Paſchæ: *Si dilectionem tuam erga me habes, vbi oſtendas habes, vbi exerceas, Paſce agnos meos.* Hæc ille. Eundem ſenſum agnouit & Gregorius in libro Curæ paſtoralis, parte prima. Et ratio idem præſcribit: Quorſum enim ab illo plus amoris, quam ab alijs Apoſtolis poſtulat, & cur iubet vt plus illis, & non potius vt æqualiter cum illis paſcat? quorſum exigitur maior amor ob æqualem paſcendi poteſtatem? Chryſoſtomus libro De ſacerdotio: *Petrum, ait, Chriſtus autoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere. Petre enim, ait, amas me pluſquam hi omnes?* Sic ille. Sequitur ergo, omnia alijs dicta: *Euntes docete omnes gentes. Prædicate Euangelium omni creaturæ: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* &, *Quæcunque ſolueritis ſuper terram,* longè inferiora, & minora eſſe, quam paſcere oues, & agnos, id eſt, præeſſe non ſolùm omnibus Chriſtianis, ſed etiam omnibus Apoſtolis, vt indicat Leo epiſtola ad Anaſtaſiũ Theſſalonicenſem. Hinc Petrus ab omnibus tã Græcis, quam Latinis Patribus dicitur Apoſtolorum coryphæus, os, vertex, caput, primas, princeps, dux, petra, crepido. Hinc Optatus libro De ſchiſmate: *Petrus preferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum cæteris communicandas ſolus accepit.* Sic ille. Nam vt olim Dominus tribuit de ſpiritu Moyſi, & dedit ſeptuaginta Senioribus Iſraël, ne in ſuſtentando populi onere grauaretur Moyſes ſolus; ita tulit de poteſtate Petri, & alijs dedit, quando dixit: *Quæcunq; alligaueritis ſuper terram: Quorum remiſeritis.* Arnobius in Pſalmum 138. cùm Petrum dixiſſet Epiſcoporum Epiſcopum, ſubdit: *Quod vt doceam, illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum nomẽ paſtoris accepit. Solus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicebat: Ego ſum Paſtor bonus: & iterum: Me, inquit, ſequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceßit, & ter negatus negatori ſuo hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem.* Hæc Arnobius. Quod de paſtorali poteſtate, quæ in Eccleſia Dei perpetuò manet, intelligendũ eſt. Leo ſermo. in anniuerſario die aſſumptionis ſuæ: *Petrum, inquit, omnium Epiſcoporum nouerunt eſſe primatem,* Et ſermo. De Aſcenſione Domini: *B. Apoſtolo Petro, ſupra cæteros, poſt regni*

Ioan. 1. Matth. 16. Ioan. 21.
Luc. 22.
Matth. 16.
Matth. vlt. Marc. 16. Ioan. 20.
1. Cor. 1.

Ambroſ. in Luc. c. 24. ſub fin. tom. 5.
Aug. tract. 124. in Ioan. tom 9.
Idem ſerm. 2. in fer. 4. Paſcha, ſiue de tem. 149. init tom. 9.
Greg. cap. 5. tom. 1.
Ratione idem euincitur.
Chryſ. lib. 2. prope init.
Matth. vlt. Marc. vlt. Ioan. 20. Matth. 18.
Oues paſcere, & agnos Chriſti, quid.
Leo epiſt. 83.
Petri Apoſtolorum Principis apud vniuerſos patres illuſtria cognomenta.
Optatus li. 7. De ſchiſmate
Matth. 16.
Num. 11.
Matth. 18. Ioan. 20.
Arnobius.
Ioan. 10. Ibidem.
Matth 26. Ioan. 21.
Leo. ſerm. 2. Aſſum. ſuæ, prope fin.
Petrus omniũ Epiſcoporum primas.

Idem serm. 1. De ascens. Domini, sub initium.
Greg lib. 4. Registri, epist. 38. ante med.
Petrus Apostolus primum membrum vniuersalis Ecclesiæ est.
Bernard.

claues, ouilis Dominici cura mandatur. Et Gregorius Ioanni Episcopo Constantinopolitano: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularum sunt plebiũ capita?* Bernardus libro De consideratione, ad Eugenium: *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscrete tota commissæ sunt oues.* Hæc ideò attuli, vt constet, ex Patrum dictis, nil esse alijs Apostolis promissum, & exhibitum, si cum illis, quæ Petrus accepit, conferatur.

Si quando Patres asserunt, Apostolis, ac Petro æqualẽ à Domino potestatem collatam, quo sensu id asserant.

At qui secus sentiunt, pro sua opinione quasdam Patrum producunt sententias, vt Basilij, Ambrosij, Augustini, Leonis Papę, atque Innocentij III. quas antequam peculiariter dissoluamus, in genere respondẽdum est, reuera præfatos veteres Patres noluisse asserere ęqualem per omnia potestatem illis verbis accepisse Episcopos, atque Petrum. Nam si id voluissent asserere, deserẽdi potius in hac parte essent soli pauci Patres, quam sequendi: præsertim cum contra apertam scripturam, & alios omnes orthodoxos Doctores, atque adeò contra communem sensum, & rationem, quæ dictat insipientissimè constitui multitudinẽ summorum Principum, loquantur: tunc enim nullus esset summus, & sese impedirent, & Ecclesiam confunderent. Absit igitur vt talem sententiam sanctissimis, & sapientissimis Patribus imponamus. Vt igitur eorum sententias veritatem continere interpretemur, statuendum est, verba illa Domini ita soli Petro immediatè dicta, vt tamen non in illum solum, sed & in alios quoque extẽdi intelligamus: quemadmodum plenitudo potestatis non est ita soli Petro collata, vt illam sibi soli retineret, ac nemini cõmunicaret, sed ita potius vt ipse, & eius successores, in quibus solus erat permansura potestatis plenitudo, eã alijs impartirent, ac distribuerent, pro eo ac Ecclesiæ ædificatio exigeret. Itaque sicut Leui dicitur in lũbis Abrahæ decimatus, ꝙ Abraham pro se, ac pastoris decimauerit: ad eũ modum vniuersi Episcopi, aut Presbyteri, qui in Ecclesia potestatem habituri erant, suam in Petro potestatis portionem acceperunt, qui, vt Pontifex quidam dixit: Præ omnibus, & pro omnibus potestatem accepit. Hæc autem duplex est: altera est Ordinis, quæ naturam omnem superat, altera Iurisdictionis, quæ per hominis autoritatẽ conferri valet. Illam ordinis ita acceperunt in Petro, vt quisque illam à Deo immediatè accipiat, ab homine aũt consentiente tanquam à ministro, & nudum ministeriũ exhibente habeat. Porrò iurisdictionis potestas nonnisi autoritate Põtificum ad eos descendit. Hanc verò fuisse mentem, ac sensum dictorum Patrum, & non eum, quem quidam eis affingunt, facile est ex eorum verbis colligere. Nam in primis afferunt verba Basilij in Constitutionibus monasticis, capite vigesimotertio, in quibus quod in primis perfectum, seu Antistitem esse ait, nihil aliud quam eum, qui per sonam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo: perspicuum est, illum minimè voluisse quemuis præfectorum monachorum Christo in potestate æquare: id enim esset ridiculum. Cùm igitur docet in illis verbis Petro dictis, *Pasce oues meas,* omnibus Doctoribus, atque pastoribus æqualem potestatem tribuisse, haud significat cuiuis horum in omnes oues datam fuisse potestatem, sicut & Petro: nam perspicuè dixit, quemuis perfectum obedientium sibi salutem Deo sacrificare. Quod ergo attinet ad subditos, non habent pastores æqualem potestatem, nec ad omnes extensam, sicut Petrus habuit, sed quisque ad sibi subditos. Dicitur igitur æqualis ista potestas, quia illam Petri suo modo imitatur in eo, quod sicut ille omnes poterat absoluere vel ligare, ita quisque præpositus potest suos: præsertim Basilij tempore, quo fortassis in foro conscientiæ criminum aliquorum causæ superioribus reseruatæ non erant, vt nunc sunt. Secundò obijcitur Ambrosius lib. De dignitate Sacerdotali, seu, vt alij citant, in pastorali, vbi ita ille scribit: *Honor igitur, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam si plũbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cum videas Regum colla, & Principum summitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se cõmuniri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui nõ solum præferri à Domino meruit, sed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum est Euangelicis? Sic certè à Domino ad B. Petrum dicitur: Petre, amas me? Et ille: Tu scis Domine, quia amo te. Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertiò: Pasce oues meas. Quas oues, & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Vnde regendæ Sacerdotibus cum traduntur, meritò rectoribus suis subdi dicuntur:* Hæc Ambrosius, cuius verba sic sunt accipienda, Episcopos, & Sacerdotes suscepisse oues cũ Petro, & Petrum secum illas suscepisse

I. locus ex Basilio in contrarium.

Ea verba Pasce oues meas & similia, supremam Petri arguentia potestatem, quatenus Petro soli à Christo sint dicta.
Hebr. 7.

II. locus. Ambros. De dign. sacer. c. 2. tom. 4. Episcopalis honor quantus sit.

Ioan. 21.

Duplex potestas, ordinis, & iurisdictionis.

Pascẽdas oues Sacerdotes, &

Episcopi quatenus susceperint.

III. locus ex Augustino. Aug. tom 9.

Ioan. 10. Quod veri pastores sint, qui in vno Christo pastore existunt, & non præter Christum pascunt Ioan. 21.

De bonis ouibus fiunt boni pastores, teste Augustino. Mens Augustini quæ sit, dicentis omnes bonos pastores in vno esse pastore.

Idem libr. De ago Christ. c. 30 post med. eod tom 9. Matth. 16. Ioan. 21.

Petrus Christi est vicarius, non Ecclesiæ, vt quidam fingunt.

IV. locus. Leo Papa ser. 3. assumpt. sua, post medium.

pisse, quatenus, vt dictum est, in Petro illas susceperunt: & Petrus non solum pro se, sed & pro alijs suscepit, id est, vt alij vocarentur in partem solicitudinis ad pascendas oues. Tertiò producitur August. lib. De pastor. c. 13. *Quæ sunt oues meæ, inquit, audiunt vocem meam, & sequuntur me. Hic inuenio omnes pastores bonos in vno pastore. Non enim verè pastores boni desunt, sed in vno sunt. Multi sunt, qui diuisi sunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neq; enim verè modo ideo tacentur pastores, & dicuntur pastor, quia non inuenit Dominus, cui commendat oues suas: tunc autē ideo commendauit, quia Petrum inuenit; imò vero & in ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur: Pasce oues meas. Absit vt desint modo boni pastores, absit à nobis vt desint, absit à misericordia ipsius, vt non eos gignat, atque constituat. Vtiq; si sunt bonæ oues, sunt & boni pastores: nam de bonis ouibus, fiunt boni pastores. Sed omnes boni pastores in vno sunt, vnum sunt. Illi pascunt, Christus pascit.* Hæc Augu. qui cum ait, omnes pastores in vno esse, de Christo pastore loquitur; ideò subdit: *Illi pascunt, Christus pascit.* Et quamuis in Petro etiam vnum sint omnes Catholici pastores; nō propterea sequitur, quod eandem cum illo potestatem habeant, sicut neq; eandem habet Petrus cum Christo; sed potius hoc sequitur, quod de spiritu Petri suscipiunt cui vniti sunt; ac proinde ab eo deriuatur eorū iurisdictio: atq; ita maior erit vnio potestatum inferiorum cum suprema in Ecclesia. Deinde profertur idem Aug. lib: De agone Christiano: *Non enim sine caussa, ait, inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ Catholicæ personā sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claues regni cælorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? Pasce oues meas.* Respondemus, mētem Augustini esse, Ecclesiæ Prælatis suadere misericordiam erga eos, qui resipiscunt. Et ideò adducit illud Petro dictū: *Amas me? Pasce oues meas.* Et quia ille fuit forma prælatorum; ait, hoc dictum esse ad omnes, hoc est, omnes ad amorem, & charitatis legem obligauit, qua ad oues suas misericordia commoueantur. Notandum etiam quod ibi ait Augu. Ecclesiæ datas claues, cū Petro traditæ sunt, sicut animali tunc tribuitur visus, cum datur capiti ei⁹: itaq; Ecclesia ratione Petri potest quicquid Petrus potest: & Petrus Christi est vicarius, non Ecclesiæ. Quartò adfertur Leo Papa serm. in die anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum dicēs: *Propter quod dicit beatissimo Petro: Tibi dabo claues regni cælorum. Et quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcūq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidem in Apostolis vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Dicendum est: Leonem asserere vim potestatis Petri, & constitutionis in omnes Ecclesiç Principes commeasse, eisq; omnibus quod vni Petro est cōmendatum intimari: non idcircò dici, quod omnib. æqualis potestas sicut Petro data sit, vel quod à Christo immediatè sit collata: contradiceret enim sibi ipsi in eodem sermone dicenti, omne donum à Petro, velut à capite in alios deriuari, variosque esse in Ecclesia gradus omnesque à Petro emanare. Intendit igitur Leo, Petrum per hoc in formā alijs pastoribus præponi, ex quo tamen minimè consequitur ipsos parē cum eo habere potestatem: quin potius infertur contrarium. Vt enim quia ipsemet Petrus inferioribus à se Presbyteris, & Episcopis præcipit, vt sint forma gregis ex animo, non propterea sequitur oues in potestate pastori æquari, imò nec in moribus: nam quo quis maiorē gerit magistratum, eo amplius morum sanctitate debet excellere. Ad eum quoq; modum Petrus, quia nò solum ouium sed pastorum dicitur forma, eos antecellere debuit, non solum potestate ipsa, sed & recto ipsius vsu atq; exercitio: proponitur enim tāquam forma charitatis erga oues, & prudentiæ in eis pascendis. Tandem adducitur Innocentius III. in c. 1. De summa Trinitate, & Fide Catholica, dicens. *Et hoc vtiq; Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumq; successoribus Iesus Christus.* Vbi videtur ex æquo claues omnibus concessas asserere. Sed hoc facilè est dissoluere; perspicuū namq; est, quod non loquitur de plenitudine potestatis collata Petro, quia has claues, de quibus loquitur asserit habere quemuis simplicē Sacerdotem: loquitur igitur de ligandi, & soluendi potestate, siue remittendi, & retinendi peccata in foro Pœnitētiæ, quæ collata est omnibus Apostolis, & omnibus Presbyteris in ipsa consecratione, quæ ad ipsam potestatem ordinis spectat. Atque hac ratione veniunt dissoluenda si quæ alia inueniantur Patrum testimonia, quæ simile quid sonare, aut asserere viderentur: quia nemo eo spectabat, vt negare vellet hęc Domini verba primò ad literam intelligi de B. Petro, atque in eo de suis successoribus, & gubernatoribus Ecclesiæ eatenus conueniunt, quatenus à Petro, aut eius successore ampliorē, aut strictiorem ouiū

Matth. 16. Petrus omnium Apostolorum prælatus.

Quomodo Petrus in formam alijs pastoribus præpositus sit. 1. Petr. 5.

V. locus ex Innocent. III.

Omnibus Episcopis secundum Innocentium, vt ex æquo claues sint traditæ.

Optima quæque & eximia B. Petro censentur competere.
Ioan. 1.
Matth. 16.
Infra 24.
Supr. 19.
Luc. 5.
Infra 22.
Ioan. 21.
Galat. 1.
Aduersus Magdeburgēses, Petrum præcipuum in Euangelio designatu ob multa dona quæ haberet, & ob ætatem, dogmatizantes.
Ioan. 1.
Matth. 16.
Ioan. 21.
Luc. 22.
Sapien. 4.
Presbyteri vnde potius dicantur.
1. Tim 4.
Epiphan. in Hæres. 51.
Andream B. Petro seniorē facit Epipha.
Petri Apostoli titulos ad Ecclesiam quoq; pertinere ostenditur.

pascendarum suscipiunt potestatem, sub ipso tamen Petro. Atque ita sententiæ illæ Patrum non tollunt veram, & germanam intelligentiam horum verborum. Illud iam diligenter aduerte, optima quæque & eximia B. Petro competere. Nam si ædificium Ecclesiæ spectes, ipse est Cephas, Petrus, siue petra, & crepido, & fundamentum Ecclesiæ. Si ad regni cœlorum administrationem, ipse est Clauiger, cuius est aperire, & claudere. Si ad domus metaphoram; ipse est fidelis seruus, & prudens, quē constituit dominus suus super familiam suam, & pro quo, & Iesu soluitur didrachmum. Si ad nauim; ipse est eius doctor, & gubernator, cui dicitur: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Si ad tentationes Satanæ, & mundi, ipse est fratrum suorum cōfirmator. Si ad ouium, & agnorum curā; ipse est designatus supremus pastor. Si ad Apostolos; ipse est eorum Princeps, ad quem inuisendum ascendit Paulus Ierosolymam, & mansit cum eo diebus quindecim. Ridiculum est autem quod Magdeburgenses in prima Centuria docēt, Petrum præcipuum designari in Euangelio, ob duas caussas: altera est, ob tot, & tanta dona quæ habebat; deinde propter ætatē, quòd cæteris senior esset. Sed quæro quænam sint illa præcipua dona, an alia à notis, id est, esse Cepham, clauigerum regni cœlorum, pastorem ouium, confirmatorem fratrum? Sed hæc ob eximium gradū, ad quem est vocatus, accepit, vt eum egregie sustineat. Si propter ætatem, certè Deus rationem potius habet aliarum rerum meliorum, quam ætatis: quia senectus non diuturna, nec annorum numero computata, sed canities est sensus hominis. Et Presbyteri magis dicuntur, propter grauitatem, & maturitatem morum, dignitatemque, ac sapientiam, quàm propter ætatem: vnde & Timotheus adolescens Presbyter dicitur. Adde quod Epiphanius Andream facit seniorem Petro. Non ergo debēt per incertum, & falsum certissimos Scripturæ locos infringere. Statuendum igitur est eiusmodi B. Petri Apostolorum Principis titulos non ad eius personam solum, sed ad totam Ecclesiam spectare: nam petræ, & fundamenti est ædificium sustinere; Principis Apostolorum, ad eos principatum gerere: Ianitoris, ad eos qui excluduntur à domo, vel introducūtur, præfici; confirmatoris, eos, qui ex alieno robore plus virtutis accipiunt, stabilire; Pastoris est, populos, qui per illum reguntur, tueri. Cùm ergo hæ prærogatiuæ ad totam Ecclesiam spectent, ea potestas, quæ semel Petro data est, tamdiu in Ecclesia perseuerare debet, quamdiu Ecclesia eadem perstat, id est, ad consummationem seculi. Rectè proinde dixit Pacianus ad Sempronianum: *Quæcunque Ecclesiæ nascenti dicta sunt, ad plenitudinem Ecclesiæ pertinent:* & Chrysostomus libr. De sacerdotio: *Quanā de caussa idem ille* (scilicet Christus) *sanguinem effudit suum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat.* Leo item sermon. in die anniuersario assumptionis suæ: *Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Christus instituit.* Hactenus illi, & à nobis quoque hactenus de hoc loco cōtra Hæreticos sit disputatum: redeamus ad textum.

Matth. vlt.
Chrys. lib. 2. De sacerdot. prope init. tom. 1.
Leo serm. 2. ass. suæ, paulo ante med.
A pastore gregis sui quid Dominus sequatur.
Euthym. in Ioan.
Quare Christus Petro mortis genus prænuntiet, quo per eum erat clarificandus.
B. Cyrill. libr. 12. in Ioan. c. 65. tom. 1.
Pastor sali cōparatur à B. Chrysostomo. Chrys. ho. 87. in Matt. 20. 1.
Petri iuuenis, eiusdemque senis diuersa conditio à Christo præsignificata.

Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, &c. Explicare nititur quid sit illa ter iterata dilectionis professio, & quam minimè delicata esset prouincia illa pascendi oues sibi delegata, & quid peteret per illam: nempè martyrium. Qui enim pro salute Dominici gregis contemnit facultates, honores, & affectus suos, magnum sui sinceri amoris præbet argumentum: cæterùm qui pro salute gregis non dubitat vitam suam in discrimen adducere, absolutè certissimum charitatis suæ præbet indicium. Id aliquando facturum Petrum, hoc verbo prædixit Dominus. Ac teste Euthymio, parabolicè pronuntiat ei mortis genus, quòd per crucem esset & ipse moriturus, & se imitaturus: ostendens quòd non tanquam ignorans, aut illi non credens dicebat, quæ dicebat, cum optimè nosset seruorem dilectionis eius erga se, sed vt & ipse, & omnes cognoscerent, quòd plurimi faceret præsidentiam super discipulos suos, & & intelligerent quid debeant Christo, qui ouium suarum præfecturam suscipiant: nā curæ pastorali adiunctum est mandatum hoc de morte oppetenda, vt Cyrillus admonet in Ioannem; & non ignorent prælati, si suo munere perfungantur, non defuturos aduersarios, qui mortem infligere satagant. Vt enim sal applicatum vulneri sanando, dolorem incutit; ita prælatus cum ouibus suis medetur, teste Chrysostomo. ¶ *Cum esses,* inquit, *iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas.* Metaphora à contrarijs conditionibus iuuenis, & senis, martyrium eius describit: cum enim esset iunior, cingebat se pro libito suo manibus proprijs, & ambulabat quò volebat, proijciens se in mare, vt paullò ante fecerat: ad quod videtur alludere: at cùm senior, extendes, inquit, manus tuas

in cru-

in cruce suffigendus, & alius præcinget te, non post, sed ante extensionem manuum; vt prius significet quid passurus esset, deinde quomodo, nempè iniectis prius vinculis præcinctus ab alio. Tertull. in Scorpiaco aduersus Gnosticos: *Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adstringitur.* Alludit ergo ad morem iuniorum, & seniorum: nam illi seipsos præcingunt, & quò volunt, facilè pergunt; seniores & iam viribus destituti, & in præcinctione, & vestium induitione ope aliorum indigent, & sæpè ab alijs, qui eos comitantur, ducuntur. Et explicans metaphoram Ioannes subdit: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Ex quibus verbis primùm elicit Chrysostom. quòd Petrus haud esset aut iuuenis, aut senex, sed vir perfectus, ac mediæ ætatis: nam ab hoc tempore vsque ad martyrium fluxerunt triginta-septem anni. Potuitque exponere Ioannes Euangelista, quòd morte crucis esset si clarificaturus Deum, quia scripsit hoc Euangelium post mortem Petri qui passus est sub Nerone, at ipse scripsit post mortem Domitiani. Quemadmodum crucis mortem nomine exaltationis expressit, eius acerbitatem tegens; ita hic nomine extensionis manuum; in quibus intelligendi sunt & pedes, & præcinctionis, eandem crucem significauit ad imbecillitatem discipulorum se attemperans, medici prudentis instar, qui amaram potionem dulci aliquo condire solet. Quare stultitiæ, & impietatis plenum est quod Beza scribens: *Qui ex hoc loco* (ait) *colligunt, Petrum fuisse crucifixum, ineptè argumentantur: cùm Christus in genere prædicat Petri mortem violentam fore.* Sic ille, sed sine ratione, cùm in hoc & Patribus Chrysostomo, Cyrillo, & alijs, repugnet, & verbis apertis textus aduersetur. Non enim alij præcincti, & extensis manibus magis propriè supplicio afficiuntur, quàm qui ad crucem damnantur. Deinde considerandæ sunt ætates fidei in illis temporibus designatæ: Fuit enim Petrus aliquando iunior ante aduentum Spiritus sancti; cùm iuuenili animo, & feruore promitteret multa, ac diceret: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; rursus: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: atque hæc omnia viribus proprijs nixus. Verùm quando senuit per fidem Spiritus sancti; & fidem perfectam, virque iam maturus experientia factus imbecillitatem virium suarum agnoscens soli CHRISTO fidens ab alijs præcinctus est in cruce, ac ligatus, ductusque quò non volebat, saltem appetitu naturæ, & sensus, quanquam voluntate spiritus pro CHRISTO expeteret mori: sed victus precibus fidelium Roma coactus est discedere, quò se ab imminenti mortis periculo subduceret. Cui Dominus occurrit in via, ac illi dixit Petrus: *Domine quò vadis?* Ad quem Dominus; *Vado*, inquit, *Romam iterum crucifigi.* De cuius morte sic scribit Augustinus in Ioannem: *Hunc inuenit exitum ille negator, & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat.* Sic ille. Quemadmodum autem pij clarificant Deum piè viuendo, ac ostendendo quòd Deus sit sanctus, iustus, atque iustitias diligens; sic pro iustitia moriendo CHRISTVM clarificant, quia Deum tantæ esse bonitatis, & charitatis testantur, vt potius sit fortiter cadendum, quàm ab eius doctrina; & spe promissorum suorum vllo modo recedendum. Vt autem verè clarificare per mortem CHRISTVM valeamus, danda est nobis opera, vt prius per bonæ vitæ exempla atque facta eum illustremus, vt cum Paulo dicere valeamus: *In omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur: Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus*: cui cum Patre, & Spiritu S. detur omnis laus, gloria, & imperium in sempiternum, Amen.

[Margin notes: Idem ho. 87. in Ioann. to. 3. — Ioannes Euangelium quando scripserit. — Ioann. 3. 8. & 12. — Cõtra Bezam ex hoc loco Petrum fuisse crucifixum ineptè colligi, impiè dogmatizantem. — Matth. 26. — Ibid. — Petri gloriosus exitus. — Aug. tract. 123. in Ioann. ante med. to. 9. — Psalm. 10. — Verè vt Christus à nobis clarificari possit, quid facto opus sit. — Philipp. 1. Rom. 14.]

TRACTAT. XXXI.

IN QVO ILLA DOMINI verba edisseruntur: *Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in Cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est qui tradet te?* Ioan. 21.

RECTE est à Domino dictum Iudæis: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*, indicans illas esse altas, & perobscuras, scrutinioque, atque mutua collatione, ac diligenti attentione indigere. Hinc Petrus commendat eos, qui diligenter, & sedulo

[Margin note: Ioann. 5. Scripturæ vt intelligantur quo facto opus sit.]

studio Scripturarum vacabant : *Habemus,* inquit, *firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris* : nam quod dicitur de Prophetico sermone, idem de Euangelio intelligendum est. Nam pleraque Domini dicta talia erant, vt auditores eorum sensum non satis assequerentur. Tale quoque extitit hoc verbum: *Sic eum volo manere donec veniam ? quid ad te ?* quod in alium sensum acceptum fuit à discipulis, atque Christus Dominus protulerat. Sed vt olim inter Apostolos de intellectu verborum Domini disputatum est, ita quoque inter veteres Patres huius loci expositores variæ extiterunt sententiæ; quas omnes in medium producemus, atq; etiam excutiemus, atq; illam, quæ ad veritatem nobis videatur magis accedere, prudenti Lectori indicabimus : prius tamen verba Euangelica explicemus, & suo loco de reipsa disseremus. Ait igitur Euangelista : *Et cum hoc dixisset, dicit ei* : *Sequere me.* Cùm hoc dixisset, refertur ad verba præcedentia. Stabilita igitur Dominicæ resurrectionis fide per apparitionem in littore, & piscium prodigium, & prandium simul à Christo cum Apostolis sumptum, & instituto Petro Ecclesiæ vniuersalis pastore coram alijs, prænuntiatoque mortis genere, quo Dominum clarificare debebat, dicit Petro; Sequere me. Quod intellige de corporali gressu dictum, postquam Iesus à prandio surgens cœperat ambulare, Non ergo loquitur de sequela ad Apostolatum, quia iamdiu secutus fuerat : nec de sequela ad locum, quo Iesus ibat suscitatus, nempè in cœlum ad Patrem, quia nondum huius Apostolorum sequelæ tempus aduenerat, sed sensus est de gressu corporeo significante Petrum debere consequi CHRISTVM in officio pastoratus accepto, per quem toti orbi erat præfectus, vt exponit Theophylactus; vel adumbrante crucis mortem: quod ipse contextus magis probat, ac indicat : nam præcesserat de Petri morte, qua erat Deum clarificaturus. Contextus quoque eorum quæ sequuntur de morte Ioannis, planè id arguit: *Sic eum,* inquit, *volo manere donec veniam, quid ad te ?* Patres quoq; exponentes hunc locum, ita interpretantur. Nam Augustin. super Ioann. *Meritò dictum est Petro, Sequere me, qui non solùm mortem, sed etiam mortem crucis, sicut Christus expertus est.* Et Cyrillus : *Sub ænigmate ostendit vestigia, & passionem Christi Petro sequendam esse.* Et Euthym. *Sequere me,* inquit, *vt videlicet etiam crucifigaris, & aqualem sustineas mortem* : Hæc illi. Dixit ergo Dominus: *Sequere me*, Primò, vt quo verbis prædixerat de morte crucis, idipsum etiam facto præsignaret. Vt enim Prophetæ quædam verbis, atque eadem etiam factis vaticinati sunt : sic enim Ieremias catenas ligneas in collo tulit, & Ezechiel portauit vasa transmigrationis, ad præsignandam captiuitatem, & transmigrationem illius populi, & Esaias nudus ambulauit, ad denotandam nuditatem quæ illum populum manebat : ita Petro verbis & factis inculcat crucis mortem, vt illam magis exprimat, & altius eius menti imprimat. Est igitur sensus : Exemplo meo disce diligere oues tibi commissas, & animam tuã pro illis exponere. Cæterùm se in exemplum ponit, seque sequi iubet, vt Petrus & incitaretur ad charitatem, & corroboraretur ad crucis supplicium sustinendum. Quò autem hoc intellexerint Apostoli, ex eo fit liquidum: quia cum Dominus dixisset de Ioanne: *Sic eum volo manere donec veniam*, verbo illo manendi, intellexerunt vitam à morte alienam. Ergo per Petri sequelam eius mortem acceperunt. Et quia hoc perfectum est Dominum sequi teste Petro, qui dixit : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius* : & quoniam Dominus explicauerat in sequela sui crucem exigere, cùm dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Deinde hoc verbo suauiter quidem præteritæ concertationis cum Petro habitæ meminit : nam cum dixisset: *Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea*, Petrus subiunxit: *Quare non possum te sequi modo ? animam meam pro te ponam.* De eo ergo quod dixi : *Quò ego vado, tu non potes me modò sequi* : tu ter negando veracem me comprobasti : superest nihilominus de eo quod adieci: *Sequeris autem postea*, meus vt sermo verus inueniatur. Sequere ergo me; id est, deinceps paratus eris propter me in carcerem, & in mortem ire pro fratribus meis, post meritum scilicet, & exemplum meæ mortis pro omnibus, & pro te perlatæ. In horto quidem nolui tibi calicem meum dare, quòd esses ineptus ad bibendum : nunc gratia mea existente, & exemplo meo edoctus bibere poteris; & ideo calicem non denego. Tertiò obserua, eos, qui ad pastorum dignitatem vocantur, simul etiam ad iniunctam cum pastoratu crucem sustinendam assumi: atq; ex hoc cernant quantum aberrẽt à scopo, qui Episcopatum, vel Pontificatum nihil aliud esse existimant, quam hono-

Marginal notes:
1. Petr. 1.
His Christi verbis ad Petrum, Sequere me, de qua sequela sit sermo.
Theophyl.
Aug. tractat. 124 in Ioann. init. tom 9.
Cyrill lib 12 in Ioann. cap 95. tom. 1.
Euthym.
Cur Christus Petro dicat Sequere me.
Prophetæ non verbis solum, sed etiam factis vaticinati sunt.
Ierem. 2.
Ezech. 1.
Esai. 2.
Christum se qui perfectũ.
1. Petr. 2.
Matth. 16.
Rupertus in hunc locum.
Ioan. 13.
Matt. 26.
Episcopatum esse nihil aliud quam

honores, delicias, opes, fastum, pompam mũdi, ac similia. Sequere me: quasi dicat: Nosti qua via peruenerim ad hanc resurrectionis gloriam: eadem tibi incedendum esse prędico. Ego voluntarius mortem non detrectaui, nec in qua fui extinctus effugi crucem: neque verò etiam tu detrectabis, tametsi tui aliter tibi consulăt, sic etiam tu ipse mihi suasisti aliter, cùm dixisti: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ego Ierosolymæ Iudææ metropoli, tu Romæ, quæ caput est Gentium. Ego pastorem me bonum morte pro ouibus suscepta ostendi; tu pastor sub me bonus, charitatem tuam patiendo pro ouibus declarabis.

opes, honores, & gloriam qui opinantur, quam grauiter hallucinẽtur.

Matth. 16.

Ioann. 10.

Conuersus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem se. Cum Christus à prandio surrexisset, atque ambulare cœpisset, secutus est illum Petrus, qui retrò aspiciens vidit Ioannem se insequentem; quanquam non esset iussus sequi, vt ea ratione etiam Dominum, sicut Petrus, sequi videretur; quãquam non pari, ac æquo gradu. Inter omnes autem alios sex discipulos, solus Ioannes sequebatur Petrum, ac proinde de illo solo interrogauit Petrus; tùm quia dicta pastori Petro, sibi quoque pastori inferiori, agno, & subdito conuenire existimabat Ioannes, quia agnorũ est oues sequi, ac Dominus solitus erat dicere. *Quod vobis dico, omnibus dico*: tum quia flagrabat & ipse desiderio martyrij pro CHRISTO, & scire quo mortis genere esset CHRISTVM clarificaturus, non minus quam Petrus, vel Paulus, qui dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, tùm denique quia cognouit Christi personam in Petrum fuisse translatam; ideò eum arctè sequebatur, vt olim Dominum Iesum. Ioãnes enim cum Petro simul missus est ad parãdum Pascha, vt ait Lucas: vterq; secutus est Iesum captum; vt inquit Ioannes: post resurrectionem simul cucurterunt ad monumentum: adfuerunt piscationi ad mare Tiberiadis: iuncti ascẽderunt in templum, ad horam orationis nonam: simul missi sunt in Samariam, vt conferrẽt Spiritum sanctum credentibus: Vt ex hac indiuulsa familiaritate cum Petro, intelligas personam CHRISTI translatam in Petrum Christi locum sustinentem. Describit autem seipsum Ioannes Euangelista non ab vna aliqua conditione solita, nimirum illa: *Discipulus quem diligebat Iesus*, sed etiam à singulari altero dono recubitus, vel casus capitis in cœna super pectus Iesu, & ab actu interrogãdi de proditore. Vsus est autem tot præcipuæ beneuolentiæ, & fidentis amoris indicijs in se describendo; ad significandum in qualem honoris gradũ post trinam

Solus Ioannes nunc Petrum ex omnibus discipulis cur sequatur.

Marc. 13.

Philip. 1.

Luc. 22.

Ioan. 18.
Infr. 20.
Inf. 21.
Actor. 3.

Infr. 8.

Ioann. 13.
Inf. 19
Inf. 20.
Inf. 21.
Sup. 13.

negationem Petrus fuerit ascitus, vt ipse qui olim sequebatur IESVM longè, & Ioannes assistebat cum matre Deipara cruci, & CHRISTO morienti, iam proximam Iesu sequelam præstet, vt illum insequatur Ioannes. Rursus qui olim incitabat Ioãnem vt rogaret de proditore, nunc post trinam negationem interrogat pro dilecto discipulo Ioanne, qui fortasse modestiæ causa non est ausus pro se interpellare Dominum. Vides ergo prærogatiuas post Dominum abiutatum. Item vt intelligeremus, in maiorem, ac strictiorem Dei amicitiam adscribi quandoque homines post crimina perpetrata, quàm ante habuerant, vt docet Chrysost. Petrus igitur, qui tunc non est ausus interrogare, sed dilecto ad hoc discipulo vtebatur, iam ex colloquio Christi familiari audacior factus, & ex amore singulari, quo Ioannem amabat, non solum præsidentiam in fratres sibi commissos, sed etiam peculiarem de dilecto discipulo curam accepisse videtur.

Matt. 26.
Ioan. 19.

Sup. 13.

Chrysost. ho. in Ioan. 87. tom. 3.
Ioann. 13.

Circa hãc sui nomenclaturam dubia quędam emergunt meritò explicãda. Primum est, an vocare se discipulum quem diligebat Iesus, sit iactantia, & singularitas, cùm certum sit Dominũ Iesum alios etiam peculiariter amauisse discipulos. Secundum, quem plus dilexerit Dominus, an Petrum, an verò Ioannem: maximè quia Petro in testimonium amoris, quo vehementius cęteris Dominum diligebat; Ecclesiam illi crediderit. Tertium, cur non potiùs Euangelista dixit, Discipulus, qui diligebat Iesum: nam quis dubitare queat, Ioannem maximo amore prosecutum fuisse IESVM singularem suum dilectorem? Ad primum, ea occurrit responsio, eam nomenclaturam fuisse & amplissimam, & gloriosam: vt si cæteros titulos, qui apud nos præclari, & honorifici habentur; quales sunt Reuerendissimi, Illustrissimi, Sanctissimi, Magnificentissimi, Excellentissimi, Serenissimi; atque similes omnes, cum illo componamus, longè inferiores, ac minores inueniamus: deberentque omnes, quotquot huiusmodi titulis præfulgent, vni Ioannis titulo sanctè inuidere. Non est itaque iactantia vlla ita se nominare, imò iactantię fuga, & beneficij accepti confessio, insignisque gratiarum actio. Ideò enim proprium nomen suppressit, seque per tertiam quandam indicauit personam, quò gratus de tanto existeret beneficio, & quia dulcissimum sibi erat hanc tantam CHRISTI dignationem recolere. Proinde magis est sancta quædam sui extenuatio, ac diuinæ admiratio dignationis, quàm iactan-

An vocare se discipulum quem diligebat Iesus, sit iactantia, & singularitas.

Gregorius. Alta non sunt quæ humili corde proferuntur.

iactantia: maximè quoniam, vt Magnus ait Gregorius, alta nō sunt, quæ humili corde proferūtur. Deinde voluit eiusmodi titulo seipsum prodere, vt apud lectores scriptis suis Euangelicis autoritatem conciliaret: qui enim tantoperè diligitur à Iesu, verisimile non est, eum in scribendo aut à Deo fuisse derelictum, aut à Iesu dilectore non summè fuisse adiutum, & ad scribendum illustratum. Tertiò, quoniam cœcus, aut fallax non est amor Iesu, sed veritate, sapientia, atq; oculis plenus, innuit, Ioannem vndequaque amabilem ob eximia Dei dona in eo collocata: quare ab eo amore se denominat, quasi illo obrutus, ac suiipsius penè oblitus, non secus atq; flumen minus ingressum in amnem maiorē, nominis proprij iacturam facit, tantumq; ab illo nomenclaturam accipit. Ac si dicat Ioannes: Nihil aliud sum, quam creatura quædā a potentissimo amatore Iesu dilecta. Hinc Ioannes tanta & in Euangelio, & in epistola sua Catholica de charitate, & amore philosophatur: & nihil magis habebat in ore dum vixit, quàm illud: *Filioli diligamus inuicem.* Non significatur autem hoc verbo, quòd Iesus alios non diligeret, sed quòd amoris argumenta exterius, ac plura exhibere solitus esset.

Amor Iesu qualis sit.

Simile. Quare Ioannes dictus sit discipulus ille quem diligebat Iesus.

Quem plus dilexerit Dominus, Petrū, an Ioannem.

Quòd autem secundæ dubitationi satis faciamus, dicendum est, Christum vtrumque Apostolum dilexisse, ac summo amore prosecutum, etsi nō vna, & eadem ratione. Teste siquidem B. Bernardo, Petrus fortiùs diligebatur, ac feruentius diligebat: Qui interrogatus ter à Domino, *Diligis me plus his?* respondit: *Domine, tu scis quia amo te.* Ioannes verò familiarius, ac suauius amabat: vnde & ipse à Domino teneriùs, & dulcius est deamatus. Non ergo Ioannes de amore illo substantiali charitatis, quo omnes Iesus Apostolos, atq; electos amabat, & qui delitescebat in corde, sed de teneriori, & familiariori, signisq; & operibus expressa dilectione loquitur, vt hoc loco Thomas rectè explicat: hoc est enim plerunque in Scripturis diligere, iuxta illud: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate,* & rursus: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem,* hoc est, externa dilectionis opera, in quibus illa se prodit interna, inuicem exhibueritis. Atque in hoc significatu capitur apud externos verbum amandi, ex quibus vnus dixit:

B. Bernard. *Ioan. 21.* Iesu in Petrū & Ioannem amor, atque horum in Iesum qualis extiterit, teste Bernardo.

Thom. lect. 3. in Ioann. Diligere in Scripturis quid sit. *1 Ioann. 3.* *Ioann. 13.*

Vt prastem Plyadem, aliquis mihi praestet Orestem.

Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama.

Hoc ille dixit, exhortans ad opera amorem contestantia, & in quibus vera exhibetur dilectio. Alioqui si de substantiali charitatis amore hic esset sermo, sibi videretur Iesus contradicere, qui paullò antè Petro dixerat, Simon Ioannis diligis me plus his? Ergo nequaquam de hoc amore loquitur, sed de illo tenero, ac familiari. Huius autem familiaris dilectionis mutuæ inter Iesum & Ioannem, signa & testimonia plurima erant: nimirum indiuidua & arcta sequela Ioannis ad Iesum, & admissio ad secreta mysteria, recubitus capitis in cœna super pectus Iesu, interrogatio de proditore, & commendatio sanctissimæ suæ matris de cruce facta. Hāc autem familiaritatem, ac dulcem dilectionem inter eos plurima conciliare potuerunt: vel corporum temperatura, concursus sanguinis, & humorum, vel adolescentia florida, & amabilis, vel vitæ puritas, atque integritas, vel mentis perspicacitas, vel similitudo morum, & studiorum, quæ omnia acceperat Ioannes à IESV non tantum conditore, sed etiam instauratore, quò esset sibi tantopere amabilis. Augustin. in Ioann. de dilectione eorum discipulorum edisserens, ita scribit: *Quis est duorum discipulorum melior, qui minus quàm condiscipulus eius diligit Christum, & plusquam condiscipulus eius diligitur à Christo, an ille, quem minus quàm condiscipulum eius diligit Christus, cùm plus ipse quam suus condiscipulus diligat Christum? Hic planè cunctatur responsio, & augetur quæstio. Quantum autem ipse sapio, meliorem quis plus diligit Christum, feliciorem verò quem plus diligit Christus, facile responderem: si iustitiam liberatoris nostri minus eum diligentis, à quo plus diligitur, & eum plus, à quo minus diligitur, quemadmodum defenderem, praeuiderem.* Hæc ille. Percunctaberis fortasse, quare Deus hunc singularem amorem ad Ioannem exercere voluit, atque in Euangelio prædicari quòd diligeret hunc discipulum. Respondeo id magnis de causis ab æterna sapientia, quæ Iesus est, factum fuisse, etiamsi ille nobis incompertæ essent, atque ignotæ: veruntamen subsunt causæ haud vulgares. Quas inter prima est, quòd se verum hominem, affectibusque humanis, ac synceris ostenderet præditum. Humanum est enim & hominibus familiare, huiusmodi anticipatis amoribus capi, etiamsi rationem reddere nesciat eorum. Altera est, quò ostenderet superioribus licitum esse salua iustitiæ æqualitate, aliquem ex subditis ob peculiaria dona prædiligere; nec propterea inferiores iustam aliquam rationem scandali obtendere debere. Tertiò, quia puritatis, & virginitatis culto-

Ioānem Christus Euangelistam cur tantopere dilexerit. *Infr. 29.*

Aug. tract. vlt. in Ioann. paullò ante med. tom. 9.

Quare Deus hunc singularem amorem ad Ioannem exercere voluerit, & in Euangelio prædicari hunc di[illegible]

I. Ratio.

II. Ratio.

III Ratio.

cultores, corporeque atque mente incorrupti, peculiari, ac dulci amoris ratione à Deo diligitur. Fuit autem singularis in Ioanne castitas, cuius à puero teste Euthymio tantam habuit curam, vt ne turpem quidem cogitationem vnquam in cor suum ascendere permiserit: non tamen talis amor quicquam detrahit, vel imminuit de aliorum amore, cùm diuinus amor infinitus sit, & inexhaustus: non enim angustus est, aut parcus Dei amor, sed ad varia, & distincta dona refertur. Cùm enim dilectio Dei efficax sit, effectumque aliquem bonitatis suæ in reipsa dilecta ponat, secundùm quem maior, minorve Dei dilectio nuncupátur, effectum quidem dilectionis ad vitam actiuam maiorem posuit in Petro, cui & claues dedit, & Ecclesiæ gregem pascendum credidit; effectum verò gratiæ ad vitam contemplatiuam maiorem posuit in Ioanne, qui super Domini pectus in cœna recubuit. Quanquam autem Iesus in hoc dilectionis genere Ioannē prædiligeret, Petro tamen, & nō illi Ecclesiam suam tradidit regēdam. Primò quidē, quia plus Deum diligenti committēda est Ecclesia: non autē plus amato à nobis: quia nos frequenter eos amplius diligimus, qui minus sunt apti ad regendas Ecclesias. Qua in re insigne dedit Iesus omnibus exemplū pastoribus, ne affectus suos in designandis Ecclesiæ pastoribus, qui sæpè fallaces sunt, consequantur. Secundò illud consilium Domini fuit, ne plus dedisse videretur cōsanguineo ob humanum carnis affectū, quàm Petro ob eius singularia, & præclara merita. Qua in re grauissimè interdum à nostris peccatur maiorib⁹, qui nullos magis idoneos, & magis de Ecclesia benemeritos existimant, quàm suos nepotes, vel cognatos, vel familiares. Denique consultò Ecclesiam Petro, & non Ioanni tradidit; ne iuniores, cæteris paribus, maturis viris, aut senioribus præferamus: nec conferēdum est Ecclesiasticum beneficium ætatem legitimam nondum habenti, ob spem quæ de eo concipitur, si sit qui ætatē, & cætera necessaria ad prælationem dona actu habeat. Præposterum enim est, vt puellæ nubili, & viro maturo aptæ puer in maritum assignetur, quem multis annis expectare habeat, quo idoneus ad opera cōiugij reddatur. Sed meo quidem iudicio grauius est, ac penè monstro simile, Ecclesiæ, quæ nunc indiget pastore, atque doctore, qui eam doctrina, ac bonæ vitæ exemplo pascat, ac fœcundet, de puero aliquo, qui sit omnium disciplinarum expers, & pessimis moribus corruptus, prospicere, ob eam tātùm rationem, quod spem concipiamus illum ad bonam frugem rediturum, atque ea comparaturum dona, quæ præstando muneri, ad quod assumitur, sunt necessaria.

Euthym.

Amoris efficientia.

Matth 16.
Ioan. 21.

Sup. 13.

Quare Christus Petro, & non Ioanni Ecclesiam suā regendam tradiderit.

In eos Prælatos, qui nullos magis idoneos ad Ecclesiam regēdam arbitrantur, quam nepotes, & consanguineos suos.

Ad tertio loco propositum dubium dicendum est, quòd etsi verum sit, mutuam fuisse, ac reciprocam inter Iesum, & Ioannem dilectionem, cùm adhoc diligat Iesus quenquam, vt ab eo diligatur; pluries tamen in sacris literis dicitur, discipulus quem diligebat Iesus: & vbicunque hoc dicitur, eximiam aliquod Dei donum, ac peculiaris quædā Ioannis prærogatiua adiungitur. Quemadmodum Ioann. 13. in cæna, in qua & recubitum habet super pectus, & interrogauit de proditore, ibi primùm dicitur: Vnus ex discipulis, quem diligebat Iesus. Deinde sic nominatur, dum crucis patibulo assisteret, Ioan. 19. vbi tam singulare commendatæ matris priuilegium obtinuit. Tertiò, in aduentu Magdalenæ ad renuntiandum Apostolis Christum suscitatum, dicitur peculiariter venisse ad Petrum, & discipulum quem diligebat Iesus, Ioann. 20. qui & cucurrisse cum Petro in monumentum describitur, quod & ipsum charisma Dei fuit. Quartò, in apparitione ad mare Tiberiadis sic quoque vocatur Ioann. 21. vbi tum singulare amoris signum accepit, Dominum præ alijs nouisse, ac Petro reuelasse. Quintò denique hoc loco ita nominatus est, vbi singulare priuilegium illi concessum describitur, quòd maneat, donec iterum IESVS veniat. Potius igitur vocat se discipulum quem diligebat Iesus, quàm discipulum qui diligebat Iesum. Primò quidem, quia prior est CHRISTI ad nos dilectio, quam nostra ad Deum: *Non quasi nos*, ille inquit, *dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*: ac proinde causa est, & origo nostri amoris: amauit enim IESVS nos, quo posset à nobis redamari. Deinde amor Christi ad nos præstantior est, & maior illo nostro ad Iesum: quia ille, si personam spectes, æternus est, & infinitus, atque opere singulari incarnationis, ac mortis nobis declaratus: & Eucharistia, qua se in cibum donat, ostensus est quoque diuturnior, & minimè interruptus: At verò noster si cum illo componatur, paruus est, atque imperfect⁹, ac veluti Sol in speculo, vel in aqua resplēdens, cùm alter sit vt Sol in cælo vnicus. Est prætereà ille non adeò purus, propriæque vtilitati deseruiens; quia potius redamamus, quam amemus: remittitur prætereà plerunque atque interrumpitur. Tertiò ampliorem dignitatem ex eo quòd à Deo

Cur potius Euangelista non dixerit: Hic est discipulus ille, qui diligebat Iesum.

Solutio quæstionis propositę.

Prima solutio quæstionis propositæ.

1. Ioann. 4.

Secunda ratio.

Amor Iesu erga nos qualis sit.

Tertia ratio.

diligitur, quis ſibi vendicat, quàm ex eo quod Deum diligat. Quid enim mirum, ſi creatura ratione prædita infinitum illud bonum, & pulchritudinem tam amabilem, & tam nos amantem diligat; pręſertim cùm tantum emolumenti, & fructus ab ea dilectione ſibi comparet? At verò illud admiratione dignum, quòd Deus optimus maximus, homines, hoc eſt, vermes humi repentes, ac putidos, & nihil ſibi boni conferentes diligere non dedignatur. Quod Propheta admiratione proſequens, dixit: *Quid eſt homo quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Et Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs.* Et infrà: *Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Et hæc ſint ſatis ad dictas dubitationes.

Pſalm. 8.

Iob 14.

Sequitur in textu: *Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat* IESVS *ſequentem. Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autem quid?* ſcilicet paſſurus eſt, vel quid facturus: quaſi diceret, Num & ipſe te quoque ſequetur? num eadem nobiſcum via ingredietur? num morte crucis curſum ſuum conſummabit? Siquidem intellexerat Petrus, quid Dominus nuiſſet illis verbis, *Sequere me*, quemadmodùm Chryſoſtom. Euthymiuſq; interpretantur. Et Cyrillus exponit: *Hic autem quid? id eſt, Quis vitæ illi terminus imminet?* Ratio quoque contextus id ipſum indicat: quia reſpondet ſic illum velle manere donec veniat. Eſtque planus ſenſus: Cur non das amico, quod mihi, vt ſcilicet ſit martyr, & crucis morte te clarificet? Hoc autem Petrus aut ex officio paſtoratus ſibi commiſſi fecit, curam accipiens Ioannis, tanquã ouiculæ pretioſæ, & ſibi chariſſimæ; aut ex cauſa, quam acutè vidit Ambroſius in Lucæ poſtremum cap. ita ſcribens: *Poſt tentationem præſumptionis ſuæ Petrus iam non audet voluntatis perſeuerantiam polliceri, ſed quaſi ad ſolatium ſui conſortium quærit alterius.* Aut fortè ex ingenti amore, quo peculiariter Ioannem diligebat, atque eius exitum, & fatum, non minùs quàm ſuum ſolicitè curabat: nam res eſt ſoliciti plena timoris amor. Quanquam fieri potuit, vt aliquid fuerit humanæ curioſitatis, quæ interdum magnis, & ſapientibus obrepit viris: ſæpeque namque noſtræ vocationis obliti, in alios, vel aliorum vocationes, quæ ad nos non ſpectant, oculos conijcimus. Quod per imprudentiam ſæpè accidit nobis, qui inſtar vxoris Loth, quæ retro contra Dei mandatum aſpexit, intentique alienis, in domo propriæ non cohabitamus conſcientiæ. Et ad hoc videtur ſpectare Chriſti reſponſio, cùm obiurgatiuncula quadam dicentis: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Id eſt, vanum eſt tibi de alijs ſolicitari, te ipſo prætermiſſo, ac neglecto.

Chryſoſtom. Euthym. locis citatis. Cyrill.

Quorſum Petrus inquit: Domine, hic autem quid?

Ambr. lib. 10. in Luc prope fin. tom. 5.

Ouid. ep. 1. initio.

Proprium humanæ curioſitatis.

Geneſ. 19.

Quòd ſi à CHRISTO alia reſponſio B. Petro non eſt exhibita; quod nobis curioſiſſimis, alienas res, quæ ad nos minimè ſpectant, & vtilitatem nullam adferunt, ſciendi ſitientiſſimis, putamus dandum eſſe reſponſum? Ideò in Dei iudicijs conquieſcamus, ac de nobis, noſtraque vocatione ſolicitè curam geramus. Permiſit autem Dominus, Petrum in hanc interrogationem incidere, vt commodam occaſionem captaret, inutiles, & curioſas noſtras quæſtiones, quibus plus operę, & temporis impendimus, quàm par ſit, reprehendendi. Rectè dictum eſt à Philoſopho quodam: Quæ ſupra nos, nihil ad nos: quò non nomen illud potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis plenum, aut eius ſancta, & iuſta iudicia, quibus bonis præmia æterna, impijs verò, atque ſceleratis perpetua decernit ſupplicia, deſpicere debeamus; ſed quòd ea, quæ omnino intelligentiæ noſtræ captum excedunt, illorumque contemplatione obruimur, minimè quæramus. Vnde & ab alijs inueſtigandis ſalubriter admonemur ab Scriptura, cùm ait: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non fueris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Et in alio loco: *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Rectè de quodam Philoſopho traditum eſt, qui dum cœlorum, aſtrorumque inſpectioni magnum ſtudium, & operam poneret, in foueam præaltam inconſideratè incidit. Tales ſunt qui incomprehenſam naturam, intimaſque, atque ſubſtantiales eius actionis, diuinæque prædeſtinationis, ac reprobationis myſteria curioſiùs perueſtigantes, in turpes, & pudendos errores prolapſi ſunt, & velut illi, qui dum contendunt intueri in rota ſuæ ſubſtantiæ Solem, oculorum eorum acies obtunditur, ac hebetatur. Danda eſt nobis opera, vt Dei præceptis faciamus ſatis, proximoq; debitũ charitatis pendamus: reliqua vero eatenus ſint nobis aut attingenda, aut reſpuenda, quatenus ad amorẽ Dei fouendum, & proximi charitatem alendam

Contra curioſitatem.

Socratis dictum: Quæ ſupra nos, nihil ad nos, quo tendat.

Eccl. 3.

Prouer. 25.

Qui ſcrutatores ſunt maieſtatis, quibus ſimiles ſint.

dam faciunt. Et tale aliquid continebat ista Petri curiositas, quam Dominus suo verbo repressit: nam quid esset Ioanni euenturum scire, & quo mortis genere Deum glorificaturus, ad Iesum solum, non autem ad Petrum pertinebat. Docemur deinde, quàm minimum de aliorum vocationibus, aut de studijs, aut delictis cogitare: nam illis plerumque implicamur, dum aut eorum exemplo vitia amplectimur, aut illorum comparatione nos ipsos in oculis nostris iustificamus: quare non solùm temerè, sed etiam periculosè hæc fiunt. Non tamen per hæc excludere volumus aut necessariam curam parentum de filijs instituendis, ac filiabus locandis, quam ipsa ratio, ac natura præscribit, Deique præceptum commendat. Neque rursus per hęc, diligentem, ac debitam pastorum solicitudinem, ac singularem de suis ouibus prouidentiam, ac congruam gubernationem soluere volumus: illud enim gratum esset Episcopis, qui residendi detrectant studium, & cognitioni ouium suarum incumbere permolestè ferunt. Nam nisi pastor omni studio, & opera, quoad potest, peccata subditorum pręueniat, aut admissa crimina condignis supplicijs plectat, aut in eorum mores, & vitam inquirat, ita vt vigeat Ecclesiastica disciplina, & vigilantia, profectò munus non exercet pastoris. Denique non eò tendit nostra oratio, vt communem illam naturæ legem, qua Dominus edixit, atque vnicuique mandauit de proximo suo, abrogare velimus: ea enim charitas erga vnumquemque proximum exercenda est, vt salutem eius omnino non negligamus, aut profectum eius siue in fugiendis vitijs, aut in amplectendis virtutibus quoad eius fieri potest, deseramus: omni tamen curiositatis specie abiecta, & auiditate perscrutandi quæ ad rem non pertinent, vt hac ratione promereri nobis valeamus diuini numinis clementiam, & charitatem conciliare magni illius amatoris, atque mundi reconciliatoris Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis honor deferendus est ab omni creatura ratione prædita, eius laudes decantandæ, nomenque eius sanctissimum toto terrarum orbe illustrandum in seculis seculorum, Amen.

Alienas res minimè inquirendas.

Quæ cura, seu curiositas minimè negligẽda, aut damnanda, quin etiam procuranda.

Eccl. 17.

TRACTAT. XXXII.

In illa Domini verba ad Petrum de Ioanne dicta: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit eis Iesus, Non moritur: sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* &c. Ioan. vlt.

EXPEDIVIMVS ea, quæ hæc verba præcedebant: quæ etsi non essent admodum obscura, suas tamen peculiares difficultates habebant, quas hactenus pro virili explicare contendimus; iam quæ præ manibus habemus verba, difficiliora sunt, magisque implicata, ita vt Ioannes excludat falsum discipulorum sensum ex illis elicientium, quòd nequaquam esset moriturus. Quò autem nos omnia planiora faciamus, duplici hic locus constat difficultate. Altera circa Grammaticam; nam quidam legunt, Si eum volo manere; alij, Sic eum volo manere; rursus iunctim alij legunt, Si sic eum volo manere. Altera vero difficultas est interpretum, qui in varias sententias diuisi sunt. Sunt enim in primis, qui existimant Ioannem esse quidem mortuum, sed mox corpore suscitatum, & in cęlo cum CHRISTO regnare beatum; quidam verò tradunt esse mortuum, corpusq; eius in sepulcro delitescere: quod vt planè falsum Augustinus in Ioannem scribens reprehendit. Qui relicta historiæ veritate, de vita contemplatiua figurata in Ioanne, quæ semper manet, & quæ non auferetur ab eo in ęternum, interpretatur, deque vita actiua delineata in Petro, quæ in morte deficit. Alij tertiò interpretantur de mansione Ioannis vsque ad aduentum Christi, id est, excidium Ierosolymæ, quia inter Apostolos ille solus in Iudæa mansit, alijs per orbem dispersis, atque extinctis vsque ad illa tempora: & tunc defunctus est, vt testantur Chrysost. Theophylactus, & Euthymius. Alij quartò, vt Hieronymus, & Glossa, atque Caietanus interpretantur: Sic eum volo manere absque passione martyrij, & mortis, donec veniam ad vocandum eum ad me. Vnde in eius vitæ historia legitur, quòd cum nonaginta esset annorum, apparuit ei Dominus Iesus Christus, & inuitauit eum ad cœleste conuiuium. Alij quintò, tam Græci, quam Latini Patres, exponunt de Ioannis mansione vsque ad secundum Domini aduentum sine morte: & tunc cum Helia & Henoch contra Antichristum (vt aiunt) pugnabit, mortemque oppetet pro Christo. Vides quam in diuersas sententias Patres sint distracti? Sed operæpretium est, singulas per se opiniones discutere, quantumq;

Duplex huius loci difficultas.

De morte Ioannis variæ opiniones.

Aug. tractat. 124. in Ioan.

Luc. 10.

Chrysost. hoc loco Theoph. Euthym. Hieronym. Glossa. Caietanus.

tumque vnaquæque habeat probabilitatis, in disputationem vocare, quò verbis CHRISTI, ac veritati, Patrumque testimonijs magis fauentem sententiam indicare valeamus. Consultò autem quæstionem illam Grammaticam de illis aduerbijs, an legendum sit, Si, vel Sic, vel Si sic, nunc prætermittimus, quia faciliùs, & commodiùs simul cum re ipsa inferiùs explicabitur. Prima igitur sententia erat eorum, qui Ioannem mortuum quidem esse statuunt, sed confestim cum corpore beato suscitatum, in cœlo regnare cum CHRISTO. Ita enim scribit Ambrosius in Psalmum 118. in illum versiculum: *Vide humilitatem meam, & erue me: Omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur à* CHRISTO. Hæc ille, sed non satis clarè de resurrectione eius loquens: & possunt illa verba de anima sola intelligi. Idem tamen sermone de sanctis martyribus qui sunt inter Pascha & Pentecosten, vt à quibusdam producitur, apertè docet Ioannem suscitatum, his verbis: *Sed fortaßè quis dicet: Sepulcra constricta, monumenta clausa sunt, quemadmodum prodire exinde potuerunt? Vt taceamus quia omnia poßibilia sunt Deo, & clausis tumuli penetralibus poßit spirituale corpus educere. Vt hæc omnia prætermittam, Ioannis tamen Apostoli habemus exemplum, quem tumulus acceptum claudere potuit: nam depositum corpus perdidit, non assumpsit. Hinc enim clausis tumuli foribus gratia resurrectionis sublatus est, vt constaret sepultura & non inueniretur sepultus. Deniq; cum Sacerdotes adorandi causa corpus inquirerent, reserato habitu tumulus non potuit reddere quem susceperat.* Accedit ad hanc sententiam Callistus in Ecclesiastica Historia: *Non dixit ei,* inquit, IESVS, *quòd moriturus non sit: moriturus est enim eo, quo Dei genitrix modo: confestim verò requiescet, ac resurget, incorruptibili scilicet corpore, alterum Magistri expectaturus aduentum.* Et paulò superius: *Si eum, inquit, volo in præsenti vita cum corpore manere, donec veniam (casum Ierosolymorum, aut secundum aduentum suum scilicet intuens) quid ad te?* Hæc ille, vbi videtur annuere iam suscitatum in corpore incorrupto, & expectare secundum Domini aduentum. Idem libr. 2. confirmat his verbis: *Nam postquam venisset ad sepulcrum, & in illud sponte se intulisset, seque ad obitum composuisset, subiungit: Et Ioannes quidem ita diem suum obijt. Dei autem ineffabilis atque inuestigabilis gloria, ea, quam ipse solus nouit, hora illucescens, corpus eius terrenum, & corruptibile, in immortale, & incorruptibile (ô miraculum ingens) transmutauit, & in diuinum paradisum, itidem vt omnibus laudibus celebrandam Dei genitricem, quæ per gratiam mater eius fuit, recepit.* Eandem sententiam secutus est Isidorus in libris de Etymologia, & prætereà Beat. Thomas in Quarto, & in Ioannem. Albertus quoque Magnus scribit, quòd corpore, & animo translatus est ad locum beatorum, tum quia in sepulcro eius non inuenitur corpus, sed ex illo manna scaturit, ac ebullit, in signum, quòd dum viueret, populum cœlesti pane pauerit, ac modò per Euangelium pascit. Deinde quòd non est credibile; corpus tanti Apostoli Deum reliquisse sine veneratione, vel in cœlo, vel in terra: cũ igitur in terra nullam venerationem habeat, erit in cœlo glorificatum. Tertiò subiungit, pium esse credere, quòd corpus Virginis Dei templum, ex quo sumptum est corpus Christi, gloria resurrectionis sit vestitum: & ita custos templi Dei, hoc est, Ioannes, ad immortalem gloriam in cœlo cum corpore peruenerit. Idem quoque super hoc Euangelium docet Cardinalis de Turrecremata. Beatus quoque Hieronymus in epistola ad Paulam, & Eustochium de assumptione B. Virginis (si tamen eius existat) hoc sentire videtur: docens quosdam astruere, Dei Matrem Mariam beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri. Quod & de Beato Ioanne Euangelista eius ministro, cui virgini à CHRISTO Virgo commissa est, plurimi asseuerant: quia in sepulcro eius, vt fertur, non nisi manna inuenitur: quod & scaturire cernitur. Sic ille. Hæc sententia de Ioanne suscitato, & beato in cœlo, aliam inuoluit, atque continet, quòd Ioannes videlicet quieta morte sine martyrio obierit, vt Hieronymus docet, & Beda, & Glossa, quæ habet super illud; *Sic eum volo manere, donec veniam: Nolo, inquit, eum per martyrium consummare, sed expectare eum placidam carnis absolutionem, quando ego veniens recipiam eum in æternam beatitudinem.* Caietanus quoque ait: *Sensus literalis esse videtur: Quod si eum volo manere in hac vita donec veniam, quid ad te? Et multò minùs ad te pertinet scire, si eum volo manere sine aliquo genere mortis violentæ, donec veniam ad accipiendum eum ad me. Ad quem enim non spectat scire mortem, vel vitam Ioannis, multò minùs spectat scire genus mortis.* Hæc ille. Et ante alios omnes Petrus Damianus sermone 20. De excellent. Beat. Ioannis Euangelistæ idem sensit. Ait namque: *Qui enim Petrum voluit*

secum

De Euãgelistæ Ioannis morte quid senserint Patres. Prima opinio.

Ambr ser. 20. in Psalm. 118. tom. 3.

Idem. Hanc sententiam producit Lypoomanus in vitis sanctorum, vt Ambrosij.

Matt. 19.

Niceph. lib. 2. Eccles. Histor. ca 35.

Idem l. 2. ca. 42. in fine.

Isidor. Hispalensis. B Tho. in 4. dist. 43. ar 3. quæst. 1 ad 2. Idem lect. 5. in Ioan. Alb. Magn. in c. Ioan. vlt.

Card. Turrecremata

B. Hieron. to. 4. ante med.

Ioan. 19.

Idem. Bed. in Ioan. Gloss. ord.

Caietan.

Petrus Dam.

secum in patibulo crucis triumphare, ipse decreuit, Ioannem in Ecclesiastica pace quiescere, quatenus migraret, & ille subeundi martyrij praeberet exemplum, & iste erecta super fundamentum fidei Ecclesiae fabrica quietus perueniret ad caelum. Ille enim secuturis martyribus fuit constantiae forma: iste nouiter in fide plantatis extitit morum, & virtutum spiritualium disciplina. Sic eum volo manere donec veniam. Veniam (inquit) *vt eum vinculo carnis absoluam: veniam, vt eum ad gloriae meae consortium transferam: veniam, vt laboribus eius dignae remunerationis praemium reddam*. Huc vsque Petrus ille. Et ad eum ferè modum exponit Lyranus. His igitur autoribus, ac rationibus nititur haec prima sententia, fitque propter Patres, qui eam asserunt, probabilis. Quanquam re vera, si haec esset germana, & propria expositio huius loci, nihil singulare IESVS de Ioanne diceret, quia ille ad omnes bonos, & non minus ad Petrum, quàm ad Ioannem hora mortis venire solet. Deinde ille Domini ad morituros accessus, non est propriè CHRISTI aduentus in Scripturis. Adhaec priuilegium illud suscitati corporis solùm competit CHRISTO, ac Matri Virgini; adeò, vt Episcopus Abulensis in Matthaeum asserat priuilegium nulli alteri concessum. Ex reuelatione etiam à quibusdam traditur, tantùm duo corpora, CHRISTI scilicet, & beatae Deiparae in caelo existere. Prætereà Patres antiqui vix illum asserunt suscitatum: nam Ambrosij primum testimonium potest exponi de anima beata, vel etiam de existentia in paradiso terrestri, propter transitum per ignem. Secundum testimonium mihi Ambrosium lustranti non licuit inuenire: Hieronymi epistola de Assumptione à multis reijcitur tanquàm parum germana; nec Hieronymi redolens stylum; neque quicquam de suo asserit, sed tantùm recitat aliorum opiniones. Nicephorus asserit, quòd suscitatus manet hic vsq; ad iudicium: quod durum, & violentum est: ad quid enim iam suscitatus sine fructu hic maneret, cùm tempore Antichristi corpore beato non sit pugnaturus? Thomas, atque Albertus vt rem pietati consonam affirmant, minimè verò vt articulum Fidei necessarium. Postremò quae mansio fuisset eius apud nos, qui per mille & quingentos annos versatur in caelo à nobis disiunctus? Certè Chrysostomus Theophylacti interpres, ac Nonnus paraphrastes legunt: *Si eum volo hic manere, donec redeo*, Expende verbum, *Hic*, id est, in hac vita. Atque hactenus de prima sententia disputatum sit. Illa verò

Prædictæ opinionis incommode.

Abulens. in Matt. quaest. 230.

B. Brigitt. li 8. cap. 26.

Chrysostom. Theophyl. interpres. Nonnus paraphrast.

quae huic erat coniuncta sententia, & quasi cum ea inuoluta, & complicata, exponebat, Ioannem sic mansisse martyrij, & mortis expertem, donec venit Dominus ad eum moriturum, & ad placidum mortis genus inuitauit. Vel, vt exponit Beda, volo eum absque violenta persecutoris morte diem expectare nouissimum, quando ipse veniens in aeterna beatitudinis mansione accipiam placidè sine dolore mortis. Dicendum, si acutè rem ipsam discutiamus, & veritatem diligimus, haec dura esse, & coacta. Nam simpliciter in Scripturis non est alius aduentus CHRISTI, nisi ille prior in carne, & posterior in gloria ad iudicium. Et Dominus ad omnes iustos, cùm è vita migraturi sunt, solet venire, siue morte placida, siue violenta contingat illos ex hoc mundo discedere: atque hac veniendi ratione non minus venisset ad Petrum, quam ad Ioannem, & de quolibet dici posset: Si eum volo manere, scilicet quoad ego per mortem ad me euocem illum. Adhaec illa Bedae expositio minus potest consistere. Nam quid priuilegij haberet Ioannes, quod non esset illi commune cum Petro, & alijs omnibus iustis, ad quos omnes suscipiendos, & condigno pro cuiusque meritis praemio remunerandos nouissimo die veniet Iesus? In vtramque verò expositionem facit, quia non desunt & doctrina, & antiquitate conspicui Patres, & inter eos Papias Hieropolytanus Episcopus, & Origen. in Matth. qui contestantur à Iudaeis percussum mortem obijsse. Secundò, alij sentiebant, quòd Ioannes in sepulcro suo delitescat, ac dormiat vsq; ad diem iudicij, à Domino tunc excitandus. Ita enim ex quorundam sensu docet Augustinus super Ioan. qui referunt apud Ephesum extare sepulcrum suum, suamque vitam scaturigine pulueris testari, atque indicare. Quanquam autem August. non audeat reprehendere, quòd terrae puluerem iactet: illud tamen reprehendit, quòd Ioannes dilectus discipulus tantoperè dormiat in sepulcro priuatus dulcedine contemplationis, & meritorum incremento, cùm dormiens mereri nequeat. Et quare pro magno munere longum in corpore donauit somnium, cùm B. Petrum per ingentem martyrij gloriam ab onere corporis soluerit, eique concesserit, quòd Apostolus Paulus se concupisse dixit, & scripsit, dissolui, & esse cum Christo? Tertia sententia est B. August. in eodem loco, quòd in Petro qui moritur, significatur vita actiua; in Ioanne, qui manet, contemplatiua. Sed hic sensus etsi elegans sit, ac

Beda tom. 7.

Domini aduentus celebres, atque solennes in Scriptura duo.

Papias Hieropolyt. Episc. de quo Euseb. li 3. c. vlt. Orig. tract. in Matt. 12. to. 2.

Contra secundam opinionem.

Aug. tractat. vlt. in Ioann. prope inet. tom. 9.

Philipp. 1.

Tertia opinio refellitur.

August. ibid.

verus, constat tamen mysticum esse, vel allegoricum,& à literæ historia, & re ipsa gesta alienum: quare non est, quòd in eiusmodi sensu infirmando multum laboremus. Quarta sententia est quorundam Græcorum Patrum, Chrysostom. Theophylacti, Euthymij, atque Nicephori paulò ante producti, quòd promiserit CHRISTVS Ioannem non moriturum vsque ad aduentum suum contra Iudæos, ad percutiendum eos per Romanos, sub Tito, & Vespasiano, quòd inter Apostolos solus Ioannes non fuerit dispersus extra Iudæam, & solus superstes vrbis excidio extitit, & eò vsque vitam produxerit. Atque ad hunc sensum confirmandum asserunt in Scripturis dici Dominum venire, quando flagellat, aut tribulationem aliquam intulit: vt cùm dicitur in Apocalypsi: *Ecce venit cum nubibus,& videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et infra: *Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: & Malachias: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius?*&c. Oecumenius talem sensum huius loci agnouit. Nam scribens in illa verba epistolæ Iacobi: *Patientes (siue longanimes) igitur estote, fratres, vsque ad aduentum Domini*, sic ait: *Dicit Romanorum insultum, & Iudæorum sub his captiuitatem, quam etiam aduentum Domini vocat: quemadmodùm & Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, cùm de suo loquitur interitu, ipsum Dominum inducit dicentem: Si eum velim manere donec veniam. Etenim huic prorogatum est tempus huius vitæ vsque ad captiuitatem Ierosolymorum, & paulò vltra illud tempus. Quodque Domini aduentus & in hoc loco, & in Ioanne sit euersio Ierusalem, manifestum etiam est à Propheta, qui ait: Ecce Dominus veniet,& quis sustinebit diem ingressus eius? vtpote Domini aduentu ferente aduersus impios supplicium,* Sic & Ioannes Chrysostomus in quadam enarratione sua, hoc idem, *Donec veniam*, explicans: *Hoc dictum,* inquit, *significare vult omnimodam euersionem Ierusalem.* Hæc ille. Verùm hæc sententia sua improbabilitate laborat. In Sacris quippe Scripturis non nisi solennes duo inueniuntur CHRISTI aduentus, primus in misericordia,& secundus in iustitia: & propter hunc secundum metaphoricè dicitur venire, quando flagellat homines, ac vexat, siue in vitia, siue in morte, in qua omnibus commoditatibus, ac bonis spoliamur. Deinde non est vsquequaque certum, atque exploratum, solum Ioannem vitam produxisse vsque ad tempus excidij Ierosolymitani, ac euersionis prouinciæ Iudææ. Euthymius siquidem in cap.24. Matth. alios Apostolos excidio sanctæ vrbis superuixisse tradit, & Oecumenius Simonem Apostolum fratrem Iacobi, ac successorem eius in Cathedra Ierosolymitana, eum protraxisse vitam vsque ad excidium tradit. Tertiò Apostoli manifestè intellexerunt verbum Domini de aduentu eius ad iudicium, colligentes, etsi falsò, quod non esset ampliùs moriturus. Quartò, nihil singulare, aut eximium verba CHRISTI continerent, si essent explicanda: Si eum volo manere, scilicet vsq; ad excidium, quod fuit quadragesimo anno post CHRISTI mortem: at verò à morte Petri, quæ incidit in 14. annum Neronis, ad excidium primo anno Vespasiani, non fluxerunt præter tres, aut quatuor annos. Quid igitur magnum continet hæc CHRISTI de Ioanne prophetia, si tantùm explicare voluisset, quòd per quadriennium supra illam Petri, vita eius produceretur? Adhæc ex fide dignis historijs constat, Ioannem Euangelistam non solùm ad Titum vsque, sed etiam ad Traiani tempora vitam prorogasse. Vides igitur quibus premantur angustijs, qui prædictis modis exponunt hæc Domini verba. Sunt etiam qui contendunt, Si, accipi hoc loco pro Quidsi, vel pro, An, & non cum indicatiuo Volo, sed cum subiunctiuo, Velim, vel vellem: vt sit sensus; Quid si velim, vel Vellem eum manere donec veniam, quid ad te spectaret? Ac si diceret; Si etiam vellem illum minimè mori, quid tu inde emolumenti, aut gratiæ consequereris? vt exponit Cyrillus. Et ita directè tendit contra superfluam Petri curiositatem, qui sui oblitus aliena scrutabatur: quare non conueniebat, vt Dominus illi curiositati satisfaceret, cui tamen satisfecisset, si voluisset, illum non moriturum vsque ad secundum aduentum, indicare. Et cum Ioannes refellit falsum fratrum intellectum, non subijceret, *Et non dixit ei Iesus, Non moritur: sed, Si eum volo manere donec veniam quid ad te?* Sed omittendum erat illud, *Quid ad te?* sicut omisit illud, *Tu me sequere:* quia illud ad perfectionem sententiæ, qua videri poterat Dominus significasse Ioannem non moriturum, non pertinebat. Sed certè etsi nouum non sit, particulam, Si, illa significata complecti in Scriptura: tamen Græci interpretes in eo loco non agnouerunt, & satis diximus Indicatiuo fuisse adiunctam, & admittimus obiurgatum Petrum de superflua curiositate, qua finem dilecti CHRISTO, ac sibi discipuli scire cupiebat. Sed cum illa obiurgatiuncula præ eius

inue-

Quarta opinio, quæ etiam confutatur.
Chrysostom.
Theophyl.
Euthym.
Nicephor.
Inter Apostolos solus Ioannes vsque ad Ierosolymitanæ excidium mansit vrbis, teste Chrysostomo.
Dominum venire, in Scripturis quid.
Apoc.1.
Infr. 3.
Malach.3.
Oecumen.
Iaco.6.
Ioann.13.
Chrysost.

Euthym c.37. in Matth.
Oecumen.
Simon Apostolus Iacobi frater vsque ad excidium Ierosolymæ superuixit, teste Oecumenio.
Cyrill. hoc loco.

inuestigationi aliquo modo voluit satisfacere, sed rectè, & obscurè, vt propterea datus sit locus opinioni fratrum, & aliorum, qui sentiunt eum adhuc esse superstitem, dicendo: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Poterat enim apertius dicere; Si eum velim non mori, vel sine morte vlla permanere, quid id ad te spectaret? Verùm quia vsus est illis verbis, manere donec veniam, mysterium aliquod aperire voluit diuina illa Christi sapientia quæ loquebatur, & quæ interdum obiurgando docere solet, vt cum dixit parentibus eum anxiè quęrentibus: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et si Christus interrogatus à Ioanne recumbente super pectus eius, Domine, quis est? qui scilicet traderet te: non est dedignatus indicare, dicendo, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero, quæ maior videbatur curiositas, & minus vtilis; quid mirum si Petro ex pietate quadam, & peculiari in Ioannem dilectione interroganti de eius exitu, & fato, Dominus non recusauit etiam illum obiurgando erudire & respondere? Iudæis etiam petentibus ex curiositate signa, & dicentibus. *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* respondit rectè, signum perfectum dando: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Sunt postremò alij, qui probabiliter sentiunt, reuera Ioannem necdum esse mortuum, sed ingressum tumulum luce diuina circumfusum, ac protectum, in paradisum terrestrem translatum fuisse: vbi nunc manet, atque inde cum Helia, & Henoch proditurum esse, atque fidem Euangelicam contra Antichristum propugnaturum, & tandem pro Christo occubiturum. Huius expositionis firmamenta primo loco explicabimus; deinde testimonia Patrum producemus; tertiò quæ in illam obijci possunt argumenta diluemus. Hic ergo sensus ex ipso in primis contextu robur habere videtur: nam dicitur, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Vbi particula Græca ἐάν, Latinè vertenda est si, non affirmatiuè sic, quod satis indicat verbum illud, *Quid ad te?* quæ magis docet legendum si, quam sic, etiamsi vnus vel alter posterior codex habeat, ἐὰν οὕτως, hoc est, si sic. Verùm id veteres non habent codices, neque necessaria est illa particula, Sic, quam in se includit particula Si. Vt enim obseruauit Priscianus, homo Græcè, Latineque eruditus, eadem est vis Græcæ particulæ ἐάν, atque Latinæ Si: nam addita Indicatiuo, affirmat; adiuncta verò subiunctiuo, suspendit, & rem in dubium reuocat. Quæ vt exemplis illuminetur, ac perspicua reddantur: si quis diceret, Si edo carnes in die Veneris, quid ad te? plana est affirmatio quod edat: quòd si proferat; Si ederem carnes, quid ad te? hic proculdubio suspendit, & rem sub conditione ponens nihil asserit. Simile est, si quis enunciet: Si amo te, non detraho tibi: id est, Quia amo, nequaquam detraho: at si pronuntiet, Si amarem te, non detraherem tibi, nihil asserit, an amet, necne. At hoc loco verbum θέλω dubium est; an indicatiuè, an subiunctiuè sit legendum, cùm eodem modo scribatur, vertiq; propterea possit, Volo, & velim, vel vellem. Adhæc posterior lectio, velim, vel vellem, non quadrat. Primò ob sensum Apostolorum, qui intellexerunt eum non moriturum: quem sensum non accepissent, si Dominus dixisset, Si vellem eum manere, &c. Secundò ob interpretes tot Latinos, & consuetudinem tot seculorum, quæ habet, & legit, si volo. Tertiò propter Patres Græcos, & Latinos indicatiuè posito verbo locum hunc explicantes. Certè Nonnus paraphrastes Ioánis, & Simeon Metaphrastes in ipsius vita apertè vertunt, Si volo. Præterea ponderandum verbum manendi. Est autem manere, nihil aliud reuera, quam absque interitu viuere, siue minimè mori, vt Apostoli explicantes verbum Domini, licet falsò, accepisse videntur, quòd videlicet non moreretur. Apud eundem quoq; Euangelistam c. 12. ponitur hoc verbum in eadem significatione. Dixerant enim Iudæi, *Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis?* Vbi morti crucis opponitur manere. Et Paulus in prima ad Corinthios loquens de illa visione, qua se Christus conspicuum reddidit plusquàm quingentis fratribus, subiunxit: *Ex quibus multi manent vsq; adhuc,* id est, sunt superstites. Et Dominus de Sodomis apud Matthæum inquit: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsq; in hanc diem.* Atq; ita etiam Ethnici autores vtuntur ea voce, inter quos Poëta dixit:

Troiaq; nunc staret, Priamiq; arx alta maneret.

A verbo manendi dicti sunt dij Manes, quod extinctis corporibus animæ solæ immortales remaneant. Non est autem manere vel mori, & esse in cœlo, vel viuere sub sepulcro, vel viuere ad excidium vsque vrbis sanctæ, vel viuere vsque ad mortem: quia esset absurdus sensus, Volo eum viuere, donec moriatur, vt sententiæ confutatæ exponebât. Est ergo sensus, Volo eum manere absq; morte, donec secúdò

Luc. 2.

Ioan. 13.

Sup. 2.

V. opinio, autori quæ magis probatur, & arridet.

I. argumentũ ex textu Euangelico.

Priscianus.

Exemplis illustratur hic sensus.

Hæc lectio reijcitur, si velim, vel vellẽ eum manere, &c.

Nonnus Ioánis paraphrast.

Simeon Metaphrastes.

Expenditur verbum Manere.

Psalm. 88. & 109.

1. Cor. 15.

Matth. 11.

Virgil. Aeneid. lib. 3.

Dij Manes vnde dicti.

Quid est: Si eũ volo manere donec veniã.

veniam. Nec inquit, donec veniam ad illum, sed absolutè, donec veniã in fine mundi. Dura proinde, & impropria est expositio Augustini, accipientis verbum illud manere, non pro remanere, vel permanere, seu non mori, sed pro expectare: explicans Dominum significasse se velle vitam contemplatiuam, cuius Ioannes typum gerebat, manere sic, vt nunc est, id est, imperfectam expectare, donec ipse veniat, qui perficiat; cùm vita actiua, cuius Petrus imaginem repræsentat, non sic manere debeat, nec expectare suam post Domini aduẽtum perfectionem, sed hic ad perfectionem tẽdere debeat. Hic enim sensus etsi verus sit, parum tamẽ ad literam huius loci spectat, & proprio significatui verbi manendi vim infert manifestam.

Refellitur sensus August.

Quid item sit illud: Donec veniã.

Tertia particula in contextu, est, *Donec veniam*, In Scripturis autem duo tantùm sunt nóti, & celebres aduentus Christi: Et cum hic nõ possit esse sermo de primo, necessariò de secundo aduentu gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi venit intelligendum: ante cuius aduentum decertabit Ioannes pro Euãgelio, ac testificans occumbet. Vt ita sensus ille Apostolorum falsus esse cõuincatur. Tempus CHRISTI aduentus habet suam latitudinem: non enim illam tantùm diem vltimam comprehendit, qua ipse in persona venturus est ad iudicandum mundum, sed totum tempus, quando apparebunt imminentia aduentus illius signa, & præcursores sui Helias, & Henoch, & præcursor magni diaboli Antichristus, confligent inuicem, ac decertabunt. Quòd si CHRISTVS tantum Petri curiosum animum reprehendere voluisset, satis erat dicere: Quid aliena quæris? quæ tua sunt, cura, & quid ad te de alijs? Et non opus erat adiungere, si eum volo manere donec veniam: sicut rogantibus discipulis de restitutione Israelis, respondit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Dicendo itaque: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* significauit Ioannem non moriturum vsque ad secundum CHRISTI aduentum. Id enim particula, Donec, satis indicat: vt cùm quis dicit, Non faciam hoc, donec credam, ostendit post reditum illud futurum.

Tit. 2.

Apoc. 11.

Actor. 1.

Expenditur verbum, Exiuit sermo, contra Erasmum.

Sequitur in contextu: *Exiuit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur.* Nec hæc locutio contemnenda est, vt facit Erasmus, quoniam apud Lucam dicitur: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, & Suetonius in Nerone ait: *Exijt post scænicas coronas opinio*, & Matthæus inquit: *Abijt opinio eius in totam Syriam.* Neque cogitandum est, hæc per seipsum CHRISTVM Apostolis alijs replicasse, quæ solis Petro, & Ioanni se sequentibus dixerat: neque quòd Ioannes ipse alijs Apostolis retulerit, cùm essent verba, quæ priuilegium eius, & commendationem continerent, ne quouis modo se iactare videretur; relinquitur ergo, vt solus Petrus hæc alijs fratribus enarrauerit. Nec aliter sanè verba Domini ille narrauit, quàm ea Dominus dixerat, nimirum, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ex quo audientes alij intulerunt, quòd discipulus ille non moritur. Quem sensum aufert Ioannes dicendo, *Et non dixit ei Iesus, Non moritur*: quasi diceret, Ego delinquerem, si ita acciperem, vt alij discipuli acceperunt. Negat igitur Ioãnes Christum dixisse illa verba, quòd non moritur, sed alia verba, *Si eum volo manere donec veniã.* Quod si Ioannes rẽ omninò negare voluisset, tantum debuisset ibi sistere: *Et non dixit ei Iesus, Non moritur*: sed quia adiecit, *Si eum volo manere donec veniam*, facit apertè collationem verborum ad verba, nõ rerum. Potest etiam asseri quòd sit collatio rerũ, quia sermo Domini, Si eum volo manere donec veniam, docet eũ moriturum, sed post aduentum eius. Sermo aũt discipulorum, quia discipulus ille non moritur, omninò mortem denegat: est enim sensus, Mori non debet: sicut illud: Cui autem minus dimittitur, minus diligit, id est, diligere debet. Sicut igitur, si Ioannes interrogasset Dominũ de Petro, Hic autem quid? ac illi respondisset: Si eum volo Romæ clarificare Deum, quid ad te? nisi Petrus Romæ extinctus Iesum glorificasset, vanus, ac futilis fuisset eius sermo: ita è contrario Petro Dominum interrogante de Ioanne, Hic autem quid? illoque respondente, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? nisi Ioannes maneret vsque ad eius secundum aduentũ, inania profectò, & in ventum iactata videri possent Domini verba.

Suetonius.
Luc. 2.

Luc. 7.

Quæ causa fuerit cur Patres hanc lectionem secuti fuerint Sic eum volo manere, &c.

Et quia particula Si, capitur affirmatiuè, & vt dici solet, si, pro quia, idcircò ad hunc sensum spectantes Patres Latini, non incommodè verterunt, Sic eum volo manere, rationem potius sensus, quam verborum habentes. Atque ita legunt Ambros. in psalm. 118. & in psalm. 45. Hilarius lib. De Trinitate, & Augustinus. Hieronymus verò In Iouinianum legit: *Si eum volo sic esse, quid ad te?* per confirmationem, non per dubitationem. Vnde aliqui vetusti codices vtrumque complectuntur, vel ipso Erasmo teste, qui habent, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως. Id est, si ipsum sic volo manere: sic enim habebant codices quidam Græci; nimirùm

Ambr. serm. 20. in Psal. 118. sub init. 10. sub finem. Idem lib. 7 in Lucam [illegible] tom. 5. Hilar. [illegible] 6. De T[illegible].

Archi-

Aug ser. 47. De tempore, tom. 10.
Erasmus.
Ea lectio, Si eum volo manere, cur magis probetur autori.

Archiepiscopi Rhemensis,&alius Lugdunensis. Smpliciter tamen purior, ac verior videtur lectio, quæ habet Si, quam & confirmat Syriacus Euangelij codex, & omnes Græci codices,& scriptores magno cõsensu, & multa Latina exemplaria emendata, & nulla est similitudo apud Græcos inter ἐὰν, & οὕτως, id est, inter si, & sic, vt ea occasione lapsus videri possit noster interpres: quamuis certè ad sensum respiciens possit videri sic transtulisse. Ratio quoque eandem lectionem probat. Nam cum Euangelista recenseat occasione horum verborum Domini exijsse sermonem inter fratres quod discipulus ille non moritur, colligens hanc ex verbis Christi conceptã opinionem, subiecit: *Et non dixit ei Iesus, Non moritur.* Si autem legatur; *Sic eum volo manere*, apertè dixisset eum non moriturũ: quod tamen Ioannes negat à Domino dictum fuisse, quia dixit, quoad veniret, mansurũ, non tamen simpliciter nõ moriturum. Legendum igitur Si, dummodo accipiatur non sub conditione, aut dubitatione, sed vt affirmans, quæ eundem sensum facit, ac lectio Latina Sic. Et ita pulchre exponit Theophilacti interpres literam Græcam, dicens: *Nobis placet, vt, Donec veniam, intelligatur, sicut Chrysostomo diuino, & aureo illi ori videtur, & non de vita, sed quod non sit sũgendus Petro.* Cyrillus verò cum conditione legit, dicens: *Nam si etiam vellem minime istum mori, quid tu vnquam emolumenti, aut quid consolationis consequereris?* Quia tamen in contextu,& in glossa reperitur Si, non est improbabile vtrumque legisse Cyrillum, nempe si sic, quemadmodum Theophylacti interpres, tum Chrysostomus idem se legisse insinuant: ait enim ille: *Illum autem si velim manere in hoc loco, Galilea scilicet, & non mittere tecum, quid ad te?* Neque mireris, Si, accipi pro sic. Nam psal. 62. vbi habetur: *Sic memor fui tui super stratum meum*, Græcè habetur, εἰ ἐμνημόνευόν σου ἐπὶ τῆς στρωμνῆς. Et Augustinus manifestè bis indicat se legisse, Si. Hieronymus verò in commentarijs affirmatiuè legit Sic. Et in versione ex Hebræo ad Sophronium simpliciter vertit, *Recordatus tui in cubiculo meo, per singulas vigilias meditabor tibi.* Hebræa tamen apertè habent si אם זכרתיך. Præter hunc locum Ioannis, solent duo alij ex Matthęo loci produci ad hoc idem confirmandum. Alter est Matth. 16. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo:* quo loco plurale pro singulari poni volunt. Ex his verbis insinuari videtur, quòd adhuc viuat Ioannes, cùm cæteri mortui sint. Nec videtur plenè verum, quod venerit in regnum suum in transfiguratione: quia non potest dici Dominus tunc venisse in regnum suum, & virtutem, quia præcesserat: Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius: ac protinus subiungit: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, &c. Et licet aliquo modo exitum habuerint hæc verba in transfiguratione; non tamen plenè implentur nisi in secũdo aduentu. Rursus in resurrectione Domini non sunt veritatem sortitæ: quia tunc non quidam de stantibus, sed omnes viderunt Apostoli, imò plusquam quingenti fratres simul, vt testatur Apostolus. Vt omittam quod tunc non venit Christus, vt redderet vnicuique secundum opera sua. Quare pulchrè hæc verba in Ioanne, manente vsque ad secundum aduentum, veritatem habent. Alter locus Marc. capit. 10. hic est, quando Dominus dixit: *Calicem quidẽ quem ego bibo, bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.* Id est, exponetis vitam pro me, atque fundetis sanguinem pro veritate Euangelica, quemadmodum Christus ipse prius pro nobis mortuus est,& sanguinem fudit, & Iacobus frater Ioannis, primus inter Apostolos ab Herode occisus est, vt inquit Lucas. Vt igitur ille primus inter Apostolos occisus est, ita Ioannes Apostolorum nouissimus martyr futurus putatur. Nec valet argumentum, si quis dicat, illum animo, & voluntate martyrem extitisse: quia Dominus non dixit, Parati eritis bibere calicem, & mori pro me; sed, bibetis, & baptizabimini: vbi euentus ipse futurus à Domino denotatur. Et quando coniectus fuit in dolium olei feruentis, nõ solum non est mortuus, sed nec etiam passus est quicquam, diuina illum protegente virtute: quomodo igitur tunc bibit calicẽ, aut baptizatus est, cũ nomine calicis mors ipsa propriè significetur? Sic enim ipse Dominus ait Petro: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Hinc Chrysost. tractans illa verba: *Calicem quidem meum bibetis, &c. Magna vobis certè bona prædico: martyrij enim corona potiemini, & violenta morte, sicuti & ego, à vita decedetis.* Euthymius in eadem verba scribit, Ioannem in seculi consummatione cũ Helia, & Henoch occidendum: quia ille nõdum martyrij mortem sustinuit, & nondum mortuus est, sed adhuc viuit. Certè Chrysostomus, Theophylactus, atq; Euthymius commentãtes Domini verba apud Ioannem, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* duplicem adfe-

Oecolamp.
Chrysost.
Cyrill.
Aug. Hieron. tom. 9.
Ioannem Euangelistam adhuc viuere, ex scripturis ostendunt.
I. locus.
Matth. 17.
1. Cor. 15.
II. locus.
Actor. 12.
Ioan 18.
Chrys. ho. 66. in Matth. tom. 2.
Euthym. c. 45 in Matth.
Chrys. ho. 87 in Ioan. to. 3
Theophylact. Ibidem.
Euthy. ibid.

adferunt expositionem: alteram de aduētu Christi ad excidium Ierosolymæ; alteram de aduentu in iudicium, quando Ioānes cum Helia, & Henoch pro fide accumbet. Non ignoro hos locos non ita demōstratiue euincere hoc dogma, vt non liceat refractario aliter sentienti per aliquam rimam elabi, ac tergiuersari: verùm in rebus probabilibus, ac præsertim in sensibus Scripturæ eruendis satis est ea quę vero sunt similia, & alijs sacrarum Scripturarum literis consentanea producere.

III. locus. Additur & alius locus ex Apocalypsi, vbi in fine ca. 10. habetur: *Et cum deuorassem eum* (scilicet librum de manu Angeli) *amaricatus est venter meus. Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Quod non potest intelligi de Euangelio etiamsi illud scriptum sit post Apocalypsim: nam Euangelium propriè non est prophetia, nec Euangelizare prophetare, nec multis scriptum linguis, sed Græcè tantum ab autore: versiones verò in varijs linguis non sunt autoris, sed aliorum: nec multis ipse prædicauit gentibus, sed Græcis: nec omnibus Græcis, sed Asiaticis tantū, Ephesi, & vicinis ciuitatibus: nec multis Regibus, nam sub Romanis omnia erant redacta in Prouincias, & pauci erant Reges dati, atque illi nonnisi sibi subiecti.

Quibus duntaxat gentibus Ioannes Euangelista, prædicauerit.

De se ergo loquitur seruato vsque ad diem iudicij, vbi prophetabit populis, & linguis, & Gentibus, & Regibus multis. De alijs verò duobus testibus, id est, Helia, & Henoch, loquitur in principio cap. 11. vbi habet: Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in cōspectu Domini terræ stantes. Vides igitur quod hoc pertineat ad tēpora Antichristi, quando septimus Angelus de cœlo reuelatur cum altero pede super mare, altero super terram stante, & quando cœperit tuba canere, & consummabitur mysterium? Et tunc dixit Angelus Ioanni: *Accipe librum, & deuora illum:* qui primò dulcis fuit in ore eius, & posteà amarus: quoniam passio, quam pro Christo sustinebit, dulcis est, & grata menti, licet postea sensui sit amarissima. Hinc Aretha Archiepiscopus Cæsariensis Cappadociæ, Græcus autor, in commentarijs in Apocalypsim, quos congessit ex Basilio, Gregorio, ac Cyrillo, Andrea Archiepiscopo Cęsareæ Cappadociæ, Papia, Irenæo, ac Hippolyto martyre, in verba præfata Apocalypsis decimo capite producta, nēpè: Oportet te iterum prophetare Gentibus, ita scribit: *Per hæc ostenditur, quod non statim post visionem reuelationis sequeretur eorum euentus quæ visa erant, sed quod oporteret hunc beatum virum multo tempore, quod protenderetur vsq; ad corruptibilis huius mundi consummationem, dum hæc complementum acciperent, multis prophetare: siue per cognitionem sui Euangelij, in quo futura nonnulla inseruntur; aut etiam per præsentem reuelationem, vt iam dictum. Non est autem ignorandum, quod ex hoc dicto, Oportet te rursum prophetare, opinantur multi, beatum hunc virum vsque ad seculi consummationem viuere, ac venturum esse circa tempora Antichristi cum Henoch, & Helia, vt vna cum illis corrigat eos qui tunc viuent homines, & quod tunc sub Antichristo interimendus sit.* Hucusque ille.

Apoc. 10.

Ibidem.

Liber à Ioanne deuoratus primo dulcis, deinde amarus, quid mystice.

Aretha Archiep. Cæsar.

Quæ propterea tam latè produxi, vt ostenderē leue esse argumentum quod quidam, & pręcipuè Georgius Cedrenus in suarum compendio historiarum (qui multum tribuere videtur huic argumento) ex verbis Apocalypsis desumunt contra hanc veritatem, dicentes Apocalyp. 11. sermonem esse de duobus testibus; id est, Helia, & Henoch, non de tribus: non enim considerant isti quid de se statim in fine capitis decimi dixerit. Toto ergo cœlo aberrant, qui sentiunt hanc opinionem eandem esse, aut certè quam proximam illi fratrum, quam reprehendit Ioannes: quia illi putabant colligi ex Christi verbis Ioannem moriturum nūquam: hi verò Patres, quos citauimus, tenent, illum mortem obiturum, sed sub Domini aduentum, interim vero vitam degere. Et cum Apostolus ait: Et non dixit ei Iesus, Non moritur, non tam respexit ad verba, quam ad sensum: quia etsi verba sint diuersa, tamē eadem prorsus est res manere, & non mori.

Georg. Cedrenus.

Iam post scripturas agendum est traditione Patrum: & primo loco producemus Græcos autores, deinde Latinos. Inter Græcos primus producitur Prochorus vnus ex septem ad Diaconatum assumptis, qui etiā in Pathmos Euangelium Ioannis scribendo amanuensis extitit: hic librum scripsisse traditur περὶ τῆς μεταστάσεως, hoc est, De translatione Ioannis Euangelistæ, vt à Græcis producitur autoribus: adde Kalendarium Græcorum (μηνολόγιον vocatur) octauam diem Maij assignare sancto Ioanni Apostolo & Euangelistæ virgini, & 26. diem Septemb. assignare eius solennitati de translatione, quam & μετάστασιν vocant.

Patrum traditione Græcorum, & Latinorum eadem sententia confirmatur.

Prochorus Actor. 6.

Secundus, sit Hippolytus Martyr vir doctissimus, & Origeni σύγχρονος, qui in oratione De consummatione seculi & Antichristo ita scribit: *Prior ipsius Domini aduentus præcursorem habuit Ioannem Baptistam; posterior autem quo venturus est in gloria,*

Hippol. martyr apud Bibliot. [illegible] s. in prim[illegible].

Henoch,

Christi benignitas, & humanitas.

Henoch, Heliam, & Ioannem Theologum exhibebit. Humanitatem specta Domini; vt vel extremis temporibus mortalium curam gerat, ac misereatur. Ac ne tunc quidem sine Prophetis nos relinquet, sed missurus est eos ad doctrinam nostram, certamque scientiam, atque vt animos attendamus in aduentum aduersarij. Infra: *Ac dimidium hebdomadæ sument duo Prophetæ cum Ioanne ad denuntiandum per vniuersum orbem aduentum Antichristi, hoc est, mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis: Cumque prædicauerint hæc omnia, occumbent gladio interfecti à diabolo: & implebunt testimonium suum. Vt inquit etiam Daniel, qui præuidit bestiam ex abysso ascendentem cum eis esse bellum gesturam, id est, Henoch, Helia, & Ioanne, & superatos eos interfecturam, eo quod noluerunt dare gloriam diabolo.* Tertius, sit Chrysostomus, qui hunc aperit sensum homilia in Ioannem postrema: quanquam non satis constanter, cum aliam quoque producat expositionem. Extat tamen apud Simeonem Metaphrastem Chrysostomi oratio, in qua celebrat duodecim Apostolorum encomium, in mense Iulio, vbi inter alia de Ioanne ait, *Ioannes qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tanquam viuus curat Ephesum.* Sic ille, innuens adhuc viuere. Extat in Calendario Græcorum festum vltima die Iunij, quod dicitur Collectio Apostolorum, & in illa collocatur à prædicto Simeone Metaphraste. Quartus, sit Theophylactus. Quintus, Euthymius, qui duo sunt producti superius. Sextus, Nonnus paraphrastes Ioannis: verba Euangelica ita explicans: *Si ipsum, donec venero, cupio manere hic, hoc quid ad te pertinet? tu me sequere. Et hic sermo gloriosus ex sodalibus notis, & clandestina voce euulgabatur, quod ille & inuincibilis & communis mortis finem visurus non esset. At Iesus non dixerat, Non vita priuabitur, sed hoc solum: Si ipsum adhuc hic volo manere, dum redeo, quid ad te pertinet?* Hæc ille. Vbi vides tam in hoc autore, quam in Chrysostomo illos legisse: Si eum hic volo manere, scilicet in vita præsenti: legit & eodem modo Theophylacti interpres: sed exponit hic, id est, in Galilæa, quæ falsa videtur expositio. Septimus, sit Aretha, Archiepiscopus Cæsariensis in dictum locum Apocalypsis iam productum. Octauus est, Simeon Metaphrastes non contemnendæ autoritatis apud Græcos historicos, qui describens vitam Ioannis Euangelistæ, in hunc modum verba facit: *Ciuitatem ingressus est, discipulus præcipiens, vt ligonem, ac surculum secum conferrent, ac protinus in montem quendam ascendens, vbi nunc huius templum extructum est eximia, tum pulchritudinis, tum magnitudinis, stansque in ipso: Hic, inquit, filij mihi fodite. Deinde vbi se totum consignasset, ac dixisset: Et tu mecum esto Domine Iesu Christe: astantibusque subiunxisset, Pax vobis fratres, in foueam demisit pallium, & ipse quoque in eam descendit, ac corpore mediam obtinuit Asiam.* Et infrà: *Porrò discipuli comas euellebant, genasque percutiebant, ac orbationem miserabiliter deplorabant, pastorem, gubernatorem, seruatorem, denique eum, qui omnibus omnia erat, inclamabant. Deinde etiam ciuitatem accedentes, his, qui in ciuitate erant, manifestant id quod factum erat. Interim autem die illucescente concurrunt ad monumentum, discere cupientes, num præceptor adhuc superuiueret, & ouile accesserunt. Porrò pastor nusquam comparebat, solæ iacebant crepidæ, is autem, qui has abiecerat, disparuerat. Discurrunt huc & illuc, quemadmodum hi qui cum Helisæo erant, scrutantur, inuestigant; verùm incassum efficitur ipsis labor. Deinde vix tandem illius vocis recordati: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Henoch, & Helia Thesbyta coniungitur, hi autem à lamentis discedentes, Deum vniuersorum laudabant, qui suum dilectum adeò magnificauerat.* Hactenus ille, satis apertè veritatem prædictam confirmans. Nonnus, Georgius Trapezuntius Græcus, & ipse autor, tractatum de hoc loco Ioannis ad Nicolaum Papam edidit, vbi in primis ait, non esse vllum Fidei periculum, credere quod Ioannes, aut viuat, aut sit mortuus, cum neutrum ex Euãgelio apertè euincatur. Et in fine ait prędicandam esse hanc veritatem, quòd Ioãnes superuiuat: quia ideo scripta à Domino est in Euangelio, & Apocalypsi: *Vt hac* (inquit) *Scripturæ præmonitione, atque doctrina vel moueantur, & fidem seruent futuri temporibus Antichristi fideles, vel inexcusabiles vndique facti conticescant.* Sic ille: quod Scripturis, rationibus & Patrum testimonijs nisus est confirmate.

Apoc. 11. & seq.

Daniel. 7.

Chrysost. tom. 3.

Theophylact. Euthym. Nonnus Ioãnis paraph.

Oecolamp.

Aretha Archiep. Cæsar. Simeon Metaphrast.

Templum in honorem B. Ioannis vbi iacere voluit, eximiæ pulchritudinis & magnitudinis extructum.

Georg. Trapezunt to. 6. Bibliotheca.

Ex Patribus verò Latinis primus sit Hilarius libro De Trinitate: *Loquatur,* ait, *Ioannes sic vsque ad aduentum Domini manens, & sub Sacramento diuinæ voluntatis relictus deputatus, dum non mori dicitur, & manere.* Idem rursus: *Assumptis Petro, Iacobo, & Ioanne, duobus ad martyrium electis, & Ioanne in prædicatione Euangelij firmanda, testem se vsque ad mortem professus est.* Secundus est, Ambrosius in psalmum 118. sermone 20. vbi tradit, quosdam de eius morte dubitasse, & libro 7. in Lucam cap. 1. vbi habet: *Quamuis de Henoch, & Heliam nullam mortem corporis acceperimus, & de Euangelista Ioanne Dominus dixerit: Sic eum volo manere donec venio: tamen quoniam non de vno Ioanne* hic

Latini Patres

Hilar. libr. 6. De Trinit. nõ longe à fine.

Idem lib. 10. De Trinit. paullo ante med.

Amb. in psal. 118. serm. 20. tom 4.

Idem tom. 3.

hic putamus expressum, sed generale de multis hoc esse preceptum, non hic mors corporis, sed anima denegatur. Sunt enim qui mortui viuant, quoniam sunt qui viuentes mortui sunt, sicut illa qua viuens mortua est. Hactenus bonus ille Pater. Vbi violentum est, quod non de vno Ioanne, sed de pluribus loquatur: sicut & illud quòd de vita non corporis, sed animæ sit sermo Domini: quia de vita animæ dubium non erat Apostolum viuere, cùm anima omnis sit immortalis, & animam beati Ioannis confirmationem in gratia habuisse constet. Tertius sit Gregorius Turonensis in libris historiarum, vbi habet: *Qui* (scilicet Ioannes) *senex, & plenus dierum, perfectaq; in Deum vita viuens se deposuit in sepulchro. Hic fertur non gustare mortem, donec iterato Dominus iudicaturus aduenias, ipso in Euangelijs ita dicente: Sic eum volo manere donec veniam.* Beda quoque in sermone de sancto Ioanne Euangelista (si tamen eius sit) docet adhuc viuere eum: In quo sibi contradicit. Quartus est, Henricus de Hassia in lectionibus super Genesim. *Et fortassis*, inquit, *non soli illi duo* (scilicet Henoch & Helias) *sed & Ioannes Euangelista, & illi qui surrexerunt cum Christo, viuunt adhuc in paradiso.* Quintus sit, Cardinalis Ioannes Dominici, vir suo seculo præstantis doctrinæ, ac Dominicanæ familiæ, qui hanc sententiam mordicus tuebatur, vt de eo testatur Antoninus Archiepiscopus Florentinus, ac eius discipulus, qui præceptorem in hoc articulo secutus est. Vt interim prætermittam multos alios, vt Franciscum de Mairon in quarto, & in sermone de sancto Ioanne Euangelista, & Abbatem Ioachimũ, & Iacobum Fabrum Stapulensem in tractatu De beata Anna, & Ambrosium Catharinum peculiari libro de hoc differentem, Sabellicum, atque alios nonnullos, qui huic subscripsere sententiæ. Certè isti Patres, neque pauci sunt, neque obscuri, vt quidam obijciunt, sed multi, & illustres in Ecclesia.

1.Tim.5. — Greg. Turonen. libr. 1. hist. c. 24. — Beda. — Henricus de Hassia. — Matth. 27. — Card. Ioan. Dominici in dialogo eius imperfecto. — B. Antoni in 2. par. hist. tit. vlt. c. 3. de Apostolis. — Franc. Mairon in 4. d. 49. — Abb. Ioac. — Iaco. Faber. Stapul. — Ambr. Catharin. — Sabel. lib. 1. de dictis & factis memorabil. c 3.

Rationes pro eadem opinione.

Accedunt ad Scripturas, & Patres, nonnullæ graues, ac minimè contemnendæ rationes. Quas inter prima sit, Quia frustra de morte Ioannis tot verba prodigerentur in Euangelio: quod est verbum abbreuiatum, nisi intelligatur, vt collegerunt dicti Patres, Ioannem non moriturum vsque ad secundum Domini aduentum, vbi tunc occumbet. Quare rectè reprehenduntur à beato Ioanne fratres, qui colligebant ex Domini sermone Ioannem nunquam moriturum, ac consequẽter post prædictam Petri mortem, & quæ iam scribente Ioanne Euãgelium sub Nerone exitum habuerat, de se hęc scripsit, ne quis ob vitæ eius longæuitatem existimaret ipsum, qui cęteris Apostolis superuixit, moriturum nunquam.

II. Ratio. Secunda ratio, Conueniens esse videtur, vt ex omni Lege, Naturæ, Moysi, & Euangelica, testis aliquis adsit pugnaturus in Antichristum. Ex illa Naturæ, Henoch: ex scripta, Helias: ex lege Gratiæ, Ioannes, qui testificentur nullo tempore gratiam Dei sitientibus, suam salutem abfuisse: verumque Messiam iam semel venisse, atq; iterum ad iudicandum esse venturum; vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quia namque Antichristus se pro Messia venditaturus est, tres illi forti animo se ei opponent, atque eius mendacium refellent, & reuincent. Ac fortius quidam Helias aget, quàm Henoch, quia interfuit Domini transfigurationi: efficacius autem erit Ioannis testimonium, quam aliorum duorum. Clamabat enim Ioannes: *Quod fuit ab initio: quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ:* asseret quòd astitit eius morti, ac resurrectioni: percensebit eximia & admiranda eius signa. Et vt Petro diligenti in principio commissa est Ecclesia sub magnis tribulationibus, ita sub non minoribus, vel etiam longè maioribus credenda est Ioanni Dilecto.

III. Ratio. Tertia ratio. Si omnes Apostoli martyrio, ac sanguinis profusione Euangeliũ testificati sunt; cur solus Ioannes hoc tanto martyrij honore priuãdus erit? An quia minus dilectus, quam cæteri? an quia illi non est mors prædicta à Domino, cum inquit: *Calicem quidem meum bibetis?* An quia tantus discipulus detrectabat mori pro Christo? An verò quia ad solam martyrij rationem satis sit sola voluntas, an non potius ipse proprius mortis effect⁹, vt verior, & magis recepta habet Thomæ doctrina?

IV. Ratio. Quarta ratio. Si extinctus est Ioannes, mirum est quod non doceant vbi, quando, & quam mortem obierit, & cur non eius ostendunt reliquias; cùm multorũ Sanctorum minus illustrium, qui in eremo delituerunt, & mors minimè ignoretur, & sacra reliquiarum monumenta ostendãtur. Scribunt illum viuum, ac vestitum iussisse se deferri in foueam, & in eam ingressum luce quadã diuina tectum imperasse alijs, vt abirent, & sic iacentem in fouea, Dominumque expectantem reliquerunt: postero autem die reuersos eum non inuenisse. Sed profectò ex hac historia potius accipimus, eum prę modestia sua à Domino prędicari viuum raptum in cœlum, aut in paradi-

Deut. 19. Matth. 18. — Supr. 17. — 1. Ioan. 1. — Matth. 20. — B. Thomas.

paradiſum: nam ſi ſe moriturũ prӕcognouit, cur viuus voluit prӕfodi, ac non expectauit, vt corpus exanime, atque exangue traderetur ſepulturӕ? Et certè niſi modeſtiӕ cauſſa illud fecit, puerile videbitur ſic viuum defodi voluiſſe. Quòd autem ſequenti die non eſt inuentus, efficacirer arguit inde alio viuum translatũ. Quòd vero terra ſcaturiens ibi fremat; ſignũ eſt, quod qui in Domino quieſcunt, terra non habet ius ad retinendum eos, quamuis infremat, & ſuo iure illud repoſcat: quia quod terra eſt, etiam terrӕ in ſui reſolutione debetur. Et Ioãni quidem gratiӕ teſti, hoc debetur, vt in ſepulchrum deſcendat, & non abſorbeatur ab eo; quo ſignificetur in lege Gratiӕ deuictam eſſe mortem. Helias verò, atque Henoch rapti quodammodo violenter, & in turbine: quia mors nondum erat deuicta à Domino. Reliquit crepidas in ſepulchro, vt Helias pallium receſſurus: quia veſtigia, & exẽpla incedendi in via Dei per geminum dilectionis affectum ad Deum, & ad Proximum, quaſi duos pedes ſpiritualis animӕ calciantem nobis commẽdauit. Longè facilius quam Empedocles, qui in foueam Ætnӕ montis inſiliens, atque ſpe vana immortalitatis illectus, vt ait Horatius, infeliciter extinctus reliquiſſe ferreas crepidas fertur.

Quid eſt quod Ioannes in ſepulchrum deſcendit, nec abſorptus eſt ab eo. *4. Reg. 2.* *Geneſ. 5.* *Henoch, & Helias cur rapti dicantur.* *4. Reg. 2.* *Horat. in artis poetica fine.*

Supereſt pauca quędam, quę in contrarium fiunt argumenta diſſoluere. Primum eſt à Patribus tam Gręcis, quã Latinis, qui illum mortuum tradunt. Ita enim docet Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & Auguſtinus tract. vlt. in Ioannem, & Tertullianus libr. De anima, vbi ſic habet: *Translatus eſt Henoch, & Helias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cęterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant. Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes.* Hippolytus Epiſcopus Portuenſis: *Ioannes,* inquit, *frater Iacobi, relegatus eſt in inſulam Pathmos à Domitiano, & inde reuocatus Epheſum à Nerua: vbi conſcripto Euangelio, & Apocalypſi, mortuus eſt: reliquia quaſita non ſunt reperta.* Hæc illi. Vt interim miſſos faciam pleroſque alios idem ſentientes. Ex Grӕcis verò Papias Hieropolitanus Epiſcopus, qui ipſum vidit: *A Iudæis,* inquit, *interfectus eſt: ſcilicet perduxit cum fratre ad exitum prædictionem Domini Chriſti de ipſis, eorumq́ confeſſionem: Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Origenes in Matthӕi commentatijs tradit martyrium ſiuiſſe paſſum, idque didiciſſe à ſucceſſoribus Apoſtolorum. Euſebius quoque Cӕſarienſis in lib. Eccleſiaſticӕ hiſtoriӕ, Polycratem, citat

Oppoſitæ opinionis argumenta diluũtur. *I argum.* *Hieronym. tom. I.* *Tertullian. De anima, c. 18. in fine.* *Hippol. Episc. Port. in opuſ. de 72 Apoſtolis vbi ſup. quiſque prædicauit & vbi conſummatus fuerit.* *Papias Matth. 20.* *Orig. tract. in Matth. to 2.* *Euſeb. Cæſar. lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 31. to. I.* *Polycrates.*

ſcribentem ad Victorem vrbis Romę Epiſcopum, vbi de morte Philippi & Ioannis Apoſtolorum agens: *Magna,* inquit, *lumina in Aſiæ partibus dormierunt, quæ reſuſcitabit Dominus in nouiſſimo die aduentus ſui, cùm veniet in gloria, & requiret omnes ſanctos ſuos. Dico autem de Philippo, qui fuit vnus ex Apoſtolis, qui dormiuit apud Herapolim. Et Ioannes ille, qui ſupra pectus Domini recumbebat, qui fuit Sacerdos Dei, pontificale πέταλον (id eſt, mitram) geſtans, & martyr, & Doctor optimus, apud Epheſum dormiuit.* Hæc ille, aſſerit prӕtereà ibidem duo extitiſſe ſepulchra Ioannis nomine inſcripta. Sed & Dorotheus Epiſcopus in Synopſi eum extinctum refert, cùm eſſet 120. annorum. Reſpondemus, nos non negare, graues nonnullos Patres aliter ſenſiſſe, & iam mortuum eſſe Ioannem docuiſſe: verũ illis tot, alios tam Grӕcos, quam Latinos non minus antiquitate illuſtres, doctrinaque atque ſanctitate prӕclaros opponimus, & noſtram ſententiam minimè, vt fidei articulum, ſed vt probabiliorem, & Scripturis magis conſentaneam tuemur. Prӕtereà illud ſuccurrit, veteres illos Patres non exactè, neque ad viuum res reſecantes, Ioannis translationem vocaſſe mortem. Non ignoro etiam Abdiam in hiſtoria certaminis Apoſtolorum, in vita Ioannis recenſuiſſe, Ioannem ingredientem ſepulchri foueam reddidiſſe ſtatim ſpiritum. Verùm quantum ſit huic autori tribuendum, docto, ac prudẽti lectori iudicandum relinquo, & nos libro ſequenti magis aperiemus. Et Hippolyto Martyri in Synopſi opponimus eundemmet in lib. De aduentu Antichriſti, vbi aliter docere videtur, vt ſupra produximus. Secundo argumentãtur ex illo communi decreto: *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi?* Et Paulus: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Verùm nos, cùm dicimus eum nõdum extinctum, non aſſerimus illum mortem nõ ſubiturum, imò ſtatuimus tũc maximè morte ſua cum Helia, & Henoch Deum clarificaturum: alioqui ſi vim vllam haberet argumentum, probaret Heliam, & Henoch olim extinctos, & nunc non viuere. Tertiò argumentãtur ex cap. 11. Apocalypſis, vbi de duobus tantum teſtibus, id eſt, de Helia, & Henoch, fit mentio, de tertiò teſte verbum nullum. Sed iam illius in fine cap. 10. mentionem fecerat, cum dixit: *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Quartò arguunt ex hiſtoria, quia vbi ſepulchrum viuus eſt ingreſſus, amplius conſpectus non eſt. Sed id magis arguit translationem, quàm mortem:

Philippus Apoſtolus vbi exceſſerit. Legẽdum eſt, Diaconis, non Apoſtolis, vt hiſtoria Actuũ Apoſtolorum teſtatur, & ratio ipſum conuincit, & noui interpretes quoque confirmant. *Ioan. 13.* *Dorotheus Epiſcop.* *Abdias lib. Hiſtoriæ certaminis Apoſtolorum.* *Hippolytus Martyr.* *II. argum.* *Pſal. 88.* *Hebr. 9.* *4. Reg. 2.* *Gen. 5.* *III. argum.* *IV. argum.*

tem: quia si mortuus esset, reliquisset ibi corporis sui reliquias. Et rectè Angelus ostenso monumento, & corpore Domini absente, probauit eius resurrectionem: ita ex hoc loco magis probari potest translatio, quam suscitatio, quia suscitationē præcedit mors: mortuum autem Ioannem nemo vidit; & ita translatum viuum ex fouea in locum, & consortium Henoch, & Heliæ intellexerunt discipuli, & acquierunt in verbis Euangelicis de eius mansione donec veniat: vt testatur Simeon Metaphrastes. Quintò, absurdum videtur, vt Christi discipulus tantopere dilectus tam lōgo tempore Dei fruitione, atque visione defrauderur, ad quam tot alij Apostoli, ac sancti inferiores iam peruenerunt. Et confirmatur, quia Ecclesia fundit preces per eū, vt iam beatum, ad Deum: ita enim precatur: *Ecclesiam tuam, quæsumus, Domine benignus illustra; vt B. Ioannis Euangelistæ Apostoli tui illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna.* Respondemus, illos tres Patres in paradiso terrestri seruatos, iam beatitudine visionis Dei, ac fruitionis secundum animam donatos esse, si quemadmodum B. Antoninus, atque alij tradunt, loqui velimus; ac proinde per illorū preces Ecclesia ad Deū confugere solet, qui tamen adhuc mortalia gestant corpora, quo pro Fide possint occumbere, quemadmodum Christus animo beatus, corpore viator erat. Quòd si quicquam esset iniuriæ tanto tempore gloria destitutum permanere; profectò iniuria quoque, & maior esset irrogata & Heliæ, & Henoch: posletque Deus retardatā beatitudinis remunerationē magnitudine gloriæ pro virtute sua compensare: nā mille anni ante oculos Dei, tanquam dies hesterna quæ præterijt. Certè beatos illos vocare haud dubitat Augustinus libro de Assumptione Mariæ: *Nihil*, inquit, *de Helia, & Henoch postquam rapti sunt, vitæ felicitate commendat, cunctis liquido scientibus eos beatè viuere, quos Dominus hinc in futurum saluandos voluit rapere*, Sic ille. Postremò obijciunt, amplius terrestrem non extare paradisum, ac proinde vanam, & minus probabilē reddi hanc opinionem. Respondemus, quod amplius non extet paradisus terrestris, nō vsque adeò exploratæ esse veritatis, vt possit tanquam certum telum in nos iactari, cum plurimi ex veteribus & ex Scholasticis Doctoribus videantur eius statum etiamnum constituere. Verùm demus non existere illum, quid hoc ad rem? Nos enim tantùm asserimus, Ioannem asseruatum diuina virtute in loco, vbi sunt Helias, & Henoch, vbicunque ille locus existat, siue sit paradisus terrestris, siue vllus alius Domino notus, diuinaque prouidentia munitus, atque protectus. Hæc mihi probabilior animo hactenus insidet sententia: à qua si quis me solidioribus rationibus, aut firmioribus Scripturarum, & Patrum testimonijs deduxerit, profectò facilè illi cedā, eiusque sententiam amplectar: nihil enim hic aut contentiose, aut obstinatè defendimus, sed id tantum proponimus, quod ad hunc locum Ioannis illustrandum probabilius, ac verisimiliꝰ facere videtur. Hac igitur expositione vt vera stante, videmus admirabilem quandam inter Ioannem Baptistam, & Euangelistam in præcursione Domini consonantiam, vt attigit Hippolytus. Fuit præcursor primi Domini aduētus Baptista Ioannes, erit & præcursor secundi aduentus Christi Euangelista. Vterque nomine Ioannes, dignitate præcursor, puritate Angelus, officio testis, & à pueritia ad Euangelium euocatus: ille, plusquā propheta; hic mysteriorum notitia, quæ in sacra eructauit Apocalypsi, excellentissimus propheta. Ille, amicus Sponsi; hic, discipulus quē diligebat Iesus. Primus, Vox clamantis in deserto; alter, filius tonitrui. Primus, prædicauit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; alter, annuntiaturus est ignis baptismum in vindictam malorum. Prodijt è deserto Iudææ Baptista, quasi ex quodam paradisi deserto proditurus creditur Euangelista. Primus conuertit primitias Iudæorum; secundus eorum reliquias. Dicebat Herodi Ioannes Baptista: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui:* dicturus est Euangelista Antichristo Christi Sponsam vsurpanti: Non licet tibi habere vxorem domini tui. Primus dixit prætento digito: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundus dicet: Ecce leo de tribu Iuda aduenit, rugitu suo perterrefacturus vniuersos. Primus deniq; illuxit nobis tanquam Lucifer Solem Christum aduentantem prænuntians: secundus erit tanquā hesperus noctem tenebrosam omnibꝰ reprobis denuntians. Sed iam paucis verbis textus quæ supersunt explicatis, finem tractatui imponamus.

Hic est (inquit) *discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius.* Finem libro Euangelico impositurus, autoritatem sibi mirificè conciliat. Et primo certos nos reddit de veritate omnium quę in eo continentur, etiamsi in eo nonnulla habeātur, quæ ab alijs Euangelistis non sint commemorata. Dupliciter autem autoritatem suam asserit, tū à persona sua, indicat enim

Matth. 28.
Simeon Metaphrastes. V. argum.
Psal. 89.
Augu lib. De assumpt. Mariæ, c. 2. to. 9. Genes. 5. 4. Reg. 2. VI. argum.
Admirabilis Ioannem Baptistam inter, & Euangelistā in pręcursione Domini consonantia. Hippolytus Martyr.
Matt. 11.
Ioan. 3. Supr. 1. Marc. 3. Matth. 3.
Ibidem.
Luc 1.
Marc. 6.
Ioan. 1.
Apoc. 5.
Fidem Euangelio suo Ioannes facit dupliciter.

se idoneum testem, ac fide dignum ex eo quod Christi fuit discipulus; & qui omnia oculis suis vidit, & auribus hausit, ac testimonium veritati perhibuit, tùm viua voce, tum scripto Euãgelio, tum persecutionibus, & flagellis forti & infracto animo propter Christũ toleratis, tum quia signis, ac prodigijs innumeris Euangelicas cõfirmauit veritates, tùm deniq; quia sanguine, & morte illis sub Antichristo subscribet, quãdo pro Christo occumbet. Et quia nõ satis est si quisquã de se perhibeat testimonium; fortissimum atque inuictum Ecclesiæ testimonium, & ab omni suspicione alienum producit, de quo subiungit: *Et scimus quia verum est testimonium eius.* Loquitur enim in persona totius Ecclesiæ, vel omnium Apostolorum, qui eius autoritatem publicè, & sine vlla receperant controuersia. Ipse verò Apostolorum vltimus scripsit, & alij nouerant eum illis interfuisse: ideò in plurali ait: Et scimus quia verum est, quod videlicet ipse spiritu sancto agente dixerat: vt ita non solus ipse, sed vniuersa Ecclesia certam reddat testificationẽ de vero Ioãnis testimonio quod nemo hacten⁹ insimulare potuit mendacij. Ita etiam in epistola sua pluraliter enuntiauit: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis,* &c. Intelligant ergo vniuersi hæretici, & quicunque Catholici, quantalibet autoritate in Ecclesia præfulgeant, eorum dicta, aut scripta tãtum habere roboris, & firmitatis, quantum Ecclesia Catholica illa suo testimonio confirmat. Proinde quisquis suæ nitens prudentiæ, aut sapientiæ, Ecclesiã deserit, intelligat se in vanum currere, nã & ob eam caussam Apostolus Paulus ascen[dit] Ierosolymam, & contulit Euangelium quod prædicabat, cum Petro, & alijs Apostolis; ne fortè, inquit, in vacuum currerem, aut cucurrissem.

Expenditur verbum, scimus, cur ita Ioannes locutus sit.

Ioann. 1.

Salubris admonitio ad Hæreticos & Catholicos.

Gal. 1. Infra 2.

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. Supra idem dixerat de signis in conspectu discipulorum post resurrectionem suam: modo extendit dictum ad quæcunq; Domini facta, siue signa sint, siue non sint, siue in conspectu discipulorum, siue non, siue post resurrectionem suam, siue ante: ac tacitè rationem reddere videtur cur non plura scripserit Christi facta, aut cur Scripturam suam amplius non produxerit. Ad quod respondet: Non æstimet quisquã me omnia scripsisse: nam plura & alia fecit, & dixit. Quod autem tam pauca ex tam multis commemorauerim, non est meæ negligentiæ tribuendum, sed aut Spiritui sancto ad scribendum impellenti, qui hæc pauca satis ad fidem faciẽdam de Christo idonea esse existimauit: quia si quis sit obstinatus, pluribus signis plus incenditur ad renitendum; bonus autem idoneis signis, aut sufficienti doctrina contentus fidẽ habet Christo, quæ signorum omnium, atq; doctrinæ totius est finis: aut saltem nimiæ ipsius rei difficultati erit adscribendum: si enim scribantur per singula, nec ipse mundus caperet libros, qui scribendi essent. Quod dupliciter sine vllo tropo de capacitate intellectus, vt primo loco exponit Augustinus, quod videlicet mundus, id est, homines, qui finis mundi, & eius spiritu prædìti sunt, illos libros non possent intelligere: & in hoc sensu ad verbum, capere non posset, supplendum est, sine Dei gratia, & Spiritu. Nam ecce solum hunc librum, vnus pugillo continere potest, hominum tamen vniuersitas totam mysteriorum profunditatem in ea delitescentẽ apprehendere haud valet. Deinde potest esse sermo de externa capacitate, & est sermo per figuram hyperboles in Scripturis vsitatam intelligendus, iuxta quem dicitur: *Vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Et in alio loco. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris.* Constat quippè has locutiones esse hyperbolicas, ac proinde falsas, aut à veritate dissentientes. Est autem hyperbole, cum salua rerum fide, verba tamen fidem superare vidẽtur: quod non fit quando aliquid obscurum, vel dubium exponitur, sed quando id quod apertum est, augetur vel extenuatur; nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quoniam sic verba rem quæ indicatur, excedunt, vt voluntas loquentis, nec fallentis appareat, & hic rei magnitudo tãtùm dicendi excessum exigere videbatur. Et quod hyperbolicus sit sermo, probat verbum ab Euangelista interpositum, Arbitror, quo suasibile fecit quod incredibile videbatur: & verbum Græcum χωρῆσαι, hoc est, capere, quod propriè ad spatium loci pertinet; vt vel vnum paruum Scripturæ sacræ caput mundus non posset intelligentia sua assequi, vel capere in priori sensu. Ratio etiam euincit hyperbolem: quia si scriberentur, proculdubio caperet eos mundus, nisi extra eum conscriberentur. Et Patres veteres agnouerunt hanc figuram, vt Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, atque alij horum imitatores. Vsus est

Cur Ioannes non plura Iesu signa, cum posset innumera, non cõmemorauerit.

Ioan. 20.

Idem. quomodo sensu dixerit: Si singula Christi facta scribantur, nec ipsum mũdum eos capere, qui scribendi sunt libros.

Aug. tract. vlt. in Ioan. tom. 9.

Alter sensus. Hyperboles Scripturis familiares.

Num. 13. Genes. 22.

Hyperbolicus sermo quis sit.

Quod hyperbolica sit locutio, Mundũ non posse capere eos, qui de Christo scribendi sunt libros, ostenditur.

est autem hac hyperbole; vt magni pendamus quæ hactenus scripta sunt, ac detecta. Deinde, vt excitet nos, & nostrum feruorem accendat ad quærenda & meditanda hæc quæ scripta sunt. Tertiò, vt à libris, ac scriptis accurramus ad Christum, qui loquitur ad cor, & tradit Scripturæ sensum. Et vt Ecclesiastes curiosum discendique scribendique repressit studium in fine libri dicens: *His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis:* simili ratione Ioannes, qui post alios tres ad scribendum animum appulit, & ea quæ alij prętermiserant conscripsit; ne quis propreteà existimaret, eum omnia suppleuisse, vel alius tentaret, post eum reliqua supplere omnia tempestiuè, hac vsus est sententia per hyperbolem expressa ad eorum studia comprimenda. Cùm igitur neque ea quæ scripta sunt exactè intelligamus, sufficiant nobis scripta ad fidem alendam, & promouendum necessaria, & magis vtilia. Studeamus igitur illa recta fide intelligere, sancta operatione exercere quæ docent, vt ad bona perpetua perueniamus, quæ ipse Christus suis imitatoribus promittit, cui pro tot, ac tantis beneficijs immortales semper gratias agimus per Iesum Christũ Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto sempiternus honor, laus & gloria ab omni creatura ratione prædita reddatur in secula seculorum. Amen.

Quæ scripta ab Euangelistis de Christo, nobis sufficiũt ad salutē.

TRACTATVS XXXIII.

De apparitione Domini facta in monte Galilææ, in illa verba: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituit illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, &c.* vsque in finem Matth. vlt.

Verborũ Christi firmitas atque cõstantia.

CVM Christus Dominus ipsissima sit veritas, omnia promissa fidelissimè implere consueuit, & plerunque pro sua bonitate, vt nostram vincat duritiam, plura præstat quàm pollicitus est: nam fidelis est Dominus in omnibus verbis suis & sanctus in omnibus operibus suis. Hoc conspicuum redditur in hac appatatione facta in Galilæa, quam tum Iesus per se ipsum ante mortem promiserat, tum per

Psal. 144.

Matth. 26.

Angelos, & iterùm per seipsum suscitatus apparens mulieribus tenentibus pedes eius, & adorantibus. Quare Iesus mentitus non est, vt stultè obijciebat Iulianus Apostata: quod cum promisisset se in Galilæa vidēdum, Ierosolymis tamen illa ipsa die sui cõspectum Apostolis exhibuerit: sed & hoc compleuit promissum pergēs in Galilæam, atque in ea se discipulis ostēdit. Exhibitionē igitur huius promissionis solus inter Euangelistas Matthæus recensuit, aliarumque sui visionum, quas Apostolis exhibuerat, mentionem non fecit, sed istius potissimæ ac maximæ, communisque omnibus discipulis, etiam septuaginta, vel, vt Apostolus ait, etiam quingentis fratribus: cuius Pauli verba expedit diligentius scrutari, atque expendere. Ita ergo Apostolus habet in priori apud Corinthios epistola: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas: & quia visus est Cephæ: & post hoc vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo; deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Vbi in primis ait, se à maioribus per traditionem accepisse: non autem quæ huiusmodi sunt supra naturam mysteria, proprio possunt ingenio inuestigari, vt in cæteris humanis disciplinis. Rectè ait Christum mortuum pro peccatis nostris, non pro aliquo suo aut originali, aut personali peccato, sed pro nostris. Et ne Iudæi obijcere valeant hoc esse figmentum à nobis excogitatum, *Secundum scripturas*, nimirum propheticas, quæ tradunt, Christum pro delictis hominum moriturum: vt Esaias, qui ait: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* & iterũ, *Propter scelus populi mei percussi eũ.* Et Dauid: *Quia apud Dominum misericordia; & copiosa apud eũ redēptio. Et ipse rēdimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Adiunxit & de sepultura, ac resurrectione; tum ad mortis veritatem firmandam, & ad resurrectionis articulum stabiliendum: non enim sepelitur, nisi mortuus; neque suscitatur, nisi sepultus. De qua sepultura etiam Prophetæ loquuntur, *Dabit*, inquit Esaias, *impios pro sepultura*, & iterum: *Erit sepulcrum eius gloriosum.* Rursus addidit de resurrectione tertio die futura, Secũdum Scripturas; ne noua, aut inexpectata Christi resurrectio crederetur, cum longè ante fuerit prædicta & resurrectio, & dies

Infra 28.
Idem.
Impudentissimum Apostatæ Iuliani de Christo mendacium.

1. Cor. 15.

Fidem resurrectionis Dominicæ cur Paulus se à maioribus tradit accepisse.

Esai. 53.

Ibidem.
Psal. 129.

Idem cur meminerit sepulturæ Domini.

Esai 53.
Supra 11.
Eandē resurrectionē tertio die factā cur memoret idē Apostolus.

& dies eius tertia, & hora, de qua Oseas: *Quasi diluculum preparatus est egressus eius:* atque hęc probatio per scripturas nobis semper subsistit. Addit quod visus sit Cephæ Apostolorum Principi,& magnæ autoritatis apud eos, da qua apparitione loquitur Lucas. Testimonia autem mulierum vt minus per se valida ad fidem faciendam, etsi certa,consultò prætermisit Paulus; vt aliàs notauimus.

Et post hoc vndecim,scilicet apparuit: Grecè legitur duodecim, intellige ipso die resurrectionis,vt commemorat Luc. & Ioan. Et duodecim non tam numeri, quam gradus Apostolici nomen est, quemadmodum Ioannes dixit: *Thomas autem vnus ex duodecim*,cùm tunc non essent nisi tantum vndecim. At deinde, vt ait, *Visus est plusquam quingentis fratribus simul*. Græca vox ἐφάπαξ semel significat,quia semel facta est hæc apparitio,cum Apostolis non semel sit visus. Hęc autem apparitio si non esset scripta in Euangelio, durum esset valde tam præcipuam, ac solennem visionem prætermissam fuisse: ergo vel omissa esset ab Euangelistis,vel hæc ipsa est,quam enarrat Matthæus in monte Galilææ factam. Nam hac ipsa promissa à Domino per se ipsum, & per Angelos ac in designatum locum montis conuenerunt,quò omnes discipuli simul adessent, & absque vlla seditionis suspicione possent vndique couenire, abiectaque omni formidine maiori cum iocunditate, frui possent Domini præsentia: ideò non in Iudæa facta est,sed in Galilæa. Porrò ex his quingentis fratribus multi posteà in Ierusalem redierunt,vnus erat illa turba hominum centum & viginti euocata à Petro ad electionem Matthiæ,vt habes in Actis. Ex *quibus* (inquit) *multi manent vsque adhuc*. Ad allati testimonij confirmationem adducit, testes aliquot esse superstites,vt Martialis vnus discipulorum, qui se dicit vidisse Dominum,& adorasse, & ad cœlos ascendentem spectasse, epistola ad Burdegalenses, & Beatus Ignatius epistola ad Smyrnenses ita scribit: *Ego autem non solum natum eum, & crucifixum, in corpore factum scio, sed etiam post resurrectionem in carne eum noui, & credo esse*. Sic ille. Subdit: *Quidam autem dormierunt*. Qua locutione vtitur ad fidem futuræ resurrectionis astruendam: sicut qui dormiunt, à somno surgunt.

Deinde (ait) *visus est Iacobo*. Porrò hæc visio facta est primo die resurrectionis, quo etiam apparuit & Petro, vt testis est Augustinus libro de consensu Euangelistar. nam alioqui sub vesperam illius primi diei apparuit omnibus discipulis præter Thomam,vt Ioannes docet. Inter homines igitur prior vidit Petrus solus, teste Chrysostomo: post hunc singularis Iacobus, si singularis, & solitarius vidit, vt hic dicitur; euntes in Emmaus discipuli; posteà sub vesperam decem Apostoli, & rursus octauo post die vndecim Apostoli; posteà septem Apostoli ad mare Galilææ; ac post illam visionem apparuit in monte plusquàm quingentis fratribus: etiamsi Paulus hoc loco nec has omnes enarrauerit visiones, neque eodem ordine, quo à nobis dicta sunt. Quare quod dicitur, Deinde,vel Græcè ἔπειτα id est, posteà Iacobo, non tam temporis ordinem,quam testium significat. Postremo subiungit: *Deinde Apostolis omnibus*: Tam videlicet duodenarij, quam septuagenarij ordinis: quæ visio in die Ascensionis videtur exhibita fuisse, & enarratur à Beato Marco, & à Luca: *Nouissimè* (ille inquit) *apparuit vndecim discipulis*,&c. Quia enim duodecim sunt simpliciter Apostoli, teste Oecùmenio, & alij sunt Apostoli Ecclesiarum; de quibus Paulus in posteriori ad Corinthios; idcircò benè dixit Paulus visum esse omnibus Apostolis. Quoniam verò post quingentis fratribus factam apparitionem dicitur appatuisse Iacobo, & postea omnibus Apostolis; elicimus falsam esse eorum sententiam, qui opinantur, illam apparitionem quingentorum fratrum factam fuisse post assumptum Dominum in cœlum. Nam si illa facta Iacobo,& Apostolis omnibus contigerat ante Ascensionem Domini,necessariò quoque illa,quæ eas præcedere describitur. Postquam autem enarrauerat conspectum fuisse à duodecim, vel vndecim Apostolis, subdit Paulus: *Nouissimè autem tanquam omnium abortiuo, visus est & mihi*. Intelligo postquam assumptus fuerat in cœlum. Visus autem fuit à Paulo & Corinthi semel, & Ierosolymis in templo orante. Seque vocat abortiuum,id est,abortiuo similem, qui cogitur nasci extra tempus ex matre Synagoga moriente. quemadmodum Beniamin moriente Rachael editus est in lucem: abortiuus etiam,de cuius vita, & doctrina dubitabatur. Narrat autem sibi Christum visum: ne magis audita,quam visa enarrare videretur. Paulus autem & extra tempus quo Apostoli instituti sunt, natus est,& tanquam violentia intercedête, & lumine diuino circumfusus,& diuinitus à Iesu vocatus est,vt tradit Lucas. His positis,atque explicatis, redeo ad textum Matthæi: *Vndecim Apostoli abierunt*, (scili-

Ose 6. *Luc. vlt.* *Ibidem.* *Ioan. 20.* *Ibidem.* *Act. 1.* *B. Martialis epist. 1. cap. 5.* *B. Ignat. epist. 10. prope initium.* Visio Domini Iacobo facta quando acciderit. *Luc. vlt.* *Aug. lib. 3. De consens.*

Euang. cap. vlt. tom. 4. *Chrysost.* *Luc. 24.* *Ioan. 20.* *Infrà 21.* Christus visus Apostolis omnib. quādo. *Marci vlt.* *Luc. 24.* *Oecumen.* *2. Cor. 8.* De apparitione Domini facta quingentis fratribus falsa quorundam opinio reijcitur. Dominus Paulo quando apparuerit. Cur se vocet Abortiuum Apostolus, & visū sibi Dominū dicat. *Gen. 35.* *Act. 9.* De tempore huius apparitionis.

cet à Ierosolyma) *in Galilaam*. Quando hæc sit facta visio, nec quando discipuli redierint è Galilæa Ierosolymam, non satis constat, nisi quantum ad hoc quòd non fuit infra octo dies resurrectionis: nam post octo dies discipuli erant in Ierusalem, quãdo erat Thomas cum eis, & Iesus iterum venit ad eos ianuis clausis. Nec rursus fuit ante apparitionẽ ad Mare Tiberiadis discipulis factam, quia à Ioanne scribitur: *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis*, &c. nam præcessisset hæc apparitio in monte Galilææ, non tertia, sed quarta fuisset illa facta discipulis ad mare Galilææ. Nec adfuerunt huic vndecim tantùm discipuli qui iam certi erant, & confirmati de vera Christi resurrectione Ierosolymis per geminam apparitionem illis factam; sed adfuerunt prætereà multi alij discipuli, vt Ioseph, Nicodemus, Lazarus, Gamaliel, & septuaginta discipuli imò plusquam quingenti fratres, ex quibus, vt hic asserit Matthæus, quidam dubitauerunt. Nam Dominum propè non sequebantur, etsi in eum crederent. Erant ergo vndecim discipuli, qui soli huc venisse narrantur à Matthæo, tanquam principales, & aliorum duces. Nam plures ex Galilææ partibus conuenisse probabile est, cum Dominus in Galilæa conceptus fuerit, nutritus, & conuersatus, plurimaque signa fuerit operatus; ac proinde non paucos discipulos in eos credentes ibi habuerit: quamobrem vt omnes consolaretur, & in fide confirmaret, omnibus simul congregatis dignatus est se exhibere spectandum, audiendum, atque tangendum. *In montem vbi constituerat illis Iesus*. Non explicatur, quis extiterit ille mons: sed dignatus fuit à Christo aut per se, cum promisit: *Cum resurrexero, præcedam vos in Galilaam*, & rursus, *Ite, & nuntiate fratribus meis vt eant in Galilaam, ibi me videbunt*, aut per Angelos, qui mulieribus euangelizantes dixerunt: *Ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilaam, ibi me videbitis, sicut dixit vobis*: hic autem in genere tantum exprimitur designatus. Creditur autem verisimiliter mons fuisse Thabor familiaris Christo, in quo maximè ad captandam quietem versabatur Dominus, teste Euthymio, quem propterea ob sacras actiones Domini in eo gestas, Petrus vocat Montem sanctum. In eo enim paulò ante Dominus mortalis & legem dederat, & turbas millium quinque virorum pauerat panibus quinque, ac gloriæ suæ specimen tribus tantum discipulis exhibuerat: ita nunc in eodem iam immortalis maxima docet Apostolos mysteria, pascitque eos sua præsentia tanquam pane viuo de cœlo descendente, denique corporis gloriam suscitati magna cum omnium admiratione, ac ineffabili ostendit iocunditate. Nam mysteria vt plurimum Dominus consueuit in montibus operari. Siquidem in monte Nazareth Verbo caro factum est: in monte Caluariæ mortem crucis sustinuit, & ex monte Olиueti in Empyrei cœlo mõtem conscendit. Ecclesia quoque ciuitas est in monte ædificata, quia longè supra terram exaltata est, ac magnifice decorata: cuius cacumen tangit cœlum, & in Ecclesiæ monte Christus solùm cerni potest. Erat autem hic mons in Galilæa: quia Ecclesia à sensibilibus ad intellectualia, à carnalibus ad spiritualia, à terrenis ad cęlestia, atque ab humanis ad diuina transmigrat. Interpretatur autem Thabor, electio, siue puritas: quia puris, & electis apparebit in fine mundi: beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Prædixerat autem Propheta: Thabor & Hermon in nomine tuo exaltabunt: quod in spiritu nouisset quæ in illis montibus mysteria à Messia forent celebranda. Illud quoque perpende, Christum suscitatum primò paucis apparuisse in Iudæa, posteà multis in Galilæa, rursus in Iudæa paucis in die Ascensionis: quia in primis paucos conuertit Iudæos, quorum ministerio postea ad se traxit plenitudinem Gentium: quæ vbi in Christum ingressa fuerit, ac finis aduenerit mundi, tunc omnis Israel saluus fiet.

Et videntes eum adorauerunt; quidam autem dubitauerunt. Hic est cultus latriæ soli Deo debitus: vnde mulieres tenuerunt pedes eius, & adorauerunt, ac Thomas post contactum vulnerum Christi, prouolutus in genua, & adorabundus, inquit: Dominus meus, Deus meus: & vbicunque se Dominus nobis prodit, siue detectus, siue velatus, vt facit in Eucharistia, adorandus est, omnique venerationis cultu prosequendus. Quod ait quosdam dubitasse, non est ad vndecim referendum Apostolos: nam, vt diximus, illi in fide resurrectionis Domini satis confirmati erant, & Thomas, qui postremus credidit; sed referendum videtur ad innumeros alios discipulos qui eò confluxerant, & collecti fuerant & congregati per vndecim Apostolos: quorum dubitatio & illis salutaris fuit, à quibus omnem dubitandi ansam amputauit. Nihil tamen obstaret, credere, quosdam ex Apostolis, etsi tunc non dubitarent Dominum resurrexisse, hæsitasse

Marginalia (left): Ioan. 20. — Infra 21. — Ibidem. — Luc. 1. — Infra 4. — Quis fuerit ille mõs, in quo Dominus discipulis apparuit. Matth 26. Infra 28. Marc. vlt. — Euthy. c. 26. in Mat. prope finem. — 2. Petr. 1. Cur ille mõs sanct° à Petro nominetur.

Marginalia (right): Matth 5. & seq. Infra 14. Infra 17 Ioan. 4 — Dominus mysteria sua operari in montibus cõsueuerat. — Luc. 1. Ioann. 1. Infra 19. Luc. 24. Act. 1. Matth. 5. — Christus tantum vbi cerni possit. — Thabor quid. — Matth. 5. Psalm. 88. — Quid est, quod Christus paucis primo in Iudæa visus est, deinde multis in Galilæa, rursus in Iudæa paucis in die Ascensionis. — Rom. 11. Latria soli Deo debetur. Matth 28. Ioan. 20 — De quibus Euangelista quosdam dubitasse.

hæsitasse tamen nonnihil an ipse esset, qui tunc apparebat. Et idcircò sequitur, quod accedens locutus est eis, insinuans, quòd ad omnem prorsus dubitationem amouendam non tantum se longè conspiciendum præbuerit, sed etiam vicinum, ac proximum exhibuerit, notaque voce ad illos locutus sit. Et vt tunc quidam adorarunt, quidam dubitarunt; ita proposita veritate, quidam credunt, alij verò dubitant, vt hic factum est, & apud Marcum, atque Lucam. Ne etenim infideles, aut perfidi Iudæi dicere valeant, Apostolos vt simplices, & credulos homines fuisse deceptos, non puduit Euangelistas, aut suum ipsorum, aut aliorum discipulorum animum prodere dubitantem.

Mar. vlt. Luc. 24.

Quemadmodum Iesus ad discipulos sæpe accedebat.

Et accedens Iesus locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Corpore, & animo ad discipulos accedebat; vt & verbis, ac doctrina consolaretur, ac præsentia, quo magis illam propinquam ostenderet, & scrupulos illis eximeret, & amplius familiarem se exhiberet illis. Ac vt olim fratres Ioseph minimè audebãt sine timore ad ipsum accedere, quem grauiter offenderant, ob venditum eum Ismaeliticis, donec ipse & vultu blando, & amicis verbis, & gestibus indicaret se illis offensam remisisse, & eos ad se alliceret, & inuitaret: ita & discipuli præteritorum criminum conscientia trepidabant, & ad eum accedere formidabant, tantam Christi humanitatem ac lenitatem vix agnoscentes. Volens autem potestatem de Euangelio per vniuersum orbem disseminando tradere, prius præmittit de omnimoda sibi potestate tradita in cœlo & in terra, dicendo, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, vbi apertè indicauit virtutem resurrectionis, & quid sit de eo suscitato credendum, nimirum quòd postquam de morte triumphauit resurgendo, omnis potestas cœli, & terræ sibi sit data. Sed dubitabis quomodo data sit, quæ per omnia sua fuerat ante? Ipse siquidem dixerat apud Matthæum; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* & apud Ioannem; *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Respondemus Christum triplici iure vniuersi accepisse potestatem. Primò quidem, iure hæreditario: nam si filij, & hæredes, teste Apostolo. Cùm igitur Deus omnium sit Dominus, iuxta illud; *Regnum tuum regnum omnium seculorum; & dominatio tua in omni generatione, & generationem:* & alibi: *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terra, & plenitudo eius;* Filius ergo eius naturalis omnium est hæres, secundum id: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* & Paulus ad Hebræos: *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum.* Deinde est ius amicitiæ, ac mutuæ dilectionis: nam iuxta vetus prouerbium, Amicorum sunt omnia communia. Filius ergo omnia quæ accepit, rependit Patri in actiua spiratione, ac productione Spiritus sancti, in quo se infinitè amant, & omnia sibi mutuò donant. Tertiò erat ius creationis; atque gubernationis mundi: nam Filius non minus quàm Pater, aut Spiritus sanctus mundum condiderat, illumque sustinebat; & procurabat. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. His igitur tribus iuribus Christus mundi Dominus semper extitit tanquam verus Deus. Eius autẽ Humanitas, quia organum diuinitati coniunctum extitit, omnium potestatem accepit in conceptione, quanquam quemadmodum cessit gloriæ corporis sibi debitæ, ita etiam ad tẽpus dominio mundi, voluitque subijci, & humiliari, meritoq; obedientiæ & humilitatis omnia sibi comparare, & acquirere. Hinc ipse dixit: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suã:* & rursus; *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quamobrem resurgẽs ait: *Data est mihi omnis potestas,* Mihi inquã, soli: & non aliqua simplex potestas, sed omnis in cœlo, & in terra, vt mei iuris sint omnia: mundus, homines, cœli Angeli, dæmones, peccata, ac pęnæ; ita vt sim iudex viuorum, & mortuorum: ac propter talem potestatẽ, qui prius eram opprobrium hominum, & abiectio plebis, modò sum exaltatus super omnes cœlos, quò sedeam ad dextram Patris. Data, inquam, potestas mihi homini, quæ prius erat mea, quatenus Deus, & cõmunicata etiam Humanitati; sed nõ apparebat, nunc verò declarata est: tum ratione status, quia regnum habet, præest enim cęlo, & terræ, qui antea erat subiectus non tãtum elementorum qualitatibus, sed etiam cruci, ac flagellis, Iudæis, ac Gẽtibus, qui in eius mortem conspirarunt; tum ratione modi, quia qui prius quaten⁹ homo est, ex simplici Dei dono habebat dominium cęli, & terræ, & omnimodam potestatẽ, nunc etiam ex merito obedientiæ illam eandem sit consecutus, exuto atque spoliato omni, quam prius in mundo habebat, potestate tenebrarum Principe Satana. Magnum videtur nobis, habere potestatem super terrena, quantò magis posse in cęlestia? Excelsũ est munus, habere propitium magnum aliquem Principem: cui tamen minimè tutum est niti, cum baculus sit arundineus

Gene∫. 24. & ∫eq. Supra 37. Infra 24.

Quomodò nunc Christo cœli, ac terræ datur potestas, quam antea habebat. Matth. 11. Ioan. 13.

Triplici iure Christus vniuersi orbis potestatem accepit. Rom. 8. Psal. 144. Psalm. 49.

Psalm. 2. Hebr. 1.

Amicorum sunt omnia communia.

Gen. 1. Ioann. 1.

Luc. 24. Ioann. 12. Christi potestas amplissima.

Act. 10. Psal. 21.

Coloss. 2.

quid ergo habere Christum propitium, & medicum animarum potentissimum? Et vt Christus hæreditario filiationis iure, & amicitiæ, atque meriti singularis ad hanc tãtam potestatem peruenit, & ita nos voluit ad gloriosum Dei regnum, atque ad hoc dominium vniuersi possidendum perducere, tùm iure filiorum propter fidem, & Sacramentum, secundum illud: *Dedit nobis potestatem filios Dei fieri.* &c; *Si filij, & hæredes.* Deinde iure amicitiæ, dixit enim Dominus: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos,* &c, *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Tertiò merito humiliationis, atque patientiæ, dicente Domino: *Omnis qui se humiliauerit, exaltabitur,* &c, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Dubitabis, num Christus habeat dominium directum super temporalibus bonis? nam quod attinet ad spiritualia, nemo est qui dubitet. Sanè Dominus quamdiu vixit, dominio, & potestate super temporalia bona se abdicauit, ac Reges huius mundi quodammodò dicere possunt. Nos habemus potestatem, quam Christus non habuit; Episcopi autem, & Pontifices in spiritualibus illam habent, at non in temporalibus. Dicẽdum tamen est: Christus etsi per seipsum temporalia dum viueret, noluerit moderari, vnde causam adulteræ merè politicam à se abiecit, petentemq́ue vt diuideret secum hæreditatem inter fratres, noluit audire, sed dixit, *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* tamen post mortem dicit: *Omnis potestas data est mihi in cælo, & in terra,* &c. quoniam qui Christi fidem profitentur, siue opes habeant, siue regna, & imperia, non nisi Christi arbitrio, ac legibus ea debent administrare, ne interitus, atque exitij illorum fiant instrumenta: proptereà meritò dici potest, Christum etiam in temporalibus habere dominium. Nam quia suapte natura bona fortunæ ad corpus ordinantur, & illa corporis, atque fortunæ ad bona animæ; qui animis regendis præficiuntur, proculdubio indirectam quandam potestatem habent super corpora, & fortunæ bona; maximè verò suprema potestas Vicarij Christi, cuius est, temporali abutentes potestate corrigere, & renitentem, atque obstinatum excommunicationis mucrone percellere, atque si opus est, regno ipso, & potestate deponere. Nam nisi hæc suprema in Ecclesia Dei potestas existeret, tantaque præstare posset, non satis à Christo prospectum esset saluti animarum, & Christianæ reipublicæ: neq; eius Vicarius oues sibi creditas pascere posset, ad præmium vitæ æternæ consequendum.

Triplicitet boni fideles ad regnum Dei perueniunt.

Ioann. 1. Rom. 8.

Ioan. 15. 1. Cor. 6.

Luc. 14. Infra 22.

An Christus dominium directũ habeat in bona temporalia.

Ioan. 8.

Luc. 12.

Qua ratione Christus ius, & potestatem habeat in regnum, ac dominium temporale.

Nisi in Ecclesia temporale quoque esset dominium, quid consequeretur. Ioan. vlt.

Euntes ergo, docete omnes gentes: &c. Etsi in Græca litera non habeatur coniunctio illa, Ergo, quæ est notata illationis; oportet tamen eam subintelligere, nisi fortè interpres noster veriorem nactus est codicem: certè in quibusdam Græcis, & Syriaco codice inuenitur: nam ex potestate ei data rectà infertur, quod ex eadem legatos in omnem terram destinare possit, qui eadẽ potestate fungi, prout ei placuerit, valeant, non solum hominibus, sed & in Angelis cœli. Nec amplius sum debitor ouibus quæ periebatur domus Israel, omnium gentium constitutus sum Dominus, quas meo sanguine acquisiui, redimique, quibus me oportet vt meis prospicere: quia data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, hoc est, in homines, & Angelos. Infernum quidem ego paulò ante per me ipsum spoliaui: cœlum ego breui ascendam: mundum hunc vobis trado docendum, baptizandũ, vestræque doctrinæ, ac Sacramentorum ministerio imbuendum, initiandum, atque in me transformandum. Expressit ergo omnem potestatem sibi datam esse merè spiritualem, non temporalem. Nec difficile quicquam vobis videatur: quia ecce ego vobis adero omnibus diebus, vsque ad cõsummationem seculi. Atque ita illos ministros verbi, & Sacramenti constituit, in quo est summa potestas Euangelica. Quatuor verò his verbis Christus explicauit mandata. Primum, vt Ierosolymis inclusi non permaneant, sed prodeant, atque ambulent tanquam legati nomine suo ad reconciliandum mundum destinati. Secundum, vt non tantum ad Iudæos, vt olim, sed etiam ad Gentes proficiscantur: quia ab initio dictum fuerat: in viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Marcus ait: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ,* & Lucas: *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma,* & in Actis: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Et ita vides quatuor in locis idem mandatum traditum. Quod Matthæus ait, *Docete*, Marcus habet, *Prædicate* (seu explicate) *Euangelium:* & quod Marcus ait, *Omni creaturæ,* Matthæus explicauit. *Omnes gentes.* Et nomine omnium gẽtium, intellige etiam Iudæos, vt explicuit Marcus dicendo, prædicate Euangelium omni creaturæ. Tertium est, vt ante Baptismum erudiat baptizandos

Matth. 10.

Quatuor Christi mandata Apostolis post resurrectionẽ tradita.

Ibidem.

Mar. vlt.

Act. 1.

Mar. 16.

Doctrinæ Baptismo

praemittendæ necessitas.

zandos: præcedit enim doctrina, & Catechismus baptismum, quo quidem homines instruuntur de Adæ peccato, & mundi perditione, de Dei misericordia, & Filij Dei incarnatione, salutiferaque eius morte ad remittenda peccata, potentique resurrectione, deque Sacramentorum necessitate. Ex prædicatis autem conspicitur fides in Christum Deum, & hominem, ac mediatorem, & seruatorem mundi: credentibus, autem, & pœnitentiam agentibus, datur Baptismus in remissionē peccatorum, vt in Actis dicitur. Quartum præceptum est illud: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Ex quo in primis habes, Baptismum esse Christi institutionem, ac proinde sine crimine contemni, aut omitti non posse: nec dici posse inutile quid, aut superfluum, quod ad salutem, & animarum satisfactionem ab eo est in locum circuncisionis subrogatum, & cōstitutum. Quod si Apostolis præceptum est baptizare; omnibus ergo salutem suam cupientibus necessarium est baptismum suscipere, vt esset signum externum, quo populus Dei in vnum corpus coalesceret, & agnosceretur, quò item gratia Spiritus sancti à peccatis enudans efficaciter cordibus nostris infunderetur, & certo infundi intelligeretur. Est autem adeo efficax, & ad salutem necessarium Baptisma, vt sine illo illo salus cuiquam constare non queat: ideò in Marco: *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit*. Exprimitur & hoc loco materia, nempe aqua, in verbo baptizādi: quod etsi ꝓpriè significet immergere, extenditur tamen ad quamcunque intinctionem, lotionem, vel aspersionem: & in quacunque aqua naturali verus, & validus est Baptismus. Tertiò exprimitur forma in nomine trium personarum, quæ hic primum à Mathæo nominantur. Exprimendo tamen actum baptizationis à se fieri, siue more Ecclesiæ Latinæ, siue Græcæ, quæ habet: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sicut Latina ait: *Ego te baptizo*, &c. considera dixisse nomen in singulari, ad denotandam vnam sanctæ Trinitatis naturam, ac diuinitatem in Arrium; & trium personarum nomina distinxisse, contra Sabellium confusorem. Et Græcè habetur in accusatiuo: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti*, vt hi qui baptizati sunt, transeant in nomenclaturam, aut dicantur filij Dei Patris, fratres Filij Dei, templa, & habitacula Spiritus sancti. Quare fortassis falluntur, qui putant aliquando in primitiua Ecclesia inter baptizandum solum Christi nomen

Act. 2.
Vnde constet, Baptismū esse à Christo institutum.

Quam sit necessarium, & efficax Christi Baptisma.

Marc vlt.

Baptizare quid.

Græcæ Ecclesiæ & Latinæ ritus baptizādi.

Quare dictum sit: Baptizātes eos in nomine Patris, &c. nō autem in nominib. Falsum esse, olim in

expressum, ita vt dicerent: *Ego te baptizo in nomine Christi*; sinistrè interpretantes quosdam locos in Actis Apostolorum, vbi quidam dicuntur baptizati in nomine Christi. In quibus locis non signatur nomen Christi expressum in actu baptizādi, sed eos in fide Christi, vel merito, & efficacia eius baptizatos. Quartò exprimitur minister distinctus à Baptizato: nemo etenim esse potest minister Sacramenti sibi exhibendi, sed diuersus sit oportet à baptizato. Hic autem primò est Episcopus, deinde Sacerdos curam habens animarum, Posthæc simplex Sacerdos, postremò in articulo necessitatis quiuis laicus, siue masculus sit, siue fœmina, siue Christianus, aut Iudæus, aut hæreticus, modò rectè proferat verba, & materiam adhibeat, & intendat id efficere, quod Ecclesia consueuit. Quintò, seruandæ sunt ceremoniæ Ecclesiæ, cum quis solenniter baptizatur: quāquam vbi vrget necessitas, omitti possunt. Non debent autem neque possunt contemni, sicut fit à Lutheranis, & Zvvinglianis: & quia hoc est Sacramentum regenerationis, vt Dominus testatur apud Ioannem, & Paulus docet, vt homo nonnisi semel nascitur, sic semel tantum renascitur. Quare vana est doctrina Anabaptistarum, qui non sunt vnico baptismo contenti, nisi quis illum suscipiat ea ætate, qua vsum rationis exerceat, & intelligat quid percipiat, & promittat. Sextò, olim apud Gentes erant baptismata, sed inutilia, & superstitiosa, vnde Poëta dixit:

Donec me flumine viuo
Abluero.

In lege verò Moysi erant lustrationes, & expiationes ad emundationem carnis: habebant & baptisma calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum, vt docet Marcus. Sed cùm hæc omnia aut vana essent, aut parum vtilia, nempe ad emundationem carnis, solus Christi Baptismus vtilitatem maximam præstat, quia regenerat in filios Dei, mundat à peccatis, mitigat ardorem fomitis, aperit cœlos baptizato, incorporat Christo tanquam membrum viuum, & in Ecclesiæ sinum lacte doctrinæ imbuendum tradit: habet ius ad omnia alia sacramenta, & ad regnum cœlorum, & ad omnia bona, quæ Christus suo sanguine comparauit. Ac diuinæ bonitatis & sapientiæ consilium fuit, vt tanti Sacramenti fructus à ministro nequaquam penderet, quem ad conferendum nihil facit bonitas ministri, sicut nec impedit malitia, quia non propria ipsius virtute operatur, sed Christi

primitiua Ecclesia in nomine Iesu Christi solum fideles baptizari solitos, vt quidā opinantur.
Act. 2
Infra 10.
Si qui in nomine tantum Iesu Christi, Patris, & Spiritus sancti nomine suppresso, baptizati leguntur, quo modo id accipiendum sit.
Baptismi minister quis.
Cōtra Lutheranos Zvvinglianos absq; ceremonijs baptizantes.
Ioan. 3.
Rom 6.
In Anabaptistas qui adultos tantū esse baptizandos dogmatizant.
Baptismata apud Gentes & Iudæos qualia essent.
Virgil. lib: Aeneid.

Marc. 7.

Hebr. 9.
Christi Baptismus quot & quanta præstet beneficia.

Quo factum sit diuino cōsilio, Baptismi vt effectus à ministro nequaquam penderet.

Quibus præcipuè Euangelica doctrina sit dispensata.
2. Tim. 2.

Dei, & hominis. Verbum illud. *Docete*, Græcè est μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη: quod ad verbum est, vt sic dicam, Discipulate, siue discipulos facite. Nam etsi omnibus administranda sit doctrina Euangelica, illis tamen præcipuè, vt docet Paulus, qui idonei erunt & alios docere, & ex discipulis fieri magistri. Et à principio omnes qui Christi doctrinam profitebantur, discipuli vocabantur: vt idem sit facere discipulos, atque facere Christianos. Quod verò sequitur, *Baptizantes eos*, non est solœcismus, quasi dicere debuisset eas, nimirùm gentes quæ præcesserant: sed tales voces, quæ multitudinem significant, includunt masculinum, & fœmininum genus. Est ergo relatio ad sensum, non ad vocem generis vtriusque. Nec vituperandus est interpres, quia secutus est literam Græcam: nam cum dixisset. πάντα τὰ ἔθνη in genere neutro, postea tamen masculinè dixit, βαπτίζοντες αὐτοὺς, & διδάσκοντες αὐτοὺς. ¶ *Docentes eos seruare omnia quacunque mandaui vobis*. Ne quis putet satis esse tinctum, ac professum fidem Euangelicam; adiungit opus esse doctrina, vt intelligat qua ratione possit quisque innocentiam tueri in Baptismo partam, quibusque modis progredi ad perfectionem valeat, quo modo repugnandum cacodæmoni, quomodo proprijs cupiditatibus reluctandum: vnde vestrum est non solum fidem, sed etiam mores fidei professæ congruos informare. Baptismus enim adeò non prodest, vt non seruemus quod denotat, id est, mortificationem carnis, & innouationem Spiritus, vehementer etiam obsit. Debent autem magistri hanc doctrinam suauiter instillare in subditos, non tantum verbo, & imperio, sed precatione, & bonæ vitæ exemplo, vt agnoscant quid sperari, quid ex charitate diligi debeat, quæ præcepta iustitiæ ad proximum, & quæ opera charitatis & misericordiæ sint exercenda. Dicendo autem, *Omnia quacunque mandaui vobis*, non obscurè indicauit, Dominum Iesum plura Apostolis mandata tradidisse, vt & ipsi seruarent, & alijs seruanda traderent, quæ non sunt in Euangelio expressè scripta: cuiusmodi sunt, confessio criminum, quæ in aurem fit Sacerdotis: tale enim iugum confitendi, & satisfactiones imponendi, nunquam Apostoli à seipsis indixissent, nisi à Christo accepissent: talis est frequentatio Eucharistiæ, iuge precandi studium, stati ad ieiunandum dies, festiuitatum institutio, cœlibatus Sacerdotum, virginitatisque professio, ac vitæ monasticæ institutum, Sacramentorum numerus, & ministrorum sacrorum hierarchia: hæc enim omnia, atque similia illos accepisse à Christo, ipsa primitiua docet Ecclesia, in qua hæc omnia exercebantur, atque frequentabantur, quod arguit, hæc omnia ex Christi officina, magna ex parte prodijsse: quanquam multa posteà per Spiritum sanctum sint Ecclesiæ Apostolorum ministerio reuelata, ac tradita. Et dicendo, *Mandaui vobis*, indicat, ideò vos ea poteritis imponere, atque adiungere quæ ad mea mandata facilius intelligenda, ac commodius seruanda facere videantur. Nec enim satis est ad salutem habere dogmata Fidei quæ credenda sunt, & Baptismum, nisi etiam Deo digni mores accedant, & sancta vitæ conuersatio. Rectè ait, *Omnia quacunque mandaui*; vt intelligas nullum ex mandatis Christi esse prætermittendum: quoniam qui in vno offendit, factus est omnium reus. Aduerte etiam, aliud esse describere partes Baptismi, ex quibus necessariò constat; aliud, describere ea, quæ comitantur Baptismum: debet enim illum doctrina partim præcedere, partim subsequi, quod hic agit Dominus. Et si Baptismus conferatur nulla præcedente, ac subsequēte doctrina, verus quidem est & validus. Nec ex hoc loco argumentum habere possunt contra infantium baptismum hæretici: quia sine ille doctrina verus traditur ille Baptismus. Dominus autem meminit doctrinæ præcedentis, & subsequentis; quia ipse doctrinam de Baptismo conferendo adultis tradebat, quos haud par est sine doctrina aut idoneo catechismo ad Baptismum admittere, ex quo fidem suscipiendo Baptismo necessariam concipiunt.

Ach. 11.

Græcismus in illis verbis Baptizantes eos.

Baptizatū & professum fidem Christi intes se distingui.

Baptismus quid denotet.

Euāgelica doctrina subditis quomodo sit impertienda.

Quænam illa sint, quæ minimè in Euangelio expressa, Dominus Apostolis mandauit, ac tradidit.

Christi cur omnia mandata sint seruanda, nec vllum omnino prætermittendu.
Iaco. 2.

Quibus baptizandis doctrina sit, & catechismus necessario præmittēdus, cōtra Anabaptistas.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Quasi dicat; Magna sunt, & excelsa munera, ad quæ vos destino; non tamen vos deseram, aut absens à vobis ero. Simile quid dixit olim Dominus Moysi recusanti ire ad Pharaonem: *Ego ero tecum*, & Ieremiæ detrectanti munus prophetandi, teneramque ætatem obtendenti dixit: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te*. Ita hic ad Apostolos dixit: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Poterant enim Apostoli obijcere; Domine, nos qui te vidimus, vix credimus; quomodo præstabimus vt alij credant? respondet, *Ecce ego vobiscum sum*. Rursus Quis credet omnem tibi potestatem datam in cœlo, & in terra? quam fidem huius rei facis? Res ipsa loquetur; docete vos, & ego

Quorsum id: Ecce ego vobiscum sum & reliq.

Exod. 3.

Ierem. 1.

& ego ero vobiscum, & ego exeram meam potentiam. Adhæc: Nos ne tam pauci, ac tam rudes, tam numerosas gentes docebimus? Adde etiam, vt essemus instructissimi, quid eos docebimus? num eorum deos, aut templa demoliri poterimus? num nos Galilæos audire volent? Esto audiant, & credāt te esse Deum; num tuo præcepto suam subdent voluntatem, cum sint rebelles, ac filij iræ? cùm commoda sua quærant, & longe sint à cruce? etiamsi crucem mortuam adorent ad tempus? Ad has & similes perrumpendas difficultates respondit Dominus: *Ecce ego vobiscum sum, ego ero in corde vestro, ego dabo vobis os, & sapientiam; cui non poterunt resistere, nec contradicere omnes aduersarij vestri*: adero prædicantibus, quia sine me nihil potestis facere: adero vos auscultantibus, vt fructus illorum semper maneat. Hinc pulchrè ait Theophylactus: *Quoniam Dominus discipulos suos amandabat prædicatum omnibus gentibus ne illi desperarent, ac rursus desponderent animos, rursus animat & confirmat eos, promittens se futurum cum eis vsque ad consummationem seculi*. Hæc ille ferè. Similia docet Augustinus sermone quodam de verbis Apostoli Beatus Hilarius libro de Trinitate ita habet: *Vt enim natura humani corporis cessantibus officij sui causis erit otiosa: nam & oculis nisi lumen accedat, nullus ministerij erit vsus, & aures nisi vox, sonusue reddatur, munus suum non recognoscent, & nares nisi odor fragrauerit, in quo officio erunt, nescient: non quod his deficiat natura per causam, sed vsus habeatur ex causa: ita & animus humanus nisi per fidem donum Spiritus hauserit, habebit quidam naturam Deum intelligendi, sed lumen scientiæ non habebit. Munus autem quod in Christo est, omne omnibus patet vnum: & quod vbique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere: in tantum residet, in quantum quis volet promereri. Hoc vsque in consummationem seculi nobiscum, hoc expectationis nostræ solatium. Hoc in donorum operationibus futuræ spei pignus est, hoc mentium lumen, hic splendor animarum est. Hic ergo Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, & deinceps præceptorum fide, atque obseruatione retinendus*. Hactenus ille bonus Pater, cuius verba meritò sunt magni pendenda, vt intelligant ministri verbi, & Sacramenti, ad rectè munere Apostolico fungendum, omni opera, studio, ac diligentia ambiendum sibi esse Spiritum sanctum, ac promerendum. Iam veba Domini attentiùs inspiciamus. Et alio aduerbio *Ecce*, attentos reddit ad rei profectò magnæ, nouæ, ac perfaustæ pollicitationem. *Ego*, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. *Vobiscum*, administris, ac coadiutoribus meis, siue bonis, siue malis. *Sum*: per præsentiam diuinitatis, & per gratiæ fauorem præsens, quod attinet ad effectus Sacramentorum omnium: nam minister quidem baptizat in aqua; at Iesus est, qui baptizat in Spiritu sancto, & igni. Neque enim qui plantat, est aliquid; neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Quia nos materiam adhibemus, atque verborum formam proferimus: at ipse operatur intus. Atque in hunc modum intellexit hanc Domini perpetuam cum Apostolis assistentiam Gregorius Nyssenus in Catechetico suo: *In spirituali*, inquit, *modo regenerationis promisit adfuturum se his, quæ facta sunt, & imprimit operi virtutem suam voluntate nostra accedente ad id quod intenditur. Atque id quod dixit Christus, in primis videtur referendum esse ad præsentiam suam in Sacramentis, & mysticis operibus: in quibus quod cernitur corruptibile est, quod latet, diuinum*. Sic ille. Ideò non ineptè, nec extra rem quidam Pontifices Romani, atque Doctores hunc locum de assistentia Christi nobiscum per Sacramenti Eucharistiæ præsentiam interpretati sunt: siquidem sermo hic ad literam est de effectibus Sacramentorum. Siquidem illud Sacramentum paullò antè instituerat Dominus ad immensæ suæ erga nos charitatis memoriam in viaticum nostræ peregrinationis, atq; in monumentum contra omnia mundi huius, & Satanæ aduersa, & tentationes. Adest deinde nobiscum quantum ad fructum doctrinæ sanctæ, quò efficax esset Dei verbum, & fructuosum, vt ad Deum vacuum non reuertatur. Vnde Marcus explicans hoc verbum: *Vobiscum sum*, inquit, *Illi autem prædicauerunt vbique; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Intus cooperabatur aperiendo corda auditorum, & extra per signa, quæ edebat per Apostolos. Ethymius expendens verbum illud: *Vobiscum sum: Cooperauit*, inquit, *impedimenta complanans, & seruans vos*. Sic ille. Etsi ergo subtraham vobis præsentiam corporis; non tamen assistentiam diuinitatis meæ. Ac ne, quod succedere prosperum videmus, virtuti nostræ tribuamus; vel ne, si quid asperum patimur, solos nos esse putemus, sed nobiscum cuncta agere illum, & pati putemus, qui est benedictus in secula; rectè, Vobiscum sum, inquit. Quis ergo spe tanti comitis allectus, aut tanti ducis armis, ac viribus fultus, docendi, Sacramentaque administrandi munus non aggrediatur? Subiungit: *Omnibus diebus*, sine vlla parenthesi, siue interruptione aut in

Luc. 21.

Ioann. 15.

Ibidem.

Theoph. in Matt.

Aug. ser. 45. de verbis Apostoli to. 10 Hilar lib 2. de Trin. prope finem.

[illegible] expendit hunc locum beatus Hilarius.

Verbi ac Sacramenti ministri munere suo vt rectè fungatur, quid ei curandum sit.

Matth. 3.

1. Cor. 3.

Greg Niss. in Catech. cap. 33.

Alter sensus horum verborum: Ecce ego vobiscum sum.

Matth. 26. Eucharistia Sacramentum cur sit a Christo institutum.

Esai 55.

Marc. 16.

Euthymius.

Christi cum Ecclesia sua

aut interpollatione Christus fuit cum Apostolis, & est cum eorum successoribus ministris Ecclesiæ; Ecclesia ergo semper fuit, est, & erit, à qua nunquam abfuit Christus; errabit verò nunquam in his quæ fidei sunt definiendis, ac tradendis, quæ columna est, & firmamentum veritatis: quæ corpus est capitis Christi eam diligentis, atque in eam omnes meritorum suorum deriuantis thesauros: quæ discipula est Spiritus sancti eam regentis, ac consolantis. Semper quoque ex his deducitur, manifestam, atque compertam fuisse Ecclesiam omnibus, qui salutis suæ desiderio tenentur: in qua videlicet munus prædicationis, atque doctrinæ publicę, ministeriumque Sacramentorum, quæ externa, ac sensibilia signa sunt, quæ in oculos hominum incurrunt: in qua fuit perpetua Sacerdotum, & Episcoporum successio, ac proinde fidei aperta confessio, quæ necessaria est, teste Apostolo, ad salutem.

mansionis perpetuitas.

1. Tim. 2.

Ecclesiam, vt hęretici hallucinantur, non esse inuisibilē, sed visibilem, atque aspectabilem.

Rom. 10.

¶ *Vsque ad consummationem seculi.* Hic iam apertè vaticinatur, Ecclesiam ad finem vsque seculi daturam, quod profectò ingens est miraculum, ac diuinæ opus potentiæ, illam posse persistere inter tot tyrannos, & hæreticos, qui portæ Inferi à Domino vocantur, qui in eam bellum perpetuum indixerunt. Verùm Ecclesia in Spiritu Christi munita, ac fide viua armata, non solùm nihil ab eis læsa, sed etiam per illorum tribulationes illustrior, prudentior, ac fortior semper est reddita. Atque hoc verbo non solùm indicauit se futurum cum discipulis, qui tunc erant, sed etiam cum his omnibus, qui legitima vocatione in illorum gradus successuri erant, illorumque dignitatem ac potestatem in Ecclesia administraturi. Rectè autem dictum est seculum non finiri, aut terminari, sed consummari, hoc est, perfici, seu consummatum, & perfectum reddi: quia ex volubili succedentium temporum varietate, quod ad bonos, ac pios attinet, ad perpetuam æternitatis semper præsentis firmitatem, ac perfectionem perducitur. Nihil ergo de Ecclesia Christi semper duratura trepidandum est nobis: nam etsi ab illa per infidelitatem nonnulli excidant, & vel ad hæreticos vt transfugæ se recipiant, vel ad Paganismum per apostasiam conuolent; alij tamen loco eorum inseruntur, & ipsi qui excisi sunt, possunt, si per eos non stet, pingui oliuæ Christo, & Ecclesiæ, quæ eius est corpus, reinseri. Ad consummationem ergo seculi producitur ætas Ecclesiæ, quæ dici potest illi Dei regnum, quod Propheta regnum sempiternum vocat, de quo Angelus dixit: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* De hac Domini mansione cum Ecclesia, loquitur liber Sapientiæ cùm ait: *In omnibus magnificasti populum tuum, & honorasti, & non despexisti in omni tempore, & in omni loco assistens eis.* Et Ezechiel vaticinatur de Ecclesia: *Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Et Esaias: *Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Desolata; sed vocaberis Voluntas mea in ea: & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te.* In docentibus igitur Apostolis manet Iesus, & in illorum verbis, atque scriptis, vt legantur: & hoc vsque ad consummationem seculi, de quo poterat esse dubium: namque post seculi consummationem haud erat ambiguum futurum cum ipsis, quia ibi omnis ignorantia cessabit, eritque Deus omnia in omnibus: & sicut Dominus in cœna dixit, illi tunc futuri erant secum. Ita enim prædixerat apud Ioannem: *Et si abiero, & præparauero vobis locum; iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum; vt vbi sum ego, & vos sitis.* Et Apostolus: *Et sic semper cum Domino erimus.* Nunc autem nobiscum est Dominus nos sustinens, ac corroborans, tunc nos cum ipso erimus, quia nunc ipse, ad nos, & ad nostras infirmitates se accommodans descendit; tunc autem ipse erit in maiestate sua, & nos à tenuitate, & humilitate nostra ascendemus quoad fieri poterit. Natura siquidem nostra ob id id non mutatur, quòd Deo impletur; sicut ipsius diuinitas non est mutata, eò quòd vestita est nostra humanitate. Et quia reuera concilium cogitur, vt pura verbi & Sacramenti doctrina administretur, morumque repurgatio, ac vitæ informatio instituatur, paxque & concordia inter Principes Christianos qui diffident componatur: cum hæc maximè ad regnum Christi propagandum conferant, dubium non est, quin hoc Christi verbum: Ecce ego vobiscum sum, ad illa cogenda, promouenda, atque in finem vsque perducenda magnoperè pertineat. Nam si ille pollicitus est: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quantò magis vbi tota Ecclesia repræsentatur? Si Deus adest prædicantibus, vt Ieremiæ dixit: *Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego sum vt eruam te*: si præsens est laborantibus, vnde Salomon precabatur: *Mitte illam* (nempe assistricem Sapientiam) *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*: si assistit orantibus, secundum illud: *Oculi Domini super iustos; & aures eius in preces eorū*: si denique se exhibet propter se vexatis, atque tri-

Portæ inferi à Domino quæ dicantur.

Matth. 16.

Seculum cur dicatur consummari, non finiri, aut terminari.

Ecclesiæ Christi diuturnitas.

Rom 11.

Coloss. 1.

Psal. 144.

Luc. 1.

Sapien. 19.

Ezech. 48.

Esai 62.

1. Corint. 15.

Ioann 14.

1. Thess. 4.

Quemadmodum erit Christus nobiscum semper vsque ad consummationē seculi.

Cogendi Oecumenici concilij causa.

Matth. 18.

Ierem. 1.

Sapient. 9.

Psalm. 33.

Psal. 123. que tribulatis, dicente Propheta: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, Nisi quia Dominus erat in nobis, Cùm exurgerent homines in nos; fortè viuos deglutissent nos*: quantò magis Concilio vniuersali, quod constat ex pastoribus, & Doctoribus Ecclesiæ, quorum est doctrinam populo tradere, & in vinea Domini laborare, & preces ad Dominum pro populo fundere, pondusq; belli, persecutionum, atque tentationum, quę in Ecclesiam Dei fiunt sustinere, populumque suum protegere, telaque in illum contorta propulsare, aderit pro sua bonitate Christus, vt per eos ad Dei gloriam feliciter terminentur? Coniunge iam bone Lector illa duo verba: Ecce ego vobiscum sum: nam ita locutus est, ne eos ab opere suo excludere videatur, iuxta illud Apostoli: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, & de Ioanne Baptista: *Quis, putas, puer ille erit? Etenim manus Domini erat cum illo*. Non est autem, vt egregiè annotauit Euthymius hoc loco, statim assumptus in cęlum Dominus, sed post aliquantum temporis, sicut ex alijs Euangelistis licet cognoscere. Etenim à resurrectione eius vsque assumptionem, per quadraginta dies permansit, apparens discipulis, & cum eis conuersans: deinde ab vno monte qui in Iudæa erat, & dicebatur Mons Oliuarum, assumptus est, veluti narrat liber Apostolicarum actionum. Det igitur nobis Dominus pro sua bonitate, vt quæ sunt illius, cogitemus, & agimus, propter illum patiamur, vt ita Dominum nobiscum habere promereamur ad meritum, quo digni per illum reddamur, vt ad regnum cœleste perueniamus, cuius potestatem non solùm in terra, sed etiam in cœlo sibi datam asseruit Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto semper viuit, & regnat in secula seculorum; Amen.

Pastorum, ac Doctorũ Ecclesiæ partes. *1. Cor. 15.* *Luc. 1.* *Euthymius.* *Luc. vlt.* *Act. 1.*

TRACTATVS XXXIV.

De appartione Domini facta ad Apostolos in die ipso Ascensionis, in illa verba: *Nouissimè autem recumbentibus vndecim apparuit: & exprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt, &c.* Marc. vlt.

Quænam fuerit ista apparitio, quã Marcus vocat nouissimam. IN controuersia positum est apud Patres, quænam fuerit ista apparitio, quam Marcus vocat nouissimam. Et Græca quidam vox ὕστερον ponitur, quæ significat postea, vel posterius, vel postremo, & sæpè interpres vertit illam per aduerbium Nouissimè: vt apud Matthæum: *Nouissimè autem misit ad eos Filium suum*, & infrà: *Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est*; in quibus omnibus locis Græcè semper habetur dictum aduerbium ὕστερον, sicut & etiam hoc loco apud Marcum, vbi videtur capi pro nouissimo, vel extremo. Tantùm apud Paulum in prima ad Corinthios; cùm ait: *Nouissimè omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi*, & ad Hebræos: *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, in his duobus locis non ὕστερον, sed ἔσχατον habetur. Beatus igitur Augustinus libr. 3. de Consensu Euangelistarum capite vltimò latè differit quænam extiterit ista apparitio: & in primis proponit an fuerit ista apparitio in primo die resurrectionis facta sub vesperam ad Apostolos, quando erant congregati propter metum Iudæorum, ad quos introiuit Iesus ianuis clausis: quia inter omnes apparitiones illius diei illa fuit postrema, ac nouissima. Sic enim plerique arbitrantur, & inter eos Euthymius, qui ponderat illud verbum Postea; scilicet illo eodem die. Deinde quia primum narrat Marcus apparuisse illo die Mariæ Magdalenæ, deinde duobus euntibus in villam, nouissimè autem; aut deinde congregatis, & iam recumbentibus vndecim discipulis: ita vt nihil aliud relinquatur intelligendum, quàm eum locutum de ea apparitione, qua discipulis primo die apparuit; quæque mox secuta est eam, quam præmisit apparitionem factam duobus euntibus in villam. Huic quoque sententiæ subscribit Cornelius Iansenius in ratione concordiæ Euangelicæ, probatque ex eo; quòd cùm prius dixerit discipulis non credidisse, nec mulieribus, nec illis duobus, qui Christi resurrectionem nunciabant; nũc dicat Dominum exprobasse eorum incredulitatem, & duritiam cordis; quod Dominum tunc fecisse est verisimile, cum iam recenter incredulitatem suam demonstrassent, non autem in ipsa Ascensionis die, quod iam ex longa conuersatione persuasi essent Dominum verè surrexisse. Verum his argumentis nõ satis idoneè demonstratur veritas dictæ assertionis: quare B. Augustinus post fusam disputationem, illam vt minus probabilem deserit. Deinde sunt rationes fortiores incontrariũ. Prima quia in illa apparitione primo die sub vesperam facta Apostolis, non erant vndecim discipuli, vt hic ait Marcus, sed tantum decem, vt testatur Ioannes. Nec hoc benè soluitur, à Iãsenio producente, Lucã dixisse illos duos, qui ex

Matth. 21. Infra 22. & Luc. 20. *1. Corint. 15.* *Hebr. 1.* *Prima solutio.* *Aug. tom. 4.* *Ioan. 20.* *Euthym. c. 48. in Mar. sub finem.* *Cornelius Iansen. in Concordia Euangelicã cap. 47.* *Marci vlt.* *Refellitur hęc sententia multiplici ratione.* *Ratio prima.* *Ioan. 20.*

Ianſenij obiectio diluitur.
Luc. vlt.
Ioan. 20.

qui ex Emmaunte redierant, inuenisse vndecim congregatos,& eos qui cũ eis erant; & tamen Dominus cùm venit clausis ianuis ad Apostolos, non erant nisi vndecim. Verum hoc solidum non est, quia verum erat vndecim fuisse congregatos: at cùm quidam ex eis dubitarent,& inter alios potissimum Thomas, antequam Dominus ad Apostolos veniret, ille præ diffidentia, aut alia de causa vrgente recesserat. Quòd verò numerus duodecim Apostolorum apud Paulum 1. Cor. 15. iuxta Græcam literam significet vndecim (sicut & nostra Latina habet editio, cuius autor fortè meliorem nactus est codicem) mirum non est, quia in illo numero constituit Dominus dignitatem Apostolicam: at durum est, quod vndecim significet decem, cùm ille numerus non fuerit à Christo institutus, atque eum statim perpetuum emendauit adiuncto Matthia. Secunda ratio est: quia ait Marcus: Et *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum*: & tamen post sermonem, quem habuit ad Apostolos illa prima die resurrectionis, mansit per quadraginta dies cum Apostolis loquẽs de regno Dei. Nec valet quod non dixerit, Postquam hæc locutus est, sed absolutè, Postquam locutus est eis, vt ex Augustino in illo loco quidam proferunt: quia certè cum Dominus aliqua mandata dederit in die Ascensionis, atque hæc verba, quæ enarrat Marcus, maximè digna videantur, quæ Christus in discessu proferret suo, perinde est dixisse, postquam locutus est eis, ac si dixisset, Postquã hic locutus est eis. Tertia ratio: Discumbebãt hic Apostoli, vt tradit Marcus; at in illa apparitione Apostolis facta loquebantur ad inuicem,& cœnæ,& prandij obliti: & Dominus si illos inuenisset cœnantes, non dixisset: *Habetis hic aliquid quod manducetur?* sed ex propositis cibis in mensa aliquid desumpsisset. Et confirmatur hæc ratio ex verbis Lucæ in Actis dicentis de postrema apparitione Domini in die Ascensionis, postquam per dies quadraginta locutus eis fuisset: *Et conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent*. Danda est igitur aliqua apparitio in die Ascensionis, in qua cum Apostolis conuescens mandatum illud Apostolis tradiderit: nulla certè extat, quam quæ habetur in hoc Euangelio: *Recumbentibus vndecim Discipulis, &c.* Quarta ratio, vrget aduerbium Nouissimè, ac proinde videtur loqui Euangelista de nouissima apparitione, quemadmodũ etiam apud Paulum in prima ad Timotheum: *In nouissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam à fide*, vbi dicitur, ἐν τοῖς ὑστέροις καιροῖς:

Ibidem.
In duodenario Christus numero dignitatem constituit Apostolicam.
Actor. 1.
Secũda ratio
Soluitur obiectiuncula.
August.
Tertia ratio
Luc. vlt.
Act. 10.
Quarta ratio.
1. Tim. 4.

rectè vt propterea significet postremam nõ illius diei, sed simpliciter sit nouissimam apparitionem. Quinta ratio. quia par erat, vt extrema illa apparitio, quam in die fecit Ascensionis, ab aliquo Euangelista describeretur: cùm igitur hæc dicatur nouissima, & Ecclesia Catholica illo die Ascensionis hoc Marci legat Euangelium, profectò fidem suam profiteri videtur eo die hanc historiam accidisse. Quòd verò Iesus exprobrauit incredulitatem illorum,& duritiam cordis; hoc non tam referendum videtur ad Apostolos, quam ad alios qui aderant ex discipulis credentibus, qui præ gaudio, ac mentis perturbatione & videbant, & credebant,& hæsitabant; quos propterea Dominus reprehendit. Licet illud quoque possimus affirmare, Dominum non tam præsentem Apostolorum incredulitatem, ac duritiam increpasse, quam præteritam, qua scilicet non crediderant mulieribus,& custodibus, ac Petro, atque redeuntibus de castello.

Secundò quæritur, an hæc visio sit illa quæ octaua die à resurrectione dicitur facta ad duodecim Apostolos præsente Thoma, vt sentit Caietanus: tum quia erãt vndecim congregati; tum quia increpato Thoma, tacitè increpauit & alios; vel sumpta occasione à Thomæ tarditate, obiurgauit alios, qui duriores erant. Verum profectò asserendum est illam non extitisse, quia illa non fuit nouissima apparitio: nec postquã locutus est eis, tunc assumptus est in cœlum: nec dicuntur octaua die recumbere Apostoli Ioannis 20. sed potius orationi vacabant, atque lectioni, vt diximus. Tertiò quæritur, an hæc apparitio fuerit illa eadem quæ facta est in monte Thabor Galilææ præcedenti Tractatu exposita. Et videtur quod sit eadem, tùm quia ibi quidam dubitauerunt; quos reprehendit, sicut & hic apud Marcum; tùm quia ibi missi Apostoli ad prædicandum, & baptizandum, vt etiam hic. Verùm etsi in his videantur conuenire, dissentiunt tamen in multis alijs. Nã nec nouissima fuit illa apparitio, quia post illam visus fuit in die Ascensionis: nec ibi erant tãtum vndecim, sed plusquam quingenti fratres: nec in monte edebant, vt hic vescebantur: nec si illos ibi increpuit, aut tradidit mandatum prædicandi & baptizandi, proptereà erit eadẽ: quia potuit pluries increpare incredulitatem,& potuit idẽ mandatum sæpius inculcare, tale maximè ac tantum. Probabilius igitur est, etsi rationes euidenter nõn cogant, aut demonstrent, hanc ab illa distinctam esse visionem in monte Galilææ

Quinta ratio.
Quorum incredulitatem discipulorum Christus exprobrauerit sua resurrectionis.
An hæc visio sit eadem cum illa, quæ octaua die à resurrectione ad duodecim Apostolos præsente Thoma facta perhibetur.
Ioan. 20.
Caietanus.
Secunda opinio.
An hæc apparitio fuerit illa eadem ea, quæ in monte Thabor Dominus exhibuit.
Matth. vlt.
Ibidem.
1. Cor. 15.

lilææ facta, vt sentiunt Augustinus & Gregorius in homilia huius Euangelij, & Albertus Magnus, & Lyranus in Marcum. Quod etiam confirmatur ex eo quod in Actis dicitur: *Vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est*: die ergo qua assumptus est, præcepit Apostolis prædicare Euangelium omni creaturæ, vt exponit Oecumenius. Hæc igitur apparitio reuera fuit extrema. Et idem est dicere: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*; ac dicere: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quartò quæritur, quo in loco facta sit à Domino hęc apparitio. Nonnulli enim tradunt Ierosolymis in cœnaculo montis Sion factam; alij, quod in Bethania in domo Marthæ discubuerunt, cuius ædes erãt commune Apostolorum diuersorium; nonnulli vero, quod in parte montis Oliueti spectante ad Bethaniæ iurisdictionem, sub quadam oliuæ arbore. Sed certum multo verisimilius est Ierosolymæ fuisse adhibitam hãc visionem: quia aperte scribit Lucas, quod eduxit eos foras vsq; ad Bethaniam, & ascendit ex monte Olıueti, vt in Actis habetur. Atque hæc solida videtur solutio. Sed iam literæ expositionem aggrediamur.

Aug. ibid. Greg. ho 29. in Euāg. to 2. Alb. Magn. Lyranus. Act. 1. Oecumen. in Acta. Vbi contigerit hæc visio. Opinio autoris. Luc 24. Actor. 1.

Recumbentibus autem vndecim discipulis, apparuit illis Iesus. Erant congregati Apostoli, atq; charitatis vinculo vnitis apparet Christus, taliaque debent esse nostra conuiuia, & tam sobria, parcaque, vt illis possit adesse Iesus, & cõuesci nobiscum. Ac more eorum, qui ab amicis discedunt, prandio adesse voluit, eis vt sua humanitate solatium præberet, seque illorum animos edere significaret. Præterea vt nos doceret non nisi post celebratum Eucharistiæ conuiuium, & viaticum sumptum nobis hinc esse discedendum in cœlum; vt in omni religioso conuiuio intelligamus sermonem habendum de Christo, vel Scripturam sacram quæ illum refert, legendam, vt non tam corporis, quam spiritus adsit refectio. Et videtur prandium fuisse, non cœna: quia à prandio post meridiem; non de nocte in cœlum conscendit. ¶ *Et exprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Non tam præsentem, vt exponit Lyranus, quam præteritam, & antiquam. Etsi enim non essent amplius increduli, & peccata essent illis remissa; solet tamen Deus interdum anteactæ vitæ dolorem, & pœnitentiam inspirare, vt indies ad odium peccati magis cõfirmemur. Hinc Paulus antiqui memor delicti: *Non sum*, inquit, *dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Christus quibus appareat. Qualis debeãt nostra esse cõuiuia. Recumbentibus vndecim discipulis cur Dominus apparuerit. A qua parte mundi Christus cœlum conscendit. Lyranus in Marcum. 1. Cor. 15.

Deinde adiecit hanc obiurgationem, vt Prælati discant magis reprehendentes audire, quam sibi applaudentes, iuxta illud: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Deinde vt doceat, eos, qui magisterio aliorum præficiuntur, maximè suorum peccatorum, ac propriæ fragilitatis cognitione destitutos esse non debere, quò fiat vt non existiment se tam prudentes, aut sapientes, aut sanctos esse, vt medicamento reprehensionis non indigeant. Tertiò, vt & ipsi Apostoli instruerentur cum infidelibus, ac duris peccatoribus suauiter agere, in omni videlicet patientia, & doctrina, atque vt pontem misericordiæ, ac lenitatis Dei, per quem ipsi salui transierunt, non perstringant alijs. Quartò ob id etiam eorum incrudelitatẽ redarguit, tanquam ab illis vellet sibi satisfieri. Propterea enim ait; Euntes prædicate: quasi diceret, Facite vt alij credãt, estote ministri mei in facienda alijs de me fide, vosque qui non facilè credidistis, aptiores eritis ad testificandum. Sed quæ vtilitas in credendo? *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hanc discipulorum incrudelitatem maluit Iesus increpare, quã præuenire, ne illi si aliquis sibi non credentes inuenirẽt, statim repudiandos putarent, & abijciendos, sed adiuuarent potius, & sanarent eos propriæ incredulitatis recordati. Quintò arguit incredulitatem; vt sciamus quam sit credendum, ac de fide minimè dubitandum, his, qui viderunt, etiamsi ratio nostra assentiri illis reluctetur. Si enim firma fide apprehendimus nos filios esse talium parentum, & historicis externis, qui ea quæ scribunt, se vidisse testantur, fidem præstamus; quantò magis Euangelistis, Apostolis, & Ecclesię, quæ in membris suis quibusdam vidit? Postremò, increpauit incrudelitatem; ne videatur Thomæ diligentiam, & aliorum comprobare, qui plura voluerunt antè videre, quã credere; ac ne quisquam dicat, Nolo credere, nisi prius oculis meis videro, manibus tetigero: nemo ergo ita loquens se existimet excusatum.

Quare discipuli non credentes à Domino reprehensi fuerint. 2. Tim. 4. Quare Christus discipulorum incredulitatẽ obiurgare, quam præuenire maluerit. Ioan. 20.

Quia ijs qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Intellige viderant, & se vidisse enarrauerant. Resurrexisse autem de præterito: quia nemo mortalium eum de pręsenti viderat resurgentem. Vnde corruit Bernardi consideratio in sermone de Ascensione Domini, qui ponderans hæc verba, intelligenda docet de Angelis, quibus testimonium perhibentibus resurrectionis Dominicæ, Apostolorum imbecillitas hæsitauit: idque ob eam causam, quod ne-

Expenditur verbum illud infinitiuũ de præterito: His qui viderant eum resurrexisse, &c. Bern. serm. 1. de Ascensione Domini.

mo mortalium viderit Dominum resurgentem, quod solis Angelis videre concessum fuit; cùm tamen Euangelista non dicat, ijs, qui viderant Christum resurgentem, sed resurrexisse.

Hæc lex: Euntes in mundũ vniuersum, prædicate, &c. differtne ab illa Matth. 28. Euntes docete omnes gentes & reliq. *Euthym. loco citato.*

Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Etsi hoc præceptum videatur esse idem cum illo, quod in monte Thabor Apostolis edixerat, vt Euthymius existimat: verosimilius tamen est, aut hoc ab illo esse distinctum propter nonnulla quæ adiungit; aut si vnum, & idem est, sæpius tamen fuerit repetitum, & inculcatum. Quemadmodum cum princeps legatos mittit ad alium principem, per aliquot dies de tractandis, & expediendis cum legatis agit, imò instructiones de more in scriptis dantur. Quia namque in multitudine populi dignitas Regis; & in paucitate plebis ignominia Principis; proptereà Dominus non contentus populo Iudaico, in vniuersum terrarum orbem iubet extendi rete Euangelicum, non tantùm ad oues, quæ perierunt domus Israël. Non iam, In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed, Ite in mundum vniuersum, cuius dominium per crucis obedientiam accepi. Volo omnium eorum curam geratis, quos meo sanguine comparaui, de quibus Esaias prædixerat: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ:* & ante eum Dauid: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ;* & iterum: *In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et vt post luctuosum, & diuturnum bellum, quo inter se duo conflictati sunt populi, ac de ineunda pace cogitant, ad amplam & honorificam legationem perficiendam primarios, ac prudentes viros destinant, qui negotium pacis possint transigere saluo honore legationem mittentis: ad eum modum Christus volens mortales omnes reducere ad Deum, qui diu cum eo belligerauerant, atque illos reconciliare, factus ipse Princeps Apostolos destinauit legitimos, & primarios ministros suos, qui pacis fœdera ineant, ac perficiant. Hinc Apostolus: *Qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Hæc legatio tam ampla, & tam Deo honorifica, ac tam mundo salutaris, per hæc verba Apostolis credita est. Et quia ait: Prædicate omni creaturæ; deducimus, omnes homines Euãgelij prędicatione opus habere, & ad seruandum Euangelium obligari illos omnes, quibus est promulgatum. Elicimus deinde, Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ac tacitè innuat, ad omnes futuram Dei inspirationem vt credant, quam vt accipiant Apostoli prædicatione Euangelij cooperabantur inspiranti Deo, Deique adiutores ficbant. Adhæc quia omnis creatura non tãtum sunt illi, qui tempore Apostolorum viuebant, sed omnes homines qui varijs ætatibus mundum coluerunt, & colent. Proptereà omni tempore prædicandum est Euangelium, & per eum, qui locum Christi tenet, personamque eius in terris agit, destinandi sunt prædicatores in vniuersum orbem, ne sanguinis Christi rei inueniantur: maximè verò ad eas nationes, & gentes, quæ nihil vnquam audierunt de Christo. Prætereà obserua, quàm simpliciter, & iuxta mundi iudicium stulte Christus sua maxima expedire negotia videatur: quid enim rationi humanę stultius apparere potest, quàm paucos, atque eos quidem obscuros, indoctos, pauperculos, atque inermes viros amandari, atque adeò extrudi in vniuersum orbem adferentes doctrinam non tantùm rationem omnem superantem, sed & sensui contrariam, & mundi sapientibus inuisam, illosq; committere cum mundo toto vniuersis artibus, ac disciplinis instructissimo, vt Mosaicam, & ab eo institutam abrogarent religionẽ, idololatriam excluderent, superstitionesque omnium gentium, pro quibus ad mortem vsque soliti sunt decertare, euerterent funditus, ac conuellerent; totique persuaderent mundo hominem crucifixum Deum esse, in eius potestate omnia sita, in eo solo fide, & Sacramento amplectendo, hominem salutem positam? nam etsi hæc ab initio mundus ipse tanquam contempta, ac vilia, infirmaque iudicauerit: euentus tamen ipse rerum nihil his fuisse vel sapientius, vel potentius, vel consultius, indicauit satis, ac declarauit. Et quia Apostoli pauci extiterunt, & diu hæserunt in aliquo loco, atque ex illis nonnulli non multò post CHRISTI Ascensionem sunt interfecti; cogimur hoc verbum, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, exponere, ad vniuersos verbi Dei ministros extendi debere.

Prou. 14. *Matth. 10.* *Ibidem.* *Esai. 49.* *Psalm. 2.* *Psal. 18.*

Qualis Christi legatio Apostolorum in mundum vniuersum ad prędicandum videri valeat.

2. Cor. 5.

Euangelium omnibus hominibus est sit prædicandum.

1. Tim. 2.

Christi prudentia à prudentia mundi quã diuersa, atque etiam aduersa.

1 Cor. 1.

Ad prædicandi munus quæ requirantur.
Rom. 10.

Iam verba singula dispiciamus: *Prædicate.* Ad hoc opus est in primis scientia, atque eloquentia, vt commodè proponantur credenda, & potestate, de qua Paulus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et præter hæc omnia, vt sine peccato hoc exercitium administretur, maximè opus est charitate. Sed qui mittit eos, ait: *Dabo vobis os, et sapientiam; cui non potuerunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Et si autem vita sancta magnam vim habeat prædicandi, & instar limæ quam vocant surdæ existat, tamen voce opus est, ne dicatur: *Canes muti, non valentes latrare*, parum enim efficiunt qui verbo prædicant, quod vita destruunt. Non ait, Mittite ad prædicandum nomine vestro; sed, Vos ipsi ite. Hinc Episcopi dũ sacrantur, promittunt notitiam vtriusque Testamenti, eo quod eant ad prædicandum. Nec tantùm opus est corporis præsentia, quantum animi prouidentia, vt docet Bernardus libr. de Consideratione ad Eugenium. Est autem prædicare, nihil aliud, quàm seminare semen verbi Dei, quod ad se spectat, in terram bonam: licèt quædam terræ suo vitio fiant spinosæ, aut petrosæ, aut secus viam. Est etiam plantare arbores, pascere oues, pisces reti Euangelico piscari, metere, ac triturare triticum, venari feras, ædificare, ac similibus multis metaphoris prædicandi munus nobis in Scripturis depingitur. Prædicatione partũ est regnũ Dei; ac proinde nonnisi prædicatione seruandum: hinc Dominus aiebat: *Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum;* & Petrus: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis;* & Paulus: *Væ mihi est, si non euangelizauero,* & iterum: *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Et cum alij Baptismi, Eucharistiæ, atque aliorum Sacramentorum dispensationem crederent, sibi solis ministerium verbi reseruabant. Paulus præcipit eum eligi in Episcopum, qui sit διδακτικός, id est, appositus ad docẽdum, id est, appositus ad docendum, id est, vt ipse declarat in alio loco, qui possit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Subdit quid sit prædicandum, nẽpè Euangelium: quia quæ seminauerit homo, hæc & metet. Si Platonem prædicas, si Aristotelem, vel Epicurum, Platonicos, aut Peripateticos, aut Epicureos metes: si Euangelium, Euangelicos, & Christianos efficies. Est autem Euangelium complicatum, Christus ipse: explicatum verò, omnia quæ in Apostolica doctrina ad salutem continentur. Christus enim prędicatus, & in corde audientis fide exceptus, paulatim

Luc. 21.
Sancta vita prædicandi magnam vim habet.
Esa. 65.
In concionatore non tam opus est corporis præsentia, quam animi prouidentia, teste Bernardo.
Bern lib. 2. de Consid.
Prædicare quid.
Matth. 13.
Regnum Dei partum prædicatione est eademque conseruandum.
Luc. 4.
Actor. 6.
1. Cor. 9.
Supr. 1.
Eligendus in Episcopum qualis esse debeat secundũ Apostolum.
1. Tim. 3.
Tit. 1.
Quid sit prędicandum.
Galat. 6.

tanquam semen quoddam in terram proiectum immutat cor, vt credat, speret, & amet, atque ita in Christum transformetur: Euangelium autem nõ aliquod scriptum, quod tunc nullum extabat, sed ea omnia, quæ Christus eo vsq; docuerat: ac quæ postea Spiritus sanctus eis suggessit, siue scripto, siue viua traditione ad nos peruenerint. *Si quis, inquit, vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Nõ inquit, Præter id quod scriptum est, quia certè Ioannes tunc nondum scripserat, sed præterquam quod verbo illis erat prædicatum. Euangelium prętereà integrum, non truncatum, aut partem eius aliquam, vt faciunt hæretici, exprimentes illud quod suæ sententiæ applaudit, supprimentes quod repugnat. Euangelium etiam; quod non solùm continet pollicitationes Dei de gratia & remissione peccatorum, ac cœlesti gloria; sed quod etiam continet mandata atq; præcepta benè viuendi, comminationes quoque ad pœnitentiam excitandã. Quod expressè docuit Matthæus: *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis:* & Lucas cum inquit: *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remißionem peccatorum in omnes gentes.* Pœnitentia igitur pars est Euangelij, velint nolint hæretici: quæ certè non sola fide, sed operibus, & illis quidem peccatum in se punientibus constare dignoscitur. Quòd verò Euangelium interminationes cõtineat, docet hoc loco Marcus, cùm ait: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Subdit: *Omni creaturæ.* Ita quippe prędicandum, & laxanda retia in capturam, vt omnes Euangelium capere possint, quò capientes capiantur. Gręcis enim, & Barbaris sapientibus, & insipientibus debitor est minister Euangelicus. Etsi autem omnis creaturę nomine intelligi possit homo teste Gregorio in Homilia præsentis Euangelij: *Quia secundum corpus habet in se elementorum substantiam, mineralium coagulationem, vegetabilium temperaturam, animantium compositionem, ac compositionis, & temperaturæ æqualitatem, ac denique corporum cœlestium temperamentum; at verò secundum animum habet esse cum non viuentibus, vitam cum vegetantibus, sensum cum brutis animantibus, rationem, atque intellectum cum Angelis, vt rectè dici valeat omnis creatura homo.* Præstantior tamen est expositio secunda Gregorij in eodem loco; vt nomine omnis creaturæ intelligamus non tantùm hominem, sed omnis status, sexus, gradus, cõditionis, atque nationis hominem: tùm quia Matthæus ita exponit illud verbum, cùm ait; *Docete omnes gentes,* & hic sequitur: *Illi autem profecti prædicaue-*

Galat. 1.
Hæretici quale Euangeliũ proponant auditoribus.
Matth. vlt.
Luc. 24.
Pęnitentia est pars Euãgelij.
Rom. 1.
Nomine omnis creaturæ hoc loco quid veniat.
1. sensus.
Greg. ho. 29. in Euãg. to. 2.
II. sensus autem plausibilior.
Greg. ibid.

dicauerunt vbique: ergo de omnis nationis homine est sermo. Vnde præcessit: *Euntes in mundum vniuersum*, in quo est omnis creatura. Adhæc ita capitur in alijs locis, vt apud Petrum: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum*, id est, omni homini. Et Paulus: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*, id est, omne hominum genus, cui soli proprium est & gemere, & parturire. Adhæc idem ratio satis docet: quia Euangelium non est prædicandum aut lignis, aut saxis, aut feris animantibus, sed tantum omnis gradus hominibus. Et vocando hominem, creaturam, explicat rationem prædicandi. Est enim hominibus prædicandum ratione eius quod à Creatore habent, non ratione peccatorum, quæ ipsi de suo apposuerunt, etiamsi nullum meritum, imò omne habeant demeritum. Vnde Iob ob eam rationem misericordiam implorat: *Operi*, inquit, *manuum tuarum porriges dexteram*, ac Dauid: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerũt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua*. Creaturam ergo Dei inspiciamus, vt illam Euangelio proficiamus, & nouam in Christo reddamus.

1. Petr. 2.
Rom. 8.
Confirmatur hic sensus.
Iob. 14.
Psal. 118.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Indicat primo quo tendat prædicatio, videlicet vt credentes concipiant fidem, quæ est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparẽtium, sine qua nec iustitia est, nec salus, nec Deus cognoscitur, nec mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, nec finis noster quò tẽdimus, apprehendi potest, nec præsidia, & adiumenta, sine quibus quisquam finem non adipiscitur, quæ sunt gratia, spes, charitas, bona opera, Sacramenta, patientia. Qui ergo crediderit, id est, inspirationem, & verba internam Dei inspirationem contestantia admiserit, ac sic fidem, hoc est, donum Dei acceperit. Est enim fides primus lapis fundamenti, prima radix arboris, prima tunica, qua animæ tegitur nuditas: at non satis est sola, ne sit populus tunicatus, carens toga, vt dixit Horatius. Adiungit fidei Baptismum. Primum enim quod fides indicat faciendum esse, est baptizari: qua sacra ceremonia homo Christo capiti incorporatur, & corpori suo, hoc est, Ecclesiæ, vt membrum viuum annectitur, & in membrum Dei regeneratur. Et intellige hunc locum de Baptismo fluminis: *In nomine Paris, & Filij, & Spiritus sancti*: cuius defectum suppleuit Baptismus sanguinis in Innocentibus, latrone, ac Theodosio patre Theodosij Imperatoris. Baptismus etiam flaminis supplet in adultis tantùm;

Scopus prædicationis.
Hebr. 11.
Fidei necessitas.
1. Tim. 2.
Finis noster, qui Deus est, quomodo cõparetur.
Ephes. 2.
Horat. lib. 1. epist. 7.
Credens cur debet etiam baptizari.
Coloss. 1.
Baptismus triplex, fluminis, sanguinis, & flaminis.

quamuis eiusmodi Baptismus non conferat tam excellentia dona, qualia ipse proprius Baptismus aquæ actu susceptus: nec omninò à purgatorij supplicijs liberat ea ratione baptizatum, secundùm Thomæ doctrinam. Quare graui se exponebant periculo, qui olim baptismum in finem vique vitę differebãt, quòd tunc omnia peccata penitus abluerentur: in quos egregiè disputant Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Lauacrum, & Augustinus nõnullis in locis. Nam si diu differenti baptismum mors accideret, nequaquam tantam salutem consequeretur in voto, quantum confert Baptismus ipse actu susceptus. Ratiocinantur hoc loco Anabaptistæ: *Fides est ex auditu, & doctrina*; fides autem debet præcedere Baptismum; ergo baptizari debent tantùm verbo edocti, atque credẽtes, quod solum possunt præstare adulti; non ergo sunt infantes baptizandi. Dicimus, infantes etiam actum habere credendi, non quidem in seipsis, sed in fide maiorum suorum: nam si actus alienus Adæ, hoc est, præuaricatio Adæ inobedientis illis potuit obesse, quidni valeat fides prodesse maiorum? maximè cùm in ciuilibus parentes possint pro filijs stipulari, atque contrahere in eorum vtilitatem, quidni queant in spectantibus ad æternam salutẽ? Subdit: *Saluus erit*. Prima videlicet salute, quæ est iustificatio, de qua Apostolus ad Titum ait: *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum*. De hac dicebat Dominus: *Fides tua te saluam fecit: vade in pace*. Est tamen salus hæc inchoata, atque imperfecta, & in spe potius, quam in re, de qua Paulus: *Spe*, inquit, *salui facti sumus*. Post hanc igitur spem, superest altera perfecta, & vltima salus, de qua Dominus: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, & Apostolus; *Multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius*. Atque de hac secunda videtur sermonem facere hoc loco Dominus, non solum quia illam opponit condemnationi: Qui non crediderit, inquit, condemnabitur, sed etiam quia de futuro ait; *Saluus erit*: nam si de priori salute esset sermo, dixisset, Saluus est, vel, Saluus factus est. Quòd si obijcias, Ille saluatur, qui credit, & suscepit Baptismum; at omnis Christianus Baptismo est tinctus, & credit, ergo saluus erit. Respondeo, saluum fieri baptizatum, & credentem, si tunc mors contingat. Hoc enim fide certa profitemur, quod si quis baptismo superuiuat, ac vitam producat, opus est h-

B. Tho. 3 par. q. 69 art. 1. ad 2 & alijs pluribus in locis
Greg. Naz.
August.
Quo in errore versarentur qui olim Baptismum, in vitæ vsque exitum differebant.
Rom. 10.
Cõtra Anabaptistas Baptismum negantes infantibus.
Salus duplex, & de qua hic sermo sit.
Tit. 3.
Luc. 7.
Rom. 8.
Matth. 24.
Rom. 5.
Quomodo verè dictum sit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, cum multi etiam Christiani pereant.

est fidem seruare, atque Baptismum: at fides seruari nequit otiosa, quia sine operibus mortua est, & vitam non confert: debet ergo edere fructus bonorum operum, hoc est, præceptorum diuinæ Legis, & officiorum misericordiæ, & charitatis. Nam in Christo non valet alia fides, quàm quæ per charitatem operatur: multique fatentur se nosse Deum; factis autem negant: fides enim docet confessionem necessariam ad salutem, tradit certam viam perueniendi ad vitam esse mandatorum obseruantiam, indicat Christum esse imitandum: nam qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: docet aduersa omnia patienti animo propter Christum perferenda, & in finem vsque vitæ perseuerandum. Prætereà oportet quoque seruare nouitatem Baptismi teste Gregorio in præsenti homilia: in die quippe Baptismi omnibus nostri hostis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Qui ergo nouis peccatis illam puritatem in Baptismo partam inquinauit, non habet suum Baptismum, neq; seruat vestimenta sua candida, estque canis reuersus ad vomitum, atque sus lota ad volutabrum luti. ¶ *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hoc est, Qui diuinæ inspirationi, verboque Dei externo inspirationem adiuuanti restiterit, ille condemnabitur. Ne quisquam putet fidem ad cõsilium spectare, non ad præceptum: & præmium acquiescentibus, non pœnam renuentibus donari; addit, quod condemnabitur. Non ait, iudicabitur: quia qui nõ credit, iam iudicatus est, cùm dilexerit magis tenebras, quàm lucem; & quia Spiritus arguit mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem: quia non crediderunt in me. Non subiunxit autem: Qui non crediderit, & baptizatus non fuerit: quia ad interitum satis non est credere: & Baptismus sine fide non prodest, sed obest potius, quod attinet ad adultos. Rursus nõ inquit: Qui crediderit quidem, sed non fuerit baptizatus, condemnabitur: quia interdum potest fides prodesse ad salutem, vbi non adest copia aut baptizantis, aut materię. Videtur igitur hic esse præceptum Baptisma, licet institutio eius viuente Christo præcesserit, cùm dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Adde quod Apostoli baptizabant, vt narrat Ioannes: erat ergo institutum regenerationis Sacramentum. Porrò intellige ita esse præceptum baptismi traditum, vt baptizari nolentem cõstituat peccatorem

Iacob. 2. Galat. 5. Tit. 1. Rom. 10. 1. Ioan. 2. Greg. ho. 29. super Euang. Eccl. 9. Prouer 26. 2. Petr. 2. Quid est: Qui vero non crediderit, condemnabitur. Ioan 3. Infra 16. Cur additum non sit: Et qui baptizatus fuerit, &c. Baptismus quando primum fuerit institutus à Christo. Ioan. 3. Infra 4. Qui teneãtur lege Baptismi.

illum tantùm, cui idoneè, & abunde est prædicatum: nam infideles purè negatiui, id est, qui nihil audierunt de Christi Euangelio, non pereunt ob omissum baptismũ, cuius inuincibili ignorantia tenentur, benè autem propter alia mala opera quæ admittunt, & quæ lex ipsa naturæ dictat non esse facienda, possunt peccare. Igitur Baptismus illos ligat, quibus apertè est euangelizatum, secundùm illud verbum Domini: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo:* &, *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* vt doctè admodum, atque eleganter definit B. Bernardus epistola ad Hugonem de sancto Victore, qui eum de hoc articulo interrogauerat: ad quem locum libenter lectorem mittimus.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. Aperuerat apertè fructum prędicationis illorum, quam cum editione signorum coniunctam acceperant, vt maiorem ederent fructum. Ne quis autem existimet occultis dęmonum artibus nos signa edere, & non in nomine Christi, proptereà vult, vt vel ipsi credentes in virtute Christi nominis operentur miracula, vt ita gloria inclarescat nominis Dei. Verùm hinc dubium surgit: nam olim non omnes credentes, sed paucissimi signa faciebant. Vnde Apostolus ait: Alij datur operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum; at verò cùm credẽtes nulli talia edant signa, videri possit iure hæc clausula signorum de veritate inspecta, eo quod secundum Euangelicam doctrinam signa hæc non sunt fidei, sed magnitudinis fidei, siue doni fidei cuiusdam excellentis, vt facile est ex alijs locis ostendere Scripturæ. Textus autem iste indicat signa consequi fidem idoneam & necessariam ad salutem: nam eisdem præcise vtitur verbis, dicendo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: & dicẽdo, Signa autem eos qui crediderint, hæc sequẽtur. Hæc tamen apparens obiectio facilè soluitur, neque solidum habet fundamentum: quandoquidem apud Ioannem similis sententia habetur: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Nam fides Catholica, qua Christiani sumus, ac dicimur; re ipsa à fide miraculorum non distinguitur, sed est vnus, & idem fidei Catholicæ habitus, aptus tamen, siue extensus ad hoc vel illud signum impetrandum, aut faciendum, quemadmodum apparuit in Centurione, in Chananæa, in peccatrice, atque

Infra 15. B. Bern. ep. 77 sub init. Credentes in ipsum cui Dominus etiam signa velit edere in nomine suo, & non solũ Apostolos. Quomodo verum est, signa eos qui crediderint consecutura, cum olim nõ omnes credentes, imò paucissimi signa ederent? 1. Cor. 12. Ephes. 5. Ioan. 15. Matth. 8. Infra 16. Luc. 7.

Matth. 9.

Hæmorrhoyssa: nam tales re vera fidem habebant in Iesum, per illamque impetrabāt signa à Deo impulsi. Hinc Paulus componens fidem Catholicam cum charitate, illi vim edendi signa tribuit: *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam*, & continuo subiungit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*; ne quis existimet eum loqui de speciali miraculorum fide, quia illa non est in omnibus credentibus, vt est Catholica. Quomodo igitur, dices, quod veritatem habeat hęc sententia, cùm credentem sequantur signa? Duplex occurrit responsio: altera, vt sit sensus Ecclesiæ Christi, quę vnum corpus est, & in quo plura membra sunt sibi inuicem charitate coniuncta, quorum vnum habet gratiam sanitatum; alterum operationem miraculorum, aliud spirituum discretionem, &c. Non ergo ait Dominus, quodlibet membrum signa hæc omnia editurum, sed omnes, qui in vno corpore Ecclesiæ sunt. Ideò in plurali dixit: Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, non tamen per vnum solum membrum. Itaque in Ecclesia Dei semper sunt quædam, quæ pellant dæmones, quæ edant signa, quæ linguis loquantur, &c. Quòd si obijcias Christum in singulari dixisse: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, &c.* Respondebo, nequaquam dixisse: Omnis, qui credit in me: quia si omnes ederent signa, omnes Christiani fierent propter illa, ac crederent. Et cùm omnes crederent, amplius signa non fierent, sicut linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, ita data sunt signa infidelibus, non fidelibus, vt ait Apostolus: cùm enim omnes essent fideles, signis opus non esset. Datur & altera responsio; vt intelligatur de singulis quibusque in Christum credentibus, qui mira efficient, cùm volent, non quidem ad ostentationem, vel hominum tentationem, sed cùm fides ipsa exiget, pro re videlicet, nota, loco, tempore, personis, atque alijs circumstantijs. Et hoc nunquam visum est, vt fidelis voluerit, & non potuerit obtinere: nam discipuli, quoniam lunaticum non sanarunt, reprehensi sunt à Christo infidelitatis. Consequuntur igitur signa ista fidem; quantum est ex parte virtutis Dei, exhibenturque quando, & vbi opus fuerit: cum cuius promissionis veritate fieri potest, vt ex parte habentis fidem contingat defectus, siue impedimentum, ita vt fides non desit signis, sed homo desit ipsi fidei ad efficaciam signorum. In nomine ergo Christi dæmonia eijcient. Dæmonis virtus tanta est, vt non

1. Cor. 13.

Ioan. 14.

Expenditur illud: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet.

1. Cor. 14.

Altera solutio

Marc. 9.
Quatenus fidem signa cōsequantur.

Dæmonis virtus quanta sit.

sit super terram potestas, quæ comparetur ei: neque potest pelli nisi in maiori, ac potentiori virtute. ¶ *Linguis loquentur nouis.* Imponebant manus Apostoli super credentes, cœlitusque in eos labebatur Spiritus sanctus, ac nouis, & varijs loquebantur linguis: & hoc, vt citò posset fides propagari per vniuersum orbem. ¶ *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Vt accidit Ioanni Euangelistæ, ac beato Benedicto, qui signo Crucis oblatum poculum veneni confregit. ¶ *Serpentes tollent.* Hoc sæpè legimus Apostolos factitasse: certè Paulus (vt in Actis dicitur) in insula Melita inuasus à vipera, quæ pendebat ex brachio, non vlla arte Magica, aut infrigidatidne, vt incantatores faciunt, illam in ignem proiecit, ab ea prorsus illæsus: ¶ *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Ita Petrus Æneæ paralytico manus imposuit iacenti in grabato, & sanauit eum, & Tabitham mortuam suscitauit: rursus sudaria, ac semicinctia Pauli pellebant febres, & sanitates præstabant. Illud diligenter obserua, signa respectu infidelium præcedere, vt suauiter ad fidem trahantur; respectu verò discipulorū in Christum credentium sequebantur, demonstrabantque illos verè iam credere, vt qui signa ederent, quibus alios ad Euangelium inuitabant. Perpende quoque, fideles naturæ lege solutos esse, vt illis nec cœlorū influxus, nec venena, nec hominum, aut bestiarum, aut alterius cuiusuis rei vis nocere valeat. Si quid ergo aliquando patiantur, Deus eos quos diligit plectit: & sicut eos omnium rerum potestati subtraxit, ita sibi illos penitus subdidit. Verùm quid causæ est, vt hæc miracula in primitiua Ecclesia essent frequentissima, modo vero vel rarissima, vel nulla? Respondet Gregorius in homil. præsentis Euangelij; *Vt multitudo credentium ad fidem cresceret, miraculis fuit nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrogatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Sic ille. His accedit magna ratio: Nobis quippe satis esse debet diuina inspiratio ad credendum, aduersus quam nihil pugnet nisi id ipsum, quod nos fatemur peccatum esse, & à quo nos abesse plurimum debere apertissimè confitemur. Olim verò signis opus fuit: quoniam homines non modo à pristina vita, sed etiam à priori religione abducendi erant, & à benefactis: nam putabant se bene agere, dum ita Deum colerent, vt Iudæi etiam à le-

Iob. 4.

Linguis quando credentes loquebantur.

Mortiferum qui biberint olim absque detrimento; qui tulerint serpentes.
Actor. vlt.

In quibus impletum potissimum: Super ægros manus imponent, & bene habebūt
Actor. 9.
Ibidem.
Infra 19.

Apoc. 9.
Cur hæc signa olim erant frequentissima, modo vero vel rarissima, vel nulla, secundum Greg.
Greg. ho. 29. in Euang.

1. Cor. 14.

ge Dei miraculis confirmata, à sacrificijs,& bonis operibus. Idcirco miraculis confirmanda fuit fides nostra, & inspiratio Dei, ne diabolica putaretur. Multa tunc in contrarium faciebant, se iustos etiam sine Christo putabant: & cum illo iniustos se esse existimarent, cum auitis religionibus, patrijsque legibus se contradicturos videbant. Et iuniores, qui rationem totius negotij capere non poterant, autoritate maiorum comprimuntur, & metu, itaq; credunt, vt etiam quod non intelligant, amplectantur. Hinc fit, vt qui inspirationem nō benè intelligunt, per signa complectantur, ac sibi ipsis vim faciant, & captiuum reddant intellectum in obsequium Christi. Posteà verò quàm miraculis factum est quod debuit, qui Fidem acceperunt, legem habent, secundùm quam ambulent, vt nihil signis opus sit, nisi signa ad id dicas necessaria, vt per ea detegatur hominum infidelitas. Qui enim quod bonum est, & ad salutem necessarium, non operatur nisi signa viderint, arguitur infidelitatis: signa siquidem haud docent id esse bonum, ac pium, quod scit esse tale, sed tantùm ostenditur Dei, quam non credit, potestas.

Impijs etiam olim signa edere cur permissum fuerit.

Cùm verò mutanda erat religio, etiam impijs datum est miracula, saltem in aliorum ædificationem perficere: nunc autem, quando religio mutanda non est, ne pijs quidem datur signa facere, ne infirma religio videatur, & quæ subinde miraculis fulcienda sit, quasi alia aliqua melior posset ostendi.

Marc. 9.

Vera est igitur illa sentētia, *Omnia possibilia sunt credenti*, atque ideo etiam hodiè miracula fieri per credentes queunt, dum impetrant quod volunt. At non apparet ita: quia iam Ecclesia ædificata est, atque erecta.

Signa apud nos interdum cur fiant.

Si tamē alicui genti denuò prædicaretur fides, vt Indis Occidentalibus nostra ætate factum est, signa propter illos nequaquā deessent. Apud nos quoque ad consolationem fidelium interdum fiunt, licèt rariùs, sed maximè ad indicandā sanctitatem alicuius serui CHRISTI, quem Deus aut in præsenti vita, aut post mortem miraculis voluerit illustrare. Sed & hæc rara sunt.

In fide modò titubantes qua ratione iuuandi.

Quòd si quisquam modo in fide dubitaret, non esset nobis in fide corroborandus miraculis, sed per antiqua signa dubitatio esset tollenda, Fidesq; confirmanda. Nam si quisquam illis per Euangelistas descriptis, perq; Ecclesiam magno consensu susceptis fidem non habet; nec si noua ederentur crederet:

Luc. 16.

vt Abraham respōdit ad diuitem Epulonem, petentem vt mortuum mitteret in domum patris sui: Habent, inquit, Moysen, & Prophetas: audiant illos. Tertiò quoque potest responderi ad propositum dubium: quòd etsi illa signa hodiè iuxta corpus non fiant, efficiuntur tamen iuxta spiritum. De quibus egregiè S. Gregorius in Homilia huius Euangelij ita loquitur:

Gregor.

Sancta quippe Ecclesia quotidiè spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam Sacerdotes eius cum exorcismi gratia manum credentibus imponunt, vt habitare malignos spiritus in eorum mente contradicant: quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt?

Sacerdotes etiam hodie dæmonia possūt eijcere.

Et fideles quique: qui iam vitæ veteris secularia verba derelinquunt, sancta tamen mysteria insonant, conditoris sui laudes, & potentiam, quantum præualent, narrant, quid aliud faciunt, nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt: sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur: mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt: dum eis tota virtute concurrunt:, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super agros manus imponunt, vt benè habeant? Quæ nimirum miracula tantò maiora sunt, quantò spiritalia: tantò maiora sunt, quantò per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa, fratres charissimi, autore Deo, si vultis, vos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hæc operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt: hæc verò spiritalia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt.

Miracula sanctitatem ostēdunt, sed non faciunt.

Illa habere & mali possunt: istis autem perfrui, nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam veritas dicit: Multi mihi dicent in die illa: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non noui eos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Matth. 7.

Nolite ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed hæc quæ modò diximus, charitatis, atq; pietatis miracula amate: quæ tantò securiora sunt, quantò & occulta: & de quibus apud Dominum eò maior fit retributio, quò apud homines minor est gloria. Hæc ille, satis doctè, & appositè. Breuius autem dici poterat, credentes in nomine Iesu etiam hodiè dæmonia eijcere, cùm tentationes dæmoniorum à se ipsis propulsant: linguis nouis loqui, cum indui nouum hominem, secundùm eum, & nō veterem de spiritualibus, & cœlestibus philosophantur: Serpentes tollere, dum cupiditates, quæ instar serpentis occultè repunt, repellunt: mortifera si quæ bibunt, illis non nocere, dum pestilentes iudicarit

opiniones, & ab eis non capiũtur, & si qua noxia, ac mortifera cogitatione vexantur, atque illam ad sensum vsque admiserunt, dum tamen mente, ac consensu illi non assentiuntur, non eis nocere potest: Super ægros manus imponere, ac benè habere, nã ægrotantes patientiæ admonent, eosque conformes diuinæ voluntati efficiunt, vt ita benè habeant. Etsi ergo hæc spiritalia signa CHRISTVS potissimùm hoc loco non promiserit, quia nec ita videntur; nec tantùm ædificant alios, atq; corporea, certum est tamen illa operantes maiorem cultum Deo prestare, quàm qui corporea, & externa perficiunt. Nec illa sanctitatem operantis ostendunt, cùm Beatissima Deipara, & sanctissimus Ioannes, dum vixerunt, signa non ediderint vlla, atq; hæc externa communia esse possint & reprobis, & sanctis. Vt Augustinus rectè dixerit: *Quidam sancti non edunt signa quæ faciunt mali: ne putetur gratia gratu data maior charitate Dei.* Hæc ille ferè. Nitamur ergo pro virili, vt hæc spiritalia operum signa perficiamus, quæ pijs sunt propria, & quæ omni carẽt inanis gloriæ specie, vtiliaque tam operanti, quàm ea intelligentibus, ac sentientibus conducibilia existunt, certissimumque, atq; euidentissimum perhibent testimonium de veritate fidei Euangelicæ, ac diuinitate autoris eius Domini nostri IESV Christi, cui cum Patre, & Spiritu S. perpetuus honor, gloria, & imperium deferatur ab omni creatura per infinita secula seculorum. Amen.

Ioann. 10.

Aug. lib. 83. Quæst q. 79. to. 4.

TRACTAT. XXXV.

De mysterio Ascensionis Domini, in illa verba: *Et Dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Marc. vlt.

BEATVS Marcus paucis his verbis mysterium Ascensionis complexus est, cuius Matthæus non nisi rectè meminit, cùm dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ioannes apertius dixit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Modum tamen eius, ac circumstantias apertè Lucas descripsit, tum in Euangelio, dicens: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est: dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem: cum gaudio magno: Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, Amen.* Idem cap. 1. Actorum Apostolicorum: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis: Qui & dixerunt, Viri Galilei quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ex quo CHRISTVS resurrexit à mortuis, & leonis faciem, & fortitudinem indicauit, cœpit quoque paulatim faciem aquilæ volantis exerere. Nam quod apparuit Magdalenæ, Petro, euntibus in Emmaus, Apostolis ianuis clausis tam repentè, & inexpectatus, tanquàm quodam aquilæ volatu illa præstare videbatur, etsi volatus esset Apostolis incomprehensus: non enim videbant eum volare, vel venire, ne putarent corpus habere minimè solidum, ac verum, sed phantasticum; propterea tantum videbant eum sibi astantem, ac præsentem: in die tamen ipsius Ascẽsionis, quò suam à nobis presentiam subducere volebat, apertè atque clarè in cœlum eleuari, ac ferri, à suis voluit spectari discipulis, quò eorum fides de Ascensione Domini in cęlum roboraretur. Multa igitur in die Ascensionis Domini acciderunt: nam & apparuit Apostolis recumbentibus: deinde conuescens præcepit à Ierosolymis ne discederent, donec indueretur virtute ex alto; tertiò reprehendit eorum incredulitatem, & duritiam cordis: quartò præcepit, vt euntes in mundum vniuersum, prædicarent Euangelium omni creaturæ: de quibus in superioribus est dictum. quintò eduxit eos foras in Bethaniam: sextò repressit curiositatem Apostolorum interrogantium de restitutione regni Israël: septimò benedixit eis dum eleuaretur, & nube susceptus est: octauò penetrauit cœlos, & sedet à dextris Dei: nonò Apostolis destinantur duo Angeli, qui eos solentur: vnde & illi reuersi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: & manebant in templo benedicentes Deum, atque laudantes: postremò sequitur id quod Marcus ait: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, &c.* Quoniam autem tanta rerum sylua vno absolui tractatu non poterit, decreuimus de ipso mysterio Ascensionis, & eius fructibus præsenti tractatu differere, explicatis omnibus Marci Euangelistæ verbis; sequenti verò de circumstantijs in Ascensione seruatis, quas vel Scriptura prodit, vel ratio præscribit. Ait igitur Marcus: *Et Domi-*

Matt. vlt.

Ioan. 20.

Luc. vlt.

Quando primum Christus se aquilam demonstrauit.

Ioann. 20.

Luc. 24.

Ibid.

Ioan. 20.

Quæ Christus omnia in die Ascensionis perfecerit.

Actor. 1.

Luc. vlt.

Ibid.

Actor. 1.

Luc 24.

Actor. 1.

Ibid.

Luc. 24.

Actor. 1.

Dominus quidem IESVS *postquàm locutus est eis, sedet à dextris Dei.* Non intelligas, illa quæ præcedunt verba, Euntes in mundum vniuersum, fuisse postrema, quæ Dominus ad Apostolos dixit, quæq; Domini Ascensionem præcesserũt: nam alia fuisse tradit Lucas in Actibus: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est.*

Ibid.

Loquebatur autem tunc de restitutione regni Israel, ac dicebat: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Sed quia hæc verba: *Eritis mihi testes*, &c. & illa: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, eundem sensum efficiunt, vt etiam superiùs diximus, certè si dictis his verbis statim assumptus est in cęlum, etiam post illa, quæ Marcus enarrauit, verè potest dici assumptus. Deinde ponderandum est, varijs verbis hoc mysterium fuisse descriptum.

De voce assumptionis: cùm dicitur: Et assumptus est in cœlum.

1. Tim. 3.

Dicitur enim hic assumptus, sicut etiam à Paulo ad Timotheum: *Et manifestè* (inquit) *magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, &c. assumptum est in gloria.* Dicitur quoque ferri, sicut apud Lucam: *Recessit* (inquit) *ab eis, & ferebatur in cœlum.*

Luc. vlt.

Dicitur eleuari apud eundem Lucam: *Videntibus, ait, illis eleuatus est.*

Actor. 1.

Plerumque tamen voce Ascensionis exprimitur, vt Symbolum habet Apostolorum, ac Dauid: *Ascendit Deus in iubilo.*

Psalm. 46.

Atque hæc vocum varietas dignitati Ascensionis non derogat, sed ipsam potiùs commendat, atque exornat. Assumptus ergo est, quasi homo à Deo sit assumptus: nam vt Pater eum à mortuis suscitasse traditur, & tamen ipse se ipsum excitauit; ita assumptus intelligi potest à Deo Patre quasi homo, vel à diuinitate Filij, quæ hypostasis erat humanitatis.

Act. 2.

Assumendi verbum quid denotet.

Indicat etiam hoc verbum assumendi, dignitatem, atque gloriam; dicimus enim assumptos esse quosdam ad Pontificatum, alios ad regnum, siue ad alios honorificos, excelsosve magistratus. Atque ita humanitas Christi ad incomprehensam, ineffabilemque regnandi assumpta est dignitatem, & vt ad Dei dexteram sedeat, qua gloria nihil nos maius comprehendere, aut concipere possumus.

Expenditur verbum, Ferebatur.

Deinde verbo impersonali dicitur, Ferebatur: quia in principio paulatim ascendit, non mouens aut pedes, vt ambulãs, aut manus, vel brachia, quasi alas aquila moueret, sed pedes habẽs immotos, & brachia, ferebatur quasi ab alio; cùm tamen occulta virtute sua graderetur, quemadmodum corpus nostrum vi animæ occulta graditur. Vnde Esaias ait: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.*

Esai. 63.

Tertio vocatur eleuatio: quia in eodem loco cùm esset Christus cũ Apostolis, nec vllus altero eleuatior, quàm staturæ suæ ratio præscriberet, tamẽ quamprimùm Dominus terram reliquit, ratione eorum, qui in terra manebant, dicitur eleuatus, non quidem ab alio, sed à propria deitate, & virtute, & dote agilitatis, quæ glorificatis debetur corporibus.

Actor. 1. Christus quomodo in cœlũ eleuatus.

Quãquàm dici potest Christus eleuatus quatenùs homo est, quemadmodum vitis, quæ innititur vlmo, aut parieti, ita humanitas innixa est dilecto Verbo: alioqui puluis humanitatis non restitisset vento, nisi Verbum eam sustentans eleuasset: quod quia non est agens naturale, supra naturæ facultatem fuit illa Domini Ascensio.

Can. 8.

Postremò dicitur ascendisse quasi Deus propria virtute, iuxta illud: *Ascendit super cœlum cœli, ad Orientem*, & iterum: *Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua*, & rursus: *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.*

Psalm. 67. Psal. 56. Psalm. 20.

In quod cœlũ sit Dominus assumptus.

Adiungit Marcus assumptum esse in cœlum: intellige præstantissimum, siue empyreum, quod dicitur cœlum cœli. Quod satis explicuit Paulus, cùm dixit ascendisse supra omnes cœlos, ac Dauid super cœlum cœli ad Orientem.

Ephes. 4. 10. Psal. 67.

Empyreum enim cœlum cæteris est altius, & simpliciter dicitur altum, iuxta illud: *Ascendisti in altum*, ac proinde cæteris est nobilius, quia fixum est, & summè beatis conueniens corporibus: ob quam causam dicitur terra viuentium.

Ibid. Empyreum cœlum cœli cur dicatur.

B. Gregor. hom. 29. circ. med. tom. 2.

Beatus Gregorius expendens differentiam Ascensionis Christi, atque aliorum sanctorum, ita in Homilia de Euangelio Ascensionis scribit: *Notandum est, quòd Helias in curru legitur ascendisse, vt apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa, & ostensa sunt adiumenta: quia nec in cœlum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia is fecerat omnia, nimirùm super omnia sua virtute ferebatur. Illo etenim reuertebatur, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cœlum, per diuinitatem suam, & terram pariter continebat, & cœlum. Sicut autem Ioseph à fratribus venditus, venditionem redemptoris nostri figurauit: sic Henoch translatus, atque ad cœlum aëreum Helias subleuatus, Ascensionem Dominicam vterq; designauit. Ascensionis ergo Dominus prænuntios & testes habuit, vnum ante legem, alium sub lege, vt quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Vnde & ipse*

4. Reg. 2.

Heliæ inter, & Henoc, ac Domini Ascẽsionem quantum intersit.

Genes. 37. Genes. 5.

Ascensionis suæ Dominus cur illos prænuntios habere voluerit.

ordo

ordo in eorum quoque vtrorumq́; subleuatione per quadam incrementa distinguitur. Nam Henoch translatus, Helias verò ad cœlum subuectus esse memoratur, vt veniret postmodum qui nec translatus, nec subuectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret. Et infrà: *Nam Henoch quidem vxorem, & filios habuit: Helias verò neque vxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creuerit munditia sanctitatis: quod & per translatos famulos, & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur. Translatus namque est Henoch, & per coitum genitus. Raptus est Helias per coitum genitus: sed non iam per coitum generans. Assumptus verò est Dominus, neq; per coitum generans, neq; per coitum generatus.* Hæc ille. Christus igitur conceptus de Spiritu sancto, & in Spiritu sancto alios regenerãs in cœlum assumptus est: in quod nemo assumitur nisi generatus à Deo per Spiritum sanctum, & alijs suo verbo, vel exemplo generandis prælucens.

Henoch in cœlum translatus vxorem, & filios habuit, Helias verò non item.

Subdit Marcus: *Et sedet à dextris Dei.* Metaphorica est hæc locutio, quia nec Deus habet dexteram, vel sinistram, quantò minùs in plurali dexteras: nec beati in cœlo sedẽt, cùm minimè illa quiete qui nunquàm delassantur, indigeant, sed naturalis corporum glorificatorum situs sit stare. Quare per metaphoram significatur primò Christus qua Deus est, cum Patre regnare; omni prorsus æqualitate omnia cum eo possidẽs. Deinde CHRISTVS quatenùs homo, dominus omnium significatur: serui enim stant, domini sedent: dum enim vixit, tanquàm minister stetit Dominus; at in cœlo sedet tanquàm dominus in dextera Patris. Prætereà dexteram tenet, id est, in summa gloria, autoritate, atque prosperitate versatur, qui quoad vixit, videbatur esse à sinistris derelictus, & contemptus à Deo. Vel potiùs quia summus honor more nostro significatur in sessione ad dexteram Regis, & in dextera fortitudo, ac potentia repræsentatur, in sessione verò summa quies, ac potestas iudiciaria; in sessione Christi ad dexteram Dei Patris aptissimè adumbratur suprema CHRISTI honorificentia, maxima autoritas ac potentia ad regnandum, & stabiliendum regnum, ineffabilis post labores vitæ requies, primaque iudicandi potestas: cum apud omnes nationes in more positum sit, vt qui sedet, siue incedit ad dexteram alicuius, priorem, & nobiliorem locum obtinere censeatur.

Naturalis corporum beatorum situs quis.

Quare Christus describitur sedere ad dexteram Patris.

Luc. 22.

Dextera & sessio, quid denotent.

Quærit Antonius Nebrissensis in libro, quo quinquaginta locos Scripturæ sacræ exponit, cur CHRISTVS dicatur sedere ad dexteram Patris, cũ quatenus filius, & homo est, Patri primam sedem cedere debeat? Vnde Psal. 109. iubetur Christus sedere ad dexteram Patris; & tamen in eodem dicitur: *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges.* Item si gloriosius est ad dexteram sedere; quomodo Rex Salomon sedens regio in throno suo, iussit matri apponi sedem ad dexteram suam? Ad hæc, quomodo dicitur Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato,* cùm priorem locum matri non debeat filius dum publico fungitur magistratu, aut sponsus suæ sponsæ? Respondet, apud antiquos alium morem fuisse vsu receptum, vt sedens ad sinistram, potior eo censeretur, qui sedet ad dexteram: nam qui olim in comitatu potentis assectabantur, satellites, stipatores, & laterones, siue latrones dicebantur, & eos dicebant cingere, vel tegere, vel claudere latus. Is etiam qui alteri comitem se præstabat, dictus erat exire exterior; cui verò comitatus præbebatur, ire interior. Hinc Naso libro Fastorum loquens de sene, cui à iunioribus honor deferri solet, ait:

Antonius Nebrissens.

Cur Christus ad dexteram Patris potius, ad sinistram, sedere dicatur, cum dextera Patris potius quam filio videatur.

3. Reg. 2.

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Ouid. lib. 5. Fastorum, prope init.

Quòd autem qui ibat ad dexteram alteri, exterior, & interior, qui ad sinistram, diceretur, probat ex illo Virgilij:

Radit iter læuum interior.

Virg. 5. Aeneid multò ante med.

Vbi Seruius exponit, interior, id est, sinisterior. Ideo in diplomatis Pontificijs Paulus est Petro sinister, & id plerunque pictores obseruant. Ad hunc modum Pater tanquã sedens in throno maiestatis suæ, iubet filium sedere ad dexteram, id est, secundo loco: & idem tãquam is qui se præbeat filio stipatorem, & protectorem, dicitur illi esse à dextris. Quare cum dixisset, *Dominus à dextris tuis:* subdit, *Confregit in die iræ suæ Reges:* & Propheta: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Dum tamen Christus nobis opitulatur, stare videtur, quemadmodum vidit illum stantem à dextris Stephanus: sicut apparere, & stare vultui Dei dicitur in alio loco, quoniam aduocatum, & patronum pro nobis se apud Deũ exhibet. At verò alij sancti in cœlo, aut dicuntur sedere in throno Christi ad indicandam eorũ gloriam, & incomprehensam honoris remunerationem, aut iudiciariam potestatẽ, quam munere Christi participant, iuxta illud: *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Ita in genere promiserat alio in loco: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Sedentque beati quasi ad mensam diuinæ suauitatis, in qua CHRISTVS quasi transiens ministrabit illis.

Serutus.

Psalm. 15.

Actor. 7.
Hebræor. 9.
Christus stans quare interdũ describitur.

Sancti cur in cœlo sedere dicantur.

Apoc. 3

Ioan. 12.
Luc. 12.
Varijs rus beatorum describuntur.

Apoc. 7. Supr. 4. illis. Aut beati dicuntur assistere, quia Deo eos beanti ministrant; aut cadere in facies suas, præ reuerentia uiuinæ maiestatis; aut deponere coronas de capite, & mittere ante sedentem in throno, in testimoniū quod omnes quas habent coronas, nonnisi Christi virtute, & munere promeruerūt; aut dicuntur ambulare, & discurrere tanquàm scintillæ in arundineto, ad multiplicem, & variam beatitudinis remunerationem designandam, cùm beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quamobrem scriptum est: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*: &, *Hi sequuntur Agnum quocunq; ierit.* Istos enim varios beatorum situs tradit Scriptura, ad multiplices Diuinæ felicitatis thesauros, quos illa in se comprehendit, explicandos: quemadmodum apud Matthæum varijs actionū præmijs nōnisi eam quæ vnica est, & simplicissima felicitas, declarauit. Sequitur in Marco: *Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Non intelligas, confestim executionem verborum Domini per Apostolos fuisse factam; quia iussi sunt vel ab ipso Christo expectare Ierosolymis, donec induerentur virtute ex alto. Imò post aduentum Spiritus sancti prædicarunt Ierosolymis, & in Iudæa, & Samaria; idem enim ipse Christus imperauerat. Postremò vbi Iudæi reddiderunt se indignos æternæ vitæ, conuersi sunt Apostoli ad Gentes, vt perficerent q̄ sibi præceptum erat: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: nimirum post duodecim annos, vt ex Patribus antiquis libr. primo produximus. Quanquàm Romanum Martyrologium emendatum habeat, ann. 13. post CHRISTI Domini mortem, vt etiam tradit Beda in Acta Apostolorum: ac diem diuisioni Apostolorum statam ac solennem assignet in 15. die Iulij. Adde alios, qui diuisionem Apostolorum collocāt Idibus Iulij factam, quia eo 12. anno post ascensionem Domini ad euangelizandum diuisi per totum Orbem fuisse asseruntur, & legitur hoc festo in Missa epistol. Pauli ad Romanos capite 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Et infrà: *Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Euangelium verò, *Euntes docete omnes gētes, baptizantes eos, &c.* Eusebius diuisionem Apostolorum per Prouincias sortitione factam attingit ex Origene. Verùm quoniam Marcus per aliquot annos postquàm Matthæus scripserat, & ipse quoque ad literis consignandum Euāgelium accessit, prædicante videlicet beato Petro in Italia, vbi fratrum credentium precibus conscripsit Euangelium, cœperant Apostoli illud præstare distracti in diuersas orbis Prouincias, rectè inquit illos profectos vbique prædicasse. Prædicauerunt ergo vbique, vt iussi erant, non quidem in sola Iudæa, & Samaria, sed & in omnibus gentibus, & locis, non sua virtute, sed per Domini cooperationem, qui vbiq; eis aperuit ostium sermonis, & dedit eis os, & sapientiā, cui non possent resistere & contradicere omnes Euangelij hostes. Subdit ergo: *Domino cooperante:* Interiùs per diuinam, ac secretam ad corda inspirationem, sine qua frustra lingua prædicatoris exteriùs resonat: dando etiam euangelizātibus virtutem multam, vt corda possent penetrare auditorum, & ita illis dicebat; *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; quò ita auditores attendant his, quæ dicuntur à ministris, & videant articulos qui proponuntur credibiles, & omni acceptione dignos. Deinde cooperabatur Dominus externè per signa prędicationem consequentia, quæ vim habent persuadendi non malè affectis. Quoniam enim ea, quæ prædicatione Euangelica continentur, humanæ rationis captum; & vires naturæ longè superant, æquum erat, vt argumentis ac signis, quæ supra naturę facultatem posita essent, corroborarentur penitus, ac comprobarentur. Erat igitur prædicatio rationabilis, ac prudentiæ diuinæ plena ad trahendum doctos, ac sapientes, sicut signa ad simplices, & ignaros alliciendos. Verùm illud expende quod ait, *Sequentibus signis.* Nā post signa præcedentia potest aliquis doctrinā falsam tradere, aut superstitiosam. Quia præcedentia signa non probant futuram doctrinam: at verò quæ prædicatam consequūtur doctrinam, necessariò vera existūr, siquidem mendacio, aut falsitati Deus attestari nō potest. Neq; enim miracula, quæ edidit Iudas Apostolus, proditionis crimē quod posteà patrauit, aut opinionem falsam, quam de eo tradendo habuit, confirmauit; sed tantū illis constabiliebat doctrinā à se antè prædicatā, quæ bona erat. Hinc Christus Domin⁹ cùm misit Apostolos ad prædicandum per Iudæam, dixit illis: *Euntes prædicate, dicentes, Quia appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Vides igitur quomodo Dominus, tam hoc loco citato, quàm nunc post resurrectionem signa promittat, quæ consequantur doctrinam præcedentem, & quæ confutari, aut negari non possint? Præposterum autem est signa præcedere doctrinam, cùm omnis ratio, aut

Marginalia (left): Apoc. 7. / Supr. 4. / Sapient. 3. / Beatitudo quid sit, secundùm Boetiū. / Apoc. 3. / Inf. 14 / Matth. 5. / Quando primum Apostoli ierint in mūdū vniuersum ad euangelizandum. / Luc. vlt. / Actor. 2. & Infr. 8. / Supr. 1. / Inf. 13. / Marc. vlt. / Beda in prologo Actuum tom. 5. / Psalm. 18. / Matt. vlt. / Euseb. li 3. Eccl. hist. c. 1. & 2 tom. 1. / Quo tempore Marcus scripserit Euangeliū.

Marginalia (right): Luc. 21. / Quemadmodum Christū cooperaretur Apostolis vbique prædicantibus. / Psalm. 67. / Matt. 10. / Apostolorum prædicatio qualis. / Signa doctrinam quare consequi debeant. / Matth. 10. / Quid præposteri habeat doctrinæ ad signa consecutio.

aut confirmatio nonnisi alicui rei dictę adiungi debeat, non illam præcedere: at signa rationes sunt, & confirmationes ad ea quæ proposita sunt fide amplectenda inducentes atque inuitantes. Atque ita Marcus, qui leonis faciem describendam assumpsit, à rugitu prædicationis Christi per Ioannem, qui vox clamãtis Christi fuit in deserto, exordium sumpsit, finem ponit Euangelio in rugitu prædicationis Domini per ora Apostolorum suorum. Qui nihil aliud sunt quã Principes super omnem terram, legati; Doctores, pastores, piscatores hominum, fideles ac prudentes dispensatores mysteriorum Dei, sapientes architecti, serui, agricolæ, seminatores, messores, trituratores, plãtatores, vinitores, testes, columnæ, fundamenta, mõtes, colles, templa, fontes Saluatoris, lux mundi, sal terræ, ciuitas supra mõtem posita, lucernæ ardentes, ac lucentes, boues, columbæ, nubes, stellæ, cœli, firmamentum, custodes, milites, parentes, nutrices: qui & alijs sexcentis titulis in Scripturis sacris illis tributis exornantur, quò eorum præclaram, & omni ex parte eximiam functionem nobis declarent. Vtinam illi, qui in eorum locum, & gradum in Ecclesia sufficiuntur, ad has tam sublimes, & honorificas nomenclaturas oculos mentis conuertant, quò meliùs vocationi suæ respondere valeant. Hæc igitur tria, prædicatio externa Apostolorum, & inspiratio Dei interna, ac signa simul illis coniuncta, breui totum mundum ad Iesu Christi Fidem traducere valuerunt. Sed iam verbis Marci explicatis, ad fructus Ascensionis explicandos nostra se conuertat oratio. Hoc igitur Ascensionis Domini mysterium ad multos fructus nobis significandos ac decerpendos vtilis, & accommodata extitit: nam conueniebat summè tùm ipsi Christo, tùm Apostolis, tũ nobis ipsum in cœlos conscendere. Christo quidem, vt tanquàm Sacerdos facto sacrificio intraret in Sãcta Sanctorum, & appareret vultui Dei pro nobis tanquã aduocatus causas nostras agens. Nam vt summus Pontifex ingressus Sancta sanctorum, portabat in superhumerali, & rationali duodecim nomina filiorum Israel; ita Christus in humeris crucis, & rationali pectoris sui nos tulit in Sancta Sanctorum coram Patre, vt simus ciues Sanctorum, & domestici Dei. Ascendit quoq; vt præpararet nobis locũ, acciperetq; possessionem Terræ Promissæ, siue regni cœlorum: quia cum ipso conresuscitati sumus, & conscendimus, & consedimus in cœlestibus, vt ait Apostolus. Per vnum Adam exclusi sumus de Paradiso terrestri typo cœlestis, ita per alterum Adamum ab exilio reuocamur. Adhæc cœlum subiuit daturus dona hominibus; vel accepturus in illis, vt ait Dauid. Est autẽ Spiritus sanctus primum, & maximum donum, quod Pater & Filius sibi mutuò donant; quodque etiam nobis amicis impertiunt. Estq; vnicus in essentia, multiplex tamen in donis ob multiplices nostras indigentias ac imbecillitates: & pro sublata carne Humanitatis suę porrigit nobis Spiritum: quẽadmodum ablactato puero, datur solidus cibus, & deficiente farina Ægypti, exhibitum est manna de cœlo. *Expedit*, inquit Dominus, *vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam ad eum vos.* His accedit, quia maximè decebat, vt corpus summè propter Deum humiliatum atque vexatum, honorificentissimè exaltaretur. Et cũ corpus illud non esset vti nostrum belluinum, quod motus animales, atque ferinos sequitur; nec esset mediæ gloriæ, vt illud Adę ante peccatum, quod interitus ac cupiditatum carnis erat expers, sed sanctissimum esset, & plenum gloriæ, vt in terra remaneret, vel in paradiso terrestri, non decebat, sed par erat in cœlum vt conscenderet Empyreũ. Erat enim beatum illud Domini corpus, eminens, & eleuatum, velut ignis inter elemẽta, aut Sol inter luminaria, aut ocul⁹ dexter inter mẽbra, aut vt Seraphin inter Angelos, quare Christo iam immortali, ac summa perfruenti pace, innocentia, & gloria refertissimo, terra hæc quæ mortales tantùm alit, & bellis intestinis agitatur, culpis atq; pœnis defœdata existit, minimè cõueniebat. Deinde conueniebat Apostolis, ac alijs Domini discipulis hæc ipsa in cœlum assumptio; quò eorum amor collectus in dulci Humanitate Christi ascenderet sursum ad Deum, & illa, quæ sursum sunt, & intellectu quærerẽt, & saperent affectu: ad quod ipse, vt aquila filios suos inuitauit. Dixit olim Moses de Deo ad Israelitas: *Sicut aquila prouocãs ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas: & assumpsit eum atque portauit in humeris suis*: quod nobis aptiùs congruere videtur. Aquila, auis est generosa, & volatilium regina, coronam à natura gestans, quippe quæ in altum super omnes aues euolat; Solem oculis intuetur illæsis; victum sibi comparat ex rapina, rostro, & vnguibus potens; pullos vt suppositios, abijciens eos, qui Solem minimè intuentur; ad volandum suo exemplo, rostroque velut morsu eos inuitat; denique quamdiu pulli sunt, illis diligenter prospicit, vbi verò grandescunt, & pennæ eorum crescunt, solet per vnum, vel alterum diem abesse; postremò

Esai. 40.
Apostolorum in Scripturis perquam honorificæ appellationes.
1. Cor. 4.
Quàm vtilis, & fructuosa humano generi Christi Domini in cœlũ assumptio sit.
I. Ratio.
Hebraeor. 9.
Exod. 28.
Ephes. 2.
Ioann. 14.
Ephes. 2.
Infr. 4.
Psal. 167.
Donum Christi præcipuum datum Apostolis, atque credentibus, quodnam fuerit.
Exod. 16.
Ioan. 16.
Corporis Christi qualitates.
II. Ratio.
Coloss. 3
Deut. 32.
Aquilæ proprietates describuntur, atque Christo accommodantur.

stremò vbi grandes euaserint, omnino eos deserit, vt ipsi cibo subtracto, & fame vrgente suo marte, & per se ipsos viuere addiscant, & ad martem venire desuescant. Ita Christus generosus est, vtpotè filius Dei, & vt homo filius Dauid: Rexque à Deo est coronatus, atque adeò Rex natus, vt Magi dixerunt, suis actionum meritis omnia humana, & Angelica transcendit; Deumque, quem nemo suis viribus vidit vnquàm, solus suo marte intuetur. Viuit autem ex his quos rapit de manu dæmonis; hinc Esaias: *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere. Festina prædicari.* Fuit autem potentissimus operibus, & prædicatione: quia cœpit facere, & docere: pro suis verò illos non agnoscit, qui terrenis, & carnalibus immersi, oculos ad diuina intuenda non habent. Denique Christus more aquilæ nos ad superna mente conscendere docuit, tùm exemplo volatus sui indicans terrena hæc omnia esse cōtemnenda: pungebat etiam rostro prædicationis, vt saltem corde ascēdamus in cœlum, secundùm illud: *Ascensiones in corde suo disposuit, &c. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Fuit cum Apostolis assiduò, dum mortalis erat; suscitatus verò à morte apparuit illis interdum, vt ad cœlestia illos subueheret. Denique vbi vidit Apostolos humanitati suæ plus æquo adhęrentes, illam tanquàm cibum siue escam à conspectu illorum subtraxit, vt ea ratione inuitaret discipulos ad volandum per vniuersum orbem dispersos, & victum sibi compararent ex præda animarum, quas Euangelico gladio mactatas, & in terram deiectas edebant, vt ille, cui dictum est, *Occide, & manduca*, testari potest. Sed in hoc volatu quisque intelligat sibi esse terram deserendam, opes vt stercora reputandas, delicias, ac voluptatum cupiditates conculcandas, titulos honoris inanes, ac dignitatum pro nihilo ducendos, & ad hæc omnia puriora, & solidiora, aspirandum. Pudendum enim esset filijs Patris cœlestis, cœlumq́; pro hæreditate expectantibus terræ inhærere, seculum diligere, proq́; his cōtemptis fortunæ bonis litigare, belligerare, atq; omne genus admittere flagitij. Tertiò ratione nostri, ac orbis totius, salutaris extitit Domini ascensio. Fouet enim omnes virtutes, vitiaq́; omnia extinguit. In primis enim confert ad fidem, quę substantia est rerum sperandarum, & argumentum non apparentium: ob quam causam se Dominus subduxit in cœlum, vbi delitescit, vt maius meritum habeat Fides nostra: quemadmodum etiā sub Eucharistia manere apud nos voluit, velatus tamen sub integumentis accidētium, quò magis intellectū nostrum captiuantes Deum honorificaremus. Nutrit etiam spem nostrā non solùm botrus Terræ Promissæ visus ab Apostolis tā quàm ab exploratoribus, sed etiam quia vt aduocatus iustus, clientulorum suorum causas agit. Alit charitatem; quia inde mittit ad nos ignem sui amoris, hoc est, Spiritum, quo feliciter ardemus, Deum, ac Proximum propter Deum diligentes: & ad sensus, & mundi huius bona algemus. Studium orandi accēdit; dum preces nostras per talem mediatorem à Deo exaudiri minimè dubitamus. Commēdat humilitatem: quia omnis qui se humiliat, exaltabitur: quod non tam verbo, quàm facto ascendendi Christus expressit. Illustrat prudentiam nostram; dum de tāto fine gloriæ homines meditabūdos, & suspensos tenet tale Christi spectaculū. Temperantiam fouet: quia leuis est, nō grauis sursum ascendere. Ad Fortitudinē confert, vt videlicet contra carnis grauitatem, & spiritus imbecillitatem pugnantes cœlum cōsequamur, non obstantibus dæmonibus nobis insidiantibus. Promouet Iustitiam: nā si iustè Deus Christum pro se passum, atq; humiliatum ita remunerauit, nec nisi per abiectionem, ac submissionem illi, qui per omnia par erat Patri, cœlum patêre voluit in assumpta carne rationes humiliationis excogitans; quantò magis nobis, vt ascendamus, iustum est humiliari, ac de nobis submisse sentire? Timorem, & cautelam ingerit; dum Angeli illum rediturum ad iudicandum pronuntiāt: Sic veniet, inquiunt, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Denique hoc mysterium omnia vitia extinguit: superbiam delictorum omnium parētem, primam expugnat, quæ de cœlo deturbata est cum Angelo, & in cœlum per Christum euecta est humilitas. Profligat Auaritiā; cùm Christus ascendens Spiritum suum, ac bona sua dederit hominibus. Expugnat inuidiam: nam etsi solus pro omnibus mortem subire voluit, non tamen solus, aut resurgere, aut cœlum subire: nam Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Gulæ, ac luxuriæ sordes in hoc mysterio docemur cōtemnere, inuentis purioribus spiritus delitijs, ac cibis delicatis, quibus immortalis nutritur animus. Teporem omnem, atque Accidiā propulsat tam festina, alacritateq́; plena in cœlum conscensio. Ingrati animi vitium damnauit; dum ingratam Iudæam deseruit, suaque priuauit præsentia; ad quā plectēdam sua die reuertetur. Vides igitur quanta bonorū copia ex hoc vno mysterio ad nos deriuetur, si oculos mentis attolla-

Matth. 2. Ioan. 1. & 1.Tim. 6.

Esai. 8. Act. 1.

Pro suis quos non habeat, & agnoscat Christus.

Psal. 83.

Act. 10.

Quid maximè Christianos dedeceat.

III. ratio.

Hebr. 11.

Num. 13.

1.Ioan. 2.

Luc. 14.

Act. 1.

Ecclesiast. 10

Esai. 14.

Eccles. 4. & Psal. 67.

Vtile documentum com-

[Marginal: tra ingratitudinis vitium. Exod 24.]

mus? Formidandum tamen ne nobis contingat, quod populo Israël olim accidit. Nã vt Moses legislator mõtem subijsset Sinai, quò à Domino legem acciperet in tabulis duabus inscriptam, ac populo Aaron fratrem suum, & Hur sororis suæ virum præfecisset, vt ad eos referretur, si quid natum fuisset quæstionis, interim dum morã traheret, populus expectationis diuturnæ tædio victus, in idololatriæ crimen incidit. Clamabat enim ad Aaron: *Surge, fac nobis deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit.* [Marginal: Infra 32.] Cumq́ue ille vt eos reuocaret ab iniquitate, petijsset inaures aureas, & annulos, atq; alia ornamenta, illaque coniecisset in ignem, prodijt vitulus cõflatilis, quem adorantes, clamabãt: Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Sed interim quando minus putabant, descẽdit Moyses de monte, & inuenit populum ludentem, & saltantem coram vitulo, grauissimumq́; de illis sumpsit supplicium: nam ceciderũt multa millia illa die. [Marginal: Ibidem.] Timendum profectò est ne quid simile nobis contingat: nã dum Dominus Iesus moram in cœlo trahit, nec ad iudicandum, vt promisit, venit, aut ad sumendum supplicium de Paganis, atque Hæreticis, qui Ecclesiã infestant, animum prosternimus, & tacitis cogitationibus in dubium vocamus eius reditum, & interim idôlum fabricamus propriæ voluntatis ex diuitijs siue temporalibus, siue spiritualib⁹ à Deo datis, quibus pro nostro arbitrio abutimur, contemptaque Diuina voluntate, nostram per omnia facimus, motusque, & cupiditates eius amplectimur, quasi idôlũ quoddam, ac numen colentes; & vt illi satisfaciamus, ludimus, cantamus, atque saltamus. [Marginal: 1. Thess 5.] Sed verendum est, ne ex improuiso Christus nos adoriatur, & repẽtinus nobis superueniat interitus, grauissimasque in gehenna ignis luamus pœnas.

[Marginal: Esai. 63. Explicatur ille locus Esaiæ, Quis est iste qui venit de Edom, & reliq. Dionys. lib. Cœlest. hier. c. 7 paullo post med. Orig in ca 15 Matt tom. 2 Ambr. lib. de institu virgi. c 5. tom 1. Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem. Hiero. in Esai. c. 63. tom. 5. B. Cyrill. ibid.]

Huius admirandi Christi ascendentis triumphi picturam in die Ascensionis celebrati, appositè, quasi oculis suis cõspectam, & nobis intuendam proponit magis Esaias quàm vaticinatur, dicens; *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Explicabo per partes singulas hoc vaticinium, quò magis illud degustare possimus. Dionisius Areopagita in cœlesti hierarchia, Origenes in Matth. Ambrosius libro de institutione virginis, Tertullian. lib. aduersus Marcionem, atq; Hieronymus, necnon Cyrillus explicant hæc dicta de Christi ascensione. Aiunt ergo admirabundi Angeli; *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Bosra, ciuitas erat Moab: & per Idumæos, & Moabitas intelliguntur omnes Gentiles populi Dei inimici, eo quòd isti essent acerrimi Istæ̃ is hostes. [Marginal: Bosra quid. Quid per Idumæos & Moabitas.] Et Edom quidem dicitur à rubore; vt de adama, hoc est, terra rubra, Adã sumptus. [Marginal: Edom vnde dicatur. Gen 2. & 3.] Bosra, nomen sumptum est à vindemia, teste Hieronymo: ad quod posteà infrà alludit Propheta, dicens; *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* gaudent siquidẽ Prophetæ huiusmodi poëticis allusionib⁹. [Marginal: Hieronym. Poeticis allusionibus gaudent Prophetæ.] Vnde alibi ait Esaias: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populum Gomorrhæ.* [Marginal: Esai 1.] Et Dauid, *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, &c.* [Marginal: Psal 119.] Vbi iuxta Hebræam literam habetur: *Heu me, quia peragraui Mesech, inhabitaui cum tentorijs Cedar, Rabath habitauit sibi anima mea.* Erat autem Rabath, à multitudine dicta. Cedar quoq; multitudo est Agarenorum, à Cedar filio Ismaëlis dicta; & significat obscuritatem. Mesech, terra Arabum est, significatq́; exilium, vel peregrinationẽ: volens significare his metaphoris Israëlitas similes illarum gentium longam moram trahere in exilio, in obscuritate. [Marginal: De his vocibus: Rab, Cedar, & Mesech quid significent. Quid hisce nominibus voluerit indicare Propheta.] Ita hîc, propter ruborem, & mustum, meminit horum locorum, quòd regiones, ex quibus Redemptor cum triumpho redibat, & Gentes, veluti in vindemia vuas, calcauerit. Et est sensus: Quis est iste qui rubrum habet vestimentum, & qui indumenta gerit musto tincta? nã passionis suæ signa monstrans ascendit in cœlum, vt ait Cyrillus? [Marginal: Cyrill.] Et ad hæc verba alludens Ioannes in Apocalypsi, de Iesu loquens, ait; *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius, Verbum Dei.* [Marginal: Apoc. 19.] Et infrà: *Et ipse reget eas* (scilicet Gentes) *in virga ferrea.* & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et propheta paulò post vocat formosum in stola sua: [Marginal: Quid illud Prophetæ de Christo. Iste formosus in stola sua. Greg Nazianz.] Quod, vt ait Gregor. Nazianz. oratione in sanctũ Pascha, gloriosiùs resurrexit ea pulchritudine, qua nullum amabilius possit esse corpus, nec pulchrius. Et vltrà interrogat: *Ille formosus in stola sua.* Id est: Conuenit illi rubea vestis, & tincta, *Gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Id est, incedit cum pompa sicut solent magnanimi duces, ascendi nisq;, propria virtute, ac dote agilitatis. ¶ *Ego qui loquor iustitiam.* Id est, Messias, qui præstiti quæ promiseram de vltione hostium meorum, hoc est, dæmonum, ac Iudæorum: & qui vt spopondi, resurrexi à mortuis, & liberaui sanctos Patres, ac Gẽtes idololatria, ac bonos Iudæos eripui de legis seruitute, *Et propugnator sum ad saluandum*, siue vt Hebræa

brea veritas habet, multus sum ad ignoscédum. Nam Rab. multum, & Princ pem significat. Et hîc denotatur Iesus magnus remissionis peccatorum, & salutis autor, quia potestate, & scientia præditus fuit saluandi hominem impotentem, nescientem, ac salutem suam recusantem: Quia vult, & non vult piger, nisi ille det voluntatem salutis perseuerantem manendo intra arcam Ecclesiæ, & in obedientia diuinæ legis, ac Sacramentorum frequentatione. Subdit: *Quare ergo rubrum est indumentũ tuum & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Prior interrogatio, de persona fuit; secunda, de causa. Triumphauit Christus sanguine suo, ac virtute diuinitatis suæ, imo iudicio suo, quia sumpsit partes iudicis: Ego, inquit, qui loquor iustitiam; id est, Qui sententiam pronuntio pro genere humano contra diabolum: vt exponit Tertullianus. Nec est sensus huius interrogationis: quare sic es passus, & sic indignè tractatus, perfususque cruore? Sed sensus est: quare videris fudisse sanguinẽ aliorum, & habitus tuus talis est, ac eorum qui calcant vuas, id est, rubeus? Respondet: *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum.* Rectè admonet Cyrillus: *Hic mihi repete memoria, quod Patriarcha Iacobus dixit: Lauans in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum.* Sic ille. Sensus ergo est: Solus Crucis torcular calcaui, solus comparaui mihi hanc victoriam: Apostoli enim prædicantes, ac signa edentes tantummodò fuerunt instrumenta Christi. *An experimentum*, inquit Paulus, *quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Et rursus: *Nihil audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Adde, quòd præcipua huius victoriæ pars est remissio peccatorum, & reconciliatio mundi cum Deo, mortis, ac peccati damnatio, quæ solus Filius Dei moriens in cruce peregit: quanquam eiectionis ex orbe tyranni, prædicationis, & Sacramentorum applicandorum ministri extiterint Apostoli. ¶ *Et de Gentibus non est vir mecum.* Siue de populis, vt Hebræa vox habet: quia nemo mortalium, vel Iudæorum, vel Gentilium mecum fuit, sed mihi debetur solùm hoc beneficium, qui virtute mea debellaui aëreas potestates, atq; omnes illis coniunctos. ¶ *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea.* Iram suam vocat, ac furorem, zelum pro gloria Dei illustranda, & pro animabus pereuntibus contra oppressores dæmones, *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Sanguis in Scripturis peccatum significat, secundùm illud. *Sanguis sanguinem tetigit.* & peccata hominum Christi vestimenta inquinarunt, id est, sanctam humanitatem, quę est ille habitus, de quo Paulus: *Habitu inuentus vt homo:* & Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Ac depingit Propheta Christum more humano, cruentum redire in domum suã instar strenui militis de cæde hostium redeuntis. Et dicitur Christus formosus in stola propter nos, quia illa nos nobilitauit, atque redemit: at inquinatus veste vocatur propter se, quia sanguis ille dedecebat innocẽtem, ac iustum. Et licèt in die Ascensionis nondum esset Gentibus prædicatum: illo tamẽ die præceptum prædicandi Gentibus datũ est, qualiq; iam parta victoria canitur Epinicion: sicut in die Oliuæ triũphauit Christus ante partã victoriam. ¶ *Dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Id est, Hactenùs passus sum diabolum regnare, & illi confœderatos, posthac non patiar: redimam iam meos, & vindictam sumam de eis, qui mihi sunt contrarij. Cyrillus, & Procopius legunt, *Annus Redemptorum meorum venit*, iuxta Hebręum; vt significet paucos electos, & reliquias qui tantùm salui fient. Atque his similitudinibus vtitur Propheta, vt carnali Iudæorũ expectationi satisfaceret, qui Messiam victorem, & stragẽ edentem, & colla regum prementẽ ex Scripturis expectabant: quãquam satis hæc spiritualiter intelligenda docuerit, cùm dixit: Ego quĩ loquor iustitiã, & multus sum ad ignoscendum. Est etiam maior victoria cẽsenda, Gentibus moribus deprauatis, & nil nisi peccare scientibus, religionem Christi probabilem facere, quò desertis dijs suis, & legibus carnis & sanguinis Christum dura imperantem sequerentur, quàm si ducto exercitu cunctos trucidasset. ¶ *Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Hæc verba haud sunt laborantis, aut subsidium petentis; sed sensus est: Circumspexi an inter Angelos, & homines aliquis esset, qui succurreret orbi perdito: sed nemo erat, omnes patiebantur orbem perire: Me ipsum deuoui, & vt victimam piacularem ad expiãda peccata obtuli: eo quòd nõ esset qui adiuuaret: id enim significat Hebræa vox illius verbi, Quæsiui; quare adhibui meum brachium, & indignationem meam in auxilium. Nõ ergo erat auxiliator, quia, vt ait Theodoritus, ipsi resistebant Spiritui sancto, & redemptionem nolebant suscipere: & quod subdit, Saluauit sibi brachium meum, subde, eos. More enim humano loquitur: ira enim facit animos, ita indignitas rei ipsius, hoc est, mũdi perditio me cõmouit, vt

Rab Hebraicè quid.
Christus cur dicitur propugnator ad saluandum.
Prou. 13.
Vnde Christus triumphauerit.
Tertull.
Quid propriè significet: Quare ergo rubrum est vestimentum, &c.
Cyrill.
Quid sit: Torcular calcaui solus, &c secundùm Cyrillum.
Genes. 49.
2 Cor 13.
Rom. 15.
Præcipua victoriæ Christi pars quæ sit.
Quorsum id: Et de Gentibus non est vir mecum.
Coloss. 2.
Sanguis in Scripturis quid signet.
Ose 4.
Vestimentum Christi quod nam sit quod ille inquinauit.
Philip. 2.
1. Petr. 2.
Quare Christus dicatur formosus in stola sua.
Epinicion canere, quid.
Matth. 21.
Fructus passionis Christi, victoria, & triumphus.
Cyrillus.
Procopius.
Christus redemptor hominum ipse solus fuit.
B. Theodorit. tom. 1.
Christi potentia.

vt inebriarem populum meum. Et subdit: *Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.* Perstat in metaphora bellatoris hostes conculcantis in furore suo, & indignatione sua inebriantis eos; id est, ingentes tribulationes proponentis, vt more ebriorum nesciant vbi consistant. Et detraxit in terram virtutem eorum; id est, exercitum, potentiam, sapientiam, vires; & eloquentiam, omniaque præsidia, quibus se contra Christum armauerant. Vnde Paulus: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et concludens ait: *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* Hactenùs pictam triumphi Christi descripsit, inducens ipsum Dominum loquentem: iam vox Prophetæ est docentis, quid pro tantis beneficijs sit faciendum, nempè tantorum operum diuinæ misericordiæ nunquàm obliuisci, laudareq; Dominum super omnibus quæ Deus per Christũ merentem non tam donauit nobis, quàm reddidit. Atque ita Apostoli viso Christo ascendente, adorauerũt eum; & erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, vt ait Lucas. Nos igitur tantarum rerum recordationem è mente nostra minimè sinamus effluere, sed ea integra seruemus, ac meditemur, quò grati de tantis beneficijs Domino existimamus, laudemq; & gloriam semper rependamus Christo Domino nostro, cui cum Patre, ac Spiritu sancto omnis gloria deferatur, laus, & imperium in sempiternum. Amen.

2. Cor. 10.

Christo quid debeamus redemptori nostro.

Luc. 24.

TRACTATVS XXXVI.

De rationibus, ac circumstantijs, quas Dominus in mysterio Ascensionis seruauit.

Vtile esse nosse modum & circumstantias ascensionis Dominicæ.

ETSI Dominicæ Ascensionis Sacramentum maximum per se sit, gaudiumque ineffabile, ac fructum eius olim spectantibus Apostolis, & his quibus modò illud beatis fidei oculis contemplari datum est, attulerit: magna tamen fit accessio & admirationis, & lætitiæ, & vtilitatis nostræ, si ea quæ tantum arcanum circumsteterunt, hoc est, ea, quæ paullò antè præcesserunt, & quæ cum illo coniuncta fuerunt, & quæ rursus consecuta sunt, acriore indagine inuestigemus, dispiciamusque. Hæc autem nobis ignota esse non voluit Spiritus sanctus, qui per beatum Lucam, tùm in Euangelio, tùm in Actis illa voluit nobis suppeditari, quò vberiorem meditandi segetem nobis præberet. Vt ergo omittam quæ paullò antè præcesserunt, & superiùs sunt à nobis exposita, & quòd se conuiuam mensæ recumbentem exhibuerit, moreque amicorum nonnisi conuiuio externo ab eis exceptus, & ab eo spirituali mutuò illis reddito discedere voluerit; deinde quòd nostri in tanta gloria & prosperitate sua non fuerit oblitus, vt olim Pharaonis pincerna coniectoris sui, atque somniorum interpretis Iosephi recordatus non fuit, etiamsi nos vel minimo prospero successu Christum Dominum à mente excidere sinamus; quòd Apostolos dulciter incredulitatis increpauerit, volueritque nos, qui minimè vidimus, ijs, qui viderunt, fidem præstare; denique eos à se amandauerit, vt vniuersum orbem lustrantes prædicent Euangelium omni creaturæ, non tamen antequàm repleantur virtute ex alto: His, inquam, vniuersis omissis, ad viciniora ipsi ascensioni accedamus. Ac primum est, quod ait Lucas: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Nam vltima apparitio Domini facta est ad Apostolos Hierosolymis recumbentes, & ex Galilæa reuersos: extra quam in montem Oliueti omnes eduxit, quia ex eo loco erat ascensurus. Quod autẽ ait, in Bethaniam, vel vt Græcè apertiùs legitur, ἕως εἰς Βηθανίαν, id est, vsque in Bethaniam, duplicem potest habere sensum: vel quod Dominus Iesus eis persuaserit, vt venirent secum Bethaniam vsq;, vt ea lustrata educeret inde fideles, ac deuotos suos, Lazarum, Martham, & Mariam, & reliquos, quò ascensionis adessent spectaculo, & cum illis rursus redierit in montem Oliueti; vel potiùs dicendum est, Bethaniam in monte ipso Oliueti sitam esse, vt idem Lucas tradit: *Et factum est, cùm appropinquasset ad Beth-phage, & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti.* Et idem prorsus habet Marcus. Hinc Euthymius in hunc locum: *Manifestum est*, inquit, *quòd Bethaniæ vnitus sit mons Oliuarum.* Locus ergo Ascensionis designatur fuisse in monte Oliueti iuxta Bethaniam, ex eo quòd non in Bethaniam, sed vsque ad Bethaniam exclusiuè educti dicuntur. Voluit autem Dominus non intra Hierusalem, vel intra Bethaniam ascendere, sed extra in campo amplo, & aperto; vt vndique eum ascendentem

Genes. 40.

Marc. vlt.

Ibidem.

Luc. vlt.

Ibidem

De [illegible] ascensionis circumstantia

Marc. vlt.

[illegible]

Luc. 19

Marc. 11 Euthym. in Luca [illegible]

Cur non in Hierusalem vel intra Bethaniam, sed extra Bethaniam Christus ascenderit.

dentem

dentem sine impedimẽto vllo domorum, ædificiorumve spectare possent. Deinde vt alios homines excluderet, qui digni non erant propter eorum incredulitatem assistere tanto mysterio: propterea non in ciuitate, quæ frequentia hominum solet esse referta, sed in campo, & in eo quidem, vt verisimile est, à via communi aliquantulum separato cœlum conscendit. Ostendit prætereà humilitatem suam; qui cùm in media luce, ac maxima populorum frequentia mortem crucis turpissimam sustinere dignatus sit, gloriã tamen resurrectionis suæ, atq; ascensionis paucissimis tantùm notam esse voluerit: quò nos doceret, vt solo conscientiæ testimonio contenti simus, quæ magna est gloria, & solida, atque mundi gloriam negligamus: neque nos propterea infelices ducamus, si in aliorum conspectu iniurias graues, & acerbas sustinemus. Adhæc quemadmodum extra Hierusalem, siue extra portã passus est, vt Apostolus considerauit, quo innueret se pro omnibus mortem perpessum fuisse: & vt extra Bethleem in diuersorio quodam, siue spelunca natus est, quò se pro omnibus in lucẽ editum indicaret: ita sanè extra Hierusalem, ac Bethaniam cœlum voluit conscendere, ad insinuãdum quod ibi pararet omnibus locum cum fide amplecti volentibus. Neque vacat mysterio, Dominum ex Bethania venisse in mõtem Oliuarum, & cœlum subijsse: nõ solùm, vt vnde perrexit ad passionem, inde quoque pergeret ad Patrem, & locum Lazari, & sororum eius sua honorificaret ascensione, sed vt etiam iudicaret quòd nemo ad eam gloriam ascendere potest, nisi qui ex domo obedientiæ (ita enim interpretatur Bethania) præstitæ verbo Dei, ac mandatis eius, ac maiorum suorum dignus fuerit inuentus. Nam vt præuaricatio primum hominem de paradiso expulit cum suis: ita secundum Adamum cum vniuersis fidelibus, qui se obsequẽtes in finem vsq; prçstant, in cœlum extulit obedientia. Rursus ex monte Oliueti cœlum penetrauit; vt intelligamus quanti ponderis sit misericordiæ virtus, tùm ad animã suam primo loco, deinde ad animos aliorum adiuuandos, corporaq; eorum à miserijs subleuãda. Hæc enim est verus mons Oliuarum in prospectu omnium positus: quia misericordiam, quæ in subleuãdis spiritus, & corporis miserijs posita est, neque diuinos, neque humanos oculos latere potest. Potissimum verò antistites, & pastores animarum se quasi montes Oliuarum debent agnoscere, vt singulari, eximia, atque omnibus conspicua beneficentia, atq; clementia, populorum sibi subditorum corruptiones, vitia, atque fœditates abolere, atque extinguere valeant. Deinde eductos foras Apostolos, atque curiosè de regno suo interrogantes: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* magna autoritate repressit, ac reprehendit, dicens: *Non est vestrum nosse tempora; vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Hæc autem interrogatio Apostolorum, & responsio Christi non explicabuntur hoc loco, quia in sequenti libro tanquàm loco proprio, exponenda seruantur. Hoc loco satis sit annotasse, Dominum Iesum fidem nostrã minimè voluisse esse curiosam; & multa nos Deum celare mysteria: vel quòd ea capere nõ sumus apti; vel vt appetititum nostrum sciendi cupidum, ac propterea in Adam primò prolapsum punire voluerit; vel quòd quædã eius generis existant, vt minùs nobis conferant cognita, quàm ignorata. Tertiò adiungit Lucas: *Et eleuatis manibus suis, benedixit eis.* Ante hanc benedictionem nonnulli quædam meritò præcessisse meditantur. Et illud primò, quòd coram omnibus Ecclesiã Petro iterum crediderit; quò omnes agnoscerent, quem loco sui Dominus præfecisset pastorem; & vt Petrus prouinciam sibi traditam intelligeret, & vt dici solet, Spartam suam coleret, ac rectè munus suum administraret. Deinde iterum charissimam matrem suam Ioãni Dilecto discipulo cõmendauit: nã etsi omnes genitricem suam agnoscerent, ac venerarentur; quoniam tamen discipuli distrahendi erant per vniuersum orbem, decentissimum erat, vt vnus ex discipulis filij obsequentis, ac serui fidelis, custodiãq; erga matrem officia præstaret: quod quidem ille excellentis beneficij, ac dignitatis loco suscepit. Tertiò fidelibus omnibus charitatem, patientiam, ac orationis studium, Eucharistiæque frequentiam vt colerent, cohortatus est: atq; his peractis, vt testatur Ambrosius, osculum pacis singulis dedit, præmissa hac salutatione: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Posthæc autem eleuatis manib⁹ benedixit, vsus illa eleuationis manuum cæremonia, vt olim Iacob cancellatis manibus benedixit: Aaron quoq; expleto sacrificio extendens manum ad populum, benedixit ei: apud Marcum etiam adducti sunt infantes vt tãgeret illos, & vt super eos manus imponeret, & oraret. Et subdit Marcus: *Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Ex hoc loco habes, benedictionem Domini cõtinere complexum, & manuũ impositionem super eos, & orationẽ, bono-

Documẽtum. 2. Cor. 1.

Christus quare extra portã passus sit, idéque extra Bethleem natus. Hebr. 13. Luc. 2.

Ioan. 14.

Domini Iesu ex Bethania in monte Oliuarum aduentus, indeque in cœlos ascensus quid designauerit.

Genes. 3.

Cur ex monte Oliueti Dominus cœlum conscenderit.

Verus mons Oliuarũ quis.

II. circumstantia ascensionis Domini. Act. 1.

Fidem nostrã minimè curiosam vult esse Christus.

Genes. 3.

III. circumstantia. Luc. 24.

Ambr. lib. 10. in Lucã 10. 5.

Ioan. 20.

Gen. 49. Leuit. 9.

Marc. 10.

Christi benedictio, quatuor res in se continebat.

bonorumque precationem: quæ collatio non minus erat Christo facilis, quàm ipsa manuum impositio, per quam significabatur. Et sicut Iacob per mortem abiturus benedixit filios singulos benedictionibus proprijs, id est, ad cuiusuis merita, ac munera cōmissa, successu.q; futuros designandos accommodatis: ita Dominus cuiuis Apostolo ad propria munera obeunda distinctè benedixit. Vt verbi gratia Petro, ad regimen totius Ecclesię pro dignitate sustinendum: Ioanni, ad reuerentiam, & obsequia Matri præstanda: Iacobo Alphæi, ad dignè fungendum Episcopali munere Hierosolymis, ac reliquis qui dispergendi erant per vniuersum orbem, ad patriæ, amicorū, & etiam propriæ vitæ contemptum, & ad sitiendam barbararum nationum salutem, atq; plantandum in eis Euangelium. Quāquàm autem Christi benedictio non esset tantùm in verbis sita, sed in gratijs, ac fructibus diuinitùs collatis: illi tamen benedictionis effectus non sunt noti, aut experientia perspecti ab ipsis, quia citra sensum eorum omnem sunt infusi: donec Spiritus sanctus in illorum pectora illapsus, quæ à Christo accepissent dona in eiusmodi postrema benedictione, declarauit. Et vt parentes vel in morte, vel cùm longam instituunt peregrinationem, filijs suis priùs benedicunt, & Sacerdotes siue Episcopi peracto Missæ sacrificio benedictionē abituro populo cōcedunt, summusq; Christi vicarius dū solēniter populo benedicit, de thesauro Ecclesiæ plenariam cōfert indulgentiam: Quid cogitādum est de hac postrema benedictione, qua vsus est Dominus Iesus verus Patriarcha, & Episcopus animarum nostrarū, pastorumq; omnium Princeps? Etsi autem benedictionis huius verba non habeamus expressa: virtus tamen huius benedictionis non obscurè cernitur in adoratione Iesu, & in reditu in Hierusalem cum gaudio magno, & in eo, quod in templo sine vllo timore in laude, & benedictione Dei erant perseuerantes. Quid enim facerent benedicti à Domino Iesu, nisi vt benedicerent, & laudibus celebrarēt Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? At verò quòd illa benedictione tanquàm sensibili signo eos Iesus Episcopos creauerit, atque consecrauerit, vt quidā volunt (inter quos Augustinus lib. Quæstionū Veteris, & Noui Testamenti quæst, 97. Si titulus nō fallit autoré, ita habet: *Nemo ignorat Episcopos Saluatorem Ecclesijs instituisse. Ipse enim priusquam in cælos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinauit eos Episcopos*) non puto operępretium hoc loco disputare, quod alibi facio: satis est eam benedictionem modo congruenti ad discessum Iesu Apostolis accommodari: an verò ad Episcopus gradum fuerint tunc Apostoli promoti, differemus latiùs Deo volente in libro sequenti. Quarto loco ait Lucas: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* In Actis clarius, & fusiùs dicitur: *Et videntibus illis eleuatus est; & nubes suscepit eū ab oculis eorum.* De differentia horum verborum, ferri in cœlum, eleuari, ascendere, atq; assumi, superiori dictum est tractatu, quare in illis minimè morandum est: & quæ hactenùs diximus, præcedunt ascēsionem; hæc verò quæ sequuntur, cum illa sunt coniuncta. Et primùm quidem vidētibus illis eleuatus est. Vbi primùm beatos oculos Apostolorum dicere possumus, qui tale spectaculū cernere promeruerunt. Fueruntq; Apostoli testes mysteriorum Iesu oculati, quia per illos de veritate ampli⁹ persuasos, plusq; efficacię ad persuadēdum habentes magis nos persuadimur. Et prius quidem Dominus pro summo signo resurrectionem à mortuis producebat, cùm diceret; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: rursus: *Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ*: posteà tamē etiam suam in cœlos assumptionē, vt ingens prodigium adducebat, vnde dixit: *Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.* Et iterum: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentē vbi erat prius?* Vtrumq; tamē mysterium, tam resurrectionis, quàm ascensionis, testes habuit oculatos, attamē vario modo. Nam resurrectionis mysteriū, quia abditissimum erat, & imperuestigabile, non viderunt, obstantibus etiam custodibus, saxo, atque sigillo: at suscitatum sæpius cernere datum fuit. Porro ascensionis finem tanquàm oculis etiā mentis incomprehensum non viderunt: vnde & Angeli qui viderunt, ad id testificādum missi sunt, porrò ipsum ascendere in cœlum cōspicati sunt. Passionis autem externa ab omnibus visa sunt, non interna, nisi à bonis tantùm: sicut & in iudicio generali omnes exteriora videre potuerunt; verùm interiora soli iusti, ac pij Pondera etiam verbum, Eleuatus est, & ferebatur in cœlum: quia nequaquàm vnico momento eleuatus euanuit, sed paulatim cępit ascendere, donec videri potuit ab Apostolis, atque vt mihi pium est credere, cuilibet in fine visionis benedicebat, & quò quisque sanctitate præcellebat (vt in cęlo beati) eò altiùs spectabat; ac proinde sanctissima Deipara extrema illum ascendentē conspexit, recepitq; postremam benedictionem, sicut prima in carne mortali

Gen. 49.
Quæ cuique Apostolorum Dominus cōmiserit in cœlum ascensurus.
Qualis esset Christi benedictio.
1. Petr. 2.
Infra 5.
Luc. vlt.
Effectus benedictionis Domini in cœlum assumpti.
Aug. tom 4
IV. circumstantia sessionis Dominicæ.
Luc. 24.
Act. 1.
Felicitas Apostolorum.
Ioan 2.
Matth 12.
Infra 16.
Iob 2.
Ioan. 1.
Infra 6.
Aliter Apostoli de resurrectione Domini, aliter de eius ascensione testari potuerunt.
Matth. 27.
Act. 1.
Quomodo Christus in cœlum sit eleuatus.

...genitum, primaque in carne immortali ... perspexerat. Vbi verò finis fuit videndi, supposuit se nubes inter Iesum, & oculos eorum: quæ quia amplitudine sua maior erat, amplius videri Iesus non potuit, sed tanquam sagitta quædam in momento æthera conscendit, cœlosque omnes penetrauit. Videtur autem Dominus magni Principis, vel Regis fecisse instar, qui dum per equos dispositos profectionem instituit, à principio lentè & paullatim, per ciuitatem progreditur, quòd is motus maturus, ac tardus dignitati eius, ac maiestati magis conueniat; vbi verò ciuitatem est egressus, tunc calcaribus instans velocissimè festinat, & cursum maturat, nullo eum agnoscente. Ita planè hîc Dominus fecisse censendus est. Astrologus quidam Alpharabius nomine, genere Arabs, tradit tantum esse interuallum à terra vsque ad octauam sphœram, vt homo integrum iter emetiens vix octo millibus annorum ad firmamentum valeat pertingere, nedum ad Empyreum, quod fortasse plus distat à firmamento: idcircò infinita opus fuit virtute, vt in momento perueniret ad Empyreum. Tertiò adfuit nubes, ne in primis eorum oculi sursum intuentes dilassarentur. Deinde vt creatura Creatori ministraret, quemadmodùm stella Christo nato: quia fide opus erat, vt credamus quòd latebat in abscondito, atque obscurato Christo in præsepio. Tamque hîc, quàm in transfiguratione nubes apparuit, non solùm vt splendorem Solis, & ardorē temperaret, sed vt ostenderetur Deus, vel Deo Patri par qui habitabat in nube, siue nebula, vt olim solitus erat apparere in tabernaculo, de quo dicitur: *Nubes, & caligo in circuitu eius*; & ne quisquam existimare posset Dominum nube subleuante eguisse: quia nec illa solida est, nec potuisset penetrare sphœram ignis, nedum cœlum; ideò relicta est à Domino. Adhæc nube est vsus, vt Scripturam impleret, quę habet: *Qui pones nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Hęc nubes graphicè descripta est à Dauide, cùm ait: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto. Ascendisti in Altum, cepisti captiuitatem, &c.* Hebræa veritas habet: *Ascensus Domini millia lætantium*. Thargum verò habet: *Ascensus Domini, duo millia Angelorum*. Græcè habetur μυριοπλάσιον, id est ad literam, decem millecuplex, qui ex decem millibus componitur: id est, Currus Dei, super quē ascendens vehitur, constat multis myriadibus Angelorum, quorum etiam ministerio conflata est illa nubes gloriosa, ac lucida, ac Domino ascendenti famulata. Illud quoque collige, Dominum die Iouis nubecula tectum polum migrasse: quemadmodùm etiā in die Iouis sancti delituit Christus dupliciter; tùm spontè sub nube accidentium in Eucharistia, tùm à Iudæis comprehensus illa nocte, humiliatusque, atque conculcatus. Et profectò dum quis in hac vita per humilitatem nouit abscondi, ac benè latêre, posteà eius gloria in cœlo declarabitur. Deniq; illa nubes incomprehensum Angelorum omnium gaudiū, totiusque cœlestis curiæ, & animarum sanctarum cum eo ascendentium designat: quis enim capere valeat Hymnum in Ascensione illi decantatum, lætitiamque vniuersorum incogitabilem, de qua Propheta: *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ*? Nam si filius iunior post dissipatam totam suam substantiam cum meretricibus, tanta patris beneuolentia, tanta lætitiæ significatione, tantoq; cōuiuio, adhibita instrumentorum musicorum melodia exceptus fuit, cum quanta putamus, (si magna licet componere paruis) exceptus fuit Filius Dei verè sui amoris prodigus, & sanctissimus peccator Iesus Christus? Sic enim appellari potest, qui cùm peccare non possit, omnium peccatorum onera, & causam in se suscepit. Et quantum lætitiæ ob Christi gloriam, & mundi bonum Apostolico spectaculo percipiebant; tantùm mœroris ex recessu Domini concipiebant, & cum Helisæo dicebant: *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius*. Quintò ascendit Dominus facie conuersa ad Orientem, vt testis est Damascenus, qui ex verbis Dauidis accipit: *Qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem*: quia ad gloriam Patris, ex quo ortus est Christus, & ad gloriam suam, qui Oriens, siue ἀνατολὴ in Scripturis dicitur, ascendit: Quo nos instrueret, vt ad Orientem, in quo erat sita paradisus, aspiremus, sed non iam ad terrestrem, sed ad cœlestem, & vt terga vertamus ad bona huius sęculi vilia, atque contempta, quæ per se, vtpotè caduca & fluxa intereunt, ac dilectores suos interimunt; sicut cœlestia bona stabilia sunt, & vitam præstant æternam. Sextò ascendit magna comitante caterua, tùm Angelorum quasi militum eius, tùm animarum sanctarum, quæ è iugo captiuitatis, ac seruitutis dæmonis ereptæ, & brachio Domini roboratæ, triumphum eius decorabant, atque illustrabant. Vt discamus parum esse, si nos ipsi soli in æterna tabernacula recipiamus, nisi nostra opera, & studio alios lucrifaciamus, saluosque reddamus. Non est enim

Christi Domini in cœlum conscensio magni cuiusdam Regis ciuitatem ingredientis in morem se habuit.

Alpharabius Astrologus.

Terra à firmamento, seu octaua sphœra quantum distet secundùm Alpharabium.

Nubes ascendenti Domino cur adfuerit.

Matth. 2.

Luc. 2.
Infra 9.
Exod. 16.

Psalm 96.

Psalm. 103.

Psal. 67.

Hæc nubes vbi olim figurata.

Thargum.

Quo die Christus ascenderit, & cur.

Quid nubes illa designauerit.

Psal. 46.

Luc 15. & seq.

4. Reg. 2.

Quinta circumstantia.

Psal. 67.

Qua parte cœli Dominus ascenderit.

Genes 2.

Zacha. 3. et 6.

Luc. 1.

Sexta circumstantia.

Iob 25.

Christus seruator qualis sit.

Iesus inuidus seruator, sed fœcundus, & qui præstat, vt quisque, quoad eius fieri potest, ministerio suo alios faciat saluos.

Christi Domini ascensum quæ sint consecuta.

Christo in cœlum assumpto, quædam subsecuta sunt. Et illud in primis, vt lapidi, qui in terra erat, & ex quo ascendit, impressa vestigia plātarum reliquerit suarum ad indelebilem, perpetuamque tanti mysterij seruandam memoriam: quæ etiam nunc ab his, qui eò peregrinantur, virentia monstrantur, nec vnquam deleri potuerunt: de quibus Paulinus in epistola ad Seuerum Sulpitium fusiorem sermonem habet, deque illis affirmat locutum fuisse Datidem, cùm inquit: *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Voluit Dominus, vt sicut ipse nostri memoriam in pectore suo impressam gestabat, ita sui apud nos firmam, ac nunquā intermorituram memoriam relinqueret.

Paulin. ep. 2.

Psal. 131.

Sanctorum virorum ex hac vita discessus qualis esse debeat.

Debent sancti, ac magni viri ita ex hac vita discedere, vt vestigia suorum gressuum, id est, virtutum suarum, ac doctrinæ monumenta in his qui consectantur eorum mores, aut regulam, & institutum viuendi ad imitandum, aut in doctrinæ suæ alumnis, ac discipulis, tanquam in firmo, & solido saxo impressa relinquant. Secundùm Ascensionem consecutum est, duorum Angelorum missio, de qua ait Lucas: *Cùm intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis; Qui & dixerunt, Viri Galilæi quid statis aspicientes in Cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.* Obserua primùm, illos tanto spectaculo describi intuentes in cœlum, siue vt Græcè dicitur ἀτενίζοντες, hoc est, fixis & immotis oculis spectantes: more amantium, qui cum voluntate quem diligunt, intuentur. Et quod dicitur, Euntem illum, alij legunt, Eunte illo, sicut Græcè dicitur πορευομένου αὐτοῦ. & Syriaca lectio habet, proficiscente eo. Nam si nubes illum ab eorum obtutibus subduxerat, nō poterant euntem illum amplius cernere, sed benè eunte illo in cœlum aspicere, quamuis & rectè versum sit, Euntem illum, quia locum respiciebant, per quem ibat.

Act. 1.

Cur adstiterint Angeli duo.

Deut. 1. *Matth. 18.* *Ioan. 20.* *Luc. 2*

Infra 22.

Porrò duo Angeli venisse dicuntur; vt in ore duorum, vel trium staret omne verbum: sicut in apparitione resurrectionis conspecti sunt duo; in Natiuitate verò, quia incarnatio radix est omnium donorum, multitudo cœlestis exercitus visa est; in Passione tamen tantùm vnus apparuit, corroborans Christum. Missi sunt autem duo, & innumerabiles remanserunt cum Christo, & adstiterunt iuxta illos in albis vt missi à Christo viderentur. Et apparuerunt in vestibus albis; ad indicandum triumphum Resurrectionis, & Ascensionis: quemadmodùm omnia in passione nigro colore vestita fuerunt. Et olim Romæ triumphantis currum Imperatoris equi albi trahebant, & victimas candidas immolabant: baptizati quoque olim à Resurrectione vsque ad Dominicam in albis, in vestitu candido incedebant: quemadmodùm hodie summus Christi Vicarius illis diebus candidatus incedit. Erat autem vestis candida in pretio, de qua ait frater Domini: *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu, &c.* Est autem hic color minus fucatus, ac proinde plus durat, vt testatur Clemens Alexandrinus in Pædagogo: quia tinctura omnis lanam exuit.

Cur apparuerint in vestibus albis.

Candida vestis olim in pretio. *Iacob. 2.*

Clem. Alex.

Cur Angeli Apostolos viros Galilæos nominauerint.

Sed iam expendamus verba Angelorum: *Qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Titulus iste, *Viri Galilæi*, honorificus fuit, etiam si illud in contemptum improperaret Christianis Iulianus Imp. vt in eum scribit Gregorius Nazianz. Significat autem Galilæus volubilem. Id est, tempus est, vt fortiora meditemini, & ad motum aurigæ Spiritus sancti conuoluamini. Quid statis sine fructu aspiciēdo regnum, quod non nisi à violentis rapitur? Quare non est diu insistendum curiosis, & inutilibus gustibus, fugiendæque sunt visiones, quod ad nos attinet. Ac subdunt, *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum*, id est, Hic Iesus, qui subduxit suam præsentiam vobis diligentibus eum, in alijs, qui non curant, & tanquam fructus terræ sublimis pro fructu cœli sublimi, id est, Spiritu sancto inde cœlitus ad nos misso, commutatus est, qui etiam suscitabit corpora nostra, & ascendere faciet in cœlum, sicut Sol vapores solet euehere. Declarantque in cœlum esse assumptum, quod Apostoli oculis non perspexerant, solique Angeli, qui adfuerant, testari poterant. *Sic veniet.* Id est, eisdem seruatis circumstantijs, nimirùm in forma gloriosa in nubibus cum Angelis, & sanctis: atq; super eundem mōtem Oliueti, ac vt quidam volunt, die Iouis: vt omnibus habentibus opera charitatis benedictionem impertiat, increpet autem incredulitatem, ac duritiam cordis eorum, qui non crediderunt, aut per opera charitatis fidem non exeruerunt. Estq; vita Christiana nihil aliud, quàm iudicis expectatio venturi: quod magnoperè tāquam calcar vrget ad exercitium bonorum operum;

Greg. Nazia. orat. in Iulian. Galilæus quid.

Matth. 11.

Esai. 4.

Vnde, & quo die Dominus venturus credatur ad iudicium.

Vita Christiana quid sit.

rum;

Angeli nobis quid præstiterint.

Luc. 2.

rum, & tanquam frænum quoddam à vitijs reprimit. At Angeli in eo quod deest sensui, mirificè fidem nostram communiunt: sicut in Natali, & in Resurrectione, ita & in hoc mysterio. Nam natiuitatem annuntiauerunt pastoribus, & præterea ad sensu percipiendum miserunt eos: *Inuenietis*, inquiunt, *infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Resurrectionem quoque annuntiauerunt, qui eam fieri non viderunt, sed ad eam iam factam expectandam inuitarunt, cùm dixerunt: *Præcedet vos in Galilaam; ibi eum videbitis.* Hîc verò finem Ascensionis à se visæ demonstrant; & mittunt eos ad Christum iudicem venturũ, ne dormiant, aut otio languescant. Porrò ex his verbis: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*, ineptè, atque perniciosè colligunt Sacramentarij, corpus Christi, vtpote assumptum in cœlum, non esse in Eucharistia. Sed profectò si Solis corpus nondum glorificatum in cœlo est per essentiam; quod tamen per virtutem suam à terris nunquam abest, præsentia sua vniuersa lætificans, atque viuificans: quid mirum esse debet, si corpus Dei Verbi iam glorificatum, & in cœlo sit & in terra, & in pluribus altaribus per absolutam Dei potentiam? Alij verò indoctè eliciunt, corpus Christi esse vbique, quia diuinitas per omnia existit, atque commeat. Sed profectò Dei in omnibus existentia incommunicabilis est creaturæ finitæ. Idcircò Verbi diuinitas, quæ vbique est, & vbique fit, dicitur incarnata; humanitas tamen, quæ Verbi hypostasi est insita, certo quodam loco existit. Quemadmodùm vbicunque maritus alicuius mulieris degat, verè ibi esse dicitur vir eius; non tamen vbicunque est vir, ibi quoque eius coniux esse censenda est, maximè si vir ab ea longè absit. Postremum sequitur apud Lucam: *Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno: & erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, Amen.* Parent Apostoli Angelis suæ salutis ducibus, ac consiliarijs. Et primò quidem adorauerunt iam notum apertè Deum ex Ascensione, & Resurrectione, & vt mihi pietas fidei dictat, oscula vestigijs Christi pedum in saxo seruante impresserunt, iuxta illud Prophetæ: *Adorauimus in loco vbi steterũt pedes eius.* Quod igitur dicitur, *adorantes regressi sunt in Hierusalem*, intellige, cùm priùs adorassent, ac se inclinassent, vt verbi Græci vis, & proprietas ostendit: non enim adorando regrediebantur, sed post adorationem. Deinde regressi sunt in Hierusalem, vt de Sion exiret lex inspirata, & in cordibus hominum

Marc. 16.

Aduersus Sacramentarios Domini corpus in cœlum assumptum ob id in Eucharistia esse negantes.

Contra asserentes, corpus Christi esse vbique.

Luc. 24.

Apostolorum pietas, & obedientia.

Psal. 131.

Quare post Domini Ascensum Apostoli Hierosolymam sint regressi, & cur cum gaudio magno.

scripta per Spiritum sanctum in die Pentecostes: verbumque prædicationis, quo imbutæ sunt vniuersæ gentes, de Hierosolyma prodiret. Et fide Christi, qui ascendit iter pandens ante Apostolos, & vadens parare locum, ascendit in cœlestem Hierosolymam. Tertiò ait regressos cum gaudio magno, quia ex coniunctione magni boni, id est, cœlestis gloriæ, concepti, solet oriri gaudium, de quo ait: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*, & quod à nobis inuitis nemo tollet, secùs si quis velit ad allia, & cepe Ægypti corde reuerti. Quartò scribit Lucas, quòd erant semper in templo, hoc est, quotidie, ac frequẽter, quemadmodùm dum ait: Oportet semper orare, & non deficere: sicut dici solet, hic nunquam exit de templo, eò quòd frequenter illi assistat. Et hoc maximè impletum est post aduentum Spiritus sancti, quia in Actis dicitur: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, &c.* Ipsi ergo in templo hoc est, in loco orationis, & laudis facti erant Dei templum, in quo videlicet habitaret Spiritus sanctus: & in eo laudabant, ac benedicebant Deum pro promissis donis, maximè verò Spiritus sancti, in quo continetur omnis plenitudo donorũ. Ac subdit, *Amen*, quæ vox succinitur Hymnis, & benedictionibus, estque aut confirmantis quod exhibitum est, siue optantis quod promissum est, & speratur. Atque ita Lucas, qui cœpit à Sacerdote Zacharia orante in templo Euangelium suum, illud terminat in nouis Sacerdotibus Apostolicis benedicentibus, & laudantibus Deum in templo. Laus etiam & benedictio sunt Euangelicæ victimæ, & præstant omnibus Mosaicis sacrificijs, vt Propheta canit: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas.* Vtinam & nobis contingat pro singulari Dei erga nobis dilectione, & vt ipsi templum cordis nostri, ab omnibus sordibus, inquinamentisque emundemus, solidisque virtutum officijs exornemus, ac decoremus, quò nos non tantùm Spiritus sanctus, sed etiam Pater, atque Filius inhabitare, & mansionem apud nos facere dignentur, vt ipsi nos in æternum gloriæ templum ad canendas illi immortales gratiarum actiones, ac laudes recipiamur cum Christo Domino nostro, per quem, & cum quo honor, gloria, & imperium sit toti sanctissimæ Trinitati in secula seculorum,

Amen.

Esai. 2.
Act. 2.
Esai. 2.
Michea 2.
Ioan. 14.

Ioan. 15.
Infra 16.
Num. 11.
Apostolorum in orando assiduitas.
Luc. 18.

Act. 2.

In voce Spiritus sancti omnis plenitudo donorum intelligitur.
Amen quæ vox sit.

Luc. 1.

Laus, & diuina benedictio quid.

Psal. 68.

TRACTATVS XXXVII.

De sanctissimæ Virginis Deiparæ anticipata resurrectione, & in cœlum gloriosa Assumptione.

FELICISSIMVS dies, quo beatissimæ Virginis animus solutus est à corporis vinculis, à Græcis quidem Κοίμησις hoc est, dormitio vocatur, vt patet ex eorum Kalédario, & ex orationibus de eius dormitione à beato Damasceno, & Andrea Cretensi Episcopo Hierosolymitano; à Latinis verò, & Ecclesia Occidentali Assumptio appellatur. Dormitio sanè ab illis vocatur, eò quòd post breuissimum mortis somnum sit excitata cum corpore, quemadmodum & Christus, de quo testatur Propheta: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi.* Dominus quoque de Lazaro, & puella filia Iairi mox suscitanda locutus esse videtur, cùm inquit: *Lazarus amicus noster dormit*; &, *Non est mortua puella, sed dormit.* Etsi enim omnes sancti, & iusti mortui tam in Veteri, quàm in Nouo Testamento dormire dicantur: vnde & Paulus ad Thessalonicenses scripsit: *De dormientibus nolite contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent*, imò Ethnici etiam id sint subodorati, quorum vnus dixit:

B. Damasc. Andr. Cretē. Psal. 3. Ioan. 11. Matth. 9. 1. Thess. 4. Ouid. lib. 2. amorū, eleg. 9.

Stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?
Longa quiescenti tempora fata dabunt.

quòd tamen sola Virginis mors peculiariter dormitio apud illos dicatur, mihi illud apertè significare videtur, illam breui tempore à mortis somno solutam fuisse, & in cœlo iam beatam regnare cum Christo. Assumere verò (quod Græcè dicitur ἀναλαμβάνειν, & habetur Marc. vlt. Acto. 1. & 1. Timoth. 3. & παραλαμβάνειν Matth. 4. & 17. & Luc. 18. & vltim.) Latinis est, aliquid ad se sumere, vt, *Assumpsit Esdras librum coram omni multitudine, &c.* & in libr. Sapientiæ: *Quæsiui sponsam mihi eam assumere.* In Euangelio verò: *Assumpsit duodecim discipulos secretò*, & rursus: *Vnus assumetur, & alter relinquetur.* In hunc sensum dicitur Assumptio Virginis, quatenus à Deo ad se est sumpta, sicut canit Ecclesia: *Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli.* Cùm vero sanctissima Deipara animo constaret, & corpore, impium, ac blasphemum esset inficiari, animum eius fuisse à Deo assumptum: nam illud quis valeat sperare, si animus B. Virginis eò non peruenit? Etsi latroni dictū est: *Hodie mecū eris in paradiso*; quantò magis hoc illi contigit? maximè cùm Assumptio actiua propriè ad Filium Dei spectet, qui manus est & brachium Dei, quo benignè assumitur: nam de eo scriptū est: *Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri.* An credendum est, Christum plus tribuisse latroni, quàm Matri? an fortassis error nouellus asserentium, animas expectare gloriam & beatitudinem vsque ad diem iudicij, in Cōcilio Florent. meritò damnatus, à nobis suscitandus est, & illam quoq; vsq; in eam diem expertem cœlestis gloriæ permanere? Sed quis Catholicus hæc audiens non statim respuat, atque detestetur? Adhæc si per Virginis aduocatę nostrę preces, & interpellationem speramus consequi beatitudinem æternam; quomodò id spectare possemus, nisi illa prius cum magna gloria eò peruenisset, vt id queat propter Filij sui incomparabilia merita præstare? Nisi quis incideret in Constantini Imperatoris cognomento Copronymi impurissimi hominis errorem, qui, teste Suida, ausus est edicto suo prohibere, ne quisquā Mariæ Virginis intercessionem imploret: non enim, inquit, opitulari quicquam potest: & ne ea Dei genitrix appellaretur, sanxit. Atque acceptis in manus auro refertis loculis, eisque multitudini ostensis, quanti eos æstimaret, interrogauit. At vbi illa plurimi, dixisset: ex eisdem loculis auro effuso, rursus quāti illos faceret, quæsiuit. Et postquā populus, Nihil, subintulisset: Ad eum, inquit, modum Maria, quando Christum gestauit in vtero, honore digna fuit: eum porrò vbi enixa est, nihil fœminis alijs dignitate pręstat. Hęc Suidas de illo recenset, quæ sua impietate, quam continent, satis sunt confutata. Sed iam redeamus ad rem. Hæc communis est lex, vt Deus primò assumat animum in morte, deinde verò corpus in vniuersali resurrectione, postquam in sepulcro, & puluere iacuit, animoque suo connectitur. Contrario modo fit in mundo, vt primò corpus assumatur in conceptione, vt ciuis huius seculi, deinde verò inducitur anima vt peregrina in corpus, quia de cœlo est: at in alio seculo, siue in cœlo primò assumitur spiritus vt compatriota, deinde corpus vt peregrinus, & aduena: ideò minus gratiæ habet in patria corpus, quàm anima, & semper verum est, animum, etiam in Christo & Virgine prius glorificari, quàm corpus: quia tanquam seruus edit de micis quæ cadunt de mensa Domini sui, hoc est, Spiritus: dotes quippe corporis, quibus illustratur, appendix quædam sunt, & sequela glorificati animi. Tamen vt Christus extremum resurrectionis diem non expectauit,

Assumere Latinis quid. 3. Esdr. 9. Sap. Matth. 20. Quomodo B. Virgo in cœlis dicatur assumpta. Quàm stultū est, & impium, B. Virginis animū in cœlo iam beatum, ambigere, aut negare. Luc. 23. Psal. 88. Conc. Floren. Constantini cognomento Copronymi [illegible] De genitrice blasphemia. Suidas. Generalis, & communis lex [illegible] cœlum [illegible] dicentium.

sed

sed tertio die corpori gloriam impertiunt: ita sanctam suam genitricem, postremum diem resurrectionis ad gloriam corpori communicandam expectare noluit. Sed vt in sanctificatione præuenta fuit per singularem Dei gratiam, id est, in ipso Conceptionis momento præseruata, ne vlla peccati labe contaminaretur: & sicut præuenta est in vsu liberi arbitrij accelerato, vt Ambrosius, & Augustinus, & Bernardus docent: denique sicut ipsa incarnationis mysterium, atq; aquæ in vinum conuersæ miraculum suis precibus & meritis anticipauit: ita etiam in corporis sui resurrectione præuenta est à Christo in benedictionibus dulcedinis, ita vt statim per paucas horas ab obitu suo gratiam resurrectionis ad immortalitatem, & perfectæ gloriæ consummationem acceperit. Hoc beatæ Virginis priuilegium aliqui impiè negant, temerè definientes quod nesciunt, vt hæretici; alij verò subdubitant, timentes ne aliquid illi tribuamus, quod Scriptura apertè illi non tribuat. Vnde Lutherus in Postilla Euangelij eius feriæ dixit, satis esse, si sciamus Mariam in cœlo viuere, quomodo autem viuat; nihil ad nos pertinere. Alij verò apertè, & constanter, vt pium, ac religiosum, & omni acceptione dignum illud affirmant: in quam sententiam iam tota Ecclesia communi consensu inclinasse videtur. Propterea in hac pia sententia tuenda atque propugnanda, nonnihil operæ, & studij ponere, pium, & religiosum esse existimaui, quo cultus Ecclesiæ de Assumptione celebrantis magis fiat illustris, & conspicuus, atque consummata gloria D. Virginis, quæ pro se iam nihil solicita est, magis inuitet omnes ecclesiæ alumnos, ac fideles ad eam tanquam matrem pientissimam inuocandam, eiusque patrocinium implorandum: quippe ob eam potissimùm causam de hoc mysterio Assumptionis verba facere à principio huius libri promisimus, quod tam in capite Christo, quàm in venerabili collo Ecclesiæ, hoc est, D. Virgine, perfecta gloria iam esset consummata.

Ambros. Aug. epist. ad Dardanum Bernar. in sermo breuiorib. Ioan. 2.

De Assumptione Virg. Mariæ triplex opinio.

B. Virgo collum est Ecclesiæ, Christus caput.

Verùm quò sermo noster distinctior sit, ac dilucidior, hunc ordinem differendi seruabimus; vt primo loco argumenta aduersariorum in medium proferantur, illaque pro viribus diluamus, atq; dissoluamus: secundo loco hanc veritatem nonnullis rationibus, & Patrum testimonijs corroborabimus, & quatenus ex Scripturis deduci possit, ostendemus: postremò de modo Assumptionis B. Virginis quædam probabiliter adferemus, quò à ratione nõ dissentiant, & cum pietate, ac piorum virorum ædificatione connexa esse videantur.

In primis igitur obijciunt, quòd in Scripturis huius mysterij verbum nullum expressum, aut explicitum habeatur: quamobrem non nisi temerè, ac voluntariè asseri eiusmodi assumptæ cum corpore in cœlum beatæ Virginis mysterium potest. Verùm profectò nisi sponte cæcutire, & hallucinari velimus, falsum penitus est eiusmodi principium, & asylum, ad quod confugiunt omnes hæretici; quibus nil esset expressum, nisi id tantùm, quod eis videretur. Itaque non esset credendum, quod B. Virgo Annæ, & Ioachim sit filia; quòd natum filium prima adorauerit, & quòd à mortuis suscitatum prima viderit, vel quòd eius anima assumpta sit in cœlum, quandoquidem horum in Sacris literis nihil expressum inuenitur. Adhæc eiusmodi principium: Nihil in Scripturis non contentum non esse credendum, non solùm falsum est, quia non inuenitur tale dictum in Scripturis, sed etiam illis ipsis apertè est contrarium; cùm Paulus dicat: *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Item Scriptura satis docere, ac porrigere videtur, quod ratio ipsa fide posita probat, vel quod ipsa Ecclesia (cuius autoritas in Scripturis est confirmata) interpretatur & celebrat. Ecce verbi gratia, Paulus mandat mulierem orare velato capite: quod nequaquam ab Scripturis confirmat, sed à mystica ratione, cùm ait: *Caput mulieris vir.* Dein à ratione naturali, cùm infert: *Vos ipsi iudicate. Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Denique à fortissima Ecclesiæ consuetudine Apostolus argumentatur: *Si quis videtur, ait, contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ita nobis promptum est, hanc veritatem Assumptionis, & ab Scripturarum mysterijs & à rationibus naturæ congruentibus, & ab Ecclesiæ sensu confirmare. Michael Glycas Siculus, recens à Græco conuersus, & qui floruit ante quingentos annos, in tertia parte annalium proponit, quare Apostoli, & discipuli Christi de dormitione beatæ Mariæ omninò tacuerint? Et respõdet: *Hac de re satis est, inquit, respondere, autores Euangeliorum Christi administrationem in carne admirantes, ad eius à terris in cœlum Assumptionem peruenisse. At expers illa maculæ Domini nostri Iesu Christi Mater prouectam ætatem attigisse perhibetur, vt diuinus ille Andreas*

Soluuntur rationes contra Assumptionis veritatem, quæ fiunt. Argumentum Lutheri.

2. Thess. 2.

1. Cor. 11.

Quomodo Paulus probet, mulierem orare debere velato capite. *Ibidem. Ibidem.*

Ibidem.

Michael Glycas. Cur Euangelistæ de obitu Deiparæ Virginis nil scriptum reliquerint.

L. ratio.

Andr. Cretẽs. Cretensis autor est. Quapropter fieri non potuit, vt Virginis illius perpetua obdormitio Euangelicæ historiæ insereretur, vti quæ longo deinceps tempore ceu diximus, acciderit. Præterea seorsim peculiari quodam libro de ipsa nihil Christi discipuli memoriæ prodiderunt, propterea quod in explicanda ipsius administratione occupati; magnopereq́ de illa vna re soliciti, quo nimirum pacto incredulos fideles efficerent, ac omnes in puram, syncerámq́ Christi perducerent, cætera negligentes, præsertim ea, quæ ad diuinam illam prædicationem nihil facerent. Non tamen omnino diuina hæc obdormitio est præterita: nam rerum illa diuinarum interpres Dionysius de hac admiranda quædam in scriptis ad Timotheum epistolis tradere deprehenditur. Hactenus ille, citans etiam in eandem sententiam Iuuenalem Hierosolymorum Antistitem, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Andream Cretensem Episcopum.

II. Ratio.

B. Dionys. c. 3. de diui. nom. à medio. Iuuen. Episc. German. Patriarch. Constantinopol. Andr. Cretẽs.

II argum. Genes. 3. Secundo argumentantur, producentes sententiam illam Dei generalem: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: Omnes igitur filios Adæ hæc incinerationis attingit sententia. Sed facile est ad hoc respondere: nam vt ab illa communi regula exceptus fuit Christus, de quo prædixit Propheta; *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ita sanctam eius genitricem excipimus. Quod si B. Maria ab originalis peccati labe singulari Dei beneficio immunis extitit, quidni fuerit & ab ea sententia incinerationis, quæ ex illo peccato profecta est? Deinde qui recipit, quod à corruptione sit seruata caro Mariæ, illam quoque consectatur sententiam de animæ eius à peccato præseruatione: nam illa duo mutuo sese consequi videntur. Et vt arguit B. Augustinus: *Si corpora trium puerorum in ignis fornacem proiecta, eorumq́ vestimenta illæsa ab igne Dominus seruauit, quidni charissimæ Matris corpus à corruptione, & vermibus seruauerit? an forsitan decebat ex eadem Virginis carne Filium Dei, ac vermes procreari?* Quid quod multa Sanctorum corpora per multa secula in multis locis visuntur integra prorsus, atque incorrupta; ita vt tempus illud edax rerum, atque inuidiosa vetustas omnia consumens, nihil iuris in illa habere potuisse videatur, sed singulari Dei munere in hodiernum vsque diem existunt talia, ac si heri, ac nudius tertius animis destituta fuissent? Non ergo violatur generalis ac communis illa regula: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, propter eiusmodi in quibusdam Sanctorum corporibus diuinæ beneuolentiæ testimonia: mirum igitur esse non debet, si beneficia aliis concessa cumulatius in corpus Virginis, ac suæ genitricis effuderit. An debebat filius Dei minus liberalis esse in matre sua ornanda, atque exaltanda, quam fuerit in aliis seruis suis, quibus multo minus debebat? Tertio obiiciunt verbum Prophetæ, quod ad solum Christum singulariter dictum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: an non, quod proprium est solius Christi, alteri tribuere, nefas censendum est? Respondemus, in carne Christi intelligi carnem Mariæ, ex qua fuit assumpta, vt quæ primaria esset Christi sponsa, de qua dicitur: *Erunt duo in carne vnam*. Quæ igitur iure suo Christo debentur, ex priuilegio in matrem Virginem extenduntur; vt, concipi, & nasci sine peccato, proprium est Filij Dei, vt qui de Spiritu sancto sit formatus: quod tamen multi B. Virgini ex sua natura alioqui peccatrici, singulari gratia concedunt. Item illa sententia: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam*; ad Virginem quoque proculdubio pertinet, quæ nulli vnquam personali peccato obnoxia fuit. Illud quoque præceptum: *Adorent eum omnes Angeli eius*, suo modo Virgini competit: quæ vt confitentur canit Ecclesia; *Exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna*. Neque nouum etiam Euangelicis, & Apostolicis literis, dignitates, & nomenclaturas Christi, etiam vsque ad incommunicabile diuinitatis nomen, in pios, & iustos quasi in membra sua deriuari. Nam qui pastor est, iudex, & Sacerdos, lux mundi, Dei Filius, atque Deus; hæc omnia, & multo plura dignitatum insignia pro sua bonitate aliquo modo in suos contulit Apostolos: nam in eo gradu perfectionis, quo Christo conueniunt, alteri nulli communicantur. Quarto argumentantur ex sermone B. Hieronymi de Assumptione, qui hoc Virginis priuilegium in dubium vocat: quare non videtur vt certum Fidei dogma tenendum, si de illo Patres ambigere potuerunt. Respondemus, apud eruditos in controuersia positum esse, an ille sermo veniat Hieronymo tribuendus: dicendi enim character, & quædam de se ipso in principio illius testatur, quæ minime Hieronymo conuenire videntur: vnde quidam Sophronio Hieronymi comiti & æquali tribuunt, alij alteri. Verum eo etiam posito, quod Hieronymi sermo ille sit, respondemus illum minime dubitasse de Virgine in cœlum cum corpore assumpta. Ille enim cum proponeret eo in sermone, an B. Virgo perfecta gloria cum corpore potiretur, & induceret quosdam hoc asserentes, quoniam idem Dilecto tribuebant discipulo,

Psal. 15. B. Aug. lib. 5. de Assumpt. hom. 9. Daniel. 3. Ouid lib. 15 Metamorph. sub initium. Genes. 3.

III. argum. Psal. 15. Gen. 2. Quæ soli Christo iure suo competunt, ex priuilegio in M[...] matrem ceinuantur. Matth. [...] Ioan. 14. Psal. 96. Hebr. 1. [...] Ioan. [...] Acts. 10 Hebr. 7. Ioan. 8. Matth. 16 IV. argum. B. Hieron. in ser[mone] de Assum[ptione]. De sermone B. Hieron. de Assump. B. Virginis Mariæ [...] Autore.

scipulo, quòd ipse quoque corpore & animo esset beatus, respondet hoc quod de Dilecto admittebant, non constare, vnde ait: *Veruntamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamē Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quàm vt aliquid temerè definire velimus autoritate nostra, quod non probemus: sicuti & de his, quos cum Domino (Euangelio teste) resurrexisse credimus.* Ita ille, nihil de assumptione Virginis, sed per occasionem loquens de illius discipuli consummata gloria, quæ in argumentum probandæ perfectæ Virginis resurrectionis sumebatur. Ac rectè, & prudenter de illo dixit censeri ambiguum, nec de sua autoritate velle definire quod non probabat: sicut & de alijs quos refert Euangelista cum Domino resurrexisse: nolens tamen illorum destruere sententiam, suasit hoc Deo committendum esse, cui nihil est impossibile. Et hoc quod attinet ad illos. De Virginis verò assumptione subiungit: *Quòd (quia Deo nihil est impossibile) nec nos de beata Maria Virgine factum abnuimus, quanquam propter cautelam (salua fide) pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsultè definire quod sine periculo nescitur.* Hactenus Hieronymus, ex cuius verbis non potest elici ipsum dubitasse, qui asserit id potius esse pio desiderio opinandum, quàm inconsultè definiendum. Et certè aliud est ambigere, seu dubitare, aliud opinari. Nam qui opinatur, alteram partem quæstionis, cui hæreat, eligit, atque amplectitur, etsi non satis firmiter, cùm opinioni firmitas repugnet: qui verò ambigit, in vnam magis, quàm in aliam non propendet. Hieronymus igitur definitionem rei, quę nullius est nisi Ecclesiæ, tantum prohibet, non opinionem: assertio verò potest esse scientium, ac plenè persuasorum. Nisi fortè scandalum creatent sua assertione, cùm videlicet res in Ecclesia non est satis recepta, atque explorata: at cùm peruenit Ecclesia vt in aliquam partem inclinet: quòd sæpè in cultu Deo exhibendo indicat, vt nunc facit, & tot retro seculis nemine reclamante factitauit, non est cuiusquam assertio periculosa tenenda. Nec quia ætate Hieronymi hoc non erat satis discussum, aut satis exploratum; idcircò etiam sic perpetuò indiscussum, & ambiguum debet manere. Alioqui multa nunc in dubium reuocarentur iam definita, si ad illa tempora rediremus, quibus nondum erant discussa, aut decisa. Esto tamen dubitauerit Hieronymus: nequaquam tamen alij magni Patres, vt Athanasius, Damascenus, Bernardus, atque Augustinus hoc in dubium vocauerunt, sed vt rem certam & constantem tradiderunt. Beata Brigitta libro Reuelationum suarum beatum Hieronymum cum dubio ita loquentem excusat. Inducit enim Beat. Virginem ita loquentem: *Quia verò Assumptio mea non multis cognita fuit, nec prædicata à pluribus, hoc voluit Deus, qui est filius meus, vt prius infigeretur cordibus hominum credulitas ascensionis suæ, quia corda hominum difficilia, & dura erant ad credendum ascensionem eius: quantò magis si prædicata fuisset statim in initio Fidei assumptio mea?* Hæc illa, docens primò fidelium cordibus imprimendam fuisse fidem Ascensionis CHRISTI, quàm assumptionis Virginis. Nam vt Adam primò creatus est, deinde ex eius costa Eua formata: ita primò plantanda fuit fides Christi, & paulatim sanctissimæ Matris eius ornamenta, & priuilegia tradenda.

Matt. 19.

Inf. 27.

Opinari & ambigere, diuersa.

Athanasius. Damascenus. Bernardus. Aug lib. de assump. virg. tom 9.

B Brigitt lib. 6. c. 61. in fin. Filij Dei ascensio, quàm eius Genitricis assumptio, prius cur fuerit mūdo prædicāda.

Gen. 1. *Infr. 2.*

Quintò argumentantur ex historia, quæ de resurrectione, aut corporis sui assumptione nihil aliud habet, nisi quod mortua est & sepulta. Respondemus, etiam aliud aliquid cōtinere, nimirùm quòd postmodum vacuum inuentum est sepulchrum eius: ex quo arguitur resurrectio. Nam simili ratione Filij Dei monumentum, quòd corpus eius ad tempus retinuit, postea vacuum ostensum est mulieribus ab Angelis. Vnde certa fit coniectura, neutrum illorum corporum vidisse corruptionem. Græcorum itidem Historia, quam mox producemus, aliud prætereà indicat, quàm corpus fuisse repositum in sepulchro.

V. argum.

Matt. 28. *Marc. vlt.* *Psalm. 15.*

Sexto loco obstrepunt nobis hæretici, qui festum Assumptionis expunxerunt de Kalendario suo, quòd Epistolaris, & Euangelica lectio incommodè ad Deiparam referantur. Verba Lutheri sunt in postilla circa Euangelium eius solennitatis: *Coactè, & epistolam huc torserunt, quæ diuinæ sapientiæ tantùm competit, ipsi scilicet CHRISTO. Hic enim ante secula fuit, in quo omnia condita sunt: quòd autem Mariæ Deiparæ hic tribuitur, merum mendacium, & in Deum blasphemia est.* Hæc ille, in Ecclesiam ipse veriùs blasphemus, & pleniùs mēdax, ignorans canonem Scripturæ, quo ea quæ capitis sunt, ad corpus eius mysticum accommodamus: & rursus ea quæ corporis sunt, ipsi capiti. Et quanquam in sensu literali non conueniant hæc verba Mariæ, congruunt in mystico; & Ierusalem per allegoriam conuenit Ecclesiæ quæ est in via, & peregrinatur, per anagogiam cœlesti, & per tropologiam cuiuis piæ & sanctissimæ animæ, potissimū verò MARIÆ Deiparæ. Mirum ergo esse non debet, si, quod est de Sapientia incarnata dictum, id est, Filio, adaptatur Marri

VI. argum.

Eccl. 24. *Coloss. 1.*

Scriptura quæ Christi sunt capitis, eius membris, id est, fidelibus, & contrà quæ membrorum sunt, capiti solet accommodare.

Illud Ecclesiastici: Ab initio, & ante secula creata sū, &c. quatuor modis accipi potest.

Ibid.

quæ dicere poteſt: *In omnibus requiem quæſiui, & in hereditate Domini morabor. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Hinc Guerricus ſermon.3.de Aſſumption. ait: *Si quis curioſus inquirere velit, cuius potiſſimùm vox illa ſit: In omnibus requiem quæſiui: vox eſt vtique Sapientiæ: vox eſt Eccleſiæ, vox eſt Mariæ, vox eſt cuiuſlibet ſapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæſiuit, ſed in ſolis humilibus inuenit. Eccleſia in omnibus mundi nationibus requiem quæſiuit, ſed in ſolis credentibus inuenit. Maria, ſicut & qualibet fidelis anima, in omnibus actionibus ſuis requiem quæſiuit, ſed hodiè demùm inuenit; cùm poſt perſecutionem Herodis, & fugam Ægypti, poſt tot inſidias, & atrocitates Iudaicæ impietatis, poſt tot paſſiones ſuas, & paſſione, & morte filij: poſtquam tot, & tam acerbi ipſius animam pertranſierunt gladij: tandem hodie dicere datum eſt ei: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Qui creauit me, creatus eſt ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei: negare non potuit mihi requiem cœli ſui. Qui enim vltrò cumulat gratiam alijs, quomodo non refert Matri?* Haymo quoque in epiſtola feſti Aſſumptionis ſcribit: *Hæc particula à Catholicis & eruditis Patribus in ſolemnitate perpetuæ Virginis Mariæ, de qua eadem Dei ſapientia carnem aſſumpſit, ad legendum ordinata eſt. Et poteſt pars quædam illius non incongruè eidem Dei Genitrici aptari, quæ ab ipſa Dei ſapientia talis creata eſt, vt per illam ad redimendam humanam naturam Dei Filius ſine humana concupiſcentia crearetur.* De Euangelio verò dicendum, quòd cum nihil eſſet proprium de hoc Feſto in Euangelio, quod terminatur in Aſſumptione CHRISTI, & miſſione Spiritus ſancti, & nullius Apoſtoli mortem deſcribat, niſi Stephani, & Iacobi citam mortem, Maria verò ſanctiſſima in extremam vſq; ætatem vitam protraxerit: proptereà factum eſt, vt illud de Maria & Martha legatur Euangelium, per accommodationem: ſicut facere ſolet Eccleſia in alijs Sanctis, quibus, cùm nil proprij adſit, quæ ſunt aliorum, & probabiliter ſonare videntur, accommodando legere ſolet. Vel vt ex ancillis agnoſcamus Reginam, & matrem, vel vt ex officijs illarum, Marthæ, & Mariæ, præclaras actiones B. Deiparæ in vita tùm actiua, tùm contemplatiua meditemur. Ita enim B. Anſelmus in expoſitione Euangelij eiuſdem ſolennitatis docet, ſicut & Euſebius in ſermone de Aſſumptione, & Guerricus ſerm.4. de illo Feſto. In illo verò Euangelio de Martha, & Maria, quæ Dominum officioſis obſequijs exceperunt, ſignificare voluit Spiritus ſanctus beatam Virginem in cœlo remuneratam fuiſſe nō tam pro ſtatu Matris Dei, vel ob ſtatum virginitatis, quàm ob altiſſimas actiones contemplationis figuratæ in Maria, & ob egregias functiones vitæ actiuæ ſignificatæ in Martha. Nemo igitur in ſtatu Apoſtolorum, aut Epiſcoporū, aut Regum, aut Principum quicquam fidat, ad expectandam cœleſtem hæreditatem, quia in illa dilargienda, nulla habetur ratio ſtatus cuiuſque, ſed officiorum, & bonorum meritorum. Quòd verò hunc diem feſtum nō habeant Sectarij, id docuit Lutherus, qui libro de ceremonijs obſeruandis ita ſcribit: *Aſſumptionis, & Natiuitatis Mariæ feſta planè reijcimus.* Hæc ille, vt potius cum Ethnicis ſapere velle videantur, quàm cum Eccleſia Catholica; cùm tamen inter illos Euangelicæ peccatrici feſtum ſit aſſignatum, & à pleriſque obſeruatum. Vnde Iuuenalis prædictus cum Apoſtolica & Angelica hymnodia refert eam ſepulturæ traditam: & Dionyſius Apoſtoli Pauli diſcipulus capite 7. de Eccleſiaſtica hierarchia morem Eccleſiæ teſtatur fuiſſe circa defunctos Chriſtianos, vt præter alias ceremonias, multæ preces, & Pſalmorum cantus à Sacerdotibus adhiberentur. Et Clemens, qui Petrum præceptorum habuit, in ſexto libro Apoſtolicarum Conſtitutionum cap. 30. ita ſcribit: *Vt in Domino obdormientes cum Pſalmis deducantur, atque dies aliquot in Pſalmis lectionibus, atque orationibus propter eos peragantur.* Quod ſi hæc tempore Apoſtolorum cum quolibet in fide piè dormiente obſeruata fuerunt; quidni magis cum ſanctiſſima Deipara? Et vt intelligas, quanto cultu, & veneratione fuerit ille dies mortis Mariæ, & obſeruatus, audi quid Petrus Cluniacenſis, vir ſua ætate inſignis doctrinæ, & pietatis, in libro 2. de Miraculis, capite 30. referat. Morem enim tradit Romanorū fuiſſe, feſtum Aſſumptionis Matris Domini inter vniuerſas anni feſtiuitates præcipuo honore colere. Vnde inter plura deuoti animi ſui erga præcelſam Virginem ſigna, cereos maximos faciunt, & eos ante paratos vigilia feſtiuitatis ad nominatam Eccleſiam ſanctæ MARIAE Maioris deferunt, atque veſpertina hora vel circa accendunt. Pondus tamen eorum æqua lance penſatum, domi retinent, vt ſequenti die ſolenni Miſſa peracta, eos rurſus penſantes, quantum de quantitate eorum ignis abſumpſerit, iudicante ſtatera cognoſcere valeant. Cùmque eos ſequenti die domum retulerint, & ponderauerint, deprehendunt idem eſſe pondus, atque prius fuit, quod miraculum in ipſa Romana vrbe in templo præclaro, & non ſemel, ſed annuo recurſu fieri ſolitum expendit hic

Guerricus pius autor.

Matth. 2.

Luc. 2.

Pſalm. 114.

Haymo Epiſcopus.

Quare Eccleſia diei aſſumptionis, Marthæ & Mariæ Chriſti hoſpitum Euangelicam lectionē accommodet.

Luc. 24.

Actor. 2.

Infr 7.

Inf. 12.

Luc. 10.

1 Ratio. Secunda, ac tertia.

B. Anſelm.

Euſeb. Emiſſenus.

Guerricus.

Impij Sectarij feſtum aſſumptionis non recipiunt, hanc autē illud peccatricis.

Luc. 7.

Martinus Lutherus.

Iuuenalis.

Dionyſ. Areopagita.

Antiquæ Eccleſiæ ritus in exequijs fidelium obſeruatus

Clem. Roma.

Petrus Cluniacenſis.

Romanorū in feſtum aſſumptionis inſignem pietatē & fidē quanto Deus olim miraculo teſtaretur, confirmaretque in tali die.

Aethiopes Natiæ obitus & assumptionis diem præcipua quadam religione colũt, & obseruant.

hic bonus Pater. Ostendit Deus hoc signo nihil eorum perire, quod in Virginis cultum & honorem expẽditur, sed id esse Deo gratum, & acceptum. Aethiopes etiã hunc mortis, & Assumptionis Matiæ diem magno cum apparatu celebrant.

VII. argum.

Sed aiunt admitti plerosque abusus in hoc festo. Sed, sit ita, & corrigantur, salua tamen rei ipsius substantia. Alioqui cur nõ tollunt diem Dominicum, in quo crapulæ, & luxui, epulis & choreis vacatur à plerisque? Tollant & diem Circumcisionis, & diem solennem Ioannis, in quibus multa superstitiosa à vanis, & carnalibus admitti solent. Sed hæc hominum sunt vitia, non festorum ipsorum.

Dies festos ob maximos vulgi abusus & frequentissimos qui in eis accidunt, non esse propterea abrogandos.

VIII. argum.

Hier. serm. de Assump. to. 4.

Postremò hanc Matris Dei in corpore Assumptionem non tantùm Hieronymus, sed etiam alij Patres controuersiam, ac dubiam extitisse tradunt. Nam hæc sunt verba Augustini sermone de Assumpt. Mariæ Virginis: *Quo ordine* (B. scilicet Virgo) *hinc ad superna transierit regna, nulla Catholica narrat historia. Non solùm autem respuere apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hæc eadem Ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine autoris nomine de eius assumptione conscripta, quæ, vt dixi, ita cauentur, vt ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur, nec assumptio eius cum carne, vt in apocrypha legitur, in Catholica reperitur historia.* Et infrà: *Neque enim dignum est de corporis eius notitia solicitum quempiam esse, quam non dubitat super cœlos eleuatam cum Christo regnare. Sufficere debet tantum notitiæ humanæ hanc verè fateri Reginam cœlorum, pro eo, quòd Regem peperit Angelorum.* Sed nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorũ de eius morte quippiam dixisse apertè. Nam illum Euangelij versiculum, quem Simeon dixit ad Domini matrem: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*: beatæ recordationis Ambros. cùm tractaret, ait: *Nec historia, nec litera docet, Mariam gladio vitam finisse.* Hinc & Isidorus: *Incertum*, inquit, *per hoc dictum, vtrùm gladium spiritus, an gladium significet persecutionis. Et quid de his, de quibus loquor, dicam, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est, Ioannes Euangelista, de hoc posterius aliquid retinendum scriptis mandauerit? Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille vtique, qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem reliquit. Restat ergo, vt homo mendaciter non fingat apertum quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de eius assumptione sententia hæc esse probatur, vt secundùm Apostolum, siue in corpore, siue extra corpus ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus.* Et Epipha. contra Antidicomar. *Sed etsi*, inquit, *videntur quidam errasse, quærant vestigia Scripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ, neque, an mortua sit, an non mortua, neque an sepulta sit, aut non sepulta.* Et infrà: *Non autem omninò definio hoc, & non quod immortalis manserit, sed neq; affirmo an mortua sit.* His haud dissimilia refert Paulinus epist. ad August. & habetur inter epist. Augustini, num. 58. Liber quoq; de transitu Virginis, quem Iacobus Genuensis à Voragine Ioannis esse tradidit, nihil de Virginis assumptione scripsisse commemorat. Sed vt diximus, etsi à quibusdam fuerit olim dubitatum, non tamen ab omnibus, sed nec postea ab Ecclesia Græca, nec à Latina. Sed si propterea verum non est, quòd olim de eo dubitatum fuerit; certè nequaquam esset Mariæ virginitas credenda, de qua dubitauit Ioseph ex quorundam sententia, & quam minimè Iudæi crediderunt. Non esset etiam credẽda Christi resurrectio, quia dubitauit de ea Thomas, atq; Apostoli. Multi libri Canonici nobis interirent, qui olim in controuersiam vocati sunt. Vnum Doctorem contingit plerunq; sciẽtem esse, & asserentem aliquid, alterum verò in re nondum ab Ecclesia definita dubitantem: imò vnus & idem Doctor nunc vno modo, nunc altero sentire videtur. Nam vel ipse Augustinus, cuius prolixam sententiam attulimus, librum edidit de assumptione B. Virginis, & habetur in Tom. 9. operum suorum, in quo nonnullis, neque vulgaribus, neque contemnendis rationibus Virginis assumptionem cum corpore constabilire videtur; quanquam illum librum quidam Augustino non esse tribuendum existimẽt: id autem quàm feliciter efficiant, alijs cogitandum relinquo. Et hactenus responsum ad illorum rationes & argumenta, qui duri sunt, & hoc priuilegium Virgini concessum affirmare non audent: & liber ille de transitu Virginis non est Ioanni tribuendus, vt ostendit Augustinus in serm. 35. de Sanctis. Quod si vrgeas; Quid est quòd hoc mysterium, si verum est, non habeatur apertum & explicitum, si non in Euangelio, saltem in alio libro Canonico? Respondemus, sacras literas non tractare de B. Virgine, nisi quatenus ad Messiam spectabat; & propterea in eius conceptu, & partu, atque educatione mentio eius frequenter fit. Hinc est, vt de morte eius nihil loquantur: tùm ob mysterium insinuandum, illos omnes, qui Christum cõcipiunt & pariunt, atque educant, morti non esse subiectos: tùm quia satis potest dici esse

Aug. serm. 35. de Sanctis, siue de Assump serm. 2. inst. to. 20.

Idem ibid. E

Maria Virgo cur dicatur Regina cœlorum.

Luc. 2.

Ambr. li. 2. in Lucam, c. 21. tom 5.

Isidorus.

Ioan 19.

2. Cor 12.

B. Epiphan. in Hæresim 78. ante med.

Idem ibid.

Aug. tom. 2.

Matth. 1.

Ioann. 20. Luc. 24.

Aug. tom. 10.

Tantũ assumptionis veritatem cur nulla si non Euangelica, saltem Canonica tradat historia.

scriptum quodcunq; priuilegium Virginis in eo, quòd vocat eam Matrem CHRISTI: quod cùm sit relatiuum infiniti doni, & habuerit prærogatiuam præseruationis à peccato, atque partus absque omni dolore, & cum incorruptione, & integritate, habuit ergo & hoc incorruptionis carnis beneficium, quod alijs multis iam acceptis minus fuit. Adhæc in Scripturis haberi censentur quæcunq; in sensu spirituali, siue mystico docere voluit Spiritus sanctus, vel quæ ex Scripturis subtiliter, & diligenter discussis deduci possunt. Hinc Augustinus libro de Virginis Assumpt. eleganter, & verè scripsit: *Sed quia quadam Scriptura sancta veris indagationum studijs quærenda reliquit, quæ non sunt superflua æstimanda, dum vel a indagatione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis autoritas, & dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est cognoscitur.* Sic ille. Porrò hic sensus etsi non conuincat rebelles hæreticos vt literalis; ædificat tamen fideles, quia verus est, & eum autor Scripturæ per Ecclesiam suam se in veritate, & non superstitiosè colentem indicauit. Nam Adã, & Eua primi introducti in paradisum vt habitatores, & incolæ, per prædestinationem sunt Christus, & Deipara: verùm inde eiecti propter delictum aliorum luendum, erant primi in eum locum restituendi, non minus glorificato corpore, quàm animo. Deinde Psalm. 131. apud Prophetam habetur: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ:* at ille Psalmus videtur loqui de requie CHRISTI per resurrectionem (ita enim Paulus ad Hebræos requiem Domini interpretatur:) Ibi etiam de loco, ex quo ascendit in cœlum impressis plantarum vestigijs in terra ait: *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Cùm ergo ad CHRISTVM sermonem conuertens Propheta, dicat, tu, scilicet Christe, surge ratione Humanitatis; quę sola capax est resurrectionis, & subiungat: Et arca sanctificationis tuæ, quæ alia erit arca Testamẽti, aut sanctificationis, quàm sanctissima Virgo Deipara, quam totam Spiritus sanctus sua virtute repleuit, & in qua, tanquam in arca Testamenti, repositæ fuerunt tabulæ Testamenti, virga, & manna, id est, Filius vnigenitus Dei virtus, Deique sapientia, atque misericordia. Ita hunc locum explicat Nicephorus libro 2. cap. 13. & Michael Glycas in tertia parte Annalium: *Consimili nimirum modo,* inquit, *& ipsam Dei matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo Filius resurrexit, multò ante beatus ille Dauides huiusmodi verbis significauerat: Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ.* Et confirmatur ex Augustino, qui in eadem verba habet: *Exurge, vt exurgat & arca sanctificationis tua quam sanctificasti. Ipse caput nostrũ, arca eius Ecclesia eius. Surrexit prior, surgat & Ecclesia. Non autem auderet sibi resurrectionem corporis promittere, nisi prius exurgeret caput. Et corpus Domini nostri Iesu Christi, quod ex eo natum est, intellectum est à quibusdam arca sanctificationis.* Ita ille Pater, vt in CHRISTI corpore suscitato intelligamus etiam Mariam, ex qua Dominus corpus accepit, quæ præcipua arca sanctificationis est inter omnia membra Ecclesiæ. Item Dauid in Psalmo 44. qui est veluti Messiæ Epithalamium, ita habet: *Astitit Regina à dexteris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* At quænam alia est propriè Regina, nisi eius Mater, quæ Regem peperit vniuersi orbis? & quæ alia verè dici potest sedere, vel astare à dextris Dei, hoc est, in summa gloria, & honore, nisi eius primaria sponsa, & mater omnium filiorum, hoc est credentium? Et quis est iste vestitus deauratus, nisi corpus glorificatum, vt Michael Glycas, & magnus exponit Athanasius? Et quid significat, astare à dextris Dei, nisi corpore fuisse assumptam? nam de Christi corpore in cœlum assumpto ita frequenter loquitur Scriptura. Et quia subiungit: Adducentur Regi virgines post eam; proximæ eius afferentur tibi; declarauit, animas virginitatem colentes, tanquam ancillas, & sectatrices vestigiorum matris Dei, cuius virginitatis exemplum sunt secutæ ad placendum primario Sponso, ac Spõsæ, vitam suam instituisse: ac proinde cùm istæ virgines Ecclesiam repręsentent, distinctæque sint à Regina, profectò Regina non est alia, quàm B. Virgo. Adhæc palmes cum botro adductus ex Terra promissa ad cognoscendam terræ bonitatem, quid aliud eleganti sacrarum literarum meditatori insinuat, quàm Christum tanquam botrum, & matrem tãquam palmitem, ex quo pendebat, corpore & animo iam glorificatos nobis esse ostensos, vt cœlestis promissæ nobis terræ bonitatẽ, virtutemque agnoscamus, tanquam dulcissimos eius fructus? Legimus prætereà in libro Regum secundo, arcam fœderis ex domo Obededom in domum Dauid adductam cum magna & honorifica põpa, atq; cum magnis publicæ lætitiæ & solemnitatis argumentis, ipso etiam Dauide, præ gaudio deposito Regio habitu, ludente & saltante ante arcam. Quis non hic videat mysterium Assumptionis B. Virginis, quæ ex terreno hoc loco in cœleste translata est domicilium, tanta cum gloria & honorifi-

ficen-

Mariam Christi matrem esse dicere, est omnem ab eo gratiam accepisse, confiteri.

Quęnam Scripturis minimè expressa, contineri tamen in illis verè dicantur.

Aug. c. 1. libri de Assumpt. B. Vir. Mariæ c. 1. tom. 9.

Fœcunda est veritatis autoritas, ait Augustinus.

Sensus spiritalis apud quos quid valeat.

B. Virginis assumptionis mysterium vbi præfiguratũ fuerit atque prædictum.

I locus. *Genes. 2.*

II. locus. *Psal. 133.*

Quid sit argumentum. *Hebræor. 4.*

Quænam sit arca sanctificationis Domini apud Prophetam. *Luc. 1. Num. 17. Hebr 9. 1. Cor. 1.*

Quid tabulæ, virga, & manna in arca reposita significauerint.

Niceph. Callist. Michael Glycas.

Aug tom 8. Per arcam sanctificationis quid intelligat August. *Matt. 1. Luc. 2.*

III. locus.

Regina astans à dextris Dei Deipara virgo est.

Astare à dextris Dei quid.

Michael Glycas. Athan. ser. de sanctissima Deipara, propè fin. tom. 3

Post Reginam eius matrem Virginem, virgines quæ nam Christo adducentur, iuxta Prophetam.

IV. locus. *Num. 13* Palmes cum botro ex terra promiss. adducti significatio.

2. Reg 6. & seq.

ficentia, Angelorumque, & Sanctorum ineffabili gaudio, vt etiam ipse Dominus præ lætitiæ vehementia dissimulata veluti Regiæ suæ maiestatis gloria ante hanc matris suæ arcam exultauerit, ac, vt ita dicam, tripudiauerit? Hinc Damascenus ser. de dormitione Deiparæ: *Iubilemus in arca Domini Dei, animæ iubilationibus, & muri cadent Hierichuntini, contrariarum, inquam, potestatem infesta munitiones. Post Dauid exiliamus spiritu: Arca Domini hodie requieuit.* Sic ille. Agnoscunt etiam quidam, & speculantur arcam Noe, quæ salua à diluuio nō requieuit, nisi super montes Armeniæ: atque in ea designatam B. Virginem, quæ sola libera, & immunis extitit à diluuio peccati toti mundo communis, & cui requiescere datum non est, nisi eleuata esset super omnes Angelos tentatione dæmonis quasi vellicatos: ita enim interpretatur Armenia, siue Hebræa vox Ararat, atq; ita canit Ecclesia: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna.* Mare rubrum diuisum ad ingressum filiorum Israel, & posteà vnitum contra Pharaonem, & Aegyptios, Maria sorore Moysi in tympano cantante; quid est iuxta spiritum, nisi anima Mariæ à corpore eius diuisa per mortem, & rursus per Christum quasi virgam Moysi, vnitam, cōfusis dæmonibus, ac inuidis Iudæis? Item Apocal. 12. narratur mulier amicta Sole, nimirùm Christo, & luna sub pedibus eius, hoc est, mundus ab ea præ cœlo contemptus: & in capite eius corona stellarū duodecim, id est, dignitates, & prærogatiuæ duodecim Apostolorum, quorum ipsa mater & magistra extitit post Christum. Et infra ait: Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura; vt cùm peperisset, filium eius deuoraret. Et infra tradit datas fuisse mulieri alas duas aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum. Porrò istæ duæ alæ, binæ sunt stolæ, id est, gloria animæ, & corporis, siue duæ dotes agilitatis, & subtilitatis, quæ propriæ erant magnæ aquilæ, id est. Iesu Christi, quarum præsidio penetrauit cœlos. Porrò, vt testis est Epiphanius contra Antidicomarianitas, fortassis de ipsa assumpta possunt hæc ipsa dici perfecta, atque adimpleta, quæ in Canticis habentur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Et rursus: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Et iterum: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Nemo dubitauerit tùm ex interpretatione Patrum, tùm ex Ecclesia legente hunc librum Cantici Canticorum in solennitatibus sanctæ Deiparæ, in illo libro epithalamium cani inter Christum, & Ecclesiam, siue inter Christum & animā electam, siue inter primatium, ac nobilissimum totius Ecclesiæ membrum, quæ est B. Virgo. Certè ratione Virginis multa in his Canticis dicuntur, quæ alteri præter eam vix possunt conuenire. Admirantur igitur sancti Angeli de Assumptione, non minus quàm admirati sunt de Christi ascensione, dicentes: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra:* Cæterùm ratio non suberat admirandi, si nudus tantùm spiritus Virginis Mariæ beatus cœlum conscendisset, nam innumeras Sanctorum animas viderant Christum in comitatu suo secum adduxisse, neque nouum quid erat, vt admirationem pareret. Vt omittam, quòd verbum ipsum ascendendi, propriè est corporum, sicut propriè sumitur, cùm dicitur Christum in cœlos ascendisse. Sed illud insolitum, admirādum ac nouum, quòd B. Virgo non solum animo beato, sed etiā corpore glorioso quasi regio indumento vestita cœlum ascenderit, quod sola coronata sit vt regina, atq; euecta & collocata super omnes choros Angelorum; quòd sola ascēderit innixa super dilectum filium suum, quod non est omnium priuilegium. Sed vt illi Christus in terris innixus fuit, cùm illum mater & in ventre, & in brachijs gestauerit; ita rursus sanctissima Mater in assumptione sua filio suo innixa cœlum ingressa est. Nam ita Principes mulieres, ac Reginæ plerunque viris, aut filijs, qui Reges existant, innixæ incedere solent, cùm omnis vxoris, matrisve gloria in virum suum, filiumve redire consueuerit. Quam ergo Christus tantoperè suo ministerio, & præsentia honorificauit, & Angelorum comitátu illustrauit, omni profectò decet nos obseruantia, & honorificentia glorificare, eiusque excellentibus donis gratulari, eius dignitatem suspicere, & admirari, eius patrociniū, & preces ambire, vt omnia ad salutem nostram necessaria tantæ mediatricis, & aduocatæ, Matrisque nostræ pientissimæ gratia impetrare valeamus à Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu S. omnis honor, laus, gloria, gratiarum actio atq; imperium, ab omni creatura reddatur in secula seculorum, Amen.

(∴)

Damascen.

.locus. Genes 7. & seq. atq; Noe post diluuiū super montes Armeniæ requiescē ... myst ea in ...lligentia.

Armenia ... uid.

...locus. Exod. 14.

...locus.

Epiphan.

...nt. 3.

... 6.

... 8.

Aponius in append. commen in Cant. Ruper. li. 7. de glor. Trin. ca. 13. Andr. Cretens. de dormitione Deiparæ.

Esai. 63.

Quid propriè ascendat more Scripturæ.

Cant. 8.

TRACTAT. XXXVIII.

In quo Patrum veterum traditione, & solidis rationum momẽtis eadem veritas assumptæ in corpore, & animo in cælum gloriosæ Virginis Deiparæ comprobatur.

VIDIMVS hactenus, quatenus Scripturarum testimonijs hæc veritas Assumptionis sanctissimæ Virginis confirmetur: iam verò Patribus agendum: nam in Scripturis commendantur traditiones, de quibus: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi:* Atque ita explicant nobis fidem Ecclesiæ sui temporis: sunt Ecclesiæ lumina, oculi, & ornamenta; in hoc ipsum nobis ante oculos nostros propositi, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Producamus igitur eos Patres, qui apertè, & sine vllo scrupulo, aut metu tantùm Assumptionis Virginis in carne mysterium tradiderunt. Et in primis prodeat sanctissimus Athanasius, cuius in Ecclesia sacrosancta existit autoritas, immortaleque nomen. Ille igitur in sermone edito de sanctissima Deipara, his verbis propè finem disserit: *Ea nunc* (nempè Virgo Deipara) *vt Regina assistens à dexteris filij, vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis, & immortalitatis, circumamicta, & variegata, sacris, & solennibus verbis celebratur: non quidem secundùm ... aut quasi sine corpore, & carne assistat, sed quod induta sit (quantum spectat ad sanctissimam eius carnem) incorruptibilitate, & immortalitate. Variegata rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirùm istam incarnationem, eamq; semel indutam perpetuò gestat. Ac proinde ista noua Eua, mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.* Hæc ille sanctissimus Pater magna cum pietate constanter conscripsit; quem producit ac probat Ecclesia Romana, & Michael Glycas Græcus, in epistola ad Alypium Monachum, & probat expositionem eius in versiculum illum: *Astitit regina à dextris in vestitu deaurato.* Idem etiam videtur insinuare Gregor. Theologus in tragœdia de Christo patiente, dicens:

O ter beata mater, ô lux virginum,
Quæ templa cæli lucidissima incolis,
Mortalitatis liberata sordibus,
Ornata iam immortalitatis es stolâ.

Deuter. 32.
Matth. 5.
Doctores sancti cur nobis à Deo traditi, secundùm Apostolum.
Ephes. 4.
Mag. Athan.
Psal. 44.
Genes 2.
Michael Glycas Græcus autor.
Psalm 44.
Gregor. Naz.

Sic ille de stola corporis glorificati. Secundus testis, sit Iuuenalis Episcopus Ierosolymitanus in epistola ad Pulcheriam, cuius verba Inferius citabimus ex historia Euthymiaca. Quibus tertius accedit Ioannes Damascenus in sermone de Dormitione beatæ Virginis, vbi enarrata eius morte, & sepultura, ita subiungit: *Sed quomodo quod ex ea constitit, Verbi Dei corpus sanctum, & integrum, & interitui minimè obnoxium, tertia die resurrexit ex monumento: ita etiam eam eripi è sepulcro decebat, & Matrem transferri ad Filium: & quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in maius, & perfectius tabernaculum, nempe in ipsum cælum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in suo vtero hospitio exceperat, collocari in diuinis sui filij tabernaculis: & quomodo dixit Dominus debere se esse in ijs quæ sunt sui Patris, ita etiam matrem oportebat habitare in regia filij, in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri. Si enim in ipso est habitatio omnium, qui lætantur, vbi est caussa lætitiæ, oportebat eius quæ in pariendo integram conseruauit virginitatem, incorruptum conseruari corpus etiam post mortem. Oportebat eam, quæ Creatorem in sinu gestauit infantem, in diuinis versari tabernaculis. Oportebat Sponsam, quam Pater desponderat, degere in thalamis cælestibus. Oportebat eam quæ suum filium in Cruce adspexerat, & doloris quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre sedentem cum Patre. Oportebat Dei Matrem possidere ea quæ sunt Filij, & tanquam Dei Matrem, & ancillam, adorari ab omni creata natura. Nam etsi semper quidem à parentibus ad filios descendit hæreditas. nunc, vt dicit quidam Sapiens, ad fluuiorum caput fontes procedunt. Filius enim vniuersam creatam naturam redegit in Matris seruitutem.* Hæc bonus ille Pater; quæ in sequentibus ampliùs confirmare volens, ex Euthymiacæ historiæ libro tertio capite quadragesimo ita refert: *Cum Pulcheria, & Marcianus Blachernis prope Constantinopolim ædificassent domum venerabilem maxime celebrandæ, & sanctissimæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & eam omnibus exornassent ornamentis, quærebant eius sanctissimum corpus, quod Deum susceperat. Et cum accersiuissent Iuuenalem Ierosolymitanum Archiepiscopum, & Palæstinæ Episcopos, qui in regia vrbe versabantur propter Synodum, quæ tunc facta est Chalcedone, ei dicunt: Audimus esse Ierosolymis primam, & egregiam sanctissimæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ Ecclesiam in Prædio quod vocatur Geth-semane, vbi eius quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depositum. Qui respondens: Ex antiqua, ait, & verissima accepimus traditione, quod tempore gloriosæ eius dormitionis, vniuersi quidem sancti, Apostoli, qui orbem terræ ad salutem Gentium*

Iuuen. Episc. Ierosolymit.
Egregia sententia Ioannis Damasceni de Assumptione Virginis matris.
Luc. 2.
Psalm. 40.
Ioan. 19
Luc. 2.
Supr. 1.
Eccl. 1.
Idem.
Testimonium Iuuenalis Episcopi Ierosolymorum, qui & interfuit Synodo Chalcedonensi de gloriosa Assumptione Deiparæ.

obibant,

obibant, momento temporis in sublime sublati conuenerunt Ierosolymis. Et cum apud eam essent, eis visio extitit Angelica, & audita fuit diuina hymnodia præstantiorum potestatum: & sic cum diuina gloria, & supercœlesti in manu Dei sanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili.

Quod verò Deum suscepit eius corpus, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum, vestibus ei factis in loculo fuit depositum Gethsemane. Quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post tres dies autem Angelica cessante hymnodia, qui aderant Apostoli, cùm vnus abfuisset (qui dicitur à Nicephoro Thomas) *& post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat corpus adorare voluisset, loculum aperuerunt: sed intemeratum quidem, & omni ex parte laudandum corpus nequaquàm inuenire potuerunt. Cùm ea autem sola inuenissent, in quibus fuerat compositum, & positum, & ineffabili qui ex iis proficiscebatur, essent odore repleti, locum clauserunt. Qui mysterii obstupefacti miraculo, hoc solùm poterant cogitare, quod cui placuit in propria persona carne indui, & ex sacrosancta Virgine homo fieri, & nasci in carne Deus Verbum, & Dominus gloriæ: & post partum, eius incorruptam conseruauit virginitatem, ei quoque visum est, posteaquàm ea è viuis excessit, intemeratum eius, & impollutum corpus honorare translatione; ante communem, & vniuersalem resurrectionem. Hæc cùm audiissent Imperatores, petierunt ab ipso Archiepiscopo Iuuenali, vt sanctus ille loculus cum vestibus clarissimæ, & sanctissimæ Deiparæ Mariæ sigillo munitus ad eos mitteretur. Quæ cùm missa fuissent, ea deposuerunt in veneranda æde, quæ ædificata fuerat in Blachernis.* Hæc ille doctè & eleganter: ante quæ postrema verba scribit: *Tunc autem aderant cum Apostolis sanctissimus Timotheus Apostolus, & primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita: sicut hic ipse magnus testatur Dionysius* (libro De diuinis nominibus capite tertio sub finem) *in iis quæ de beato Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, conscripsit ad dictum Timotheum Apostolum: sic dicens: Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quando nos quoque sicut ipse nosti, & multi ex sacris nostris fratribus ad spectaculum corporis, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenimus. (Aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus suprema, & antiquissima Theologorum summitas) & postquàm eam vidissemus, visum fuit, vt omnes Sacerdotes hymnos canerent, & laudarent, prout poterat vnusquisque, infinitam bonitatem diuinarum viriũ: post Theologos ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorũ, vt qui planè excederet* (de Hierotheo intelligit) *& à se omninò abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate, & communione, & ab omnibus, à quibus audiebatur, & videbatur, & cognoscebatur, & non cognoscebatur, indicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorum.* Quartus accedat testis Michaël Syngellus Ierosolymorum Presbyter à Suida ante nongentos annos citatus in Encomio, quod edidit in Dionysium Areopagitam, de Virginis assumptione ita verba facit: *Quòd verò Dionysius cursum expleuerit Apostolicum; ac suspiciendis operum signis diuinitùs editis euaserit celeberrimus, multa quidem, & alia fidem faciunt: omnium tamen maximè sublimem reddidit, quæ quæ eum ab Occidua plaga finibus abripuit nubes, & per sublimem æthera transurrexit, ac proinde aeri vagum, cui summos illos Dei Iudices & Theologos Apostolos repentè abduxit aliũ aliunde ab extremis terræ terminis ad augustissimam Ierusalem omniũ Christianorum magistram atq; adeò in summa diuinorũ mysteriorum arce Sion, quæ Ecclesiarum mater est, reliquis conseruit, & adunauit discipulis, quo tempore sanctissima Dei Matris reliquias curauit in venerabili conditorio reponendas. Reliquias dico, Dei Verbi aduẽtu; & inhabitatione cohonestatas, qui ex eiusdem purissimo sanguine modo ineffabili carnem sibi vniuit, natus est: Reliquias inquam frequenti Angelorum exercitu toto progredientium cœlo stipatas, ac tutas, eaq; specula Sionis in vallem Gethsemani (vbi templum fastigio cœli æmulum consecratum illi est) eximius Apostolorum canticis, atque hymnis translatas, hymnis præterea celebratas, & glorificatas linguis auræ Spiritus sancti afflatu, igniuq; speciem præseferentibus, ac maximè Theologicis. E quo quidem delubro, simul atque condita est, & reposita, incolumis prorsus, suoq; restituta corpori in cœlestem assumpta est requiem, ac Virtutum omnium choris prælata cœlestibus, denique & dominio totius inaugurata creatura.* Hactenùs ille, & piè, & eleganter.

Quintus accedit testis Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus, qui duas edidit orationes in Encomium Dormitionis sanctissimæ Deiparæ, quæ extant apud Simeonem Metaphrastem, in quibus eam corpore assumptã tradit: ac subdit ad eam conuertens sermonem: *Te nequaquã potest habere sepulcrum: corpus enim Dominicum non delent ea, quæ intereunt. Aduersus te non valebunt inferi: animam enim regiam non attingũt ea, quæ seruiunt cùm aliis. Abi ergo, abi in pace. Migra ex iis quæ sunt in natura creata mansionibus. Placa Dominum pro communi figmento. Nam quandiù quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio: ex quo autem trãslata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. Supra Henoch magnificare. Supra Heliam in altum extollere, in lætitia, in gaudio in-*

Nicepho.

1.Cor. 2.

D. Dionys. Areopag.

Apostolus Petrus suprema & antiquissima Theologorũ summitas à Dionysio vocatur.

Michael Syngell. Ierosol. Presbyt. Suidas.

Ierusalem omnium Christianorũ magistra.

Andr. Cret. Archiepis. Ierosoly. orat. 1 nõ procul à fi

Sanctissima Dei Genitrix totius mundi post Christum commune propitiatorium.

dio ineffabili, in æterna luce: vbi est verè viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorum chorea. Idem in sermone quodam alio de dormitione Virginis nondum edito, habetur tamen in Vaticana Bibliotheca. Nam inducens Virginem loquentem, ait: *Quid splendidius, aut significentius quàm Dei matrem vocari, & esse, ingenij vllius acie potest conformari? Modum vero, & rationem, qua ex hominũ consortio, & conuictu fuit separata, inde potestis coniectura consequi, si locum, & gradum reuoluatis animo, ad quem corpus nostrum ex materia mortalis contagione compactum, & concretum fuit, à Deo transportatum. Corpus inquam Virginitatis flore mirificè honestatum, & à Dei numine, & maiestate assumptum, ex quo Christus omnis compositionis expers fuit quantum ad naturam humanã cõstitutus.* Sic ille. Vbi, quod ait corpus eius translatum, siue μετατεθῆν. non est falso interpretandum, vt putemus Virginem mortis expertem in cœlestem incolatum translatam, vt de Henoch, & Helia Scripturæ asserunt, & de Ioanne Euangelista quidam opinantur: nam hoc falsum esset, cum sermo sit ibi Andreæ Cretensi institutus De dormitione Mariæ. At hanc talem translationem impugnat Michael Glycas epistola ad Alypium Monachum, dicens: *Quid si hæc vera sunt, fallit oratio ea, etsi Theologi Ioannis inscribatur, quæ tradit ad paradisum fuisse translatum sacrum eius corpus, & ibi corruptionis expers asseruari.* Hæc ille: intellige ergo transportatam, vel translatam post mortem, & postea suscitatum eius corpus, & in cœleste regnum traductum.

Sextus sit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, sermone De dormitione sanctiss. Virginis: *Viuit omninò tuus spiritus; tuaq; caro à sepulchri corruptione permansit illæsa: Omnium saluti inuigilas, nemoq; reperitur, qui ad tuæ solicitudinis partem non pertineat. Quare licet nostri oculi ne te videant, teneantur: tu tamen dignis ipsa te visendam ostentas: neque impedire potest caro tui spiritus vim, atque virtutem.* Et paullò post: *Tuum virginale corpus omni ex parte sanctum ereptum ad summam incorruptibilitatem vitæ, illæsum, viuum, spirans, perpetuò in posterum insomne seruatur, vt vas quo Deus exceptus est. Pereat ergo in posterum mors, pereat tumulus, pereat puluis quod ad te attinet, Dei Genitrix.*

Septimus esto Cosmas Ierosolymitanus, qui alloquens B. Virginem: *Victricia* (inquit) *trophæa cõtra naturam, ô Dei vera Mater, erexisti: & imitans filium tuum; tuumq; opificem, omnes naturæ leges supergrederis. Quare verè semel mortua posteà cum Filio tuo semper victura suscitaris.* Sic ille: quæ citantur à Michaele Glyca autore Græco, & ponderantur, quia dixit: *Semper victura suscitaris*; ad differentiam eorum, qui semel suscitati à Domino rursus occubuerunt.

Octauus sit Timotheus presbyter Ierosolymitanus in oratione De propheta Simeone Dei susceptore, & habetur apud Simeonem Metaphrasten: hic igitur tractans illa verba: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, ita scribit: *Hinc nonnulli existimarunt Domini Matrem gladij morte affectam, finem accepisse martyrij, proptereà quod dixerit Simeon: Tuam quoq; ipsius animam pertransibit gladius. Non ita autem habet. Ferreus enim gladius corpus diuidit, non dissecat animã. Quo fit vt intemerata & sanctissima Virgo hucusq; sit immortalis; propterea quod qui in ea habitauit eam, traduxerit in loca, in quibus est assumpta.* Sic ille; quod rectè intelligendum est: non enim eam traduxit quoquam nisi post mortem eius, & non in alium locum, quam in cœleste regnum. Extat etiam sermo Leonis Imperatoris cognomento Sapientis, in transitum Virginis: *Ad præclarissimas*, inquit, *& purissimas sedes eius, per quam tenebrosa mors deuicta, & absorpta est, dum ex immaculata aluo Solem qui nunquam occidit, effudit.* Vbi transitum, id est, mortem Virginis celebrat, & eam in sacrum diuinitatis thronum translatam prædicat.

Nonus fuerit Simeon Metaphrastes sermone De ortu, & educatione Deiparæ, vbi hanc eandem historiam plenius enarrat; & Iuuenalis Ierosolymorum Episcopi testimonium producit ad idem confirmandum.

Decimus, & ex Græcis postremus sit Nicephorus, qui lib. 2. historiam totam De Virginis dormitione, & hymnodia Angelorum cessante post triduum, & Thomæ Apostoli aduentu, propter quem apertum fuit mausoleum, & amplius corpus non apparuit, diligenter describit. Idẽ lib. 15. recẽset templũ constructum à Pulcheria, petẽte corpus Virginis à Iuuenali, & eiusdẽ responsum de corpore eius in cœlum trãslato, & assumpto. Atq; ex his potes bone lector expendere, quid de B. Virginis gloria cum corpore assumptæ, Græca senserit Ecclesia. Vt interim omittam Cantica sanctorum Patrum, quæ Ecclesia Græca in laudẽ Virginis illo die decãtat, vbi sæpè hoc mysteriũ assumpti corporis tangitur. In quodam enim Cantico habetur: In translatione tua, Mater Dei, Angelorum exercitus gaudio, stupore, & admiratione plenus, augustissimum illud corpus, quod Deum susceperat, suis quidem alis reuerenter operiebat. Quid verò senserit Latina, iam superius indicauimus, quæ canit: *Assumpta es*

Maria

[Marginalia, left: ...m. | ...en. 5. | ...Reg. 2. | Michael Glycas. | S. Germanus Patriar. Constantin. ser. 2. de dormiti. S. Virginis. | Cosmas Ierosolym. hymnographus. | Michael Glycas.]

[Marginalia, right: Timotheus presbyter Ierosolymit. | Luc. 2. | Leo Imper. cognomento Sapiens, in orat. de die illo solemni. | Simeon Metaphr. | Niceph. lib. 2. ca. 23. | Idem lib. 15. ca. 14. | Latini Patres]

Maria in cœlum, exaltata es sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna Maria Virgo assumpta est ad æthereũ thalamum, & his

Aug tom 9.

alia similia. Augustinus in libro de assumptione Virginis, rationibus quinque hoc

Bern ser. 1. in Assumptio B. Mariæ, init.

Deiparæ priuilegium confirmat. Bernard. quoque sermo. In assumptione B. Mariæ: *Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis. Hæc est enim, cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc*

Luc. 1.

viscera claudunt. Quòd si paruuli necdum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est; quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cũ & vocem audire, & videre faciem, & beata eius

Idem ibidem

frui præsentia meruerunt? & infrà: *Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoq; dona ho-*

Ibid circa fin.

minibus. Et infrà: *Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursu cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu, quàm serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantùm decuit filium? Felicia prorsus oscula labijs impressa lactantis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedẽtis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo*

Cant. 1.

oris sui? Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit,

Esai 64 & 1.Cor. 2.
Maria Virgo Christum dilexit præ omnibus.

nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se: quod præparauit gignenti se, (& quod omnibus est certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè Maria, & multipliciter felix, siue cum excipit Saluatorẽ, siue cùm à Saluatore suscipitur. Vtrobique mira dignitas Virginis matris: vtrobique amplectenda

Quæ tantùm corporibus conueniant.

dignatio maiestatis. Hæc ille. Vides hic ascensionem, vocem, præsentiam, exaltationem, oscula, quæ corporis sunt propria, & magis quàm spiritus? Ad hæc inter scholasticos beatus quoque Thomas huic piæ

S.Thom. 3. p. q.27. art.1. & q.83. art 5. ad 2. & in opu 8.

sententiæ non semel attestatur, tùm in tertia parte per aliquot quæstiones, in quibus tradit Virginem à morte suscitatam: *Maria, inquit, est perfectè beata secundum corpus, quia cum corpore assumpta est in cœlum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, & portata in cœlum.* Rursus in quarto sentent.

Idem in 4. dist. 12. q. 1. ar 3. q. 2 ad 3

Quamuis beata Virgo sit super Angelos exaltata, non est tamen exaltata vsque ad æqualitatem Dei, vel ad vnionem in persona. Et ideo non dicitur sedere ad dexteram, sed adstare à dextris, in quantum honor filij aliquo modo participatiuè, non plenariè redundat in ipsam, in quantum dicitur Mater Dei, sed non Deus. Albertus in capit.

B Virgo cur non sedere ad dexteram Dei, sed astare à dextris dicatur.

vlti. Ioan. & in 4. senten. art. 14. Bonauent. in Speculo B. Mariæ. Durand. in 3. distinct. 3. Ricard. de S. Victor. q. 1. p. part. De visione Ezechielis, cap. vlt. & Baptista Mantuanus lib. Fastorum:

Psal. 44.
Bapt. Mant. lib. 8. Fastor.

Hæc est illa dies, qua Christus in æthera matrem
Sustulit indutam membris: sic credere sanctum est.
Nam nec erat locus in terris, vbi viscera condi
Fas erat æternum quæ progenuere Tonantem.

Libenter produco B. Brigittæ testimonia,

Quæ duæ rationes B. Brigittæ reuelationibus autoritatem & fidem conciliare valeant.

tùm quia eius reuelationes in Cõcilio Cõstantiensi approbatę fuerunt opera ac diligentia Cardinalis Turrecrematæ, non sine contradictione, vtpote pietati, ac veritati consonæ; tùm quia pios, & eruditos viros ab eis, etiam contra Hæreticos decertãdo, producẽdis minimè abhorruisse animaduerti. Illa igitur lib. 1. ita precatur: *Benedictus*

B. Brigit. c. 8.

sis tu Deus, qui corpus & animam Mariæ Virginis matris tuæ in cœlum assumpsisti, & super omnes Angelos iuxta Deitatem tuam honorificè collocasti. Et infrà Filius ad Matrem inquit: *Tu es*

Cap 46. init. Ecclesi. 24.
Filij Dei ad Virginem matrem honorifica vox.

quasi myrrha electa, cuius odor ascendit ad Deitatem, & deduxit eam in corpus tuum, & animam in Deitatem, vbi nunc es cum corpore, & anima. Et libr. 6. ac 7. ait, quod in cœlo non sunt alia corpora præter illud Christi, &

Cap. 62.
Cap. 26.
B Virgo quantum Christo mortuo super uixerit.

sanctissimę Matris. Ibidem asserit B. Virgo se vixisse per quindecim annos post ascensionem Christi in cœlos, & tanto tempore plus, quantum est de festo Ascensionis Filij sui vsque ad mortem suam: & tunc mortuam iacuisse in sepulchro per quindecim dies. Et in sermone Angelico: *Verè, inquit,*

Eadem Brig. in serm Angelico, ca. 20. in fin.

remota omni ambiguitate credendum est, quod sicut à Dei amicis corpus illud Virginis beatissimæ, sepulturæ tradebatur mortuũ; ita ab ipso Deo filio suo amantissimo, ad vitam perpetuam viuam cum anima venerabiliter est assumptum. Tertiò

Ecclesiæ vsus & consuetudo.

præter hæc omnia, habemus inuictum, & egregium ex cultu diuino, & more Ecclesiæ quem commendãt Scripturæ, testimonium. Prædixerat siquidem Dominus venturos

Ioan. 4.

veros adoratores, qui in spiritu, & veritate adorarent Patrem: non est ergo mendaciũ in cultu, quo assumptam in corpore Virginẽ Ecclesia veneratur, & colit. Est præterea in multis Ecclesijs precatio quædam, quæ illud continet, & ab Ecclesia Romana minimè reprobata, quæ talis est: *Venerãda Domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem; nec tamen mortis nexibus*

depri-

deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum: hæc oratio habetur in Ambrosiano Missali in vigilia assumptionis,& Michael Glycas ita in 3. annalium parte scriptum reliquit: *Cæterum tametsi Virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustauit, tametsi vt homo in sepulchrum est deposita; natura tamen fines atque terminos superauit, & excessit, neq; sepulchrum & & mortalitas eam in potestate sua retinere potuit.* Ad hæc consueuit Ecclesia corpora Sanctorum venerabiliter conseruare, eaque, dum periculum imminet, in supplicatione circumgestare,& ad eorum reliquias, ad arcendum periculum, confugere, vt constat de reliquijs B. Ioannis Baptistæ, Apostolorum eius Petri, Pauli, Thomæ, Bartholomæi, B. Laurentij, Stephani, atque aliorum martyrum, virginum, & confessorum: at B. Virginis corpus, aut reliquias ad corporis integritatem spectátes, nullibi spectandas, aut venerádas proponit Ecclesia. Nunquid Filius Dei honori Matris suæ inuidit? nũquid voluit sacrosanctum illius corpus sub terra latitare, ne vt illud Moysi, adoraretur? Profectò dici non potest illud delitescere: quia si Deus toties Sanctorum suorum corpora, vbi parum honorifice iacebát, reuelauit, quo inde eruta in maiori veneratione haberentur, atq; magis cohonestarentur: vnde S. Crucis, beatique Stephani detexit reliquias, vt propterea dies inuentionis eorum Ecclesia celebret, beatorumque Geruasij,& Protasij corpora, B. Ambrosio aperire dignat᷑ est: quidni quoque Matri suæ sanctissimæ,& amantissimę reliquias omni cultu, ac veneratióe dignas, si quæ extarent, reuelasset, cùm ea reuelatione & vniuersam Ecclesiam vehementi gaudio, & consolatione perfunderent, atque exhilararent, Genitricemq; suam debito venerationis cultu non defraudaret? Accedit, quod multi pij, & religiosi viri ꝓ martyrum, qui pro Christo occubuerunt, corporibus liberandis, deq; manu hostium eruẽdis manifesto se vitæ periculo frequẽter exposuerunt, deq; actu illo, quo fidem suam,& religionem protestabantur, commendati sunt, atque celebrati: mirum autem est nullũ extitisse, qui pro sanctissimæ Matris corpore honorando simile quid præstiterit. Quod apertum est argumentũ, eius corpus in terra nequaquam mansisse, sed in cœleste domicilium receptum; vbi cœlites vniuersi, atque sancti tanquam Reginam suam, dominam, ac pientissimã Matrem, omni cultu, veneratione, atq; laudibus prosequuntur. Neq; profectò infirmũ est argumentum, quod à voce ipsa Assumptionis desumitur: quod propriè in Scripturis est corporũ, vt superius indicauim᷑. Et si animo tãtùm B. Virgo assumpta fuit, quid vetaret quo minùs diceremus assumptionem B. Petri, Pauli, Stephani, vel Laurentij,& reliquorũ diuorum, cùm constet, eorũ quoq; animas fuisse in cœlum assumptas? Et certè ni velimus oculos veritati claudere, cogimur eodem modo accipere hoc verbum in Virgine, sicut in Filio eius Iesu Christo, qui dicitur in cœ'ũ assumpt᷑, semel apud Marcum,& bis in Actib᷑ Apostolicis, & iterũ apud Paulum in priori ad Timotheũ. Raro autem, & nonnisi metaphoricè transfertur hæc vox assumptionis ad animũ,& nonnisi aliqua textus circumstantia compellente: hic autem nulla tali vrgemur. Huic assumptionis voci altera vicina est, exaltationis: quę perinde B. Virgini tribuitur, atq; Christo. Canit enim Ecclesia: Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorũ, ad cœlestia regna: & in eius Assumptionis solennitate illud ex sapientia Iesu filij Sirach illi accommodat: *Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Sion: Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosę in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi plantanus exaltata sum iuxta aquam in plateis.* Eodem dicitur modo de Christo: *Dextera igitur Dei exaltatus:* & Paulus: *Propter quod & Deus exaltauit illum,* resurrectione videlicet, & ascẽsione, de qua explicando exaltationem, dixit: *Et omnis lingua cõfiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Est autem propriè corporũ hæc vox Exaltationis, secundùm illud: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ,* &c. & illud: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum;* &c., *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto,* &c. & Petr᷑: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Non tamen negauerim plerunque illa voce per metaphoram exprimi honores, & gradus excelsos, ad quos quisque assumitur: siue illi sint temporales, siue spirituales: vbi tamen possumus vtrosque simul & corporeos intelligere,& spirituales, vox illa amplior est, & significantior. Idem persuadetur ex voce ascẽsionis, quæ in Canticis propriè tribuitur Virgini: estque propriè corporum. Nã ita dicitur Christus in cœlum ascendisse. Vides igitur, ex vocib᷑ Assumptionis, Exaltationis,& Ascensionis non leuia, neque vulgaria deduci argumenta.

Postremo loco rationibus probabilibus, atque adeo sacræ Scripturæ consentaneis argumentabimur. Et primùm quidẽ à precepto honorãdi parẽtes, prẽsertim illos qui

Deut. vlt.

Marc. vlt.
Actor. 1.
1. Tim. 3.
Eccl. 24.
Actor. 2.
Philip. 2.
Esai. 55.
Ioan. 12.
Supr. 3
Num. 21.
1. Petr. 5.
Exaltatio in Scriptura quid signet.
Rationes ad probandam assumptionem veritatem.
1 Ratio
Exod. 20.

qui de filijs maxime sunt benemeriti. Est autem hoc præceptum naturale perpetuæ obligationis etiam in summis Pótificibus, & maximis Regibus, atque Imperatoribus. Cùm igitur Domin⁹ Iesus legem nõ venerit soluere, sed adimplere; haud dubiũ, q̄n ille, qui præ reliquis omnibus obedientissimum se prętitit filium aduersus matrem suam, summos illi honores, quorum & ipsa capax erat, & quos munificentissimũ Principem exhibere par erat matri suę, in illam contulerit planè. Nam & antequam eam in matrem assumpserit, constat ea ratione plurimis illã donis cumulasse, vt apta proinde, ac digna genitricis munere inueniretur. Qui igitur illam tanto honore prosecutus est, vt digna eius mater fieret; quantò magis eam putamus honore affectã, postquam mater eius effecta est, si non propter illam, saltem propter seipsum, cuius honor est, mater omni honorificentiæ genere cumulata? Quam rationem sic exornat Bernardi discipulus Guerricus sermo. 4. de festo Assumptionis: *Ego* (loquitur Christus) *ego sum, qui patrem, & matrem honorandos filijs commendaui. Ego vt facerem quod docui, & exemplo essem alijs, vt patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus vt matrem honorarem, in cælum reascendi, ascendi & praeparaui ei thronum gloriæ, vt à dextris Regis Regina coronata consideat in vestitu deaurato, circundata varietate. Neq; hoc dico, quod in parte ei thronus collocetur: quin ipsa potius est thronus meus: Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum.* Deinde si à labe culpæ originalis illam necdum matrem seruauit, ergo etiam à corruptionis verme, & fœtoris incineratione. Nam etsi quosdam peccati originalis effectus vna cum Iesu Christo communes sustinuerit: vt famẽ, sitim, laborem, dolorem, tristitiã, ac mortẽ: non tamen deformes, ac prauos, vt fomitem concupiscentiæ, corruptionis pudorem in conceptu, grauamen in gestãdo, in pariendo dolorem, ærumnarum, atque conceptuum multiplicationem, denique leuiora delicta, quæ originalis sunt effectus. Quòd si ab his omnibus miserijs communibus liberationem, & priuilegiũ obtinuit, q̄ filius suo iure habebat, quidni etiam ab incineratione, & verme protectã asseramus? vt, cum quali veste intrauit, id est puritate animæ, & corporis per immaculatam conceptionem, cum tali, id est per citam à morte resurrectionem, & ascensionem exeat. Tertiò, in sacris Scripturæ monumentis legitur, Christum conferre regnum cœleste ijs, qui eodem sensu afficiuntur cum illo. Quis enim ignoret illas voces Apostolicas: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt conglorificemur.* Aut his qui sibi ministerij seruitutem impendunt: *Si quis*, inquit, *mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit:* Aut opera pietatis exercenti: vnde iustis habentibus misericordiæ affectum, & facta, & regni possessionem cõfert. Quę ergo peculiariter commiserata est Christũ morientem, iuxta cuius crucem stetisse legitur: quæ singulariter illi ministrauit, & vt amantissima mater pietatis impendit obsequia; quid vetet, quominus cogitemus illam singulari beneficio ad præmium in corpore, & anima recipiendum iam peruenisse; quæ ei tum animo, tum corpore fuerat famulata? Vnde & in eius solennitate Euangelium Marthæ, & Mariæ illum excipientium legitur, vt ex ancillis magnitudinem dominæ, ac reginæ valeas agnoscere. Nam cum Maria, optimam sortita est partem, scilicet cõtemplationis, nunquam ab ea auferendam; & cum Martha, nobilissimum exhibuit ministerium, illum excipiens domi suę, hoc est in intimis corporis, & animi sui visceribus administrans, cibãs, & potans, atque vestiens, cæteraq; diligentissimæ matris munera præstans. Certè si Raab hospes exploratorũ promeruit cum tota ciuitate pereunte sola perire; ergo nec Mariæ corpus debuit communi mortis corruptioni subiacere cum reliquis. Quartò, si Dominus Martham hospitam; quæ domi suę illum excepit ad tempus, tantum habuit honoris, vt eam cum sorore sua scriptis illustrauit, & celebrauerit euangelicis; Si præsepe, in quo natus, est ad horam repositus, ita exornauit; Si Nazareth, vbi cõceptus atque nutritus, tanta decorauit gloria, vt cernere licet in domo Lauretana, quę in hanc vsq; diẽ inclyta est, insignisq;, Si crucem, in qua tribus tantũ horis pependit, & sepulchrum, in quo ad tres dies mortuus iacuit, tantopere sublimauit: quod ferendum de matre iudicium, quæ vera est Martha tot annis hospitans Dominum; verum præsepium, in quo libenter inclinatus suis Filius Dei; veraque Nazareth, ex cuius visceribus conceptus est; internaque Crux, præsentia cuius in Cruce nõ minus affligebatur, quam externa; viuumq;, ac proprium sepulcrum, quod sponte, magnaque cum humilitate, ac fide viuũ Christum ad mundi salutem profudit. Quintò, si diuina elegit voluntas inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum trium puerorum corpora per gratiam solam; verum & ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat in matre quod elegit in veste aliena? Ionam seruare in ventre ceti

præter

Marginalia: Matth. 5. — Guerricus B. Bernard. discipulus. Exod. 20. & Matth. 15. — Psal. 44. Maria virgo est thronus Dei Filij. [.] Ratio. — Christus & Maria quasnã peccati originalis pœnas omnino non senserint. Anast. 3. — [.] Ratio. Regnum cœlorum quibus conferat Christus. Rom. 8. — Ioan. 12. — Matth. 25. B. Virgo de Christo quam sit bene merita. Ioan. 19. — Luc. 10. In Maria & Martha sororibus pulchrè B. Virgo est adumbrata. Quænam Mariæ Virginis domus qua exceptus est Filius Dei. — Iosu. 6. — IV. Ratio. Luc. 2. — Infra 4. — Esa. 11. — V. Ratio. Dan. 3. — Ion. 2.

præter naturalem vſum voluit incorruptũ ſola miſericordia: Mariam incorruptam, præter naturam non ſeruabit gratia? Seruatus eſt Daniel ab intemperantiſſima fame leonum, non ſeruanda eſt à cinere & verme Maria tantis dotata meritis dignitatum? Hæc cuncta in Virginem dona, & ornamenta collata, quia naturam nõ ſeruaſſe cognouimus, in Maria plus potuiſſe gratiam, quã naturã, aſſerere non dubitamus? Si corpora Sanctorum, in quib⁹ diuina inhabitauit gratia, dæmonum ad illorũ præſentiam expulſione, tãta miraculorum, ac ſanitatum virtute, tanto populorum ad illa religioſe viſenda, & colenda confluxu in terra decorauit, corpuſq; ſuũ in Euchariſtia multis modis illuſtrauit: magna profecto ratione efficitur, vt ſanctiſſimæ Matris corpus, in quo admirabili quadam ratione, & incomprehenſa latitare dignatus eſt, omnibus honoris, & laudum ornemẽtis decoraſſe credamus. Sextò, ſi non fuit bonum in mundi conditione hominẽ eſſe ſolùm, ſed factum eſt adiutoriũ ſimile ſibi, hoc eſt, Eua; ita in mundi inſtauratione, ac redemptione nobis bonum nõ fuit hominem eſſe ſolum; adiuncta eſt illi non ob vllum ſuum defectum, aut impotentiam ſeruandi, ſed ob decoram conuenientiã, ſuauitem, ac teneriorem Dei erga mundum amoris affectum demonſtrandum ſanctiſſima eius Genitrix, quę quidquid habet, totum à Chriſto accepit. Igitur in mũdi glorificatione, & poſtrema regeneratione bonum nobis non erat ſolum Chriſtum eſſe in cœlo, quare pro ſua ſapiẽtia poſita eſt in cœleſti paradiſo ſecunda Eua integra cum ſecũdo Adamo, vt omnia bona nobis polliceri valeam⁹: vbi in ſanctiſſimę illius Trinitatis rota Filium habemus oſtendentem Patri latus, & vulnera: Matrẽ amantiſſimo Filio ſuo pectus, & vbera proferentẽ: vt piè admodũ meditatus eſt Bernard⁹. Septimò: Nõ dubitamus Dominũ in ſanctificatione animã Matris à contrahendo originis peccato præſeruaſſe: quidni ergo corpus à corruptione, & verme præſeruet? Contulit ante temp⁹ vſum liberi arbitrij, vt teſtatur Auguſt. ad Dardanum: quid ergo, ſi contulit immortalitatem, & gloriã corpori ante cõmunem omnium reſurrectionem? Si ad nuptias Cana Galileæ aquę conuerſionem in vinũ, antequã ſigni veniret hora, ſuis precib⁹ obtinuit; & ſi ſuis glorioſis meritis Incarnationis myſteriũ accelerari (vt omnes tradunt) promeruit; deniq; ſi nos propter eius ſingularia merita à periculis tum animæ, tum corporis ſæpè à Deo liberamur; quid miremur ſi eius corpus Filij ſui gratiſ-

Danie. 6. & 14.

VI Ratio. *Geneſ. 2.*

Bernard. VII. Ratio.

Aug. tom. 2.

Ioan. 2.

ſimi beneficentia, ante tempus cęteris corporibus præſcriptum, ad immortalitatẽ ſit ſuſcitatũ, & in cœlo collocatum? Octauo, ſi rectè deputes, hoc priuilegium maximè Deum decet, cuius potentia, quæ olim corpus Henoch, & Heliæ ſeruauit, in hoc beneficio declaratur: illuſtrat eius ſapiẽtiam, ac in promiſſis fidelitatẽ, largiẽdo pro ſuo more plura, quã promiſit: decet Filiũ Dei, cuius honor eſt omnimoda gloria Matris: vnde & Rex Salomon matri ſuæ Berſabeæ iuſſit opponi thronum ad dexteram ſuam. Ad hæc conuenit Spiritui ſancto, quia, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, vt ait Apoſtolus, viuificabit & mortalia corpora veſtra: & vt præceſſit Filij reſurrectio illam matris, & omniũ, ita illa matris debebat eam, quæ omnium eſt, præcedere. Contulit etiam ad decus Angelorum, quos ſua aſſumptione, ac præſentia, & virgineæ puritatis lampade exhilarauit, atque lætificauit, vt & meritò canat Eccleſia: De cuius aſſumptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei; ac ne habeant penes ſe dimidiam reginam, ſed integram corpore, & animo conſtantem. Denique propter nos ipſos ſummè expediebat tanto Mariam ſplendere prærogatiuo, neque id vna tantùm, ſed multiplici ratione. Primò, ad ſtabiliẽdam fidem in nobis de humana in vtroq; ſexu glorificatione, & aſcenſione. Deinde, ob ſpem noſtrã erigendam, dum vita glorioſa à capite Chriſto per venerabile collũ Virginis ad nos tanquã in membra deſcendit. Hinc Michael Glycas in epiſt. ad Alypium Monachum: *Nam quemadmodum poſt primorum peccatum parentum corpora propter peccatũ interitui facta ſunt obnoxia, & hinc huiuſmodi peſtis, ac labes per omnem eorum poſteritatem permanauit: ſic modo duo corpora facta corruptionis ignara, & neſcia. primitia fuere vita, quam expectamus ſempiterna.* Tertiò, ob charitatem in nobis alendam, certamque exauditionis præſtandã fiduciam, dum cognoſcimus illam totam eſſe nobis intentam, & nihil de ſe, aut corpore ſuo ſolicitã, in quo omnes alios planè vincit cœlites, quorum vota, & curæ partim ad ſeipſos, partim ad nos extenduntur. At Virginis precatio, & ſolicitudo, tota ad noſtrę ſalutis ſtudium cõuerſa eſt, ac vt beneuolentiſſima, & noſtræ ſalutis ſitientiſſima Mater cauſſam filiorum ſuorum apud Deum ſedulò agit, nobis inuigilat, noſtros deprauatos mores ſuauiter corrigit, bonis, ac iuſtis blãditur, & ad progreſſus in via Dei faciẽdos cohortatur: nobis porrigit dexteram, nos ſuo protegit patrocinio, demum tota noſtra eſt, quæ Mater dicitur miſericordiæ, Regina cęlorum, mundi

VIII. Ratio.

Gen. 5. 4. Reg. 2.

3. Reg. 2.

Rom. 8.

Michael Glycas Græcus autor.

Nomen clarum Virginis Mariæ.

mundi Domina, Stella maris, Aduocata, Mediatrix, Conredemptrix, Cõſeruatrix, Dei Genitrix iuxta, atq; iudicis Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ob tantum donum immortales habeantur, reddanturque gratiæ in ſeculis ſeculorum. Amen.

TRACTATVS XXXIX.

Ac poſtremus, De ratione, ac modo, quo beatiſſima Virgo Deipara aſſumpta eſt in cœlum.

SVPERIORI tractatu ex tribus quæ propoſuimus, duo priora præſtitimus: nam & ea diſſoluimus, quæ aduerſus hoc myſterium proferuntur; & Aſſumptionẽ corporis Matris Dei Scripturis, veterumque Patrum teſtimonijs, atque rationibus pro noſtra tenuitate corroborauimus. Supereſt vt de modo, ac circumſtantijs tanti Sacramenti ea proferamus, quæ Fidei in primis ſint conſona, & à ratione, & Patrũ probabilibus traditionibus minimè diſſentiãt. Primo igitur loco illud ſtatuimus, dubium non eſſe, quin Chriſtus Domin⁹ pro ardẽti ſua aduerſus Matrem dilectione, illã ſecum in aſcẽſione ſua in cœlum fuiſſet euecturus, ſi id magis aut illi, aut nobis conducibilius, aut expedientius extitiſſet: nec illud etiam ambigendum, quin ipſa promptiſſimo & lubentiſſimo animo ſe Chriſto comitem adiunxiſſet, ſi temporis ratio, aut Chriſti gloria poſtulaſſet. Verùm aliter viſum eſt æternæ Chriſti ſapientiæ, quæ illam ad aliquot annos in mundo relinquere magnis de cauſis opportunum eſſe indicauit: in cuius abditis, ſapientiſſimiſq; conſiliorum rationibus illa acquieſcens, patienti, & forti animo diuturnam ſanè illam ſuis deſiderijs moram in hoc mundo ſuſtinuit. Si cauſas tibi velis exponi, breuiter illas attingam. Mãſit enim tamdiu apud nos Dei ipſius cauſa, & ratione Filij ſui, & propter ſeipſam, & propter Apoſtolos, atque adeò propter nos omnes. Quod attinet ad Deum; vt eſſet in terris ancilla ſanctiſſima, quæ ſuis obſequijs, atque religioſis operibus ſummè Deum honoraret, iratum placaret, propitium, & amicum debita gratiarum actione proſequeretur, eumque alios ſuo exemplo doceret honorandum, propitiandum, grataq; animi ſignificatione promerendum. Porrò ratione filij conferebat apud nos manere; vt eius Diuinitatẽ patefaceret; verba omnia quæ in corde ſuo cõferens conſeruauerat, aperiret; Myſteria

[Left margin: …uare B. Vir… non ſtatim …cœlum ſit …ſumpta cum …riſto, ſed …apud nos …manſerit. …Ratio. / …Ratio. / …c. 2.]

paſſionis recolenda, ſuo documento oſtenderet; animaſq plures illi aſciſceret, ac acquireret. Propter ſeipſam vero; vt amplioribus meritis, ac benefactis, celſiorẽ ac pretioſorem remunerationis coronam etiam ſuper omnes Angelos, Poteſtates, Virtutes, ac Dominationes; ac reliquas beatas mẽtes promereretur. Ac propter Apoſtolos, ne Eccleſia matre ſimul priuaretur, & Filio: nam ob eam cauſam ante receſſum ſuum Chriſtus pro ſua ſapientia, & apparebat frequenter, & ſubducebat ſeipſum, vt paulatim Apoſtoli aſſueſcerent ſubtractioni humanitatis ſuæ ab eis aliquando penitus faciendæ. Quamobrem conſilium Dei fuit, vt ſublata ad tempus humanitate, relinqueret Matrem, quoad adoleſceret nurus eius, id eſt, Eccleſia Spõſa Chriſti, eamque ſua præſentia conſolaretur, verbiſque inſtrueret, deque multis ſecretis ad Euangelium ſpectantibus erudiret, precibus ſeruaret, inuictaque ſua patientia confirmaret. Tandem propter nos meritorum ſuorum theſauro ditãdos (eſt enim parentum theſaurizare filijs) & vt moram in hoc mũdo, ac abſentiam à Domino Ieſu æquo animo feramus, & cum B. Martino dicamus: *Domine, ſi populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*: Denique vt vitæ ſanctè, ac honeſtè tranſigendæ illuſtre exemplum nobis relinqueret apud nos diu manſio. Nã vt quidam ex noſtris dixit: *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit.* Haſce mãſionis ſuæ cauſas ipſamet cuidam ancillæ Dei reuelans, dixit: *Ego poſt aſcenſionem filij mei lõgo tempore vixi in mundo, & hoc voluit Deus; vt viſa patientia mea, & moribus meis, plures animæ conuerterentur ad eum; Apoſtoli Dei, & alij electi roborarentur. Et etiam naturalis diſpoſitio corporis mei hoc exigebat, quod diutius viuerem, vt corona mea augeretur. Nam omni tempore, quo poſt aſcenſionem Filij mei vixi, viſitaui loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit. Sic quoque paſſio ſua in corde meo fixa erat, quod ſiue comedebam, ſiue laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Sic illa. Vbi ergo tempus inſtaret diſceſſus eius ex hoc mundo, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, primogenitoque eius Filio, vt admoneret iam inſtare tempus (quod & ipſa nõ ignorabat) vt veniret ad ſe; & ipſum ad eam iterum venturum, quo honorificentius exciperetur. Fuit autẽ hic nuntius illi gratiſſimus, ſicut olim ille Incarnationis extiterat. Nam vt dicitur à Salomone: *Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.* Sitiens illa anima eſt, de qua ait Dauid: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad*

[Right margin: III. Ratio. / IV. Ratio. / Mariæ Virginis nurus Eccleſia eſt. / V. Ratio. 1. Cor. 12. / Ambroſ. li. de virg. tom. 1. B. Brigit. lib. 6. c. 61. / Luc. 1. …ibicus anima qua ſit. Prouer. 25. Pſal. 41.]

Deum fontem viuum, &c. Fertur autem Gabriel venisse cum palma (vt testes sunt Simeon Metaphrastes, & Germanus Patriarcha Cõstantinopolitanus, & Michaël Glicas) in manu ante feretrum deferenda in signum victoriæ de morte per eam partæ, & triumphi per eam agendi in vita immortali: vt olim filij Hebræorum à Deo inspirati fecerunt instante Christi morte, quò Christi de morte triumphum significarēt. Certè in his nihil video quòd quisquã possit iure inficiari, calumniarive. Etenim Paulus mortem prænouit instare sibi, cùm inquit: *Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat*, ac Petrus Apostolorũ Princeps: *Certus sum*, inquit, *quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod est Dominus noster Iesus Christus significauit mihi*: Quod ergo Apostolus datum fuit, quis neget charissimæ Matri negatum? Excepit B. Virgo nuntium hoc incredibili cum voluptate, ac lætitia, gratoq; ac prompto animo respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdùm verbum tuum*. Cœpit autem beatissima Virgo se præparare ad discessum: quam porrò adhibuerit in se præparanda rationem, ipsamet cuidam Dei ancillæ patefecit: *Cum quadam die*, inquit, *elapsis aliquibus annis post ascensionem mei Filij, multum anxiarer de desiderio perueniendi ad eundem Filium meum; vidi Angelum fulgentem sicut anteà videram, qui dixit mihi: Filius tuus, qui est Deus & Dominus noster, misit me nuntiare tibi, quod tempus iam est, quo corporaliter venies ad eum ad recipiendam coronam tibi præparatam. Cui ego respondi. Nunquid nosti diem, aut horam, qua migratura sum ex hoc mundo? Et respondit Angelus: Venient, inquit, amici filij tui* (Apostolos intelligit) *qui sepelient corpus tuum. Quo dicto disparuit Angelus, & ego paraui me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat. Cumq; quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis; Tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta. Sed quæ, & quàm magnifica tunc vidit anima mea, & quali honore eam honorauit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & à quali multitudine Angelorum eleuata fui, nec tu capere posses, nec ego tibi dicere volo, antequàm anima, & corpus tuum separabuntur: licèt aliqua de his omnibus ostendi tibi in illa oratione quotidiana, quam tibi Filius meus inspirauit. Hi verò qui tunc mecum erant in domo quando tradidi spiritum, benè nouerunt ex insolito lumine, qualia diuina tunc mecũ agebantur. Posthac autem amici filij mei diuinitùs missi, sepelierunt corpus meum in valle Iosaphat. Cum quibus fuerunt Angeli infiniti quasi atomi Solis. Maligni verò spiritus non audebant appropinquare*. Hæc ibi. Vides igitur pulchram se præparandi rationem? videlicet in recolenda Christi passione, eiusque mysterijs peculiariter contemplandis positam? Ita se illa disposuit ad obitũ suũ; cuius tamē tota vita nihil aliud fuerat quã præparatio quædam. Et vt Virgo sanctissima præparata fuerat cum lampade sua, oleo charitatis, ac bonorum operum plena, vt possit omnibus opportune postulantibus infundere. Docuit igitur nos Mater sanctissima, optimam, & salutarem spiritũ tradendi rationem, in eo maximè sitam esse, vt quisque fide recolat, quæ, & quanta Filius Dei pro se sustinuerit supplicia, atq; tormenta, quo nos in libertatem assereret, & in æternam vitam proueheret, illaque in nos munitos nihil iuris habere spiritus malignos.

Simeon Metaphrast. Germanus Patr. Const. Michael Glycas. Matth. 21. 2. Tim. 4. 2. Petr. 1. Ioan. 21. Luc. 1. Qua ratione ad obitus sui diem se præparauerit B. Virgo. B. Brigitta li. 6. c. 62 init. Luc. 1.

Tradendi Spiritum Deo optima ratio quæ. Matth. 25.

Et quoniam in verbis illis ancillæ Dei productis habetur: *Aliquibus annis post ascensionem mei Filij, &c.* non præcisè quot essent, explicauit: hinc dubiũ emergit, quoto anno à Christo in cœlũ subducto assumptio Virginis contigerit. Communis est enim sententia Eusebij in Chronico, iuxta reuelationem quibusdam seruis Dei factam, anno 15. accidisse à Christo in cœlos assũpto, & B. Brigitta idem tempus notat; eaque opinio vt communior multorũ animos persuasit, quam & nos secuti sumus: vt 63. annis vita sanctissimæ Deiparæ cõsummetur. Alij autem Mariæ vitam 59. annis metiuntur, eamque post Domini passionem anno vno, & mensibus quinque vixisse tradunt: ad quod probandum Vassæus lib. 8. Chronicorum testimoniũ producit ex B. Virginis Elisabethæ, & B. viri Bertrami Cisterciensis reuelationib. quæ sanè sentētia improbabilis videtur, etsi eam videatur secutus Melito Episcopus Sardensis, aut vt Beda ait, Episcopus Asiæ, vt Ioannes Trithemius testatur, qui librum edidit de transitu Virginis, quem apocryphum esse declarat Gelasius in cap. Sancta Romana Ecclesia, Dist. 15. & Beda in Retract. Actuum Apostolorum, cap. 8. & 13. vocat apocryphum, eo quod secundo anno post Ascensionē asserit Apostolos per omnem orbem ad prædicandum dispersos, & in suam quemque prouinciam fuisse diuisos: qui vniuersi appropinquante obitu B. Mariæ, de locis, in quibus prædicabant verbum Dei, in nubibus rapti sunt Ierosolyma, inter quos erat Paulus missus iam ad prædicandum Gentibus cum Barnaba. Quæ narratio, vt habet Beda, non consonat cum verbis Lucæ Act. 8. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis, & omnis dispersi sunt*

Quoto anno à Christi in cœlum ascensione assumptio Virginis contigerit. Euseb. Cæsar. B. Virginis ætas quæ fuerit. Secunda opinio minime probabilis. Vassæus. B. Elisabeth. B. Bertram. Melito Sard. Episc. Beda. Ioan. Trith. Gelasius Pap. Beda tom. 6. Actor. 15. Supr. 8.

sunt per regiones Iudaeae, & Samariae, praeter Apostolos, qui vsque ad 13. annum vnsti fuerunt antequam dispergerentur. Missio etiam Pauli ad praedicandum Gentibus contigit post multos annos, id est, post mortem Iacobi, & liberationem Petri de carcere Herodiano. Abiit etiam, vt ait Beda, & credamus Ioannem Apostolum, cui Domin⁹ in cruce matrem suam, Virginem virgini commendauit, post vnũ annum recessisse, & eam reliquisse solam, ac tãto tempore deiectam, vt etiã corpus suũ defunctae timeret ab hostibus esse comburẽdum: eumq; propter quã raptus est in nubib⁹, ad se redisse velut oblitum, siue incuriosum sui, solibita precaretur dicens: Rogo te fili Ioãnes, vt memor sis verbi Magistri Domini mei Iesu Christi, qui me commendauit tibi. Ecce enim vocata ingrediar viã vniuersae carnis. Audiui autem consilia Iudaeorum dicentium: Expectemus diem, quando moriatur, quae portauit Iesum Nazarenum, & corpus eius comburamus. Nunc ergo fili curam habeto exequiarum mearum. Haec Beda contra historicũ illum Melitonem: cuius vltima verba de timore corporis comburendi, indigna sunt beata Virgine, quia nouerat quę futura essent; & corpus etiam sepultum exhumare poterant, & comburere. Alij verò opinantur, ad annos 72. vitam Virginis productam fuisse: & huius sententiae autor est Epiphanius Graecus quidam Presbyter Constantinopolitanus, qui vitam Virginis conscripsit, & profert quendam Andream Cretensem, Patriarcham Ierosolymitanum, qui ad summam ait aetatem venisse Virginem: at summa aetas non est (inquit ille Epiphanius) 59. vt ait Hippolytus Thebanus, cuius sententiam retulerat. Quae sententia 59. annorum etiam fuit diuini Euodij Episcopi primi post Petrũ Antiocheni, citati à Nicephoro lib. 2. Hist. Eccles. cap. 3. Docet enim à Christi natiuitate ad Mariae migrationem fluxisse annos 44. cùm pepererit Dominum annum agens 15. vixerit autem cum Christo annos 33. qui omnes anni efficiunt summam 59. annorum. Idem sensit Melanchthon libr. 3. Chronicorũ: ponit enim D. Virginem 56. annos natam sub Claudio Imperatore diẽ suum obiisse. Eadem ratione ruit & illa aliorum sententia, qui vitam Mariae annis 63. terminant, annos 15. ei tribuentes post Dominum in coelum assumptum: quod etiam falsum esse, sicut & illud de 49. annis fortissimè euincitur ex libro Actorum Apostolicorũ. Nam vt ait Dionysius Areopag. lib. de diuin. nomi. ipsemet Dionysius interfuit funeri B. Virginis cum Apostolis & aliquot discipulis. Et certè Dionysius interesse nõ potuit nisi Christianus iam factus: at religionem Christianam nõ suscepit nisi prędicãte Apostolo Athenis. Quod certè nonnisi aliquot annis elapsis à Concilio illo Ierosolymitano accidit: nam illud 18. anno à Christo assumpto est coactũ, vt ad Gal. 2. insinuatur. Et post illud venit in Syriam, Antiochiam, inde Derben, Lystrã, Iconium, Phrygiam, Galatiã, Mysiã, Troadem, Macedoniam, Lydiãq;, vt habes Act. 16. Postea verò peragrauit Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicã, Berrœã, Athenas, vbi Dionysiũ Christo lucrifecit: ergo aliquot anni elapsi fuerunt ab illo Cõcilio Ierosolymitano ad Dionysij conuersionẽ, & aliquod tempus tribuendũ ab eius conuersione, ad aduẽtum eius in sacrã vrbem, quo tempore B. Virgo assumpta fuit. Quare 24. vel 25. annos à Christo assumpto ad assumptionem Virginis fluxisse exploratũ est, nisi velimus librum Dionysij Areop. de diui. nomi. pernegare. Hoc idem probari potest ex alijs discipulis, qui in eius obitu adfuerunt, nimirum Timotheo atq; Hieroth, qui etiam Virginem summis laudibus celebrarunt: at Timoth. ad fidem vocatus fuit Act. 16. & Dionys. cap. 17. & Hieroth adhuc tardius conuersus fuit, si illũ Paulus lucrifecit in Hispania; alij omnes nonnisi post celebratam Synodũ Ierosolymitanã per aliquot annos: at illa Synodus celebrata fuit post 18. annum à Christo in coelum assumpto. Hoc etiam cõfirmatur in primis autoritate Georgij Cedreni, qui in cõpendio historiarum suarum de morte matris Dei verba faciens, scribit: *Tradidit sanctam suã animã Domino, ac Filio, & Deo suo annos nata 72. (quidam dicunt 58.) Vixit ergo 24. annos post Christi in coelũ ascensum.* Haec ille. Deinde ex eo quod Michael Syngell⁹ in Encomio Dionysij Areop. & Simeon Metaph. in ser. de ortu, & educatione Virginis tradunt, Dionysium ex Occiduis mũdi plagis cum alijs Apostolis ad mortem D. Virginis, & eius sepulturam celebrandam fuisse aduectũ. Est ergo probabilior sententia ea, quae prolixiorem vitae aetatem illi tribuit post assumptum in coelum filium, vt ad aetatem prouectam, & ad multam senectam peruenire potuerit, id est, 70. annũ attigerit, vel excesserit: quam sententiam vt rationi magis consentaneã, tuentur Epiphan. presbyter Constantinop. in libr. de vita Mariae, & Michael Glycas in 3. parte Annal. & Cedrenus, qui illi concedit 72. annos. Et confirmantur haec autoritate Andreae Cretensis viri magni, & excellentis, & B. Anselmi, apud quem in vltimo opusculo legimus:

Paulus quando ad praedicandum Gentibus missus. Infra 12. Ibidem. Ioan 19. Beda. Luc. 11. III. Opinio. Epiphanius Constantin. presb. lib. de vita B Virginis. Quaenam summa hominis aetas. Hippolytus Thebanus. Euodius Antioch. Eccles post Petrum primus Antistes. Nicepho. Callistus. Luc. 2. Quotennis Virgo Christũ pepererit. Melanchthon. D. Dionys. de diuinis nominibus, cap. 3. ad finem.

Hic quando fuerit ad Christum conuersus. Actor. 17. Supr. 15. & seq. Galat. 2. Pauli peregrinatio. Georg. Cedr. Actor. 16. Infra 17. Mich. Syngel. Simeon Metaphr. Probabilior opinio, quae placet autori. Michael Glycas. B. Anselm. 2.

Quæ cum assumpta fuit in cœlum, fuit 82. annorum: puto errore Typographi scriptũ 82. pro 72. quod probatur ex cõputatione, quã subiungit. Ait enim anno 15. peperisse Saluatorem mũdi, & cum eo vixisse 33. annis, & post eius ascensionem 24. qui numeri simul iuncti efficiunt 72. annos, non 82.

Quot annis beata Virgo Christo conuixerit, quotque eidem superstes fuerit.

Tertia circumstantia assumptionis.

Tertio statuendum est, audito nuntio Angeli, summo studio, ac desiderio accensam fuisse Deiparam amicos Filij sui, hoc est, Apostolos, in quos vt filios per amorẽ erat transformata, videndi: qui omnes in momento per Angelorum ministeriũ adducti sunt, vt olim Habacuc, aut rapti in nube, vt Helias, & Philippus diaconus, quos oẽs vt filios à se peculiariter dilectos, ac Filij sui fideles amicos cõspicere desiderauit: tũ vt ex mutuo conspectu mutuã caperẽt solatij & oblectationis materiam, tũ vt eos ad charitatem, patientiã, atq; perseuerantiam cohortaretur; tùm vt id, quod Christo Dño debebant, nec tamen metus causa prȩstiterunt, nimirũ vt sibi moriẽti assisterent, saltem rependerent in Matris obitu; tum deniq; vt hoc facto nos instrueret, vt bonos, & sanctos viros Dei seruos accersamus, nostræq; vt morti adesse velint, deprecemur, quò nos precibus suis, ac prudentibus verbis animam agẽtes communiant, atq; corroborent. Quod autẽ Apostoli morti Matris adfuerunt, ac funeri, imò etiam 70. discipulorum cœtus, vt quidam volunt, docent Patres, præsertim verò Nicephorus, Simeon Metaphrast. Damascen⁹, Michaël Syngellus, & alter Michaël Glycas, & Maximus Abbas, & Iuuenalis Episcopus Ierosolymorum, & ipsemet Dionysius Areopagita libr. de diuin. nominibus, cuius hȩc sunt verba. Namque & apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros (id est, Apostolos, cùm & nos (vt nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod autorem vitæ, Deumque ceperat, cõuenissemus, (aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus) supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen.) Et subiũgit deinde, post illud spectaculum visum esse, vt quisque hymno cãtato in Virginis laudem, Deum celebraret, ipsa adhuc viuente. Quæ sanè commendandi ratio à verbis Virginis non abhorret, quæ dixit: Beatam me dicent omnes generationes. Illis autem omnibus auditis, illa in Canticum gratiarum actionis, vt olim, prorupit, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quanquam sint qui has laudes Virgini post obitum eius exhibitas sentiant, aut fortassis etiam dum adhuc viueret, & simul post mortem laudata est.

Apostoli oẽs per orbem dispersi, diuina virtute conuocati, diuæ Virgini pro eius votis affuere morienti, & quibus de causis id factum fuerit.

Dan 14.
4. Reg. 2.
Actor. 8.

Moribundis quid curandũ sit admodum salutare.

Apostolorum illa moribundæ Virgini assistentium traditio confirmatur grauissimis testimonijs Patrum.

Niceph. lib. 2. cap. 21.
Simeon Metaphr.
Mich. Syngel.
Michael Glycas.
Maximus Abbas.
Iuuenalis Episcopus.
Dionysius Areop. cap. 3. lib. de diuinis nominibus.

Apostoli diuino spiritu pleni Pontifices.

Petrus Apostolus supremum decus, & antiquissimum Theo-[logorum columen, ait Dionysius.]

Luc. 1.
Ibidem.

Testimonium Iuuenalis Ierosolymorum Patriarchæ superiùs allatum ex Oratione quam habuit coram Marciano Cæsare; huiusmodi est: *Ex antiqua, inquit, & verissima accepimus traditione, quod tempore gloriosæ eius dormitionis vniuersi quidẽ sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem Gentium obibant, momento temporis in sublime sublati conuenerunt Ierosolymis: & cùm apud eam essent, eis visio extitit Angelica, & audita diuina hymnodia præstantiorum potestatum, & sic cum diuina gloria, & supercœlesti in manus Dei sanctam tradidit animam ineffabili quodam modo.* Hæc ille. Quòd verò vniuersos discipulos, vel etiam 70. discipulos venisse dicitur; intellige omnes qui tũc viui, & superstites erãt, qui corpore, & animo interfuerunt: nam illi, qui extincti iam erant, spiritu & animo procul dubiò adfuerunt. Aduerte etiam quid scribat Michaël Glycas in Epistola ad Alypium Monachũ: *Aduerte igitur, homines iustos, quando moriuntur, Sanctos sæpè aspexisse, & illos diuinorum carminum quasi in cœlo positos melodiam percipere, velut D. Gregorius narrat: nec hoc tantùm, sed sæpè ijs ipse Christus apparet. Sed qua de causa? vt animi Sanctorum videntes huiusmodi, & audientes, cùm ex vita sit abeundum, animæ separationem à corpore sine dolore perferant.* Et infrà: *Si ergo sic se habent, ac viri boni cùm animam agunt, vident huiusmodi spectacula propter iam dictam rationem; multò magis congruebat, Christũ eius purissimæ Matri ex carcere corporis auolanti sese demonstrare.* Hæc ille, quæ diligenter sunt expendenda, quia vsui nobis erunt, non tãtum in iam dictis, sed etiam in paullò pòst dicendis. Quòd verò has laudes Apostoli non cecinerint Christo extincto, in causa est, quod fuerit violẽta morte peremptus per manus inimicorum suorũ, nec erat tunc qui eiusmodi laudes audiret, aut qui eas sciret fũdere ex Apostolis, cùm adhuc rudes essent, & meticulosi, & necdum cȩlitus Spiritum sanctũ accepissent. Quod verò etiam præter Apostolos interfuerint septuaginta discipuli ad hoc venerandum spectaculum, & vt exequias celebrarent, tradit Michaël Glycas, & probatur, quia etiam adfuit ipse Dionysius, vt ipse prædicto testatur loco: & Michael Syngellus in Encomio ipsius Dionysij tradit, ipsum ex Occiduis partibus per aëra vectum ab Angelo. Connumerat etiam ipse Dionysius ibidem Hierotheum præclarum post Apostolos laudatorem Virginis. Quare verba Dionysij Areopagitæ, quæ à Nicephoro, & Ioanne Damasceno, & Michaële Glyca, alijsque Græcis adferuntur, non de corpore Christi, sed Virginis esse intelligenda,

Quomodo v[erũ] sit, omnes Apostolos ad Virginẽ mo[rti] proximam conuenisse.

Michael Glycas.

Hominibus i[u]stis quando moriuntur, sancti viri, & Christus ipse [vi]deantur interdum.

D. Greg. lib. 4. Dialog.

Quare Apostoli Christi mortem vt illam Virginis, laudibus, & hymnis non sint prosecuti.

Vnde notum sit, cum Apostolis etiam 70. discipulos Domini matrem morientem spectasse.

Mich. Glycas.
Dionysius.
Mich. Syngel.

genda, eædem docent rationes: & maximè quia Dionys. & Hieroth. ipsi huic spectaculo Virginis præcouia celebrantes interfuerunt, vt testis est ipse Dionysius. Euidēs autem est & certum, nonnullis post Christi in cœlos ascensionem annis Hierotheum ac Dionysium ad fidem Christi fuisse conuersos. Quare expositio verborum Dionysij, quā illis tribuit Hildivvinus nuper excusus, incōmoda est, & tempori, quo rudes erant Apostoli, nō quadrat, & in contrariā partem interpretantur multi ex Græcis Patribus, de corpore scilicet B. Mariæ, non de Christi corpore. Vercellensis Dionysij paraphrastes hoc exposuit de sepulchro Domini, in quo laudata est Passio ab Apostolis. Sed & hæc dura est expositio, & minimè verbis consona. Quarto loco, illa, quæ integrè Legis institutis, ac præceptis satisfecerat, legem quoque Christi perficere voluit, vt præclarum hinc ad Deum migrandi documentum nobis relinqueret. Quæ enim perseuerauerat semper in panis fractione, atque in cubiculo præsentem Eucharistiam semper habere solita fuerat (quod mihi piū est credere, cùm ex sermone Cypriani V. De lapsis constet, vnumquemque Eucharistiam acceptam domum secum deferre solitum, ibiq; asseruare, vt cum vellet, sumeret pro religione sua) voluit tamen vt Petrus rem diuinam conficeret, atque omnes qui aderāt, communicarent. Nec enim nauigandum esse sine pane nautico rectè cēsebat, vel longè sine viatico proficiscendū. Vbi sanctissima Virgo pro sua modestia, & humilitate vltimum conuiuij locum habere voluit postrema de corpore Christi participando: ac dixit posteà vt corpus suum tumularent in valle Iosaphat: vallis in valle, humilis in humili loco. Neque verū esse videtur, quod quidam tribuūt B. Virgini, illam Dominum rogasse, nec quis in obitu spiritus tenebrarum sibi occurreret, ne fortè illius præsentia lumen illud cęlicum aliquatenus offuscaretur. Idē tribuit Abdias de historia certaminis Apostolici Ioanni Euangelistæ (quē imminenti obitu dixisse refert: Aperi mihi pulsanti ianuam vitæ: principes tenebrarum nō occurrant mihi, nec veniat mihi pes superbiæ, & manus extranea à te, non attingat me. Si quid tamen fidei præstandum est huiusmodi autori) nā quod ad Virginem sacrā attinet, dæmon si solo nomine Marię inuocato cogitur relinquere prædam, quanto magis horrore incredibili cōcuteretur præsentia ipsius, totque Angelorum circumstantium, & Apostolorum, & Christi ipsius, quem adfuisse graues autores tradunt? Adde etiam, quòd

Hildivvin.

Vercellensis.

Quarta circumstantia. Sanctissimæ Virginis Mariæ in Eucharistiam pietas, & religio.
Act. 2
Eucharistiam olim acceptā domū deferre fideles cōsue uerant religionis ergo.
Cyprianus.

Mira Virginis modestia.
Luc. 14.

Eadem vbi sepulta.

B. Matthil. lib. 1. Reuelat. cap. 39.

Abdias lib. 5. de Historia certaminis Apostolici.

Psal. 35.

Ecclesia confidenter inuocat Mariā ad arcendum cacodæmonem à filijs suis moribundis, vnde ita precatur: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ (hoc est, iustorum parens, & peccatorū) tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Dęmō itaque aufugit ab his perfectis nuptijs B. Virginis, si Asmodeus nuptijs Saræ fuit alligatus, vt habes apud Tobiam. Quintò vt testatur Simeon Metaphrastes in oratione de ortu, & educatione, & exitu Virginis, & Nicephorus, Ioanni Euangel stæ si. o custodi charissimo, binas suas vestes, quibus vsa fuerat per totam vitam, in duas viduas paupercu-las vicinas erogari mandauit. Ex his altera custodita fuit in vico quodam non longè à Ierusalem, vbi à virgine quadam Hebræa per traditionem vnius in alteram asseruabatur, atque per eam fiebāt signa multa in infirmis. Sed cùm illuc peruenissent Gallius & Candidus duces potētes Leonis Imperatoris, atque hoc ad aures eorum peruenisset secretum, sancto furto arcam, in qua erat vestis Virginis, abstulerunt; atq; Constantinopolim deportarunt, & in templo beatæ Virgini Blachernis dicato deposuerunt, quemadmodum testatur Simeō Metaphrastes in Homilia de ortu, & educatione Deiparæ, atque exitu eius de mūdo. Continet etiam idem Simeō Metaphrastes duas Homilias sanctorum Patrum, nempè Germani Episcopi Cōstantinopolitani, & alteram Euthymij Monachi, quarum orationum titulus est. Encomiū in adorationem venerandæ zonæ sanctissimæ Deiparæ, & fasciarum Domini. Traditur enim tempore Arcadij Imperatoris 31. anno eius, vltimo die mensis primi, id est, more Græcorum, Augusti, repositam fuisse capsam in templo continentem zonam Virginis, & fascias Christi paruuli: quas adorantes omnes, & osculantes tangebāt, & sanctificabātur. Hæc illi. Nec profectò dissimile est quod Romę fit prima die Augusti in Templo S. Petri ad vincula, vbi ostenditur catena, qua Apostolorū Princeps Petrus alligatus fuit, ad quam contrectandam, & collo applicandam magna religione concurrunt omnes qui Romę agunt. Sextò, accepta cōmunione, cùm nominatim omnibus Vale dixisset, & vt mater singulis Apostolis tanquàm filijs, benedictionibus proprijs benedixisset, nonnullaq; futura cuique prædixisset; vt Petro, quòd Romæ esset crucis morte Dominum glorificaturus; Ioanni, quòd esset per Angelos transferendus, & quousque veniat Dominus, sit ei sic manendum; Thomæ, quòd esset vtramque Indiam baptizaturus; ac Ignatio, quòd

Tob 8.
Simeō Metaph.
Niceph. lib. 2. ca 21.

Ibidem.

Idem.

Germanus Episcopus Constantin.
Euthymius. Monachus.

Sexta circumstantia.

Ioan. 21.

Ibidem.

fixum haberet Iesu nomen semper in corde, ex quo tépore illi in corde fuit impressum, atque literis aureis scriptũ: nihil enim Fidem lædi video, si hæc quæ pietati sunt consona, & spiritum dilectionis incendunt credamus. His igitur peractis, omnib. præsentibus lectum cõscendit tota æstuans, ac flagrans Dei, ac Christi filij sui amore qui fortis est vt mors, spiritumq; emisit in manibus Filij vllo absque dolore: qui in cruce Filij martyrium corde erat perpessa: & vt August. est testis, tam fuit à dolore corporis extranea, quàm fuerat à corruptione aliena. Dixit autem prius ad eam Filius: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa me, & veni, Iam enim hyems trãsiit, imber abijt, & recessit*: ac Virgo respondit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Cantabo, & psalmum dicam Domino. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: Exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine; & psalmum dicam tibi in Gentibus: Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua. Exaltare super cœlos Deus; & super omnem terram gloria tua*. Denique dixit: *In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum*. Ita enim scribit Ioannes Damascenus in oratione de dormitione sanctissimæ Deiparæ: *Aduenit enim Rex* (inquit) *vt mihi quidem videtur ad suam parentem, diuinisq;, & ab interitu alienis manibus suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam. Et ea quidem dixit, vt est consentaneum: In manus tuas, Fili, commẽdo spiritum meum: suscipe tibi charã animã, quam conseruasti alienã ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terræ. Custodi saluum, quod tibi placuit habitare: & cũ natus esses, conseruasti Virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es fœtus meorum viscerum, eo quoque tecum degam. Ad te enim propero, qui ad me venit asti citra vllã spatij distãtiam. Tu meis filijs (id est, Apostolis) maximè desiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, esto mei discessus solatium. Benedictioni eorum adijce benedictionem per mearum manum extensionem. Deinde cùm manus sustulisset, vt erat consentaneum, eis benedixit qui erant congregati. Cum hac autem fecisset, & audisset à Filio: Veni benedicta mater mea in requiem meam. Audi, surge, propinqua mea, pulchra inter mulieres. Ecce hyẽs præterijt, venit tẽpus putationis*. Hæc ille. Quod si quis percontetur: Cur Christus Dominus Matrem amantissimam citra mortem ad se in cœlum non euexit? Promptum est respondere, hoc factum esse ob commune decretum: siquidem statutum est hominibus semel mori. Deinde vt imitaretur Filium, qui, tametsi esset innocentissimus, mortuus est tamen. Adhæc ne quisquam de resurrectione completa in se, vel in Filio dubitaret, nisi mors præcessisset. Denique vt B. Deipara tum sibi, tùm nobis moriendo promereretur, exemplũq; mortis minimè timẽdę præberet. Septimò, Apostoli postquàm Spiritum emisit, fusiùs apparàrunt, sanctissimumque illud corpus mũdis linteaminibus, ac pretiosis vnguẽtis inuoluerunt, illudque moderata fidelium turba cũ lampadibus, & Angelorum hymnodia in tumulo præparato condiderunt. Scribunt tamen prædicti autores Damascenus, Simeon Metaphrastes, atq; Nicephorus (etsi quidam parùm pij fabulam putent) Iudæũ quendam cùm præ inuidia tam honorificę funerationis rumperetur, temerarias manus in feretrum iniecisse, vt in terram deijceret: manusque eius exaruisse, & ex vlnis protinùs fuisse abscissas. Sed cùm ille iam pœnitens facti, lacrymas emitteret, ac peteret curationem; Petrus iussit manus amputatis vlnis applicari, & statim consecuta est manuum curatio, ac restitutio. Octauò, dum corpus tanto honore, & manib. Apostolorum tumulatur, hora noctis tertia, vt meditãtur quidam, anima eius sanctissima Angelis comitata, sed præcipuè Gabriele dimisso ad custodiam corporis, & animis sanctorum Ioannis Baptistæ, Annæ, & Ioachim parentum, atque alijs innumeris, in infernum descendit: vbi primùm damnatos gloria sua perterrefecit, serpentisque antiqui caput pede calcauit. Et vt quidam piè meditantur, nonnullas animas ex purgatorio eripuit; alij verò, totum purgatorium expoliasse ex priuilegio, vt Filius, tradunt. Decebat enim tantam Reginam ascendentem in cœlum, ac triumphantem, captiuam quoque dicere captiuitatem, nõ quidem sua virtute, sed omnipotentis Filij sui munere, atque concessu. Et in aurora diei sequentis meditantur illam redijsse ad vallem Iosaphat: vbi Petro sacrificiũ in gratiarum actionem offerenti, & præsentes omnes cõmunicanti adstitit. Peracto autem sacrificio, ac precibus, siue hymnodijs in meridie, nõ quidem post quindecim dies, vt apud B. Brigittam corruptè legitur, neque die quadragesimo, vti Christus fecit, sed tertia die, vt Græci tradũt (etsi sint qui dicant in ipso medio die, quo etiam Christus ascenderat) Dominus Iesus cum Michaele, & omnibus Angelis è cœlo ad eam descendit. Et cum à B. Matre vultu iocundissimo perquisiuisset, num vniri corpori vellet? Respondit, arbitrio diuini beneplaciti saluo, se id quàm maximè expetere: atque omnes astantes id ipsum à Christo Domino postulasse. Tùm Dominus: Coniungatur

Cant. 8. Ioan. 19. B. August. Cant. 2. Psal. 107. Psal. 30. Ioan. Damasc. Matth. vlt. Cur Christus Dominus matrem sanctissimã citra mortem ad se in cœlum non euexerit. Hebr. 9. Septima circumstantia. Damascen. Simeo Metaph. Miraculum B. Virginis. Octaua circumstantia. Corruptus locus apud B. Brigittam. B. Brigitta lib. 6 c. 61. Act. 1.

gatur, inquit, innocenti corpori innocens anima, viuatq; in ęternum dulciſſima Mater mea. Fertur & B. Thomæ Apoſtolo, qui tardius acceſſerat, vt ſuprà ex Græcis attulimus; monimentum aliquod à Virgine petenti in ſui memoriam, zonam ſuam tradidiſſe, cum iam in monte Oliueti vellet aſcendere: Magdalenæ verò Domini præputium, & ſecundinas, quibus inuolutus natus fuit Ieſus, ſanguinemque à ſe, & ab illa in cruce collectum, vt ait Nicephorus, lacque virgineum, & annulum deſponſationis à Ioſeph ſibi datum commendaſſe traditur. Quod profectò ratione non caret: ſiquidem incongruum erat tam pretioſas reliquias, quibusque dubium non erat Eccleſiam mirificè fore conſolandam, nobis petire: quare ad tantam Virginis prudentiam, & ſingularem amorem, quo nos complectebatur, ſpectabat, vt eiuſmodi depoſita, ac monimenta fidelibus cuſtodienda mandaret. Certè annulus deſponſationis Peruſij magna cum pietate ſpectandum exhibetur, quemadmodum præputium varijs in locis, præſertim verò Romæ religioſiſſimè eſt aſſeruatum. Rurſus illud obſerua, Deum pro ſua ſapientia corporum reſurrectionem, & gloriam in vltimum vſque diem protrahere, vt ſimul reſurgentes amplius omnes lætentur. Et quia par eſt, & rationi conſonum, ſeruos, qui ſolent de reliquijs menſæ dominorum ſuorum veſci, ad tempus expectare quoad illi cibum ſumpſerint; ita par eſt, vt corpora, quæ veluti ſeruiunt animis, & ſeruorum obſequia illis impendunt, tardiùs tempore gloriæ ſuæ cibum accipiant: maximè quia corpus neque à ſe meretur, nec eſt capax viſionis Dei. Denique Sanctorum gloria, qui non ſine nobis complendi, nec conſummandi ſunt, reſurrectio & glorificatio producitur, vt plus de nobis conſeruis, & confratribus ſuis Deum deprecentur.

Nicephorus.

[...]nnulus de[...]onſationis [...] Virginis, ac [...]omini præ[...]utium vbi [...]ſeruentur [...]ligioſè.

[...]uare in po[...]tremum vſq; [...]em noſtra [...] dilata re[...]urrectio.

[...]br. 11.

Verùm hæc generalis regula vt in Chriſto capite locum nõ habuit, ita nec in Virgine matre habere voluit: quoniam expediebat nobis habere ante oculos gloriã in vtroque ſexu perfectam, & cõſummatam. Etſi autem nonniſi ſemel Filius Dei ex Virgine ſit progenitus: ter tamen cępit eius eſſe filius. Semel quando conceptus eſt. Deinde, cùm per mortem deſijſſet eſſe homo, atque ipſa per conſequens deſijſſet eſſe mater, vt quidam philoſophantur: quam primùm tamen ſuſcitatus eſt Chriſtus ad vitã immortalem, iterum eſſe cœpit filius eius. Demùm, cùm B. Virgo per mortem homo eſſe deſijſſet, & per conſequens Chriſti Mater, illa ad vitam immortalem ſuſcitata, iterum eandem dignitatem comparauit. Matri igitur ad glorioſam vitam excitatæ Filius dixit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Et ſtatim ab omnibus angelis, ac ſanctis adorata eſt: qui aliquid de Canticis illi occinebant, vt: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Nihil in die pulchrius Sole, in nocte nil ſpecioſius Luna, inter diem & noctem nihil ſpectabilius aurora, nihil acie ordinata magis pertimeſcendum. Aurora dicitur ob anticipatam reſurrectionem: Luna dicitur, ob circulum breuiorem, quem ſuſcitata conficit. Sol omnium eſt expers tenebrarum: poteſt quidem nubecula ad tempus tegi, verum nube diſſipata ſua virtute ſe prodit. In aciem ordinatã quid poteſt? In hũc modum ſanctiſſima Virgo aurora nobis eſt ſua gloria prænuntians diem vniuerſalis reſurrectionis: Luna eſt, quia paucis horis poſt mortem circulum ſuum abſoluit, & in cœlum redijt: Sol eſt, in quem nubes mortis diu præualere non potuit. Denique in eam, tanquam in aciem ordinatam, nihil potuerunt aut Satanæ fraudes, aut diuturna mors, aut furor Iudæorum. clamabant & alij: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, enixa ſuper dilectum ſuum?* Deſertum vocat præſentem mundum, in quo eſt bonorum ſterilitas, neque fructus dulces, aut maturi, ſed acerbi, & inutiles, hoc eſt, ſpinæ, & tribuli gignuntur, non ſunt animalia domeſtica, ſed ſerpentes, & feræ in noſtram necem conſpirantes: & tamen in hoc tanto ac tali deſerto habitare diligimus. Dicitur aſcendere delicijs affluens, non quidem carnalibus, & ſenſibilibus, quæ cito deficiunt, quæ plus fellis habent, quàm melli, ſed diuinis, ac ſpiritualibus. Erat enim Maria omnibus Spiritus ſancti delectationibus, & ſolatijs cumulata. Erat corpus quatuor glorioſis dotibus ornatum, denique omnibus oblectamentis atque ornamentis, quibus non ſolum nos poſſet allicere, & ſui amorem conciliare; verumetiam cœlites ipſos, atque adeò ipſam ſanctam Trinitatem lætificare, & exhilarare. Et ſubdit: *Innixa ſuper dilectum ſuum:* Nemo enim proprijs viribus, aut meritis, ſed illis tantum Chriſti exiſtimet ſe poſſe in cœlum conſcendere: nam maledict⁹ homo qui cõfidit in homine, &

[...]riſtus etſi [...]mel ex Vir[...]gine natus ſit, [...] tamen cœ[...]eius eſſe [...]us.

Cant. 4.

Infra 6.

B. Virgo Sol, Luna, & aurora cur dicta.

Infra 8.

Mundus cur deſerto comparatus.

Maria Virgo quibus delicijs affluerct.

Eadem ſuper quẽ enixa dilectũ ſuũ è deſerto in cœlum aſcẽderit. *Ierem. 17.*

Exod. 13.

& ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Et vt olim filij Israel in Terram promissam sine colũna nubis, & ignis tum dirigente, tùm protegente non sunt ingressi: ita nemo in cœlum, siue in terram viuentium ingredi potest, nisi columnæ firmissimæ hæreat Iesu Christo. Et si autem Christus virtute propria ascenderit: Maria tamen nonnisi Christo innixa, vt vitis vlmo, & hedera arbori, murove sustentata. Neque, inquit, innixa super Regem, vel Deum suum; sed super dilectum: quod in paradiso filius Dei non alio nomine gaudeat quam amici & dilecti, quia animus non aliter est cũ Deo, ac sponsa cum sponso suo, cuius præsentia delectatur, omnibusque bonis, quæ in desiderium cadere possunt, abundè perfruitur. Tunc celebrantur nuptiæ inter Deum & animã. Innixus fuerat Christus matri suæ dilectæ quoad vixit: nam & puerum in sinu suo gestabat, & mortuum, atq; cruce depositum proprijs brachijs sustentauit, antequam conderetur in tumulo. Et ob eam causam ascendit innixa super dilectum; quò intelligamus nobis quoq; Christum modò esse glorificandum, & portandum in animis & corporibus nostris, quò promereamur illi innixi, ac sustentati in cœlum conscendere. Posthæc ascendit B. Virgo à valle Iosaphat in Montem Oliueti, sed paulatim, donec omnes discipuli, ac dilecti, fidelesque qui aderant, eò conuenirent. Et ex Monte Oliueti salutatis omnibus, suaque benedictione cumulatis, illisque cernentibus sensim à terra cœpit eleuari, & iterum cuique postremò cernenti benedicebat, vt de Christo prædictum est: ac postquam amplius videri non potuit, in momento cum Angelis & sanctis in Empyreum cœlum ad sedem sibi collocatam ad Christi filij dexteram peruenit. Vbi ab vniuersis Angelorum Hierarchijs honorificentissimè tanquam Regina est consalutata, & peculiari venerationis cultu, qui Matri Dei competebat, adorata. Et si Regina Saba magna comitatu stipata in Ierusalem venit ad Regem Salomonem adferens aromata, aurum, & lapides pretiosos: maiori profectò, ac splendidiori pompa ingressa est Regina nostra in cœlestem illam Ierosolymam veram pacis visionem, vbi veram sapientiam Patris intuita est: attulit odoratissima virtutum aromata in pixide humilitatis, aurum ardentissimæ charitatis Dei, & proximi, & pretiosos meritorum suorum lapides. Quali illa singularis Dei filia, Christi mater, & Spiritus sancti habitaculum lætitia filium Salomonem in regno sedentem est intuita? Et corona stellarum duodecim tanquam Regina exornata in testimonium tantæ maiestatis, & excellentiæ. Nam quicquid est deliciarum, atque ornamentorum in nouem choris Angelorum, & quicquid in tribus choris, qui ex beatis hominibus fiũt, nempe Martyrum, Virginum, ac Confessorum, ita vt duodenarius stellarum numerus conflectur, in illa vna supremo, & eminentissimo modo à Deo collocatum fuit. Vt meritò de illa legamus iuxta Bernardũ: *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Difficile quoque est aut cogitatione complecti, aut oratione explicare ineffabilia illa, & inexcogitabilia gaudia, quibus cœlum ipsum repleuit, & quibus ipsa simul à tota Trinitate copiosissimè cumulata est: certè nos ipsos à longinquo hæc intuentes, atque adorantes, mirifica, ac spirituali voluptate afficiunt, & ad illa gaudia expetenda, ac plenius degustanda, vehementer excitant, atque inflammant. Apostoli admirabundi, & gaudentes reuersi sunt à tali spectaculo, Deum laudantes, atque benedicentes, qui eos dignos fecerat, vt de remotissimis mundi partibus in vnum congregarentur, quò Matris benedictionem ante mortem perciperent, illique tumulandæ inseruirent, ac dignos efficeret, qui eius in cœlum Ascensionem spectarent. Et ab eis tùm Psalmus ille decantatus est: *In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro: Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.* Ipsa enim sanctissima Virgo verus est Israel, hoc est, Videns Deum, siue, Fortis cum Deo: Estque vera domus Iacob, id est, Christi dæmonum supplantatoris: est & vera Iudæa, quæ confessione laudis Deum celebrat. Hæc est, quæ tunc exijt de Aegypto mundi, & de populo barbaro peccatorum, cùm mũdum hunc deseruit, & cùm corpus gloriosum assumpsit, mare amaritudinum omnium, & pœnarum fugit. Et Iordanis humiliationis beatæ huius Virginis conuersus est retrorsum: quia exaltata est super omnes cœlos. Tunc montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium, id est, Angeli, & sancti, pusilli, & maiores, id est, discipuli cum Apostolis, quorum filij sunt ab eius conuersi virtute eius, qui conuertit petram in stagna aquarum, id est, ex se virtutibus suos humectat. Ideò, *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Facilè esset profectò vniuersos huius Psalmi versiculos adaptare huic mysterio, nisi breuitati consulendum esse putaremus. Non ignoro, prudẽs lector, libros

Quo magis nomine in cœlesti patria gaudeat Filius Dei.

Cur dicatur B. Virgo innixa super dilectum suum.

Vnde ascenderit in cœlũ.

2. Paral. 9. & seq.

Regina Saba pulchrè Reginam cœli repræsentauit.

Apoc. 12.

Eccl. 24.

B. Bernard.

Psalm. 113.
Exod. 14.
Psalmi 113. priores versiculi ad beatã Virginem accõmodantur.
Israel domus Iacob.
Iudæa quid significet.

bros quosdam olim de transitu Virginis editos à Melitone Sardensi, apocryphos fuisse habitos à Hieronymo, Augustino, & Gelasio, & à Beda presbytero in Actus Apostolorum scribente, quòd quædam apertè falsa, noua, ac minus in Ecclesia recepta docerent. Verùm hæc quæ nos hoc loco adduximus, putamus nihil continere apocryphum, nihil aut pietati, vel Patrum traditioni contrarium resonare. Deinde quædam produximus, non vt mathematicas, ac euidentes demonstrationes; sed vt probabiles tantùm, vt verosimiles, à fideque minimè abhorrentes rationes: nam in plerisque euidentiora requirere argumenta, planè stulti sit, atq; imprudentis. Si quis tamen solidiora, & veritati propiora poterit proferre, magnam apud nos inibit gratiam ac minimè inuitos in suam ducet sententiam. Sed de his hactenus.

Hier. epist. ad Paulam, & Eustoch. Aug serm. de Assumpt. Gelas dist. 15. c. Sancta Romana. Beda.

Ex mysterio assumptionis mores ædificantur.

Vt igitur ex his fructum aliquem colligamus, si mors Matri non pepercit, intelligamus nobis necessariò moriendum: præparemur igitur ad illam, amorem vitæ præsentis exuentes, & æternæ, ac futuræ affectum induentes. Si hodie Maria est assumpta, demus operam, vt & ipsi digni efficiamur, qui diuinitùs eius instar assumamur: & ad hoc contendamus, ne simus magni in oculis nostris per superbiam, sed humiles, ac modesti, scientes quia omnis qui se humiliat, exaltabitur: nec etiam simus nimis parui, animi abiectione, ac diffidentia: nec graues, cupiditate terrenorum bonorum, aut obstinatione; nec lubrici aut calliditate, aut carnis mollitie; neque spinosi iracundiæ motu; atque maledicentia; rursus nec impensè calidi amore seculi huius, aut valdè frigidi in diligendo Deo, & cœlesti patria; denique assumenti nos minimè resistamus, ne de nobis dicat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* Denique quem thesaurum, & aduocatam penes Deum habeamus, minimè ignoremus, sed certi simus, quicquid nos per eam postulauerimus, facilè nos exaudiendos. Nam si per eam nobis datus est Filius, & per eam perficientem orationes Apostolorum, in eos delapsus est Spiritus sanctus, & per eius, dum esset viatrix, salutationem, impleuit totam domum Zachariæ sancto Spiritu; adeò vt & in vtero matris infans tripudiauerit; quid nobis de illa amantissima Matre polliceri non audeamus? *Nihil*, inquit Bernardus, *nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.* Et beatus Ephræm Diaconus Ecclesiæ Edessenæ, in oratione de sanctissimæ Dei

Luc. 24.

Matth. 23.

Actor. 2.

Luc. 1.

S. Bernard.

S. Ephram.

matris laudibus: *Per te, ait, reconciliati sumus Christo Deo meo filio tuo. Tu peccantium, & auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus procella vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus.* Hæc ille. Vides quibus titulis exornent veteres illi Patres B. Virginem? Videri illi possent nostri seculi hæreticis superstitiosi, aut Christi laudibus detrahentes, vt eas Matri adiungerent. Sed iam audi Patrem alterum, nimirùm Germanum Archiepisc. Constantinopolit. in prædict. Homil. de adoratione venerandæ Zonæ Deiparæ, & fasciarum Domini. Alloquens enim B. Virginem, sic inquit: *Non est re vera finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui saluus fiat, ô sanctissima, nisi per te: nemo est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima. Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.* Et paullò antè: *Quidnam autem de nobis fiet, ô sanctissima Deipara, Spiritus & vita Christianorum? Quomodò enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ lætitiæ, & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.* Et infrà: *Tu enim cùm habes maternam apud tuum filium fiduciam, & potentiam, nos qui sumus tibi commendati, & non audemus intueri ad cœli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus et efficis familiaribus, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio.* Et infrà: *Ne quæso, tenuis, & indignæ linguæ supplicationem reijcias; sed animum remetiens, peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas, sempiternæ vitæ fruitionem, & omnium malorum liberationem.* Hactenus ille. Et vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, audi verba Patris antiquioris Methodij Episcopi Tyri, & Martyris, ex eius oratione quam habuit de Simeone, Anna, & purificatione beatæ Virginis, quam Græci Hypopantem vocant: *Suscipe* (inquit alloquens Virginem) *benignè honorifica hæc, & tibi soli conuenientia dona omnium quæ cernuntur, quæq; cerni non possunt Dei Optimi operum opus præstantissimum. Felix domus Iesse, terque beata familia Dauid, ex qua ipsa floruisti: Deus enim in medio tui, & non commouebitur: quia sanctificabit tabernaculum suum Altissimus. In te namque testamentum Dei, & iusiurandum ad Patres nostros finem præstantissimum, atque exitum repererunt, ac per te Dominus Deus virtutum habitauit in nobis. Tuam sanè præferebat speciem sacram incombu-*

Virg. Deiparæ laudes, & encomium.

S. German. Archiepisc. Constantin.

Nemini constare potest, nisi per Virginem salus.

Sancta Dei genitrix, spiritus, & vita Christianorũ.

Method. Episc. Tyri.

Psalm. 45.

Exod. 1.

stus

stus rubus, illæsusque, quo se olim quo tempore cerni voluit, visendum Propheta obiecit. Strenuè *quoque quondam è montis vertice excisa petra perennem ex te fluentem virtutum omnium referebat gratiam, cùm affluenter in deserto deficienti populo ex terræ hiatibus refrigerationem, solatium attulit, & remedium, verùm & Sacerdotis virga, quæ inculta aliquando, & effloruit, & fructum tulit, non obscurum præbuit admirabilis tui partus testimonium, simulq; pignus perfecti futuri Sacerdotij.* Et paulo post: *Benedicta tu, & vndequaq; benedicta, omnibus desiderata, Dominiq; benedictionibus cumulata. Tuum Deo gratum nomen Dei genitrix: lumen præferens fidelibus, circumscriptioque, vt sic dicam, eius, qui nullis potest finibus circunscribi: radix pulcherrimi floris, Mater opificis, nutrix alentis, ambitus, & comprehensio concludentis, ac deferens eum, qui verbo portat omnia: porta Dei ortus in carne: forcipes, quibus purificans ille carbo exceptus est: breuis & perangustus sinus, quo fuit inclusus is, qui omnia continet suo sinu: vellus incomprehensibilis illius roris. Desiderij Dauid, iugisq; vitæ, puteus Bethleemiticus, vnde immortalitatis poculum emanauit: propitiatorium, ex quo Deus hominibus mortali se exhibuit specie: immaculata vestis eius, qui lumine est amictus, vt vestimento, cuius sumptibus Deus bonis omnibus affluentem illam quam non habebat, carnem suscepit, vt id esset Deus omnipotens, quod esse sibi placuit. Quid hoc præclarius? Quid hoc sublimius? Qui cœlum, & terram implet, cui creditori id, quod sunt omnia debent, cui factus est indigens. A te enim mutuatus est Deus carnem illam diuinam, quam non habebat: tu namque vidisti præpotentem Deum pulchra illa corporis armatura, qua quidem ipse talem se mihi exhibuit, qui cerni possit, ego verò vt ipsum clarè intueri possim, obtinui, cuius etiam vi omnia dæmonis ignita extincta sunt iacula. Euge euge Mater Dei, & serua: Euge euge, cuius debitor est is, qui omnium creditor, omnes namque debemus Deo, ipse tibi. Qui enim dixit: Honora patrem, & matrē, multò magis ipse, qui se huic examini subiecit, legi pareat, quam ipse tulit, eamque veneretur, qui spontaneum ortum ministrauit: isque, qui ab ea sine patre est, summa gloria afficiat suam sine viro Matrem.* Hactenus ille. Aspicis, quàm magnifica & præclara oratione hi Patres de dignitate, & potestate pientissimæ nostræ Matris sentiant. Demus igitur operam, vt eius heroicas virtutes consectemus, ac beatis illius pedibus prouoluamur, precesque, ac supplicationes per eam apud Deum fundamus, eius vitam, atque gesta, felicemq; exitum meditemur, quo eius patrocinio fulti, doctrinis imbuti, exemplis illustrati, studijs accensi, precibus subleuati, gloriosisque meritis cumulati; æternæ vitæ aditum consequi valeamus, coronaque illa immarcessibili potiri possimus vnà cum sanctissima, & amantissima Regina nostra, atque Filio eius omnium bonorum nostrorū autore primario, conseruatore, ac remuneratore Domino nostro Iesv Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto in sempiternum beatus & gloriosus viuit, ac regnat, Amen.

Margin notes: *...s. 17* · *Num. 17.* · *Hebr. 1.* · *...Reg. 23.* · *Psal. 103.* · *Ierem. 23.* · *Luc. 1.* · *Exod. 20.*

LIBRI VNDECIMI FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM NOTABILIVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC TOMO VNDECIMO ALFONSI SALMERON. COMMENT. IN EVANG. ET *Acta Apostolorum latiùs explicantur.*

Prior numerus paginam: secundus columnam indicat.

Ex

Finis Indicis locorum notabilium S. Scripturæ in hoc volumine explicatorum.





INDEX SENTENTIARVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC VNDECIMO TOMO ALFONSI SALMERON. CONTINENTVR.

Prior numerus paginam indicat: posterior columnam demonstrat.

A.



Petrus

R.

FINIS.

INDEX EVANGELIORVM,
QVAE IN DOMINICIS ET FESTIS DIEBVS PER TOTVM ANNVM IN MISSIS, IVXTA CONSVETVDINEM
Ecclesiæ Romanæ leguntur, & in hisce vndecim tomis in Historiam Euangelicam explicantur.

DOMI-

PROPRIVM SANCTORVM.

COMMVNE SANCTORVM.

Vero-

FINIS.



